LEGATORIA
ANISPERNA 222-A

Moral proj 259.02
B. 666

THEOLOGIA MORALIS
FUNDAMENTALIS.

THEOLOGIA MORALIS

FUNDAMENTALIS

AUCTORE

THOMA JOS. BOUQUILLON, S. T. D.

et in universitate catholica Americana Theologiæ moralis Professore.

EDITIO TERTIA RECOGNITA ET ADAUCTA.



BRUGIS,
CAR. BEYAERT, Editor.
1903

PARISIIS,
P. LETHIELLEUX.

ROMÆ, RATISBONÆ, NEO-EBORACI ET CINCINNATI,
F. PUSTET.

1546

IMPRIMATUR,

Brugis, in festo Præsentationis B. M. V., 21 novembris 1902.

† G. J. Episc. Brugen.

Bruges, typ. Joseph Houdmont-Carbonez, rue de la Fontaine des Frères

PRÆFATIO

præfixa secundæ editioni [1].

Ecce, benevole lector, ædificii theologico-moralis, quod molimur, atrium simul et fundamentum.

Atrium est, quo plane ac secure in ædificium introducaris et varia ejus loca perlustres. In eo quippe exhibentur theologiæ moralis indoles, relatio cum aliis scientiis practicis, partitio ; methodus etiam definitur qua ipsi incumbendum sit, et fontes indicantur a quibus hauriri debeat ; præterea enarrantur ejus ortus, progressus ac vices.

Fundamentum autem est, cui totum ædificium innititur. Eo enim ponuntur et stabiliuntur principia a quibus pendet rerum moralium recta intelligentia. Et re quidem vera a capite operis determinatur finis hominis ultimus ; *nam, ut præclare monet Tullius* « *cognitis rerum finibus, cum intelligatur quid sit et bonorum extremum et malorum, inventa vitæ via est, conformatioque omnium officiorum* [2]. » — *Mox succincte exponuntur* media *homini ad finem consequendum proposita : natura et gratia, ratio et fides, voluntas et auxilia, sacramenta, societas religiosa, civilis, domestica. — Pone sequitur* regularum *quæ dirigunt in finem explicatio amplissima ; sunt nimirum regulæ illæ quinque mediis*

1. Eximius auctor, antequam tertia hæc editio, jam typis mandata, penitus absolveretur, pie Bruxellis obiit 5 novembris 1902.

2. Tullius, *De fin.* v, 5.

respondentes : lex naturalis, lex supernaturalis, lex ecclesiastica, lex civilis, lex paterna. — Quibus declaratis, sollicite inquiretur de recta prædictarum regularum applicatione per conscientiam. — *Post hæc considerantur* actus *quibus in finem tenditur, seu expenditur hominis activitas quatenus libera, moralis, salutaris. — Tandem brevissime agitur de finis ultimi* assecutione *et* amissione, *et de totius ordinis moralis* consummatione.

Summa religio fuit ut in omnibus sincera Ecclesiæ doctrina traderetur ; cum Ecclesia autem « Doctores recipimus [1] *» et singulos veneramur ; tres tamen sunt quos præcipuos magistros habuimus, S. Thomam, Suarez, S. Alphonsum ; a S. Thoma petiimus inconcussa moralis scientiæ principia ; petiimus a Suarez doctam principiorum expositionem et vindicationem, tandem a S. Alphonso petiimus prudentem eorumdem principiorum applicationem. Cæterum nulli theologorum sectæ addicti, « in delectu sententiarum ingens nobis cura fuit semper rationem auctoritati præponere, et priusquam nostrum ferremus judicium, in eo, ni fallimur, toti fuimus ut in singulis quæstionibus nos indifferenter haberemus, et ab omni passionis fuligine expoliaremus* [2]. »

1. S. Vincentius Lir., *Comm.* I. 17.

2. S. Alphonsus, *Mon. Auct.*

INTRODUCTIO
IN THEOLOGIAM MORALEM.

Proœmium.

LIBRI introductorii in scientias sacras sunt duplicis characteris. Alii sunt generales, pro objecto habentes omnes scientias sacras; alii speciales, respicientes unam scientiam vel unam scientiæ partem. 1.

Introductiones generales in scientias sacras.

Introductiones generales inscribi solent *Apparatus*, *Prodromi*, *Propædeuticæ*. Plerumque constant triplici parte: *encyclopœdia*, *methodologia*, *bibliographia*. In encyclopœdia exponitur quæ sint materiæ tractandæ; in methodologia, quomodo tractari debeant; in bibliographia, ubi tractatæ reperiantur. Scriptæ autem sunt introductiones tum a catholicis, tum ab acatholicis. Inter catholicos Introductionum scriptores, recensendi veniunt: Laurentius a Villa Vicentio (1), Joannes Mabillon (2), Ludovicus Ellies Dupin (3), Franciscus Staudenmaier (4), A. Bourquard (5), Henricus Kihn (6). Inter acatholicos Introductionum scriptores plures, recentissimi sunt: Georgius Henrici (7), Philippus Schaff (8), Alfredus Cave (9).

Introductiones speciales in theologiam dogmaticam.

2. Introductiones speciales in Theologiam proprie dictam (omissis Biblicis, Patristicis, Historicis, Canonicis) maxime respiciunt Dogmaticam, imo quasi exclusive veritatis catholicæ fundamenta. Præcipuarum auctores sunt: Joannes Driedo (10), Melchior Cano (11), Ludovicus Carbo a Costaciaro (12), Carolus

1. *De recte formando theologiæ studio*, Antverpiæ, 1565. — 2. *Traité des Etudes monastiques*, Paris, 1691; J. Besse, *Les Etudes ecclésiastiques d'après la méthode Mabillon*, Paris, 1900. — 3. *Méthode pour étudier la Théologie*, Paris, 1716. — 4. *Encyklopädie der Theologischen Wissenschaften*, 1834. — 5. *Essai sur la méthode dans les sciences théologiques*, Paris, 1860. — 6. *Encyklopädie und methodologie der Theologie*, Freiburg im Breisgau, 1892. — 7. *Theologische Encyklopädie*, Freiburg im Breisgau, 1893. — 8. *Theological Propædeutic*, New-York, 1893. — 9. *An Introduction to Theology*, Edinburg, 1896. — 10. *De scripturis et dogmatibus ecclesiasticis*, Lovanii, 1533. — 11. *De locis theologicis*, Salmanticæ, 1563. — 12. *Introductio in sacram Theologiam*, Venetiis, 1589.

Duplessis d'Argentré ([1]), Petrus Annatus ([2]), Joseph Gautier ([3]), Clemens Schrader ([4]), J. B. Franzelin ([5]), M. Jos. Scheeben ([6]), Joachim Berthier ([7]).

3. *in theologiam moralem.*

Sequiori ætate prodierunt introductiones in Theologiam moralem. Referunt fere omnes characterem polemicum proprium epochæ, in qua scriptæ sunt. Prælusisse visus est Henricus a Sancto Ignatio per sua *Prolegomena ad Ethicam amoris sive Theologiam Sanctorum* ([8]). Præclarum tentamen debetur Fr. Ant. Zaccariæ. Is supplementum addiderat theologiæ Claudii Lacroix ([9]); auctius vero præmisit ejusdem theologiæ editioni, quam paulo post adornavit ([10]). Quum autem S. Alphonsus postulasset ut exstaret etiam in fronte sui operis moralis, vir eruditus opusculum suum retractavit, illudque duplici parte locupletavit ([11]). Eodem tempore Daniel Concina, Zaccariam æmulatus, apparatum ad theologiam christianam dogmatico-moralem composuit ([12]); ejus vero sodalis Vinc. Patuzzi prodromum edidit ad Ethicam christianam ([13]). Multo melius ac perfectius rem explicavit Corbinianus Luydl, O. S. Fr. ([14]). Qui nostro sæculo de locis theologiæ moralis tractaverunt, Zaccariam secuti sunt vel etiam exscripserunt, ita tamen ut nonnulli optima quædam de suo addiderint. Præ cæteris consuli meretur Ern. Müller ([15]).

1. *Elementa Theologica,* Parisiis, 1702. — 2. *Apparatus ad positivam theologiam methodicus,* Venetiis, 1744. — 3. *Prodromus ad Theologiam dogmatico-scholasticam,* Coloniæ. 1756. — 4. *De theologia generatim,* Pictaviis, 1874. — 5. *De divina traditione et scripturis,* Romæ, 1870. — 6. *Katolischer Dogmatik,* erster band, Freiburg im Breisgau, 1873. — 7. *De locis theologicis,* Augustæ Taurinorum, 1888; *Etude sur la somme théologique de Saint Thomas,* Fribourg, 1893. — 8. Leodii, 1709. — 9. Ad R. P. Claudii Lacroix S. J. *Theol. mor.* ... supplementum, sive accessiones, in quibus de locorum theologicorum in morali scientia usu plurima disputantur ... Bononiæ, 1749, in-fol. — 10. Theologia moralis .... in qua singularis exstat liber, isque in hac nova editione multo auctior, de locis moralis theologiæ. — 11. Dissertatio ad Alphonsi de Ligorio moralem theologiam prolegomena, de casuisticæ theologiæ originibus, locis, atque præstantia. — 12. Prodiit Concinæ apparatus 2 vol. Romæ, 1751. — 13. Prostat etiam in *Cursu completo* Parisiensi, tom. II.

14. *Institutiones theologiæ moralis christianæ et evangelicæ* in pp. 4 et diss. 7 tributæ, sive loci communes ac fontes in quibus morum doctrina ad S. Evangelii leges efformata haurienda est.

15. *Theol. mor.*, introd.

Quæ seduliorem nunc postulant introductionis tractationem, sunt *a*/ theologiæ moralis momentum ; *b*/ quæstionum difficultas ; *c*/ moralis theologiæ conditio hodie minus prospera (1) ; *d*/ alacritas, qua aliæ scientiæ practicæ considerantur. Triplici parte introductio nostra constabit : comprehendet scilicet ea quæ pertinent ad Theologiæ moralis *naturam, studium*, et *historiam*.

1. Cfr. Bouquillon, *Moral Theology at the end of the nineteenth century*, Washington, D. C. 1899.

PARS PRIMA.

DE THEOLOGIÆ MORALIS NATURA.

Ut theologiæ moralis natura perspecta habeatur, primum ejus specifica notio declaranda est, deinde indicari debent partes objectivæ.

CAPUT I.

De theologiæ moralis notione.

ARTICULUS PRIMUS.

De vocabulorum significatione.

4. *Mos :*

QUOD latine dicitur *mos, græce* ἔθος vel τρόπος, germanice *sitte*, est consuetudo, ratio vitæ, et inde habitus, dispositio, inclinatio (1). Vix attribuitur insensibilibus ; raro animalibus brutis ; at ordinarie reservatur agentibus liberis.

5. *morale :*

Morale, ethicum, sittlich usurpatur in oppositione ad *materiale* seu *physicum*, quo sensu in ordine Universi distinguitur ordo physicus seu materialis, et ordo moralis ; item usurpatur in oppositione ad *sensibile*, seu *corporale*, ut quum sermo est de passione et virtute ; præterea usurpatur in oppositione ad *intellectuale*, ut Aristoteles (2) et Scholastici (3) virtutes morales distinguunt ab intellectualibus (3) ; tandem morale usurpatur in oppositione ad *ideale* et ad *artificiale*. Itaque morale, quoad subjectum, potentiam, objectum, refertur ad agens *rationale*, ad vim *appetitivam* et ad *bonum*. Hinc dicuntur *entia moralia*, imo et *personæ morales*, quæ voluntate effinguntur ; *causæ morales*, quæ libere agunt, ut ipsa voluntas, vel in liberam voluntatem agunt, ut consilium, minæ, etc. ; *effectus morales*, qui in voluntate quasi producuntur, cujusmodi est obligatio orta ex promissione, dominium quod transfertur per voluntatem domini, vinculum matrimonii, valor rei ortus ex lege taxante pretium

1. Cfr. Aristoteles, *Nicom.* II, 1 ; *Magn. Mor.* I, 6 ; S. Thomas, *Ethic.* lib. II, lect. 1 ; *Summa*, 1-2, q. 58, a. 1 ; Wundt, *Ethics*, vol. I, p. 23. — 2. *Ad Nicom.* II, 1. — 3. S. Thomas, 1-2, q. 58.

ejus ; *facultas moralis,* seu jus et licentia ; *impotentia moralis,* seu difficultas quam voluntas superare non solet ; *præmia moralia* et *morales pœnæ,* quæ voluntatem afficiunt ; *virtutes morales,* quibus perficitur voluntas ; *lex moralis,* qua regulatur activitas libera et voluntaria ; *actus morales,* qui libera voluntate eliciuntur vel imperantur ; *certitudo moralis,* quæ circa operationes liberas versatur, vel a voluntate pendet.

6. *moralitas ;*

Verbum *moralitas* in omnibus linguis modernis receptum, non reperitur apud auctores classicos ; videtur originis christianæ seu ecclesiasticæ. Generatim est morum conditio, et designat vel moralem *aptitudinem,* vel *qualitatem* moralem. — Si intelligatur aptitudo moralis, moralitas actuum nihil est aliud quam eorum subjicibilitas regulæ. Ita S. Thomas : « Actus susceptibilis est bonitatis moralis, secundum quod humanus est : humanus autem est secundum quod ratione deducitur, quod contingit in illis actibus tantum qui imperantur a voluntate, quæ consequitur deliberationem rationis ([1]). » — Si vero intelligatur qualitas moralis, actuum moralitas consistit, in eorum commensuratione, seu in eorum habitudine ad regulam. In hac qualitatis moralis idea continentur ideæ rectitudinis, bonitatis, obligationis ; cum eadem connexæ sunt ideæ imputabilitatis et responsabilitatis. Hoc sensu Angelicus : « Habet actus humanus quod sit malus ex eo quod caret debita commensuratione. Omnis autem commensuratio cujuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, a qua si divertat, incommensurata erit ([2]). »

7. *ordo moralis.*

Cum ordo, in abstracto spectatus, sit apta rerum ad finem dispositio secundum earum relationes, *ordo moralis* ille dicitur quem ratio considerando facit in actibus voluntatis ; scilicet est dispositio actionum voluntariarum ad invicem et ad finem ([3]). Jam vero sicut in præsenti Dei providentia erga humanum genus, ordo logicus idearum et ordo ontologicus realitatum,

1. In II, dist. 40, q. 1, a. 5 ; cfr. 1-2, q. 1, a. 3 ; q. 18, a. 9 ; q. 88, a. 6. — 2. S. Thomas, 1-2, q. 71, a. 6. — 3. S. Thomas, *In Eth.* lib. 1, lect. 1.

non mere naturalis est, sed supernaturalis, ita non mere naturalis sed supernaturalis est ordo moralis operationum.

ARTICULUS SECUNDUS.

De scientia morali naturali.

8. *Scientia moralis,*

Scientia moralis naturalis, seu moralis Philosophia, « hoc habet proprium considerare operationes humanas ut ordinantur ad invicem et ad finem (1). » In eadem autem scientia, natura, potentia, operationes, leges, finis, considerantur ex principiis rectæ rationis. Dici potest : scientia honesti ; scientia principiorum, quibus dirigenda vita humana ; scientia ordinis moralis ; scientia regularum humanæ activitatis ad finem ultimum; scientia reductionis hominis ad Deum.

9.

In ordine morali occurrunt *a|* ideæ seu notiones, moralem actionum æstimationem exhibentes, v. g. ideæ et notiones *boni* et *mali, recti* et *pravi, honesti* et *turpis, convenientis* et *inconvenientis;* præterea ideæ et notiones *imputabilitatis, responsabilitatis, laudis* et *vituperii, præmii* et *punitionis, meriti* et *demeriti*. — Occurrunt *b|* potentiæ, affectus, passiones, actiones, v. g. *voluntas, appetitus, amor, odium, mendacium, veriloquium,* etc. — Occurrunt *c|* insuper regulæ et leges, v. g. *libertas, obligatio, jus,* etc. — Tandem *d|* occurrunt regularum applicationes. Jam vero pro vario considerationis objecto varius oritur scientiæ moralis conceptus. Aliqui scilicet, præsertim nonnulli moderni, tenent scientiam moralem non esse nisi *descriptivam* seu *expositivam ;* objectum ejus esse phænomena moralia, eorumque originem, evolutionem, causas, effectus ; finem esse, indicare quid *sit,* quid *fiat* (2). Alii, traditioni fideliores, existimant moralem scientiam non esse tantum descriptivam sed esse potius *præceptivam,* seu ut dicere solent, *normativam ;* præcipuum ejus objectum esse vitæ regulas ; finem esse ut indicetur quid fieri *debeat* (3). Tandem alii tenent moralem non esse scientiam, sed *artem ;* ejus objectum minus esse phænomenorum moralium observationem, aut regularum deductionem,

præceptiva.

1. S. Thomas, l. c. — 2. Ita v. g. Simmel, *Einleitung in die Moral Wissenschaft,* 2 vol. — 3. Cfr. Wundt, *Ethics,* vol. I, Introduction.

quam principiorum communiorum applicationem. Existimamus in scientia morali integre spectata tria prædicta contineri; sine his simul positis non haberi nisi scientiam mancam et imperfectam.

10. *multiplex: generalis.*

Scientia moralis, etsi genere una, est tamen specie multiplex. Primo loco venit moralis *generalis* seu *universalis*, quæ totam complectitur hominis activitatem liberam. — Proxime accedit scientia *ethico-religiosa*, quæ hominis relationes ad Deum, primum principium, supremum Dominum, ultimum finem considerat sub respectu morali (1). — Tertio loco venit scientia *ethico-socialis*, quæ operationes hominum, ut hi sunt corporis seu organismi socialis membra, sub respectu morali considerat. — Tum venit scientia *ethico-politica*, quæ sub respectu morali considerat activitatem hominis in constitutione et gubernatione civitatis seu status. — Quinto loco habetur scientia *ethico-juridica*, quæ legales hominum obligationes et commutationes sub respectu morali considerat. — Tandem sexto loco apparet scientia *ethico-œconomica*, quæ sub repectu morali considerat hominum activitatem in ordine ad bonorum externorum productionem et distributionem.

ethico-religiosa.

ethico-socialis.

ethico-politica.

ethico-juridica.

ethico-œconomica.

11. *Mutua partium relatio.*

Ergo religio, sociologia, politica, jurisprudentia, œconomia pertinent ad scientiam moralem; idem objectum ac moralis habent, scilicet liberum hominum activitatem. Sed dum sociologia, politica, jurisprudentia, œconomia considerant activitatem liberam sub respectu utilitatis et in ordine ad finem aliquem proximum, moralis eam considerat sub respectu honestatis et in ordine ad finem ultimum. Præterea sociologia, politica, jurisprudentia, œconomia sine morali completæ non sunt, et eædem a morali pendent tanquam a scientia superiore. Vicissim a sociologia, politica, jurisprudentia, œconomia, moralis *data* quædam accipit et aliquando perficit. Relicta igitur unicuique scientiæ morali seu practicæ, sua methodo suaque autonomia, agnoscenda tamen est inferiorum a superiore dependentia.

12. *Dependentia*

Scientiæ reales, a quibus pendet scientia moralis, præcipue

1. S. Thomas, 2, 2, q. 81.

scientiæ moralis a scientiis realibus.

concernunt Deum, Universum, Hominem ; activitas enim libera et activitatis normæ non sunt nec considerari possunt separatim et solitarie. Sunt autem scientiæ, de quibus agimus, sequentes : *a*/ Theodicea ; *b*/ Cosmologia ; *c*/ Biologia ; *d*/ Psychologia ; *e*/ Anthropologia. Magnopere etiam moralem scientiam adjuvat Historia.

ARTICULUS TERTIUS.

De scientia morali supernaturali.

13. *Theologiæ moralis notio ;*

Scientia moralis supernaturalis, seu theologia moralis, hoc proprium habet considerare actiones humanas ut ordinantur ad finem supernaturalem. In ea, ex principiis revelatis considerantur : natura simul et gratia, habitus et virtutes, media, auxilia, lex naturalis et supernaturalis, finis supernaturalis.

14. *definitio.*

Vix reperitur, apud antiquos, theologiæ moralis descriptio ; immo raro apud recentiores occurrit definitio accurate elaborata, quæ non sit mere verbalis. Dici potest : scientia ordinis moralis supernaturalis ; vel « disciplina quæ agit de actibus humanis ut ordinem dicunt ad ultimum finem secundum revelationis christianæ principia » ; ([1]) vel legum et mediorum, quibus homo ad ordinem supernaturalem elevatus dirigitur et adjuvatur, scientia revelationi innixa.

15. *Scientia normativa ;*

objectum ejus speciale ;

principium ;

Ex hac definitione intelligitur, theologiam moralem non esse scientiam mere descriptivam, nec disciplinam mere technicam, sed esse scientiam practicam, seu normativam. Objectum ejus immediatum constituunt regulæ operationibus humanis præscriptæ et media ad operandum data ; regulæ sunt lex divina et leges humanæ in sua relatione ad legem divinam spectatæ ; media sunt tum auxilia interna, tum instrumenta externa, ut sacramenta. Objectum mediatum constituunt actus humani. — Principium theologiæ moralis proprium et principale est divina revelatio per Ecclesiam proposita et ab ipsa explicata ; sub revelatione autem ejusque interprete, est recta

1. Lehmkuhl.

ratio, quæ veritates practicas demonstrat vel exponit, ex iis conclusiones deducit easque ad casus particulares humanæ vitæ applicat. — Differentia inter theologiam dogmaticam et theologiam moralem provenit ex natura veritatum circa quas utraque versatur. Dogmatica scilicet versatur circa veritates theoreticas seu speculativas, moralis circa veritates practicas. Notandum, a quibusdam nimis absolute *rebus fidei opponi res morum,* quasi hæ non essent objectum fidei vel quasi moralis esset ars, non scientia. Aiunt scilicet, theologia morali contineri applicationem rerum credendarum ad actiones, dum theologia dogmatica ipsas res credendas exhibet (1); » theologia morali statui regulas agendi sicut theologia dogmatica statuuntur regulæ credendi (2). Jam vero hanc oppositionem, si sumatur prout verba sonant, minime fundatam esse facile intelligitur ; non minus enim theologia morali quam dogmatica regulæ credendi statuuntur, exhibentur res credendæ (3).

differentia a dogmatica.

16. *Scientia specie multiplex : ethico-ascetica,*

Scientiæ practicæ cum morali supernaturali ita affines ut quædam ejus partes videantur, præcipuæ sunt sequentes :

a/ Scientia supernaturalis *ethico-ascetica,* qua diriguntur humanæ operationes ad perfectionem.

ethico-socialis,

b/ Scientia supernaturalis *ethico-socialis,* seu supernaturalis sociologia, qua considerantur hominum relationes quatenus membra sunt corporis mystici Christi.

ethico-liturgica,

c/ Scientia supernaturalis *ethico-liturgica,* qua hominum actiones considerantur in ordine ad cultum divinum.

ethico-politica.

d/ Scientia supernaturalis *ethico-politica,* seu jus Ecclesiæ publicum, quo exponitur actio et regimen societatis a Christo institutæ.

ethico-iuridica.

e/ Scientia supernaturalis *ethico-juridica,* seu jus ecclesiasticum privatum, canonicum, quo membra societatis diriguntur ad finem.

17. *Dependentia a scientiis theoreticis.*

Suppositis logica et ontologia, scientiæ reales a quibus præcipue pendet moralis supernaturalis, hæ sunt :

a/ Theologia stricte dicta et soterologia, seu doctrina

1. Perrone, *Hist. theol.,* n. 1. — 2. Konings. — 3. Cfr. Scheeben, op. cit., 1, 38.

revelata de Deo Uno et Trino et de opere Redemptionis (1) ;

b/ Cosmologia supernaturalis, seu doctrina revelata de Universi productione, conservatione, gubernatione.

c/ Anthropologia supernaturalis, seu doctrina revelata de hominis natura.

d/ Psychologia supernaturalis, seu doctrina revelata de anima ejusque proprietatibus et potentiis ; de vita gratiæ et virtutibus infusis (2).

18. *Moralis independens.*

Ex dictis de interdependentia scientiæ moralis (naturalis et supernaturalis) et scientiarum realium, apparet quid sit sentiendum de sic dicta morali *independente*. Cæterum vario sensu et vario gradu potest intelligi moralis *independens*. Nempe *a*/ independens ab auctoritate Ecclesiæ, quo sensu independens est moralis Protestantium, fundata in solo verbo Dei scripto. — *b*/ Independens etiam a revelatione, et fundata in solo lumine rationis, quo sensu independens est moralis Deistarum. — *c*/ Independens a supremo legislatore et domino Deo, et fundata vel in sola dignitate naturæ humanæ, qualis est moralis Kantiana, vel in solis viribus et relationibus physicis, qualis est moralis Positivistarum. — *d*/ Imo sunt qui admittunt morales ideas et morale systema independentia a supremis et generalibus principiis metaphysicis. Jam vero tam parum independens est moralis, ut, pro vario conceptu Universi, statim oriatur varius conceptus moralitatis ; et pro vario conceptu religionis, varius item conceptus moralitatis, imo pro vario conceptu christianitatis, varius conceptus moralitatis.

19. *Relatio inter philosophiam moralem et theologiam moralem.*

Ex dictis etiam deducitur, quæ sit relatio inter moralem philosophiam, et theologiam moralem. Ea est quæ generatim intercedit inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem. Scilicet, cum gratia non destruat naturam, cum revelationi ratio non opponatur, sed potius per illam perficiatur, facile intelligitur in fine supernaturali includi finem naturalem, in lege supernaturali contineri legem naturalem, in religione

1. Utraque reperitur in Summa, I p. q. 1-43 ; III p. q. 1-59.
2. Diversæ illæ scientiæ expositæ reperiuntur in S. Thomæ *Summa*, I p.

supernaturali reperiri religionem naturalem, et consequenter in morali supernaturali contineri moralem naturalem. Atque hæc est ratio cur in operibus theologicis summorum magistrorum, nominatim S. Thomæ et Suarezii, quæstiones philosophiæ moralis et juris naturalis, plenius solutæ reperiantur quam in specialibus tractatibus Rationalistarum et Acatholicorum.

20. *Locus theologiæ moralis inter scientias practicas.*

Tandem apparet quis sit, inter cæteras scientias practicas, locus theologiæ moralis. *a*/ Imprimis omnibus præstat *excellentia finis*. Ut enim scribit Angelicus, « practicarum scientiarum illa dignior est quæ ad ulteriorem finem non ordinatur. Finis autem hujus doctrinæ, in quantum est practica, est beatitudo æterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum » (1). — *b*/ Deinde omnibus præstat *amplitudine objecti ;* complectitur enim totum ambitum humanæ activitatis, omnes operationes attingit, sub eo scilicet respectu sub quo ad finem ultimum comparantur (2). — *c*/ Præterea præstat *certitudine assertionum :* nam principia et præcipuæ conclusiones non soli humanæ rationi innituntur, sed verbo Dei et infallibili Ecclesiæ auctoritati. Equidem si sermo sit de conclusionibus remotioribus, vel de applicationibus ad facta particularia, fatendum est multa occurrere dubia ; at hoc non est theologiæ morali proprium, sed commune est omnibus disciplinis practicis. Quapropter vanæ sunt multorum querelæ, quod theologia moralis non sit nisi catalogus dubiorum et disputationum.

1. *Summa*, 1 p., q. 1, a. 5.

2. Egregie notat F. De Victoria, in principio *Relectionis* de potestate civili : « Officium ac munus theologi tam late patet, ut nullum argumentum, nulla disputatio, nullus locus alienus videatur a theologica professione et instituto. Et fortasse hoc etiam in causa est, cur tanta sit, ne plus exigam, theologorum bonorum inopia et solidorum. Est autem theologia omnium disciplinarum studiorumque orbis prima. Quare nihil mirum videri debet, si non tam multi in tam difficili re sane absoluti videantur. » Quæ autem de ethica et jure scribit Taparelli *Essai théorique de droit naturel*, Intr., multo magis valent pro theologia morali : « L'action de l'homme s'étend indéfiniment, depuis le premier acte volontaire qu'il produit au fond de son cœur, jusqu'à cette action immense par laquelle un pouvoir central peut mettre en mouvement des multitudes innombrables, une haute raison captiver des millions d'intelligences, un intérêt privé se mêler aux intérêts de l'humanité entière... Le sanctuaire de la conscience, comme les plus vastes empires, le plus vulgaire des intérêts materiels, comme le plus sublime des intérêts religieux, tout cela peut être l'objet de la science morale. »

Appendix.

APPENDIX ista, de mutua relatione inter notiones moralitatis, religionis, societatis, auctoritatis, juris, utilis visa est ad antedictorum complementum et ad accuratam rerum comparationem.

21. *Multiplex notio.* I. Moralitas definita est ratio boni et mali in actibus humanis, seu commensuratio actuum liberorum ad eorum regulam absolute obligantem. — Religio est significatio absolutæ dependentiæ hominis a Deo primo principio, supremo domino, ultimo fine. — Societas est hominum unio moralis, qua aliquo modo homines constituuntur unum corpus. — Auctoritas est moralis et efficax potestas præcipiendi seu regendi. — Jus est facultas moralis inviolabilis agendi, possidendi, exigendi.

Idem fundamentum. II. Quinque prædicta, licet sint ab invicem plene distincta, tamen, juxta rectam rationem et sensum christianum, habent unum et idem fundamentum ultimum, scilicet Deum. Deus est non tantum objectum religionis, sed est etiam fundamentum ultimum moralitatis, societatis, auctoritatis, et juris. Sicut sine idea Dei religio non concipitur, ita sine idea Dei moralitas est incompleta, imperfecta, inefficax; societatis vinculum rumpitur, vis auctoritatis cessat, juris inviolabilitas evanescit.

Multiplex ordo. III. Quinque prædictis quintuplex respondet ordo distinctus variæ extensionis secum invicem connexus: ordo moralis, ordo religiosus, ordo socialis, ordo politicus, ordo juridicus.

Ordo moralis, ut vidimus, comprehendit integrum campum liberæ activitatis humanæ: fines, regulas, media, operationes. — Ordo religiosus, comprehendens relationes hominis cum Deo triplicem habet partem: dogmaticam, liturgicam, practicam; non nisi ex parte ingreditur ordinem moralem; et vicissim ordo moralis non nisi ex parte ingreditur ordinem religiosum. — Ordo socialis, comprehendens omnes relationes humanas, instituta, facta, tendentias et actiones, non nisi ex parte ingreditur campum ordinis moralis et religiosi, et vicissim ordo moralis et ordo religiosus non nisi ex parte ingrediuntur campum ordinis socialis. — Ordo politicus, pro objecto

habens regimen civitatum et communitatum, ex parte tantum ingreditur campum ordinis moralis, religiosi, socialis; et vicissim ex parte tantum ordo moralis, ordo religiosus et ordo socialis ingrediuntur campum ordinis politici. — Ordo juridicus, pro objecto habens hominum relationes legales, ex parte tantum ingreditur ordinem moralem, religiosum, socialem, politicum; et vicissim quadruplex ordo præcedens, ex parte tantum ingreditur ordinem juridicum.

Multiplex relatio.

IV. Ex dictis apparet quæ fieri debeat responsio ad quæstionem, an et quousque sine religione haberi possint moralitas, societas, auctoritas, justitia. Respondetur : sine religione, quodcumque morale systema est nutans, destitutum ultimo suo fundamento; est incompletum, destitutum parte sua integrali; est inefficax, destitutum supremo motivo operandi bonum (1). — Pariter sine religione haberi non potest debita

1. Quæstio de mutua relatione inter moralitatem et religionem, multos ex recentioribus intentos habuit. Inter eos qui rem attigerunt in generalis characteris scriptis, recenseri possunt : Otto Pfledeirer, *Philosophy and development of religion*, vol. I, lect. 2 ; Edward Caird, *The Evolution of Religion*, vol. I, lect. 9 ; d'Hulst, *Conférences de Notre-Dame*, ann. 1891 ; A. M. Weiss, *Apologie du christianisme*, vol. I, 9e conf., vol. II, appendice ; G. Harris, *Moral Evolution*, c. 8 ; T. B. Strong, *Christian Ethics* ; J. H. Hyslop, *Elements of Ethics*, c. 9 ; Borden P. Bowne, *Principles of Ethics*, c. 7 ; M. Guyau, *Esquisse d'une morale sans obligation ni sanction* ; E. Baussire, *Les principes de la morale*, lib. 4. Inter eos vero qui rem latius explicarunt in scriptis specialibus, sequentes recenseri debent : J. Kidd, *Morality and religion* ; J. Fox, *Religion and Morality* ; V. Cathrein, *Religion und Moral* ; W. Schneider, *Gottliche Weltordnung und religionlose sittlichkeit*. In recente oratione quam in congressu historiæ religionum habuit Prof. Goblet d'Alviella, hæc legimus attentione digna : « Je demanderai à définir la religion comme la façon dont l'homme réalise ses rapports avec la puissance surhumaine et mystérieuse de laquelle il croit dépendre. — La morale comme l'ensemble des règles qu'il se croit tenu d'observer, en dehors du plaisir ou de la peine qu'il y trouve. — Les règles de la morale ont leur source dans la tradition, le sentiment ou le raisonnement ; leur justification dans l'injonction d'un être superieur, ou la notion abstraite du devoir : leur fin, dans la satisfaction divine ou le bonheur d'autrui ; elles peuvent varier de société à société, d'âge en âge ; mais le principe de la morale est partout identique : c'est la distinction entre le bien et le mal, combinée avec la conviction qu'il faut faire le bien, et éviter le mal. — En tant qu'elle admet des interventions surhumaines dans son origine, son contenu, sa sanction ou sa fin, la morale rentre dans la sphère de la religion. Cette liaison a-t-elle existé de tout temps, ou n'est-elle qu'une étape transitoire dans l'évolution de la culture humaine ? Si elles se sont constituées séparément, quand a commencé leur alliance ? Les avis sont partagés sur toutes ces questions, mais peut-être les divergences reposent-elles, en partie, sur des malentendus. »

conditio societatis; et primo quidem, quoad soliditatem : vinculum sociale inter homines innititur in vinculo hominum cum Deo, creatore, domino, fine ; secundo autem, quoad integritatem : ratio societatis non absolvitur unione morali inter homines, sed implicat etiam unionem cum Deo. — Tandem sine religione nec potestatis ac auctoritatis, nec juris et justitiæ sanctitas habetur.

V. Religio a qua pendent moralitas, societas, justitia, non est religio in abstracto sumpta, nec vanus sensus religiosus et quædam religiositas, sed religio in concreto spectata, et quidem religio vera. Advertendum autem est *a/* quod si religio vera sæpe plenum influxum moralem et socialem non exerceat, hoc provenit ex impedimentis aliunde ortis, religionis efficaciam minuentibus ; *b/* e contra quod si religionibus falsis non raro jungatur efficacia moralis et socialis, hoc provenit ex elementis veris quæ prædictæ religiones continent; eo autem perfectior est ea efficacia quo plura sunt veritatis elementa; *c/* quod tandem, cum tam stricta sit connexio religionem inter et moralitatem ac bonum sociale, illi qui populis præsunt, officio tenentur veram religionem promovendi.

VI. Ex dictis intelligitur *a/* quare juventutis institutio debeat esse religiosa, repugnet autem institutio neutralis; *b/* quare quæstiones de labore mere œconomicæ remanere non possint, sed mox fiant juridicæ, politicæ, sociales ut tandem evadant morales et religiosæ.

Caput II.

De theologiæ moralis partitione.

22. *Theologia moralis unum corpus*

Theologia moralis, prout, sub directione Ecclesiæ, a Magistris paulatim scientifice efformata est, unum corpus est et quasi unus organismus. Providendum est ut in eo corpore nullum elementum heterogeneum introducatur, nullum ab eo absit elementum proprium, omnia vero et singula elementa suo loco ponantur, et alia aliis prosint. Jam vero, juxta

tribus membris constans:

systema communius receptum et conformiter ad propositam definitionem, constat theologia moralis, aliqua parte *præliminari* et duplici parte *constitutiva:* in parte præliminari sta-

tuuntur generalia principia vitæ moralis; in utraque autem parte constitutiva exponuntur regulæ et adjumenta in finem ultimum supernaturalem.

23. *theologia præliminari;*

Itaque pars præliminaris agit de ipso fine supernaturali in quem tendendum, de directione in finem per *regulas* et *adjumenta,* de tendentia in finem per actus humanos, de finis adeptione. His absolvitur theologia quæ ideo *generalis* et *fundamentalis* nuncupatur, quia in ea traduntur principia *generalia,* quibus tanquam *fundamento* resolutiones particulares quæcumque innituntur. — Hæc pars exponitur ab Angelico in tota Prima secundæ.

24. *theologia virtutum et præceptorum;*

Prima theologiæ moralis pars constitutiva in specie agit de *regulis* in finem: subdividitur autem in tres sectiones, quarum una tractat de regulis actuum *theologalium*, altera de regulis actuum simpliciter *moralium* cuicumque hominum statui et conditioni communibus, ultima agit de iis quæ pertinent ad *quosdam* homines.

Et primo quidem, inter actus supernaturales, tres distinguuntur eminentioris dignitatis et majoris momenti: fides, spes, charitas. Deum enim ipsum attingunt tanquam objectum materiale et formale, fundamentum sunt vitæ christianæ, summam hominis perfectionem constituunt, ac respondent actibus beatificis visionis, amoris, fruitionis. Natura horum actuum et leges quibus reguntur, explicantur in tractatu de *virtutibus theologicis*. — Hæc sectio exponitur ab Angelico in Secunda secundæ, q. 1-46.

Cæteri actus dicuntur simpliciter morales, in oppositione ad theologales. In explicanda autem eorum natura cum regulis quibus reguntur, alii attendunt diversam speciem rectitudinis, seu bonitatis quæ ipsis inest, et materiam dividunt secundum virtutes *cardinales;* alii sequuntur ordinem *præceptorum* Decalogi et Ecclesiæ; alii considerant hominem juxta triplicem suum characterem, ut est ens *individuum,* ut est ens *religiosum*, ut est ens *sociale*. Primus distributionis modus, qui est S. Thomæ et aliorum plurimorum, in Secunda secundæ, q. 47-170, favet expositioni rerum scientificæ, ac ractice multum prodest concionatori; alter distributionis

modus, quem secuti sunt tum antiqui tractatores, tum recentiores moralistæ multi, inter quos S. Alphonsus, valde convenire videtur catechistis et confessariis, licet vix permittat sufficientem explicationem virtutum; tertius distributionis modus, apud recentiores non raro usurpatus, nobis præferendus videtur, quia planior est et ordini naturali amoris atque ordini supernaturali charitatis respondet; cæterum duorum aliorum commoda simul in se conjungit.

Actus qui specialiter quosdam homines respiciunt, explicantur singillatim, eos distinguendo secundum gratias *gratis datas,* pertinentes ad cognitionem, ad locutionem, ad operationem; deinde secundum *diversas vitas,* activam et contemplativam; tum secundum diversitatem *officiorum et statuum.* — Hæc sectio reperitur in Summa, 2-2, q. 170-189. Minus plena, minus fundamentalis est recentiorum tractatio de statibus particularibus laicorum, clericorum, regularium.

25. *theologia sacramentorum.*

Secunda theologiæ moralis pars constitutiva agit de mediis et adjumentis in finem, scilicet de sacramentis. In ea autem parte materia distribui potest in eam quæ est communis omnibus sacramentis, in eam quæ est communis quibusdam sacramentis, in eam quæ est specialis uni sacramento. Doctrinæ de sacramentis addi solet doctrina de sacramentalibus.

PARS SECUNDA.

DE STUDIO THEOLOGIÆ MORALIS.

Post ea quæ de natura theologiæ moralis præmisimus, non est cur insistamus in ejus utilitate, imo absoluta necessitate inculcanda; at plura dicenda manent de scientiæ moralis conditionibus et fontibus. 26.

Sectio I.

De theologiæ moralis conditionibus.

Nomine conditionum in præsenti designamus animi *dispositiones, præparationem intellectus, methodum* expositionis, ac *formam* orationis externam, de quibus nonnulla in specie dicemus.

Animi *dispositiones* magis necessariæ sunt: *a/* fides viva, quæ cæteroquin requiritur in studio cujuscumque partis theologiæ; — *b/* magna reverentia et plena voluntatis submissio erga legem Dei; — *c/* perfecta sinceritas, ut quæratur quid sit verum, quid præceptum, non quid benignum aut rigorosum, observatu facile aut grave; — *d/* ardens veritatis amor, quo impulsus, theologus non sistat in mera variarum opinionum cognitione, sed pro viribus conetur ad certitudinem pervenire, obscuris lucem afferre, controversa explicare, omnibus mediis ad progressum tendere in principiis, in conclusionibus, in applicationibus; — *e/* libertas a præjudiciis gentis, instituti, scholæ, ordinis, ita ut, cum S. Alphonso, soli rectæ rationi innitatur, et præ omnibus magistris Ecclesiam audiat (1). 27. *Animi dispositiones;*

Apta *præparatio* intellectus habetur, quando theologus iis scientiis imbutus est quæ eum juvare possunt in quæstionum moralium examine. Hujusmodi præcipue sunt: 28. *præparatio intellectus;*

1. « In delectu opinionum ingens mihi cura fuit, semper rationem auctoritati præponere, et prius quam meum ferrem judicium, in eo (ni fallor) totus fui, ut in singulis quæstionibus me indifferenter haberem et ab omni passionis fuligine expoliarem. » *Mon. Auct.;* cfr. lib. III, 547; Risp. apol. ad una lett. di un religioso, 1764.

a/ *Philosophia*, imprimis logica, quæ actum rationis dirigit, et metaphysica, seu ontologia, quæ suprema entis principia considerat (1).

b/ Scientiæ *a quibus pendet moralis* sive naturalis, sive supernaturalis (2), nominatim theodicea, theologia revelata et soterologia, physiologia et psychologia, anthropologia; historia sacra et profana (3).

c/ Scientiæ, quæ *moralem ingrediuntur* tanquam partes, ut sociologia, politica, œconomia, jurisprudentia, etc.; non quod theologus mixta methodo et materia, debeat aut possit agere sociologum, œconomistam, politicum, et moralem induere charactere sociologico, œconomico, politico, sed ut prædictarum scientiarum principiis *uti* et earum conclusiones *judicare ex principiis moralibus* (4).

29. Sic igitur dispositus et instructus, ad materiam suam accedens, theologus eligat sequendam tractationis methodum fini suo accommodatam. Methodi autem distinctio ex vario capite sumi potest.

1. Nota est Caramuelis querela in *Theologia Fund.*, Francof. 1652, p. 29 : « Tractant Ethicam et politicam aliqui qui metaphysicam ignorant, et non pauci qui logicam. Et audacter affirmant non requiri ad moralia scientiarum realium cognitionem, sed nescio quod prudentiale judicium. »

2. Cfr. supra, n. 12 et n. 17.

3. Intimam connexionem inter scientias theoreticas et scientias morales inculcat Pallavicinus exemplo Joannis De Lugo, in ejus vita Responsis moralibus præmissa : « Neque fuit in contemplatrice theologia subtilior quam in morali prudentior : quamvis ego hujus postremæ conjunctionis decus non tamquam singulare aliquid in eo suspexerim. Rarum hoc esse, atque insociabile dictitant homunciones nonnulli, quibus expediret, ipsam unius doctrinæ vacuitatem, alterius esse probabilem conjecturam : perinde ac si vera omnia, atque adeo scientiæ omnes, cognato fœdere non coirent ; perinde ac si quæcumque rata conclusio in rerum agendarum quæstionibus ex meditantis philosophiæ initiis non emergeret ; perinde ac si metaphysica non esset disciplinarum omnium præceptrix ac parens. Quid enim ? Annon. quem modo laudavi, Aristoteles inter ethnicos, Aristotelique proximus Aquinas inter christianos, denique inter sodales nostros Toletus, Vasquius, Suarius, Molina. in utroque dicendi genere præcipui sunt ? ita ut potius admirabile sit, quempiam in solis moralibus præstare. »

4. Merito scripsit M. Canus, *De locis*, lib. VIII, c. 6 : « Theologis qui Pontificum canones ignorant, nimis multa desunt ad usus theologiæ necessaria ». Et Em. D'Annibale, *Summula*, procœmium, s. 2, n. 16 ; » Juri nullatenus operam dare et theologum moralem se polliceri, desipere est. » Cfr. Conc. prov. Bituric. ann. 1868, citatum a Leone XIII in Enc. 8 sept. 1899, ad Gallorum nationem.

1. Ratione *fontium* ex quibus materia derivatur, theologia moralis distingui potest in *biblicam, symbolicam, synodicam, liturgicam, patristicam.* *multiplex methodus.*

2. Ratione *respectus* sub quo consideratur, theologia distinguitur in *positivam, dogmaticam, speculativam, polemicam, apologeticam, irenicam.*

Theologia *positiva* est, quæ studet veritates morales solide statuere ac propriis argumentis demonstrare. Eo autem accuratius res præstanda est quod forte aliquando fuerit neglecta (1). Nullus enim est, qui pro morali tentaverit quod Petavius, Thomassinus et alii pro dogmatica egregie perfecerunt. Fuerunt quidem sæculis 17° et 18° theologi qui opera moralia e Sacris Litteris, SS. Patrum monumentis, Conciliorum oraculis, Pontificum decretis eruere professi sunt ; at res pro votis non successit: si enim nonnullos excipias, ducebantur spiritu factionum, nec tanta, quanta necessaria fuisset, eruditione pollebant ; via insuper minus recta procedebant, miscentes præcepta cum consiliis, confundentes leges generales cum particularibus, textus sine delectu coacervantes, aliaque peccantes. Est igitur quod sub hoc respectu scientia nostra progrediatur (2).

Theologia est stricte *dogmatica*, quæ studet veritates morales examinare in sua relatione ad definitiones Ecclesiæ, simulque determinare gradum certitudinis quo pollent principia et conclusiones. Hæc pars etiam generatim neglecta fuit.

Theologia *speculativa* est, quæ studet veritates morales illustrare, inter se conciliare, comparare cum aliis, explicare et evolvere. Quæ res, omnino necessaria, perfecte tractata est a scholasticis, quorum opera ab Ecclesia probata sunt (3).

Theologia est *polemica, apologetica, irenica,* quæ studet con-

1. Ita E. Muller, op. cit., Intr. § 7: « Utinam traditio minus negligeretur, et ipsa S. Scriptura non tantum veluti granum salis ad condiendas doctrinas adhiberetur. »

2. Notavit vir eruditissimus rem fore utilissimam, si quis ex libris Patrum apostolicorum, subsequentiumque Patrum et scriptorum ecclesiasticorum scholasticis antiquiorum (quos plerosque, potissime recentius editos, nunquam versarunt theologi morales) ostenderet quæ omni ævo de moribus docuerit Ecclesia » V. De Buck, *Vind. Ball.*, p. 31.

3. Cfr. Pius VI, const. *Auctorem Fidei,* prop. 76 ; Pius IX, *Syll.* prop. 13 ; Leon XIII, encyc. 8 sept. 1899, ad Gallorum nationem.

troversias sustinere, errores aggredi, veritates ab impugnationibus vindicare, dissidia componere.

Ratione usus ad quem dirigitur, theologia moralis distinguitur in *casuisticam* (1), *pastoralem, catecheticam, homeliticam:* quibus tamen habetur scientiæ applicatio seu ars, potiusquam scientia.

30. *Uniuscujusque methodi merita et incommoda.*

Distinctio variæ formæ tractationis theologiæ secundum diversos fontes, vel secundum diversos respectus, vel secundum diversos usus, apud catholicos introduci cœpit in Germania, in altera parte sæculi decimi octavi. Possunt sane esse sufficientes rationes distincte tractandi secundum fontes, respectus vel usus, tamen minime desunt in prædicta distinctione pericula, et aliunde theologia perfecta haberi nequit, nisi hauriatur ex omnibus simul fontibus, nisi exponatur sub omnibus simul respectibus, nisi respiciat omnes præcipuas applicationes; sive autem distincte sive conjunctim tractetur, eædem necessariæ sunt conditiones et qualitates; sc. in forma positiva, requiruntur eruditio et diligentia; in dogmatica, crisis; in speculativa, subtilitas et sobrietas; in polemica, justitia; in apologetica, sinceritas; in irenica, prudentia et cautio.

31. *Theologia practica cum theoretica intime unita.*

Sicut theologia universa est unum membrum, utique præcipuum et capitale, magni corporis scientiarum, ita theologia moralis est nobile membrum theologiæ universæ, a cujus corpore divelli non potest, ut apparet in Angelici Summa (2). Licet autem theologia moralis sit membrum quod corpori unitum remanere debet, tamen est membrum in sua ratione et constitutione integrum, quod suis nervis, articulis, ossibus privari non potest. Immerito igitur, et non sine gravi damno, in morali doctrina, pars quæ principia continet atque illustrat

1. Cfr. Zaccaria, *Diss. prol.*, p. III; Raymond Thamin, *Un problème moral dans l'antiquité: Etude sur la casuistique stoicienne.*

2. Ad rem J. Kleutgen, *Inst. theol.*, t. I, n. 37: « Moralis doctrina cum dogmatica multis in locis ita cognata atque concreta est, ut divelli nisi violenter non possit: ut in questionibus de sacramentis, de gratia, justificatione et merito, de fine hominis, etc., sed ea quoque quæ separari non incommode queunt, altera ab alteris illustrantur; quare præstat secundum veterum morem utramque in unum doctrinæ corpus redigere. »

et quæ dicitur theoretica aut speculativa, separatur a parte stricte practica, ut nimis æpe contingit in materiis introductionis, finis, actuum humanorum, virtutum theologalium, fortitudinis, temperantiæ, sacramentorum. Immerito etiam pars, quæ respicit vitam individualem et privatam, separatur a parte quæ respicit vitam socialem et politicam. Immerito præterea pars, quæ respicit vitam communem, separatur a parte quæ respicit vitam perfectiorem. Ex multiplici prædicta separatione et quasi amputatione, theologia moralis fit manca et deficiens, sua dignitate et suo influxu ita privatur, ut, dum est regina scientiarum practicarum, vix attendatur a laicis, ab ipsis vero sacerdotibus non attendatur nisi ad excipiendas confessiones, non satis ad prædicationem, ad directionem spiritualem, ad directionem socialem. Hinc tandem illud gravissimum incommodum, ut salebrosæ quæstiones, quæ a solis theologis cum securitate pertractari possent, jam ad sic dictos *publicistas* amandatæ videantur, quorum alii cum nociva exaggeratione, alii cum erroribus multis eas exponunt.

32. *Speciales hodiernæ conditiones moralis tractationis.*

Ita hodie tractari debet theologia moralis ut præsentis ætatis necessitatibus respondeat. Jam vero malum hujus temporis generale dici debet *naturalismus*. Naturalismo infectæ sunt ideæ et tendentiæ modernæ, in ordine morali dominantes, per modum idolorum. Prima hujusmodi idea est idea *scientiæ*. Perversio hujus ideæ genuit rationalismum, qui, contempta scientia divina, non admittit nisi humanam, eamque independentem. — Secunda est idea *libertatis :* perversio hujus ideæ genuit liberalismum, qui, contempta lege Dei, non respicit nisi legem humanam, eamque etiam independentem. — Tertia est idea *justitiæ*, et quarta, idea *fraternitatis :* perversio utriusque ideæ genuit socialismum. — Quinta est idea *progressus :* perversio hujus ideæ duxit ad confusas spes boni in vita præsenti, rejecta consideratione vitæ futuræ.

33.

In scientiæ moralis tractatione, sedulo attendi debet pars quæ innititur biologiæ et psychologiæ, eamque supponit, (in quæstionibus de actibus humanis, de superstitione, de temperantia, de matrimonio). — Deinde accurate considerari debet pars quæ respicit originem et evolutionem notionum moralium

atque historiam cultuum seu religionum. Præterea omni attentione digna est pars quæ respicit necessitates vitæ socialis. In punctis autem delicatioribus utiliter recurretur ad processum comparativum, quo moralis christianæ superioritas et, ut nunc dicere solent, *transcendentia* manifestius appareat.

34. *Analysis necessaria.* Subtilitati theologiæ moralis maxime convenit methodus analytica, quæ, per logicam rerum et idearum evolutionem, unamquamque veritatem suo loco, suo ordine et consequenter in sua luce ponit. In quo maxime juvamur aptis distinctionibus et divisionibus : vere enim dictum est, non minus in scientia quam in arte politica valere adagium : *Divide et impera.*

35. *Stylus.* Exterior autem sermonis forma postulatur digna, simplex, æquabilis, didactica. Ita nos exemplo suo docuerunt summi magistri, maxime vero Aquinas. Theologi non est vel de se ipso loqui, vel rhetorem agendo adversarios objurgare, vel pios affectus more concionatorum excitare.

Sectio II.

De fontibus theologiæ moralis.

36. Fontes, ex quibus morales veritates hauriuntur, dicuntur etiam *principia*, ex quibus deducuntur, et communius *loca*, tanquam sedes et domicilia, in quibus theologus argumenta invenit ad probandam, explanandam et tuendam veritatem, nomine proposito ab eo qui disciplinæ auctor et princeps omnino fuit et remansit (1). Jam vero theologiæ fontes generales duo distinguuntur : unus secundarius, *intelligentia humana*, seu *recta ratio ;* alter primarius, intelligentia divina verbo communicata, seu *revelatio*. De utroque successive agemus.

1. Cfr. M. Canus, *De locis theologicis ;* Kleutgen, *De Deo uno*, Intr. q. II, *De principiis theologiæ ;* Berthier, *De locis theologicis.*

Caput I.

De usu rationis in theologia morali.

37. *Ratio consideratur ut distincta a revelatione, non tamen separata.*

In præsenti sermo non est de ordinata et efficaci directione intelligentiæ ad veritatem; — nec de usu scientiarum naturalium in theologia morali; — nec de capacitate humanæ rationis ad veritates morales cognoscendas; — nec de usu rationis in illustrandis et applicandis veritatibus moralibus revelatis: sed agitur de humana ratione prout est fons theologiæ moralis, prout scilicet in ea principia moralia continentur, ex ea conclusiones deducuntur.

In hac autem quæstione non consideratur ratio humana nuda, præcisione facta a revelatione, sed consideratur ratio humana fide adjuta, illuminata ac perfecta, per Ecclesiæ auctoritatem directa. Theologice enim agitur, et de facto constat, a veritatibus revelatis derivatam esse lucem in notiones ordinis naturalis, v. g. in notiones juris, meriti, peccati, legis, et alias (1).

38. *Præcipuæ veritates morales ordinis naturalis in revelatione continentur.*

Dubitari non potest, *præcipuas* veritates ordinis moralis naturalis in revelatione contineri sive explicite, sive saltem implicite. Prædicta affirmatio implicatur in principiis generalibus: ordo naturalis non rejicitur religione supernaturali, sed in ea admittitur; lex naturalis non abrogatur lege supernaturali, sed in ea recipitur. — Præterea supponitur affirmatio in demonstratione necessitatis moralis revelationis quoad veritates ad Deum et ad legem naturalem spectantes (2); expresse traditur a theologis (3); sumitur etiam ut principium ratiocinationis apud graves auctores (4).

39. *Disputatur an omnes sint revelatæ.*

Porro disceptatur utrum omnes veritates legis naturalis

1. Cfr. R. Cepeda: *La révélation chrétienne et le droit naturel,* in actis *Congrès des Savants catholiques,* Brux., 1894, sect. de Jurisp., p. 90.

2. Cfr. Conc. Vatic. Const. *Dei Filius,* c. 1.

3. Franzelin, *De trad. et script.,* Thes. XII, Schol. 1, p. 2; Scheeben, op. cit. vol. I, n. 43.

4. Arragon, in 2-2, q. 78, a. 1, De usura: « Conclusio: usura est prohibita in lege evangelica. Probatur; usura est contra legem naturalem, *ergo est contra legem evangelicam.* Probo consequentiam: quia lex evangelica perficit legem naturalem, nec eam destruit. »

sint revelatæ, si non explicite et formaliter, saltem implicite. Nonnuli videntur tenere, non omnes veritates legis naturalis esse saltem implicite revelatas, licet teneant omnia principia moralia naturalia lege supernaturali sanciri, et eorum adimpletionem inculcari. Hinc principia moralia distinguunt in ea quæ sola ratione cognoscuntur, in ea quæ cognoscuntur ratione simul et revelatione et in ea quæ cognoscuntur sola revelatione. Hanc sententiam proponunt Caietanus (1) et Dominicus Soto (2). Alii e contra existimant omnia principia legis naturalis revelata esse saltem implicite, et non solum principio supernaturali sanciri, sed etiam eo cognosci.

40. *An omnes pertineant ad dominium theologiæ moralis.*

Jam oritur quæstio principalis, utrum veritates morales non revelatæ (supposito quod hujusmodi habeantur) pertineant ad theologiam moralem. Nobis videtur affirmative respondendum. Prima ratio est, quod in theologia agitur de omnibus peccatis; omnis autem violatio legis naturalis peccatum est. Dicetur, in theologia prædictas veritates morales legis naturalis non explicari proprio jure, sed eorum explicationem mutuari a philosophis, sicut a jurisperitis mutuatur explicatio legis civilis; de violatione autem legis naturalis et civilis non agi in theologia nisi in quantum utriusque violatio implicat violationem principii revelati de obligatione legis naturalis et civilis. Verum huic responsioni obstat quod theologi soleant proprio jure interpretari legem naturalem quoad sensum. — Altera ratio est, quod theologia se extendit ad omnem Ecclesiæ doctrinam; atqui Ecclesia est interpres, etiam infallibilis, omnis legis naturalis et singularum ipsius partium; de facto autem omnes et singulas interpretata est proprio jure, minime exquisita philosophorum sententia, v. g. quoad necessitatem bonæ fidei theologicæ ad præscribendum, in conc. Lateranensi IV, inculcatam (3), quoad duellum a Benedicto XIV proscriptum (4), quoad montes pietatis a Leone X in conc. Later. V permissos (5). — Tertia ratio petitur a theologorum auctoritate, qui arbitrantur se de omnibus quæstionibus moralibus proprio jure tractare posse: quo pertinet celebris affir-

1. *De montibus pietatis*, c. 2. — 2. *De justitia*, lib. VI, q. 1, a. 6. — 3. Conc. Later. IV, c. 41. — 4. Bulla *Detestabilem*. — 5. Bulla *Inter multiplices*.

matio Francisci de Victoria, in principio Relectionis de Potestate civili (1). Hinc minime moveri possumus contraria opinione Caietani et Soto (2). — Quarta ratio est supereminens auctoritas Leonis XIII exemplo suo præeuntis in omnibus passim encyclicis, et verbis doctrinam nostram iterum iterumque exprimentis tum in encyc. *Rerum Novarum :* « Confidenter ad argumentum aggredimur, ac pleno jure nostro » tum recentius in encyclica *Tametsi :* « Legem Christi dicimus, non solum præcepta morum naturalia, aut ea quæ accepere antiqui divinitus, quæ utique Jesus-Christus omnia perfecit et ad summum adduxit, declarando interpretando, sanciendo.

41. *An humana ratio sit fons theologiæ secundarius et dependens.*

Porro si habeantur veritates morales non revelatæ nec explicite nec etiam implicite, et si eæ veritates ad theologiam pertineant, manifesto sequitur, humanam rationem esse theologiæ fontem. Si vero omnes veritates morales sint saltem implicite revelatæ, et si illæ veritates in theologia tractari debeant sub utroque lumine rationis et fidei, sc. si considerandæ sint quatenus notæ sunt naturaliter, et quatenus communicatæ supernaturaliter, in hoc, inquam, supposito, ratio naturalis adhuc est theologiæ fons. Atqui ita considerari solitæ fuerunt, inde a primordiis scientiæ theologicæ, frustra quibusdam reclamantibus. Equidem dissimulandum non est, quovis tempore difficultatem extitisse in harmonica consociatione duorum theologiæ elementorum, sc. elementi positivi quod subministratur ab auctoritate, et elementi speculativi ac practici, quod a ratione provenit. Sane *a/* omissis antiquioribus (3), non pauci fuerunt inde ab Abelardo, qui lumini naturali plus æquo tribuentes, in quemdam rationalismum delapsi sunt (4), vel dialecticis subtilitatibus indulserunt (5), vel imprudenti interpretatione legem Christi perverterunt (6).

1. Cfr. supra, n. 20. — 2. Cfr. supra, n. 39.

3. Cfr. v. g. Eug. de Faye, *Clément d'Alexandrie,* 2me p., ch. 4, 5, 6 ; Launoy, *De varia Aristotelis fortuna in Academia Parisiensi,* c. 2 ; Harnack, *Hist. of dogma* passim.

4. Hujusmodi fuerunt Simon Tornacensis, Bentus, alii de quibus cfr. D'Argentré, *Coll. Jud.;* Denifle, *Cartularium,* vol. I.

5. Cfr. Canus, lib. VIII ; et, ante ipsum, Petrus Cantor, *Verbum abbreviatum,* c. 3, 4, 5.

6. Cfr. Terillus, *De consc. prob. præf.*

b/ Econtra alii istiusmodi defectibus nimium commoti, philosophiæ usum in theologia indebite restrixerunt, ita ut vel deductiones speculativas (1) vel etiam practicas applicationes suspectas haberent (2). *c*/ Romani autem Pontifices, sicut theologorum excessus sedulo correxerunt (3), ita theologicam scientiam in rationis et fidei unione fundatam constanter promoverunt et vindicarunt (4). *d*/ At cujusvis generis sectæ hæreticæ pari odio et similibus calumniis theologiam sic intellectam constanter prosecutæ sunt (5).

Si objiciatur ex dictis sequi, theologiam moralem non distingui a morali philosophia, respondemus : distingui quidem unam ab altera, sed non separari. In philosophia enim morali supponitur status naturæ puræ ; in theologia morali, status naturæ elevatæ ; in philosophia actiones considerantur in ordine ad finem naturalem ; in theologia vero in ordine ad finem supernaturalem ; in philosophia agitur de sola lege naturali, in theologia de lege etiam supernaturali ; in philosophia arguitur ex sola ratione ; in theologia etiam ex revelatione. Si insistatur hujusmodi induci confusionem philosophiæ cum theologia, sicut medio ævo inducta erat confusio utriusque societatis et utriusque auctoritatis, eadem ratione respondetur : non induci rerum distinctarum confusionem, sed essentialem unitatem servari (6).

42. *præsertim theologiæ moralis.*

Possumus igitur affirmare rationem humanam esse theologiæ moralis principium, fontem, locum, non quidem primarium

1. Huc tendebant sæculo XII, nonnulli Magistri scholæ S. Victoris, nominatim auctor *Quatuor Franciæ Labyrinthorum* ; Cfr. etiam Epistolæ J. Pekham ad Univ. Oxfordiensem, et ad episc. Lincolniensem, apud *Zeitschrift für Kath. Theol.*, 1889, p. 181 ; item apud Denifle, *Cartularium Univ. Paris.* I, p. 624, 626, 634.

2. Cfr. Mabillon, *Des études monastiques*, p. II, c. 7.

3. Alexander III (apud Raynaldum, ann. 1164, n. XXI) ; Gregorius IX (apud Raynaldum, an. 1231, n. XLVIII) ; Joannes XXII (apud Raynaldum, an. 1317, n. 15).

4. Alexander IV, bulla *De fontibus paradisi ;* Sixtus V, bulla *Triumphantis ;* Pius VI, Const. *Auctorem Fidei*, prop. 76 ; Pius IX, *Syllabus*, prop. 13 ; Leo XIII, Encycl. *Æterni Patris ;* Cfr. plura apud Kleutgen, *Die theologie der Vorzeit*, III, 103 et seqq.

5. Canus, lib. VIII, c. 1 ; Jansenius, *Augustinus*, tom. II, *Liber prœmialis*, c. 8.

6. Cfr. Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei*.

et independentem, sed secundarium et subordinatum. Addimus: in nulla theologiæ parte ita necessarius et frequens est usus hujus loci ac in theologia morali, ut evidenter constat ex scientiæ *historia* et ex rei *natura*. Theologia enim est scientia veræ religionis ; atqui prima veræ religionis epocha dicitur legis *naturalis:* in ea religio vera vix continebat alia principia moralia nisi ea quæ naturaliter nota erant; secunda epocha est legis *mosaicæ,* in qua cum præceptis cæremonialibus et judicialibus, habebantur præcepta moralia, quæ omnia aliquo modo pertinebant ad legem naturæ; tertia epocha est legis *evangelicæ,* quæ contenta est præceptis moralibus naturalis legis et articulis fidei et sacramentis gratiæ (1). »

43. *Usus rationis individualis et socialis.*

Ratio humana est fons theologicus quatenus est *individualis* sive *communis* sive scientifice *exculta,* et quatenus est *socialis,* expressa in *moribus* populorum, in *legibus* nationum, in religionibus seu *cultibus* paganorum.

44. *Ratio individualis communis*

Quoad rationem *individualem,* quæstiones difficiles sunt de *origine* et *valore* notionum moralium. De *origine:* an ideæ et notiones morales sint innatæ, an sint vi intellectus acquisitæ; an sint hæreditate transmissæ; an sint acceptæ a societate. De *valore:* an et quousque arguere liceat ex pronuntiatis sensus moralis; an possint ignorantiæ attribui; an iis subesse possit error, etiam quando sunt universalia (2).

45. *et exculta.*

Quoad rationem individualem *excultam,* quavis ætate in theologia morali appellatum est ad philosophorum auctoritatem et ipsorum rationes consideratæ sunt. Quinam vero sint philosophi præ cæteris audiendi, quomodo iis utendum, exemplo suo nos docuerunt Sancti Patres, Scholastici, recentiores theologi (3).

1. S. Thomas, 1-2, q. 108, a. 1, ad 2 ; *Quodl.* IV, a. 13. Cfr. Suarez, *De legibus,* lib. X, c. 11, n. 20.

2. Cfr. Canus, *De locis,* lib. 9 ; Zaccaria, op. cit., *App.;* J. Hogan, *Clerical studies,* c. V, a. 2 ; J. Lupus, *Rationalisme et traditionalisme,* tom. III; Lecky, *History of European morals,* etc. Huc pertinent quæ infra exponuntur de cognitione legis naturalis.

3. Leo XIII, Enc. *Æterni Patris ;* B. Hauréau, *Histoire de la Philosophie scholastique,* voll. 3 ; J. B. Launoy, *De varia Aristotelis in Academia Parisiensi fortuna;* Baltus, *Jugement des Saints Pères sur la morale de la Philosophie payenne.*

46. *Ratio socialis expressa in moribus populorum,*

Ratio *socialis* expressa in *moribus* populorum utiliter consideratur. Providendum tamen est ut usus ipsi accurate cognoscantur et rationabili interpretationi subjiciantur. In quo utroque puncto sæpe peccatur defectu sufficientis cognitionis historiæ profanæ (1).

47. *in legibus gentium,*

Maximæ etiam utilitatis est ratio *socialis* expressa in *legibus* gentium, præsertim in romanorum jurisprudentia, de qua ita pronuntiat Canus : « Qui jus civile theologo negligendum putat, is bonam partem philosophiæ moralis revellit : cujus subsidium si quis illi neget de moribus disserenti, stultus esse videatur (2).

48. *in nationum religionibus.*

Minime autem negligenda est a theologo ratio *socialis* expressa in *cultibus* seu religionibus Ethnicorum ; in iis enim religionibus cum multis cæremoniis superstitiosis et non paucis institutis crudelibus, admixta occurrere possunt et de facto occurrunt præcepta moralia pura et praxes non damnabiles (3).

49. *Scientiæ moralis progressus et regressus.*

Ratio humana, sive individualis sive socialis, est *progressiva* et de facto decursu temporis, progressus magnos fecit, prout constat ex historia philosophiæ; ex adverso etiam regressiva est, prout ex historia constat. Jam vero quibusnam causis attribuenda sit scientiæ moralis auctio: an generali et communi vigori populi; an influxui virorum genio præditorum; an actioni extraneæ? Vicissim quibusnam causis attribuenda sit inclinatio scientiæ moralis: an defectui religionis, an deterioribus vitæ modis; an actioni extraneæ, an communi nationis infirmitati?

50. Cum ratio humana, tum individualis tum socialis, multum

1. Ad hanc rem multa scripsit H. Spencer, præsertim in opere *Principles of Sociology* ; item Dollinger, *Paganisme et Judianisme,* passim ; cfr. Canus, op. cit., lib. II.

2. Cfr. Canus, op. cit., lib. X, c. 7 et seq.; Gautier, *Prodromus,* diss. III, c. 3.

3. Cfr. A. Maury, *Religions de la Grèce ;* Ch. De Harlez, *Avesta ;* De Harlez, *Les religions de la Chine ;* Amélineau, *Evolution historique et philosophique des idées morales dans l'Egypte ancienne ;* Bergaigne, *La religion védique ;* A. Gasquet, *Essai sur le culte et les mystères de Mithra,* pag. 107 ; Franz Cumont, *Textes et monuments figurés relatifs aux mystères de Mithra,* vol. I, pag. 307, 311 ; Oldenberg, *Le Boudha,* p. 2, c. 3.

proficere possit et profecerit ex revelatione, quæstio oritur, relate ad progressum scientiæ moralis naturalis, quid in prædicto progressu debeatur vi rationis humanæ, quid vero directe vel indirecte debeatur revelationi et auctoritati supernaturali interpretanti, v. g. in progressu doctrinæ moralis Græcorum et Romanorum comparatæ cum doctrina Hebræorum ; in progressu doctrinæ moralis Egyptiorum comparatæ cum doctrina primitus revelata : cujus solutio quæstionis multam requirit eruditionem et prudentiam ; ne scilicet ex similitudine concludatur ad derivationem. Vicissim cum intelligentia revelationis proficere possit et multum profecerit ex scientia naturali, quæstio oritur, relate ad progressum theologiæ moralis, quid in prædicto progressu debeatur exclusive vi revelationis et auctoritatis eam interpretantis, quid, immediate vel mediate, vi rationis ; v. g. in progressu notionum theologico-moralium in materiis socialibus, politicis, juridicis, œconomicis.

Caput II.

De usu revelationis in theologia morali.

51. *Scriptura, traditio, Ecclesiæ propositio.*

Definivit concilium Tridentinum, *salutarem veritatem* et *morum disciplinam* contineri in *libris scriptis* et sine scripto *traditionibus,* quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt (1). Est igitur theologiæ moralis locus principalis divina revelatio sive *inspiratione scripta* sive *traditione transmissa,* sive adæquate *Ecclesiæ concredita.*

Articulus primus.

De Scripturarum usu in theologia morali.

52. *Præcepta, exempla.*

« Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia : ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus (2). » Profecto « duobus testamentis, veteri et novo, Deus disciplinæ nobis

1. Sess. IV ; cfr. S. Thomas. I p., q. 1, a. 8. — 2. II *Tim.* III, 16.

regulam dedit (1) » et in iis, quæ aperte in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem moresque vivendi, spem scilicet et charitatem (2). Ea autem inveniuntur tum formulis præceptivis expressa, tum exemplis indicata ; nam « divinæ Scripturæ non solum præcepta Dei continent, sed etiam vitam moresque justorum ; ut, si forte occultum est, quemadmodum accipiendum sit quod præcipitur, in factis justorum intelligatur (3). »

§ I.

De usu Scripturarum Veteris Testamenti in theologia morali.

53. *Revelationis incrementum successivum.*

Præ oculis habendum est, sub Vetere Testamento fuisse constans et progressivum revelationis incrementum, per patriarchas, per Moysen, per Prophetas, usque ad Christum, Hinc licet omnes et singuli libri habeant eamdem auctoritatem, non possunt tamen in quæstionibus evolvendis textus sine delectu et discrimine conglobari, sed debent seorsim considerari, ratione habita successivæ evolutionis (4).

54. *Veteris Testamenti indoles.*

Præterea præ oculis haberi debet character specialis Veteris Testamenti, præsertim quoad œconomiam Mosaicam externam et materialem, figurativam, temporalem, servitutis et timoris (5). Caveatur tamen ne utriusque Testamenti differentia erronee exponatur cum Quesnello (6) vel minus accurate intelligatur cum recentioribus nonnullis (7).

55.

Libri Veteris Testamenti referuntur tum ad œconomiam primitivam et *universalem,* tum ad œconomiam Mosaicam et *particularem:* distinguuntur autem in legales, sapientiales et propheticos, historicos.

1. S. Aug. *De moribus Eccl.*, c. xxviii, n. 56. — 2. S. Aug. *De doctr. christ.*, ii, c. 9, n. 14. — 3. S. Aug. *De mendacio,* c. 15, n. 26. — 4. Cfr. S. Thomas, 2-2, q. 1, a. 7 ; Franzelin, *De Trad. et Script.*, th. 26. — 5. Cfr. *Ad Rom.*, iv, vii ; *Ad Galatas,* iii ; *Ad Heb.*, ix, etc. ; S. Thomas, 1-2, q. 107, a. 1 ; Franzelin, *De sacramentis in gen.*, th. I-II-III ; Petavius, *De Deo,* lib. x, c. 24 et sqq. — 6 Cfr. prop. 60 et sqq. — 7. Cfr. Müller, lib. 1, c. 3, § 38, ubi reprehendit Hirscher et Linsenmann.

56. *Usus librorum legalium,*

Libri legales continent triplicis speciei præcepta: moralia, cæremonialia, judicialia. Moralia in sua vi remanent, adeoque iis theologus insistere potest ac debet, præsertim prout fuerunt a Christo approbata, explicata, perfecta et completa. — Præcepta cæremonialia et judicialia a Christo abrogata sunt: consequenter iis theologus uti non potest nisi ad christianas praxes illustrandas vel ad legis naturalis principia securius et plenius determinanda (1). Licet enim quæ sunt a Deo prohibita, non idcirco sint ex se mala, quæ tamen sunt positive permissa, commendata, præscripta, instituta, sunt saltem ex se indifferentia, vel moraliter bona, etsi forte non meliora, nec valeant ad exemplum poni.

Huc pertinent, inter præcepta cæremonialia, animalium sacrificia, circumcisio, et hujusmodi (2); inter præcepta vero judicialia, quæ respiciunt familiam, societatem, civitatem: divortium, polygamiam, servitutem, pœnalitates, bella (3). Sicut autem ex divina origine præceptorum argui potest ad eorum moralitatem, ita vicissim ex nota moralitate argui potest ad præceptorum authenticitatem et significationem.

sapientialium et propheticorum,

Libri sapientiales et prophetici talem progressum moralem exhibent, ut nonnulli theologi affirment Mosaismum per prophetas super seipsum elevatum fuisse, spiritualem et internum effectum (4).

historicorum.

Libri historici eventus et actiones referunt, qui pertinent ad ætatem primitivam patriarcharam, judicum, regum; ut autem prudens sit in re morali usus factorum, sequentia debent considerari: *a*/ qualis fuerit prima hominum conditio intellectualis et moralis, scilicet: quousque per peccatum

1. Præcepta consideramus ut divinitus inspirata: quæstionum autem archeologicarum solutio, quæ ex ipsis sint *antemosaïca*, an et quænam sint *postmosaïca*; quænam ex moribus gentium derivata, quænam hebræis propria, non est hic magni momenti.

2. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 101-103.

3. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 104. Libris judicialibus sæpe usi sunt veteres theologi in tractandis rebus socialibus et politicis. Huc jam pertinet vetus scriptum, cui titulus: *Lex Dei, sive Mosaïcarum et Romanarum legum collatio*; secuta sunt tum opuscula *De regimine Principum*; *De eruditione Principum*; tum plura opera archeologica, ut Seldeni, Spenceri, Menochii, etc. Usum resumpsisse videntur recentiores, v. g. Fr. Walter, *Die Propheten*; Meyer et Ardant, *La question agraire*; M. Fleugel, *Spirit of the Biblial Legislation*, etc.

4. Cfr. Müller, op. cit.

Adæ fuerit humanum genus non solum spoliatum supernaturalibus sed etiam vulneratum in naturalibus; quæ cognitio legis naturalis per rationem: quæ cognitio per revelationem; quæ humanæ inclinationes; consequenter quam multa attribui possint ignorantiæ, passionibus etc. (1). *b*/ Quæcumque fuerit generalis hominum conditio, considerari debet an actiones quæ referuntur, sint sanctorum, an attribuantur instinctui divino, an approbentur; et si approbentur, an approbentur in se, sub respectu morali et propter suum meritum, an vero approbentur sub respectu typico. *c*/ Ex his considerationibus concludimus, cavendum ne facta in leges transmutentur: sicut enim sancti, divina impellente gratia, multa bona ex consilio præstiterunt, ita et humanam infirmitatem experti aliquando labi potuerunt. *d*/ Hinc legitimus nobis sequens videtur canon : « Historias in quibus scriptura sacra narrat, viros justos quidpiam præstitisse, quod vel malum revera sit, vel mali speciem habet, casuum solvendorum regulas non esse reputandas » (2). *e*/ Fateri tamen debemus, non deesse qui minus absolute loquuntur. Existimant scilicet, dum persona aliqua in sacra Scriptura commendatur, silentium circa ejus facta, quæ nec probantur, nec improbantur, tacitæ approbationi æquivalere. Consequenter judicant « regulam apud Judæas fuisse receptam, omnia sanctorum opera, quæ Scriptura expresse aut tacite non reprehendit, honesta seu licita esse reputanda. » Et hanc etiam esse rationem arbitrantur, propter quam nonnulli ex antiquis Ecclesiæ patribus tam pronos sese exibuerunt ad excusandum id quod nobis juxta modernas ideas videtur omnino inexcusabile (3). *f*/ Patet, ex talibus principiis, si admittantur, graves in scientia morali sequelas oriri, relate ad intrinsecam quarundum actionum

1. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 85, a. 3; *De malo*, q. II, a. 11 et 12; De Rubeis, *De pecc. orig.*, c. 42 et seq.; Mar. a Novana, *De originaria lapsi hominis conditione*; Scheeben, op. cit., lib. IV, c. 2, s. 1; De Harlez, *La civilisation de l'humanité primitive et la Genèse* (Muséon V, 291); Williams T. *Was primitive man a modern Savage* (Smithsenian Inst. Rep. 1896, p. 541); Bainvel, *La conception catholique de la nature humaine et de son état présent*, Rev. de l'Inst. catholique de Paris, V, 597; Le Bachelet, *Le péché originel dans Adam et ses descendants*.

2. Zaccaria, *Diss.* p. 2, c. 1, § 3, can. 5.

3. Cfr. Pius Vandervelde, *Principia theol. mor.*, Intr. 7 et 8.

moralitatem, ad absolutam legis divinæ obligationem, etc. *g*/ Hujusmodi autem difficultates non satis nobis removeri videntur applicata S. Augustini regula : « Quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas. » Ex qua regula duplex corollarium S. Augustinus deducit. Primum est : « Quæ quasi flagitiosa imperitis videntur, sive tantum dicta sive etiam facta sunt, vel ex Dei persona vel ex hominum, quorum nobis sanctitas commendatur, tota figurata sunt. » Alterum est : « Si præceptiva locutio est, aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est » (1).

§ II.

De usu scripturarum novi Testamenti in Theologia morali.

57. *Novi Testamenti indoles.*

Ante omnia præ oculis habendus character proprius novi Testamenti, quod in suis legibus, mediis, institutis, est œconomia interna, spiritualis, filialis, amoris et libertatis (2).

58. *Revelatio successive absoluta.*

Advertendum deinde est, revelationem novi Testamenti non fuisse uno momento peractam, sed per aliquod temporis spatium durasse. Hinc, licet omnes libri novi Testamenti divinam eamdem habeant auctoritatem, quia æque revelationem continent, non omnes tamen idem exhibent revelationis stadium, nec eamdem manifestationem veritatis (3). Quapropter in usu librorum novi Testamenti non possunt textus sine discrimine congeri, sed debent per partes distincte et seorsim considerari, nominatim evangelia synoptica, evangelium Joannis, Pauli epistolæ, etc. habita ratione temporum, locorum, personarum, circumstantiarum.

59. *Non integre*

Quamvis revelatio per Christum et Spiritum Sanctum in

1. S. Augustinus, *De doctrina christ.* lib. III, c. 10-15. — 2. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 108. — 3. Cfr. S. Thomas, 2-2, q. 1, a. 7 ; Franzelin, *De trad. et script.*, thes. XXII et thes. XXIII.

contenta in libris inspiratis, sed integre commissa Ecclesiæ.

Apostolis fuerit definitive absoluta et integre Ecclesiæ commissa conservanda et explicanda, tamen non tota continetur in libris inspiratis, saltem clare, explicite, distincte, sive agatur de principiis theoreticis, sive præsertim sermo sit de veritatibus practicis, quæ facilius ex vita christiana intelliguntur (1).

60. Hisce positis maximi momenti est et sæpe magnæ difficultatis in scientia morali supernaturali determinare utrum in specialibus scripturæ locis *a*/ exprimatur præceptum proprie dictum, an vero consilium (2) ; — *b*/ utrum exhibeatur principium dogmaticum, an vero statutum disciplinare plus minus mutabile (3) ; — *c*/ utrum exprimatur præceptum communiter intellectum, an vero exprimatur præceptum christiana perfectione intellectum (4) ; — *d*/ utrum præceptum sit generale, indistinctum, an vero sit distinctum, præcisum, speciale, explicitum (5) ; — *e*/ utrum præceptum exprimatur abstracte conceptum, an vero exprimatur regula concretam conditionem supponens, vel factum concretum (6) ; — *f* utrum exprimatur præceptum absolutum, an regula vario gradu adaptabilis (7) ; — *g*/ utrum præceptum versetur circa rei substantiam, an vero circa modum vel formam (8).

61. *Usus librorum Novi Testamenti.*

Ex prædictis observationibus solvi possunt quæstiones aliquando difficiles de obscuritate, varia controversia, evolutione, diversa applicatione quibus locum dederunt vel hucusque dant doctrinæ biblicæ novi Testamenti de notione et morali valore sacrificii (9), de liceitate juramenti (10), de remissione peccatorum per pœnitentiam (11), de contritione et absolutione (12), de communione sub utraque specie (13), de

1. Cfr. Franzelin, *De trad.*, thes. XIX. — 2. Matth. X, 9-10. Hinc prudentia in Christi parabolis interpretandis. — 3. Act. XV, 28. — 4. Matth. V, 34 ; Jac. V, 12. — 5. Generales sunt prohibitiones homicidii, fornicationis, ebrietatis ; specialis est commendatio beneficientiæ, Jac. II. — 6. Exemplum est servitus. — 7. Exemplum est usura. — 8. Cfr. Joan. VI, 54. — 9. Cfr. Bouquillon, *De virtute religionis*, II, 102 et seq. — 10. Cfr. Bouquillon, *De virt. religionis*, I, 561. — 11. Cfr. Desan, *De pœnit.*, n. 126 et seqq. — 12. Cfr. Desan, op. cit., p. II, c. 15 et c. 16 ; Chr. Lupus. *Diss. dogm. de cont. et attr.*; Ledrou, *De contr. et attr. diss. quatuor.* — 13. Cfr. Bellarminus, *De Euch.*, lib. IV, c. 24.

familiæ officiis (1), de rerum proprietate (2), de perceptione fructus ex mutuo (3), de liceitate militiæ (4), de servitute (5).

62. *Principia ad difficultates solvendas.*

Tandem observandum est, theologo satis non esse textus coacervare, sed onus ipsi incumbere ut ostendat iis contineri quod affirmatur. Norunt enim omnes aliquando occurere apud auctores testimonia quæ minime ad rem sunt. Haud raro etiam testimonia, ex se efficacia, modo inefficaci allegari. Cæterum licet non desint inter Sanctos Patres et Scriptores posteriores, qui ex utroque testamento studiose collegerunt præcepta moralia, quibus conformari debeat vita fidelium privata et publica, haud immerito forte queruntur nonnulli, pauciora subsidia pro scientia morali e thesauro Scripturarum petita fuisse (6).

ARTICULUS SECUNDUS.

De usu traditionis in theologia morali.

63. *Notio traditionis.*

Traditio, prout contradistinguitur a Scripturis, objective sumpta, est doctrina et disciplina « quæ ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt. » (7) Active sumpta, est ipsa doctrinæ et disciplinæ transmissio continua successione. Traditionis organon est Ecclesia, seu corpus illud mysticum vivens et indefectibile, cui religionem suam Redemptor noster inhærentem voluit. Hinc, si prima ejus origo spectetur, traditio est *depositum* dominicum Ecclesiæ creditum, cujus ipsa est custos, non auctrix ; si spectetur ejus conservatio et custodia, dici potest *mens, sensus, memoria, conscientia* Ecclesiæ; si spectetur status et conditio in qua reperitur, distinguitur in *explicitam* et *implicitam*. Porro manifestatur traditio per vitam Ecclesiæ, signis scilicet et actionibus ; colligitur præcipue ex *doctrinis*, ex *observantiis*, ex *precibus*, de quibus speciatim dicemus.

Diversa ejus nomina.

Triplex via transmissionis.

1. Matth. XIX, 29 ; cfr. Edm. Le Blant, *De quelques principes sociaux rappelés dans les conciles du IVe siècle* (Acad. des sc. mor. et pol.), vol. III, p. 378. — 2. Matth. XIX ; Act. V ; cfr. Le Blant, l. c. — 3. Cfr. Carrière, *De contr.*, III, 1123 et seqq. — 4. Cfr. Le Blant, l. c. — 5. Cfr. Carrière, *De Just.*, I, 42 et seqq. — 6. Vandervelde, l. c. — 7. Conc. Trid., sess. IV.

§ I.

De scriptis Doctorum.

64. *Doctorum notio.*

Doctores vocamus omnes illos, qui magisterium doctrinale constituunt, et auxiliares sunt *magisterii authentici,* qui scilicet receptam a Christo doctrinam, in Ecclesia conservatam, scriptis aliisve monumentis referunt, profitentur, explicant, defendunt. Hujusmodi sunt imprimis ipsi Ecclesiæ pastores quatenus privatim loquuntur ; deinde inferiores Ecclesiæ ministri, qui missionem habent vel prædicandi veritatem, vel eam profundius explicandi, v. g. in scholis clericorum ; præterea alii Ecclesiæ filii, etiam laici, qui sub vigilantia prælatorum agunt et scribunt (1).

65. *Labor.*

Labor Doctorum, sub directione authentici magisterii eo tendere debet, ut doctrinæ revelatæ aurum probent et expoliant, illud ab humano pulvere separent, si forte imprudentia vel negligentia adhæserit, sinceris gemmis ornent, novis usibus accommodent, necessitatibus adaptent, ex eo elementa genuina depromant : est ergo constans et multiplex eorum operatio : scilicet probationis, eliminationis, evolutionis, adaptationis.

66. *Diversa uniuscujusque auctoritas.*

Omnium doctorum auctoritas eadem non est, sed varia : *a*/ pro *munere* quod gesserunt ; — *b*/ pro morum *sanctitate,* qua præstiterunt ; — *c*/ pro *ingenii* excellentia et *eruditionis* amplitudine, qua excelluerunt ; — *d*/ pro supernaturali *doctrinæ charismate,* quo ornati sunt ; — *e*/ pro temporis *antiquitate,* seu propinquitate ad fontem, qua vixerunt.

67. *Approbatio eorum sub varia forma*

Propria uniuscujusque auctoritas dignoscitur, præsertim Ecclesiæ approbatione ; nam, ut scripsit Vincentius Lirinensis, omnes vere catholici cum Ecclesia doctores recipiunt (2). Talis autem approbatio diverso modo datur : aliquando enim est usualis, implicita, quæ continetur in allegationibus, citationibus, etc.; aliquando est explicita, formalis, quæ continetur

1. Præclara ea de re habet Scheeben, op. cit., § 12-16, n. 157-213 ; § 23, n. 320-350. — 2. *Comm.* 1, n. 17 ; cfr. Tert., *De præsc.,* III.

in specialibus declarationibus (1). Datur etiam in diverso gradu : primus gradus est, quando opera judicantur ab erroribus immunia, veritati catholicæ conformia ; et hæc est approbatio *permissiva* seu *negativa ;* secundus gradus est, quando opera commendantur, publice adhibentur, leguntur ; et hæc est approbatio *positiva ;* tertius gradus est, quando in cujusdam scriptoris operibus Ecclesia suam mentem, suum sensum specialiter recognoscit ; et hæc approbatio est *electiva*. *et vario gradu.*

68. Jam vero illi, qui insigni morum sanctitati eminentem doctrinam conjunxerunt, sive antiquiores fuerint, sive recentiores sint, declarari solent *Ecclesiæ Doctores :* suscitantur enim a Spiritu Sancto ut Ecclesiam doctrina erudiant, veritatem novis radiis illustrent, tenebras errorum dissipent (2). Sunt tamen inter eos alii aliis præstantiores ; et quidem jamdiu præcipuo quodam loco poni solent ex græcis Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus ; ex latinis Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius Magnus ; ex recentioribus Thomas et Bonaventura. — Illi autem quibus insunt doctrina et sanctitas, si antiquiores fuerint, habentur ut *Patres :* quia Ecclesiam quasi nutriverunt infantem, posteros patrimonio scientiæ ditarunt ; si vero sint recentiores, *sancti Doctores* vocantur sensu latiori : quia Ecclesiam adultam instruxerunt, quasi pædagogi : hujusmodi sunt S. Raymundus de Pennafort, S. Joannes Capistranus, S. Antoninus, B. Petrus Canisius. — Tandem illi, quibus deest sanctitas, vel quorum sanctitas non est ab Ecclesia recognita, si antiquiores fuerint, vocantur *Scriptores ecclesiastici :* tales sunt Tertullianus, Clemens Alex., Origenes ; si autem recentiores, dicuntur *Scholastici, Theologi, Auctores,* aut etiam *Doctores*. *Ecclesiæ Doctores,* *Patres,* *Scriptores,* *Theologi.*

69. In præsenti, nomine Patrum utimur in sensu latiori, ut comprehendamus omnes veteres scriptores catholicos, ab ævo Apostolico ad S. Bernardum ; recentiores designamus nomine theologorum : itaque in censu Patrum referimus Ecclesiæ doctores, patres stricte dictos, meros scriptores ; in

1. Cfr. Fessler, *Pat.*, int., § 12. — 2. Cfr. Franzelin, *De trad.*, th. XV ; Scheeben, *op. cit.*, n. 166.

censu vero theologorum ponimus etiam Ecclesiæ doctores, scholasticos, theologos proprie dictos, casuistas, cæteros sacræ doctrinæ tractatores.

I. — *De scriptis Patrum.*

70. *Doctrina Patrum in ipsis fontibus quærenda,*

Patrum doctrina in ipsis eorum operibus, et quidem in operibus genuinis, quærenda est, non autem in textibus hinc inde collectis, qui a longo tempore circumferuntur. Hæc est Zaccariæ admonitio, quæ hodiedum utilis est ; qui enim scripta theologica paulo attentius considerare solet, sæpe dolens animadvertit sententias quasdam allegari eo præcise modo, quo, ante recensiones criticas, apud antiquiores theologos recitabantur et notabantur (1).

71. *prudenter determinanda,*

Est autem doctrina Patrum vigilanter examinanda. Ante omnia videndum de qua re loquantur : an de generali morum *principio*, an de aliqua *conclusione* ex principio deducta, an de principii *applicatione*, quæ factum mutabile vel scientificam notionem supponat, an de *regula disciplinari*, quæ variabilis sit, an de mero *consilio*. — Deinde videndum quomodo loquantur : an principium exhibendo tanquam *christianum*, *evangelicum* ; an illud solum urgendo tanquam naturale, conveniens ; an asseverando ut certum ; an autem proponendo sub dubitatione ; an tractando quæstionem ex professo ; an de ea agendo per transennam, occasione data. — Præterea videndum est ubinam loquantur : an in epistolis dogmaticis, in tractatibus doctrinalibus, in quibus res accuratius perpenduntur ; an autem in homiliis, concionibus aliisque similibus, in quibus solent consilia misceri præceptis, multaque cum aliqua verborum exaggeratione proferri.

integre sumenda.

Uniuscujusque Patris doctrina integre sumenda est, attentis et perpensis, secundum omnes regulas sanæ critices, variis locis in quibus de proposita materia agit. Insuper comparanda est illius doctrina cum doctrina aliorum. In hac autem com-

1. Omni attentione digna existimamus quæ leguntur in periodicis, *Etudes religieuses*, tom. 74, pag. 26 (P. de Grandmaison) ; *la Quinzaine*, tom. 19, pag. 185 (Batiffol) ; *Revue d'hist. et de littér. relig.*, tom. 5, pag. 97 et seqq. (Turmel).

paratione procedendum est, quantum fieri potest, secundum ordinem chronologicum et secundum ordinem regionum et scholarum : sic enim plenius et securius determinabitur sensus traditionalis et communis. Profecto scientiæ necessitati non prospiciunt, qui scriptores quinti v. g. et secundi sæculi, Latinos et Syros, Africanos, Alexandrinos, Antiochenos sine delectu indiscriminatim referunt.

72. *in omnium consensu spectanda.*

Instituta comparatione, apparebit aliquando *perpetuum* exstitisse inter Patres de aliqua morali doctrina consensum ; aliquando, post controversias, ortum esse consensum, eumque firmum et constantem remansisse ; aliquando majori parti quosdam restitisse : aliquando verum exstitisse et perseverasse dissensum ; aliquando paucos aliquid docuisse, cæteris tacentibus. Hic tamen quædam adverti debent. Imprimis, consensus de quo loquimur, intelligitur moralis, non absolutus ; ad eum scilicet constituendum, ab una parte non sufficit ut pauci quidam rem affirment, licet cæteri non contradicant, ab altera parte non requiritur ut omnes eam affirment ; sed requiritur et sufficit ut plures ex diversa ætate et regione aliquid doceant ; tunc enim unanimis Patrum consensus cumulate probatus æstimari debet, cum singularum nationum eminentissimi in alicujus rei assertione conveniant (1). Deinde non est facile admittendus paucorum a majori parte dissensus, præsertim in re practica alicujus momenti ; obstant enim principia unitatis quibus omnes regebantur ; hinc non solum pietas sed etiam sanæ critices regulæ postulant ut, si fieri possit, difficiliores quorumdam sententiæ ad generaliorem aliorum sensum benigne reducantur (2).

1. Cfr. Scheeben, *op. cit.*, n. 379.

2. Cfr. Franzelin, *cit. th. XV.* Æquus erga Theologos non est vir eruditus qui sequentia scripsit : « En théologie, quand une théorie est bien posée, malheur au texte indiscret, qui se permet d'en déranger l'ordonnance. Il n'en est pas de même en histoire ; là les textes sont chez eux, les faits s'imposent et se font faire place, même en bousculant un peu les théories. » *Rev. des quest. hist.*, XXXIII, 314. Sane in theologia fides traditionalis, quæ factum est, demonstratur testimoniis, sicut in historia testimoniis demonstrantur alia facta. Verum non minus in historia quam in theologia occurrunt textus, qui cum cæteris documentis difficile conciliantur ; in eo autem casu historici æque ac theologi coguntur vel aliquam textus interpretationem dare, vel ejus authenticitatem negare, vel auctorem ignorantiæ arguere.

73. *Patrum auctoritas :*

Jam vero Patrum de aliquo *principio* morali ut evangelico consentientium auctoritas est irrefragabilis, ita ut ei resistere esset hæreticum vel hæresi proximum ; Patrum autem de *conclusione* aliqua morali consentientium auctoritas est etiam irrefragabilis, ita ut ei resistere saltem esset temerarium ; tandem Patrum de principii moralis *applicatione* consentientium auctoritas est quidem gravissima ; contingere tamen poterit ut ab ea recedere fas sit, si nempe factum aut notio naturalis, cui innititur, deprehendatur non subsistere (1).

quando unanimes sunt;

Perinde est sive consensus ab initio exstiterit, sive post controversiam ortus fuerit, dummodo revera firmus et constans appareat. Hinc omnino cavendum, ne Patres traducantur ut absolute dissentientes, ubi dissensio fuit tantum inter Patres prioris ætatis, consensio vero obtenta est inter Patres ætatis posterioris. Exempla præbent quæstiones de liceitate militiæ, juramenti, etc. (2).

quando plures contra paucos stant;

Patrum magno numero doctrinam moralem contra quosdam pauciores asserentium auctoritas valde gravis est, non tamen absolute ineluctabilis. In eo enim statu definitiva Ecclesiæ sententia non satis apparet. Attamen valde hic ponderanda sunt verba S. Augustini : « Tu nescis quid ad Jubajanum scripserit Cyprianus ? Jam legi ; et profecto issem in eamdem sententiam, nisi me ad diligentiorem considerationem revocaret tanta auctoritas aliorum, quos vel pares gratia doctrinæ, vel etiam fortasse doctiores per tot gentes Latinas, Græcas, Barbaras et ipsam Hebræam Ecclesia toto orbe diffusa parere potuit, quæ ipsum quoque pepererat, qui mihi quoque nullo modo videri potuerunt frustra noluisse istam tenere sententiam ; non quia fieri non poterit ut in obscurissima quæstione verius pluribus unus paucive sentirent ; sed quia non facile pro uno vel pro paucis adversus innumerabiles ejusdem religionis et unitatis viros et magno ingenio et uberi doctrina præditos, nisi pertractatis pro viribus atque perspectis rebus ferenda sententia est (3). »

1. Cfr. Canus, *De locis*, lib. VII ; Franzelin, *th. cit.* ; Scheeben, *op. cit.* § 23 ; Fessler, *Pat.* int., § 16.

2. Cfr. Tract. noster *De Virt. Rel.*, I, 564 ; E. Le Blant, *De quelques principes sociaux rappelés dans les Conciles du IVe siècle.* (*Bull. de l'Acad. des sciences mor. et pol.*, Fév. — Mars 1879). — 3. *De Bapt.*, ib. III, c. 4.

74. *quando dissentiunt;*

Patrum vero a se invicem dissentientium auctoritas probabilis tantum est: in hujusmodi autem casu iis adhærendum, qui rem accuratius tractant, et rationum pondere alios superant. In hunc sensum intelligi debent verba S. Thomæ: « Utitur theologia auctoritatibus sanctorum Doctorum Ecclesiæ quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter (1). »

quando solitarii sunt.

Unius aut paucorum Patrum aliquid asserentium, cæteris tacentibus, auctoritas ex se nonnisi probabilis est; eo autem gravior erit quo pauci illi fuerint doctrina præstantiores, sanctitate insigniores, muneribus gestis digniores. Dicimus eorum auctoritatem *ex se* tantum probabilem esse; nam *ex circumstantiis* poterit esse irrefragabilis, idque in duplici præcipuo casu: primo, si constet eos paucos quasi nomine Ecclesiæ locutos esse, ipsa audiente et approbante: secundo, si constet rem etiam a paucis affirmari non potuisse casu quo non fuisset vera (2).

75. *Nullius auctoritas irrefragabilis.*

Igitur nullius Patris singillatim sumpti auctoritas est irrefragabilis: ex approbatione enim Patribus data tantum habemus ipsorum doctrinam immunem fuisse ab errore contra fidem et mores, eamque generatim sumptam eximiam esse, adeoque pro singulis sententiis, quas saltem instanter tradiderint, adesse veritatis præsumptionem (3). Ita S. Augustinus: « Neque quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum et laudatorum hominum, vel ut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum (4). »

Solebant olim distincte agere de singulari S. Augustini tum in materia de gratia, tum in cæteris quæstionibus theologicis auctoritate. Quum autem controversiæ huc spectantes jam non agitentur, satis sit nobis magno Doctori generalia principia applicasse, memorata etiam propositione trigesima ex

---

1. 1. q. 1, a. 8 ad 2. — 2. Cfr. Franzelin, *op. cit.*, th. XIV. — 3. Cfr. Scheeben, *op. cit.*, n. 378. — 4. *Epist.* 146 *ad Fortunatianum*, n. 15.

damnatis ab Alexandro VIII: « Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam [1]. »

76. *Patrum notitia theologo necessaria.*

Patrum historiam litterariam ab initio et deinceps multi conscripserunt : Hieronymus [2], Gennadius [3], Isidorus Hispalensis [4], Honorius Augustodunensis [5], Sigebertus Gemblacensis [6], Henricus Gandavensis (vel alius) [7], Trithemius [8], Sixtus Senensis [9], Possevinus [10], Bellarminus [11], Fabricius [12], Dupin [13], Ceillier [14], Lumper [15], Freppel [16]. — Introductionem in studium et usum Patrum dederunt Moehler, Alzog, Fessler, alii [17], quos omnes tempore et eruditione prævenerat Le Nourry [18]. — Hujus loci non est accuratiores singulorum Patrum editiones indicare ; satis sit adnotasse eas præsertim a medio sæculo XVII adornatas fuisse opera primum Gallorum, deinde Italorum et Hispanorum ; nostro autem tempore Germanos egregias curas tribuere Patribus primævæ ætatis necnon scriptoribus syris. — Universales Patrum bibliothecas magno labore vulgarunt Marg. de la Bigne [19], Al. Wyelius [20], Despont [21], Gallandus [22], Migne [23], quibus jungi debent collectiones Acherii [24], Martenii [25], Henrici Canisii [26], Bernardi Pez [27] ; selectas vero bibliothecas in commodum præsertim discipulorum, composuerunt Tricalet [28], Cailleau [29], Hurter [30]. —

1. Cfr. Viva in h. p. Cæterum de S. Aug. auctoritate, præter alios, egit Steph. Dechamps : *De S. Augustino theologorum Aristotèle.* — 2. *De viris illustribus.* — 3. *De scriptoribus ecclesiasticis*, Migne LVIII. — 4. *De viris illustribus*, Migne LXXXIII, 1082. — 5. *De scriptoribus ecclesiasticis*, Migne CLXXII, 198. — 6. *De script. eccl.*, Migne CLX, 547. — 7. *De viris illustribus.* — 8. *De scriptoribus eccl.* — 9. *Bibl. sancta.* — 10. *Apparatus sacer.* — 11. *De script. eccl.* — 12. *Bibl. græca ; Bibl. med. et inf. lat.* — 13. *Nouvelle bibl. des auteurs eccl.* (in Indicem relata). — 14 *Hist. gén. des auteurs sacrés et eccl.* — 15. *Historia theologico-critica*, 13 vol. in-8. — 16. *Les Pères apostoliques*, etc , 10 vol. — 17. In operibus quibus titulus : *Patrologia.* — 18. *Apparatus ad Bibl. max.*, 2 vol. in-fol. — 19. *Bibliotheca SS. Patrum*, primum 5, postea 9 vol. in-fol. — 20. *Bibl. vet. Pat. ac ant. script. eccl.*, 14 vol. in-fol. — 21. *Bibl. max. vet. Pat. et aliorum script. eccl.*, 27 vol. in-fol. — 22. *Bibl. græco-lat. Pat. et vet. Script. eccl.*, 14 vol. in-fol. — 23. *Pat. lat.*, 220 vol. in-4 et *Pat. gr.*, 160 vol. in-4. — 24. *Spicilegium veterum aliquot scriptorum*, 13 vol, in-4, vel 3 vol. in-fol. — 25. *Thesaurus novus Anecdotorum*, 5 vol. in-fol. — *Vet. script. et monum. amplissima collectio*, 9 vol. in-fol. — 26. *Thesaurus monum. eccl. et hist.*, 7 vol. in-fol. — 27. *Thesaurus anecdotorum novissimus*, 6 vol. in-fol. ; *Bibl. ascetica antiquo-nova*, 12 t. in-8. — 28. *Bibl. portative des Pères de l'Eglise*, 9 vol. in-8. — 29. *Selecta Patrum Bibl.* — 30. *Opuscula SS. Patrum selecta.*

Tandem moralem Patrum doctrinam vindicarunt Baltus (1) et Ceillier (2).

II. — *De scriptis Theologorum.*

77. *Theologorum auctoritas varia :*

Theologos dicimus eos omnes, qui principia non solum theoretica et practica verum etiam ascetica et mystica scientifice exposuerunt, imo et qui ea populo explicarunt in concionibus. Ante omnia autem suus cuique theologo locus est tribuendus, siquidem non sunt omnes ejusdem dignitatis. Nam, præter eos qui canonizati fuerunt vel etiam Doctores Ecclesiæ declarati, alii sunt qui a communi ordine secerni debent, utpote omnino *probati*, *omni exceptione majores*, *classici*. Et quidem *probati* vel *probabiles* dicuntur, quatenus eorum doctrina, prudentia, fides passim agnoscuntur. — Dicuntur *omni exceptione majores*, quatenus nihil contra ipsos excipi potest : nec temeritas in adoptandis principiis, nec levitas in argumentando, nec negligentia in ponderandis doctrinarum momentis, nec imprudentia in solvendis casibus particularibus. — Tandem *classici* dicuntur, quatenus in documentis publicis allegantur, in tribunalibus citantur, in scholis explicantur, vel etiam duces scholarum sunt et cathedras habent e quibus ipsorum sententiæ docentur (3) : hi autem postremi antonomastice *Doctores* vocantur, et quidem cum honorabili scientiæ qualificatione : v. g. Doctor irrefragabilis (Alensis), Doctor solemnis (Henricus Gandavensis), Doctor eximius (Suarez) etc.

quinam dicantur probabiles,

omni exceptione majores.

classici.

Spectantur singulariter, collegialiter, collective.

Spectantur theologi vel *singulariter* quando sermo est de uniuscujusque sententia — vel *collegialiter*, quando sermo est de actu doctrinali alicujus facultatis canonice constitutæ (4), — vel magis *collective*, quando sermo est de traditionali sententia alicujus scholæ, puta Thomisticæ vel Scotisticæ.

Quomodo referendi.

Referri debent theologi secundum ordinem chronologicum,

1. *Jugement des SS. Pères sur la morale de la philosophie païenne*, in-4.

2. *Apologie de la morale des Pères de l'Eglise*, adversus opus Joan. Barbeyrac : *Traité de la morale des Pères de l'Eglise.*

3. S. Thomas, Scotus, Durandus, alii, duces sunt scholarum quæ thomistica, scotistica etc. vocantur. In antiquis autem universitatibus erant speciales cathedræ S. Thomæ, Scoti, Durandi, etc.

4. Cfr. Duplessis D'Argentré, *Collectio judiciorum de novis erroribus*, 3 vol. in-fol.

et, quantum fieri potest, ratione habita regionum, ordinum religiosorum, etc. ; inde enim clarius apparet doctrinæ evolutio, ejus unitas vel diversitas. Quibus præmissis :

78. *Auctoritas theologorum quando sunt unanimes;*

Si theologi sint *unanimes* in affirmando *principio* morali tamquam christiano, evangelico, ipsorum auctoritas ineluctabilis est, eique resistere hæreticum esset, vel hæresi proximum; item si unanimes sint in affirmanda *conclusione* vel in inculcanda regula agendi rationali, ipsorum auctoritas est etiam irrefragabilis, eique resistere esset saltem temerarium ; si tandem unanimes sint in principii *applicatione,* quæ vel factum vel notionem scientificam supponat, gravissima quidem est ipsorum auctoritas, non tamen irrefragabilis (1).

quando communiter aliquid docent;

Quando theologi, licet non unanimiter tamen vere *communiter,* aliquid docent, tam gravis est eorum auctoritas, ut generatim non liceat sine temeritate ab eis recedere. Quanti enim hujusmodi communem consensum Ecclesia faciat, patet pluribus documentis (2). Adverti autem debet, etiam in hoc casu graviorem esse auctoritatem quando affirmatur principium, quam quando deducitur conclusio aut fit applicatio doctrinæ ; item graviorem esse, quando affirmatur aliquid licere, quam quando affirmatur non licere (3). Cæterum diximus *vere communiter :* quia sæpe asseritur consensus ubi consensus minime est, vel est solum in aliqua regione, in aliqua schola ; præterea quia vox *communiter* sæpe usurpatur in sensu improprio, ita ut sententia *communis* eadem sit ac sententia *plurium,* et duæ oppositæ sententiæ dicantur simul communes, una communior, altera minus communis, etc. Diximus etiam *generatim :* quia si forte occurrat ratio gravis, a nemine hucusque observata, poterit a viro docto aliquid proponi contra sententiam communem.

Parum refert utrum unanimis vel saltem communis consensus fuerit *perpetuus,* an vero controversiis successerit, dummodo vere constans et firmus jam dici queat. Idcirco reprehendendi non sunt illi, qui proximioris tantum ætatis scriptores allegant,

1. Canus, lib. VIII ; Franzelin, th. XVII. — 2. *Clem. unic. de SS. Trin.* et ex *c. Cum Martha, de celebr. Miss.* — 3. Cfr. Zacc., *cit. diss.*, p. II, c. 5, can. 1.

antiquioribus prætermissis vel vix indicatis. Attamen melius scientificis exigentiis consulitur quando sufficientibus testimoniis ostenditur qualiter, per diversa tempora, inde ab ævo apostolico se habuerit principiorum moralium intellectus et applicatio : inde enim apparet historica doctrinæ evolutio, simulque plenior acquiritur veritatum cognitio, et actualis praxis securior evadit (1).

quando dissentiunt.

Ubi theologi vere dissentiunt, eorum auctoritas nonnisi probabilis est ; eo autem gravior judicanda erit, quo singuli sint præstantiores, quo numerus eorum major, quo plurium sint regionum, academiarum, ordinum ; addere liceat, quo liberius scripserint : ubi enim vel lege instituti vel juramento præscripto obligatio existit determinatam doctrinam defendendi, multum quidem deferendum erit instituto vel academiæ ita præcipienti, minus autem privatis ex præcepto scribentibus. Præterea antiquioribus præferendi sunt illi, qui post agitatas controversias materiam expenderunt, nisi tamen controversiæ ipsæ præjudicia attulerint, mentes excæcaverint, voluntates perturbaverint. Tandem, cæteris paribus, magis audiendi sunt illi, qui de re aliqua in specie egerunt eamque sub omni respectu considerarunt, quam illi, qui, universæ materiæ intenti, singulas ejus partes penetrare non potuerunt.

Nullius auctoritas irrefragibilis.

Nullius scholæ, nullius academiæ, nullius privati theologi auctoritas est irrefragabilis. Illis enim applicari potest dictum S. Augustini : « Alios (scriptores, præter inspiratos) ita lego ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione, quod a vero non abhorreant persuadere potuerunt (2).

79. *S. Thomas.*

S. Thomæ auctoritatem longe eminentem proclamarunt Pontifices (3), theologi vindicarunt (4). Quanti etiam facienda

1. Exemplum prostat in diss. nostra de quæstione utrum maritus possit vota uxoris directe irritare ; cfr. *Rev. des sciences eccl.*, XXXIII, 472. — 2. Ep. XIX, 3. — 3. Leonis XIII, Encycl. *Æterni Patris.* — 4. Cfr. Gravina, *Cherubim Paradisi S. Thomas Aq. characteribus divinæ sapientiæ illustratus ;* Joannes a S. Thoma, *Speculum sine macula, i. e., tractatus de approbatione, auctoritate et puritate doctrinæ d. Thomæ Aq. ;* Salmanticenses, *Procem. ad curs. theol. schol. ;* Piccinardi, *De approbatione doctrinæ S. Thomæ,* lib. 7 ; Kleutgen, *Theol. der vorz.*, III, pag. 113.

sit doctrina S. Bonaventuræ patet ex bina constitutione Sixti V (1); de S. Francisco Salesio legi potest decretum Pii IX (2). Nos, quia theologiæ moralis loca exponimus, quædam in specie de S. Alphonsi auctoritate dicemus.

Appendix.

De auctoritate S. Alphonsi in theologia morali.

S. Alphonsi auctoritas:

Prætermissis epistolis gratulatoriis quas, dum viveret, a SS. PP. Benedicto XIV, Clemente XIII, Clemente XIV, Pio VI vir sanctus accepit, documenta S. Sedis ejus doctrinam spectantia ad quadruplicem classem revocari possunt.

80. *ex decreto S. R. C.: nihil censura dignum;*

Primo loco venit decretum S. R. C., 18 Maii 1803, super revisione et approbatione operum ven. Alphonsi in ordine ad ejus beatificationem: « Facta plena relatione, cum nihil in eis censura dignum repertum fuerit, rescribendum censuit procedi posse ad ulteriora. »

Itaque hac formula directe exprimitur nihil esse in operibus servi Dei, quod ejus beatificationi obstet. Ea autem respondetur quæstioni, utrum ejus scripta « contineant errores contra fidem vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam, vel peregrinam, atque a communi sensu Ecclesiæ, et consuetudine alienam; » seu « an sanam ubique et Ecclesiæ Romanæ conformem doctrinam tradiderit (3). » Ergo « nihil censura dignum » idem est ac (negative): « nihil contra fidem et bonos mores, nulla doctrina nova, peregrina, aliena a communi sensu Ecclesiæ, et consuetudine », (positive): « Omnia sana sunt et doctrinæ Ecclesiæ conformia. »

Atqui doctrina *sana, conformis doctrinæ Ecclesiæ,* non eo ipso est doctrina *probabilis, fundata,* et multo minus doctrina *vera:* patet tum ex obvia vocum significatione, tum luculenter ex facto quod omnium Beatorum doctrina sana declaretur, quamvis alii alios in gravibus etiam quæstionibus oppugnaverint (4). Id multum confirmatur ex lege præscripta revisoribus: debent

1. *Superna cœlestis patria*, et *Triumphantis Jerusalem.* — 2. *Acta S. Sedis*, X, 362. — 3. Cfr. Dec. Urbani VIII; et Ben. XIV, *De beat. et can.*, lib. II, c. 25 et seq. — 4. Cfr. *Rev. des sciences eccl.*, XXXIX, 223; *Acta S. Sedis*, I, 497.

enim revisores « benignitatem, quantum fieri potest, severitati adjungere... Debent quoque de alienis sententiis judicium non ex sua vel suorum ferre, sed agnoscere libenter probabilitatem doctrinæ a qua alioquin abhorrent (1). »

Deinde immunitas a censura declaratur non pro tempore, quo decretum editur, et multo minus pro tempore subsequente, sed solum pro tempore, quo scripsit servus Dei (2).

Præterea quando agitur de lege Dei immunitas a censura declaratur absolute, quin attendatur bona fides scriptoris; nam si quis inculpabiliter errasset circa doctrinam suo tempore sufficienter ab Ecclesia propositam, procedi non posset ad ejus beatificationem, nisi ante mortem retractationem edidisset (3).

At quando agitur de lege ecclesiastica, seu de re mere disciplinari, bona fides attenditur, ita ut, non obstante errore, immunitas a censura declarari possit. Id evidentissime probatur ex ipsa causa S. Alphonsi. Etenim decreto S. Officii 4 Feb. 1661, quod confirmaverat Benedictus XIV, const. *Sacram. pœn.*, constabat, confessarium sollicitatum, si consentiat, « denuntiandum esse, et opinionem negativam non esse probabilem. » Nihilominus S. Alphonso visum est probabilius ad denuntiationem pœnitentem non obligari (4). Rursus gravissime statuerat Benedictus XIII, const. *Custodes,* ann. 1725, episcopum regularem ad observantiam regulæ suæ teneri; Benedictus vero XIV declaraverat, post prædictam const. absonum esse de hoc dubitare (5); et tamen S. Alphonsus docuit probabilius esse quod episcopi regulares « sub nulla culpa sint ad regulam obligati, sed solum ex honestatis debito, quod autem debitum ne sub levi quidem obligat (6). »

Liceat igitur concludere, cum Benedicto XIV, « numquam posse dici a Sancta Sede approbatam servi Dei doctrinam, sed ad summum dici posse non reprobatam, si revisores retulerunt, nihil in ejus operibus reperiri, quod adversetur decretis Urbani VIII, et judicium revisorum fuit a Sacra Congregatione approbatum, et a Summo Pontifice confirmatum; prædictamque idcirco doctrinam debita cum reverentia posse

1. Ben. XIV, l. c., c. 28, n. 9. — 2. Cfr. Benedictus XIV, *De beat. et can.*, lib. II, cc. 29, 30, 31. — 3. Cfr. Ben. XIV, l. c., c. 33. — 4. Lib. VI, n. 681 et 687, quær. 8. — 5. *De beat. et can.*, lib. III, c. 35, n. 11. — 6. Lib. V, n. 3.

citra ullam temeritatis notam impugnari, si modesta impugnatio bonis rationibus innixa sit, etiam postquam Dei servus, qui scripsit, inter Beatos aut Sanctos fuerit relatus. Celebris est responsio Nicolai Monachi, in epistola ad Petrum Cellensem, quæ est 9, lib. 9, inter epistolas Petri Cellensis: *Sanctus ille Bernardus, quem dicis me debita exuere veneratione,... quondam Sanctorum catalogo adscriptus, nuper est in Ecclesia canonizatus, et ab humano judicio exemptus: exemptus, inquam, est, ne de gloria ejus dubitemus, sed non ut minus de ejus dictis disputemus* (1). »

81. *ex decreto S. Pœnitentiariæ: Professor theologiæ et Confessarius sententias S. Alphonsi sequi possunt;*

Secundo loco venit responsio S. Pœnitentiariæ, 5 Julii 1831, ad Arch. Vesuntionensem. Cum nonnulli e sua diœcesi auderent impugnare theologiam S. Alphonsi tanquam laxam nimis, periculosam saluti, et sanæ morali contrariam, petiit prædictus Arch.: « I. Utrum S. theologiæ professor opiniones, quas in sua theologia morali profitetur beatus Alphonsus a Ligorio, sequi tuto possit ac profiteri? II. An sit inquietandus confessarius, qui omnes beati Alphonsi a Ligorio sequitur opiniones in praxi sacri Pœnitentiæ tribunalis, hac sola ratione quod a sancta Sede Apostolica nihil in operibus illius censura dignum repertum fuerit? Confessarius, de quo in dubio, non legit opera beati Doctoris nisi ad cognoscendum accurate ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesve, quibus variæ nituntur opiniones; sed existimat se tuto agere eo ipso quod doctrinam, quæ nihil censura dignum continet, prudenter judicare queat sanam esse, tutam, nec ullatenus sanctitati evangelicæ contrarium. » — S. Pœnitentiaria respondendum censuit: « Ad primum quæsitum: Affirmative, quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur. Ad secundum quæsitum: Negative, habita ratione mentis sanctæ Sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonizationis. »

Jam luce merediana clarius apparet, hanc responsionem non esse nisi consequentiam et applicationem præcedentis decreti. Apparet, inquam, imprimis ex ipsis verbis petitionis, ejusque circumstantiis: significatur enim, theologiam S. Alphonsi a nonnulis censura affici. — Apparet deinde ex duplici expli-

1. L. c., c. 34, n. 12.

catione restrictiva a S. Pœnitentiaria suæ decisioni adjecta : monet enim ita licitum esse sequi sententias S. Alphonsi, ut etiam liceat aliorum oppositas sententias amplecti ; præterea monet rationem habendam esse mentis S. Sedis in approbatione scriptorum servorum Dei. — Apparet tandem ex natura rei ; quivis enim tuto agit si propriam sibi doctrinam faciat, quam vir doctus et prudens, maxime vero si recens sit et sanctitate præfulgeat, docuit.

Hinc eadem responsio non est absolute intelligenda ; nam in ea supponuntur debitæ exceptiones ; sane, anno 1831, non licebat, vi hujus responsionis, tradere et sequi S. Alphonsi sententias de confessario sollicitato, de episcopo regulari ; similiter hodie non liceret, vi ejusdem responsionis, tradere et sequi quorumdam sententiam a S. Alphonso admissam de matrimoniis mixtis probabiliter permissis sine dispensatione pontificia (1).

82. *ex congregationum responsis : Consulat S. Alphonsum ;*

Tertio loco veniunt variæ S. Officii, S. Pœnitentiariæ vel S. C. Concilii responsiones : « Consulat probatos auctores, inter quos S. Alphonsum Mariam de Ligorio, lib. 7, c. 1, dub. 5, de censuris, n. 84 ad 92 (2). » — « Consulat theologos, præsertim S. Alphonsum de Ligorio, lib. 6, n. 321, et Benedictum XIV, eorumque sententiis se conformet (3). » — « Parochus Ordinarium consulat, qui habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis, quæ a probatis auctoribus et præsertim a S. Alphonso, lib. 6, n. 54, traduntur, ea declaret quæ magis expedire in Domino judicaverit (4). »

Ex his aliisque hujusmodi : *a*/ constat S. Alphonsum esse auctorem probatum, cujus auctoritas in tribunalibus recepta est ; — *b*/ constat etiam *particularem* doctrinam, ad quam in casu remittitur, haberi saltem ut probabilem et fundatam ;

1. Lib. VI, 56 ; cfr. Breve Gregorii XVI ad Arch. Friburgen ; Pii IX, Instructio, anni 1858, ad omnes episcopos. — 2. S. Officium, 18 Jul. 1860. — 3. S. C. Conc. 29 Aug. 1860. — 4. S. Pœnitentiara, 10 dec. 1860. Ad præsentem materiam non spectat responsio ann. 1855, qua significatur, licitum esse sequi S. Alphonsi doctrinam etiam illi qui juramentum emisit defendendi *probabiliorismum :* hæc enim responsio aliis principiis innititur. Æquivocatione autem nimium abutuntur, qui inde concludunt omnes S. Alphonsi sententias censeri posse *probabiliores* oppositis.

— *cf* verum non constat alias S. Alphonsi opiniones æque simul confirmari : et sane sicut Sacræ Congregationes quandoque remiserunt interrogantes ad opera S. Alphonsi, ita quandoque decisionibus suis sententias S. Doctoris graviter vulnerarunt ; v. g. jamdiu praxis S. C. Concilii parum favere videtur doctrinæ S. Alphonsi de validitate sponsalium sub conditione, si Papa dispensaverit (1) ; Pœnitentiariæ autem praxis recentior opposita est doctrinæ S. Alphonsi de excommunicatione confessarii qui complicem audit sed non absolvit (2) ; item doctrinæ ejus de obligatione adeundi Pontificem per epistolam, ut absolutio a reservatis obtineatur (3).

83. *ex actis beatificationis et doctoratus.*

Quarto loco veniunt Pontificum præconia. Summam Alphonsi sapientiam demiratus est Pius VII, quia « voce et scriptis in media sæculi nocte errantibus viam justitiæ ostendit, per quam possent de potestate tenebrarum transire in Dei lumen et regnum (4). Solemniter declaravit Gregorius XVI, in libris S. Alphonsi « inusitatam vim, copiam varietatemque doctrinæ, singularia ecclesiasticæ sollicitudinis documenta, exquisitum religionis studium » elucere (5). Pius IX pluries gratulatus est iis, qui omnes curas ponebant » ut salutares sanctissimi ac doctissimi viri doctrinas magis magisque propagarent, iisque ecclesiasticæ præsertim juventutis animos imbuerent (6) ». His omnibus culmen adjecit idem Pius IX, quando, instantibus fere universis episcopis, titulum Doctoris Ecclesiæ in honorem S. Alphonsi confirmavit, quatenus « ipse errorum tenebras ab incredulis et Jansenianis late diffusas, doctis operibus, maximeque theologiæ moralis tractationibus, distulit atque dimovit. Obscura quoque dilucidavit, dubiaque declaravit, cum inter implexas theologorum sive laxiores sive rigidiores sententias, tutam straverit viam, per quam Christi fidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent (7). »

1. Lib. VI, n. 859 ; cfr. *Acta S. Sedis*, tom. I, pag. 121. — 2. Cfr. Lib. VI, n. 556, quær. 1 ; Pœn. responsum, 1 Mart. 1878 ; S. Officii responsum, 10 dec. 1883. — 3. Cfr. Lib. VII, n. 89 ; dec. S. Officii 23 Jun. 1886 ; *Nouv. rev. théol.*, XVII, 211 ; XVIII, 877. — 4. Decr. 12 cal. jan. 1815. — 5. Bulla can., 26 maii, 1839. — 6. Epist. ad R. D. Scavini, ad R. P. Hugues, etc. — 7. Decr. et Litt. Apost. de S. Alphonso Ecclesiæ doctore.

84. In his habetur quidem : *a*/ doctrinam S. Alphonsi in suo complexu spectatam eminentem esse, maxime quoad partem moralem ; — *b*/ ex ea doctrina salutares effectus profluxisse — *c*/ pro singulis sententiis adesse præsumptionem veritatis, quæ tamen præsumptio quandoque fallere potest ; — *d*/ at non habetur, doctrinam S. Alphonsi esse eminentem in omnibus suis articulis, eam æqualem esse doctrinæ cujuscumque Doctoris Ecclesiæ, aut eminentiorem doctrina aliorum scriptorum non canonizatorum (1).

85. Et hæc sincere proponenda videbantur, solo nempe veritatis studio. Tanta enim est S. Alphonsi auctoritas, ut necesse non sit eam gratuita laude augere. Nobis autem justos laudis limites excedere videntur qui, ex allatis documentis, deducunt S. Alphonsum esse inter moralistas maximum, eum cæterorum loco esse posse, quum octingentos legerit, discusserit, etc.; tanti valere in morali S. Alphonsum quanti valet in dogmatica S. Thomas, (quasi Angelicus in utraque scientia æque non emineret) ; item qui concludunt ex allegatis approbationibus, omnes sententias S. Alphonsi esse omnino fundatas, eminentes, probabiles, communes; vix possibile esse ut aliqua S. Alphonsi opinio aliter amittat suam probabilitatem quam per S. Sedis judicium, etc.

§ II.

De scriptis Jurisperitorum.

86. *Jurisperitorum usus.* Nomine Jurisperitorum ii veniunt qui populi christiani observantias, leges, jura, disciplinam exponunt ac interpretantur. De eorum auctoritate, de usu operum ab ipsis editorum, et de cautelis in eorum lectione adhibendis, cum proportione valent quæ de Theologis habita mox fuerunt (2). Nonnulla tamen specialiter observanda veniunt cum Cano (3).

87. *in rebus dogmaticis.* « In his quæ ad fidem pertinent, jurisconsultorum auctoritate theologus non eget ; quin potius eorum titulorum

1. Cfr. *Acta S. Sedis*, tom. VI, pag. 289. — 2. Cfr. Canus, *De locis*, lib. VIII, c. 7 ; Zaccaria, diss. app. I ; Gautier, *Prodromus*, diss. III, c. 2, a. 7 ; Berthier, *De locis theol.*, p. I, pag. 406. — 3. Op. cit., lib. VIII, c. 7.

expositionem, qui de fide decernunt, legisperitus a Theologo mutuari debet. »

88. *in præceptis.* « In his etiam quæ ad mores pertinent, quatenus vel lex evangelica, vel ratio philosophiæ de hujusmodi præscribit, Jurisconsultorum auctoritas, parum aut certe nihil theologo conferre potest. Quin rectam et sanam earum rerum cognitionem jurisperiti a theologis mutuam accepturi sunt... Si quæ dogmata de moribus jus pontificum vel ex evangelio vel ex philosophia colligit, ea sane tanquam a propriis principiis accepta theologus agnoscet, rectiusque et intelliget, et interpretabitur. Qua ex re facilis conjectura est, jurisperitos quosdam in summo errore et magna veritatis ignoratione versari, cum asserunt in materia usurarum, simoniæ et aliis hujusmodi, in quibus de peccato mortali agitur, ad jurisperitos potius quam ad theologos recurrendum. »

89. *in rebus disciplinaribus.* « Ubi de moribus Ecclesiæ et de religiosis institutis per leges tantum pontificias decernitur, in illo etiam postremo ubi pœnæ juris præfiniuntur, jurisperitorum omnium communis concorsque sententia, Theologo magnam fidem facere debet, si quando incidat quæstio circa res hujusmodi. Ut si exempli causa veniat in dubium an hic aut ille homo sit vel irregularis vel excommunicatus etc.

90. *Specialis auctoritas.* « Deinde in ejusmodi canonum interpretatione Ecclesiæ judices et administri concordem omnium jurisconsultorum sententiam amplectuntur. Qui enim in actionibus vel judiciis ecclesiasticis suo sensu et non communi jurisperitorum omnium duceretur, sine dubio suo illum judicio Ecclesia coerceret. Ita Ecclesia usum judicum approbando, eorum quoque videtur intelligentiam approbare, quos hi in Ecclesiæ administratione sequuntur. Nec alienum est a vera conjectura, Christum juris peritis quodammodo etiam adesse in legum ecclesiasticarum vera interpretatione. Cum enim sacri canones, instigante Spiritu sancto, ad Ecclesiæ sint utilitatem editi, consentaneum est ut Ecclesia, cui canones illi sunt necessarii, quo in religione et moribus ecclesiasticis contineatur, interpretes a Deo sanos acceperit earum legum et institutorum quibus est administranda. »

§ III.

De scriptis liturgistarum.

91. *Liturgistæ.*

Liturgistas vocamus non auctores librorum liturgicorum, sed scriptores de rebus liturgicis, qui nempe preces, ritus, cæremonias exponunt et interpretantur. Jam vero sicut legem credendi lex statuit supplicandi, et consequenter ex libris liturgicis multa peti possunt argumenta ad catholica dogmata et præcepta demonstranda, sic illi qui liturgias exponunt plura exhibent quæ theologiæ dogmaticæ, morali, asceticæ prosunt. De liturgistis autem valent, quæ supra de theologis et jurisperitis dicuntur (1).

ARTICULUS TERTIUS.

De usu magisterii authentici in theologia morali.

92. *Magisterium authenticum distinctum a magisterio doctrinali.*

Ecclesia a divino suo Fundatore constituta est magistra veritatis revelatæ. Magisterium Ecclesiæ authenticum seu auctoritativum, quod exercetur per ipsos Ecclesiæ pastores, distinguitur a magisterio doctrinali, quod exercetur per privatos scriptores, Patres, theologos, jurisperitos, liturgistas de quibus dictum est supra. Est autem magisterium authenticum vel *ordinarium*, ab ipso Christo institutum, vel *delegatum*, per Ecclesiam communicatum. Præterea magisterium authenticum ordinarium est vel adæquatum, tota scilicet Ecclesiæ auctoritate exercitum, vel inadæquatum, exercitum partiali auctoritate.

§ I.

De actis magisterii authentici ordinarii adæquati.

93. *Magisterium ordinarium adæquatum.*

Magisterium authenticum ordinarium adæquatum exercetur ubi vel summus Pontifex vel Concilium generale asserit et docet, quia scilicet caput Ecclesiæ considerari potest vel separatim vel una cum membris aliis, quibus præstat ordine, perfectione, influentia.

1. Cfr. Zaccaria, *Bibl. Rit.*, tom. I, diss. 2, *De usu librorum lithurgicorum in rebus theol.*; Bouix, De jure liturgico; Guéranger, *Inst. liturgiques.*

I. — *De actis summorum Pontificum.*

94. *Definitiones ex cathedra.*

In capite actorum veniunt ea quibus Pontifex utitur sua docendi plena auctoritate, seu loquitur ut pontifex ex sua *cathedra*. Hujusmodi acta sunt *infallibilia*, irreformabilia, dicuntur autem definitiones dogmaticæ.

Talia acta distinguuntur sequentibus signis :

Definitionum signa distinctiva:

a/ Materiæ circa quas versantur, debent pertinere ad revelationem ; sed quæstio est utrum debeant esse explicite vel saltem implicite revelatæ, an vero sufficiat si sint cum revelatis intime et necessario connexæ, cujusmodi sunt educatio juventutis christianæ, institutio vitæ religiosæ, ordinatio familiæ, civitatis constitutio, quatenus hæc ad hominum salutem relationem habent (1).

materia revelata;

de fide et moribus;

b/ Juxta formulam a Concilio Tridentino et a Conc. Vaticano usurpatam, debent esse *de rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium*. Qua in formula rebus fidei et morum non opponuntur res historicæ ut tales, sed opponuntur res quæ non sunt religiosæ, quæ non versantur circa Deum, nostramque ad Deum relationem ; hæ enim non pertinent ad materiam ex qua ædificium christianæ doctrinæ exstruitur (2).

intentio;

c/ Debet Pontifex intentionem habere utendi plenitudine suæ potestatis, seu rem de fide et moribus definiendi.

intentionis manifestatio;

d/ Debet etiam suam definiendi intentionem manifestare Ecclesiæ ; licet autem possint Pontifices intentionem manifestare quacumque forma actus, tamen jamdiu usu receptum est ut non definiant nisi solemniori forma *bullarum* seu *constitutionum ;* hinc si agatur de documento formæ minus solemnis, magna præsumptio est in eo non reperiri locutionem ex cathedra. Nec facile admitti potest pontificem in re tanti momenti velle modum agendi mutare, cum periculo creandi in populo christiano dubitationes et controversias.

definitionis objectum;

e/ Tandem debet Pontifex objectum definitionis clare et accurate indicare. Hinc cum veritate definita confundi nequeunt considerationes præambulæ et ratiocinationes præviæ, quæ

1. Cfr. Franzelin, *De trad. et script.*, thes. XII, Schol. I. — 2. Cfr. Granderath, *Const. dogmaticæ conc. Vat. explicatæ et illustratæ, De fide,* comm. III, pag. 54 et seqq. ; *De Eccl.*, comm. IX, pag. 191.

tamen magnifaciendæ sunt. Infallibilitas enim non tam nititur valori argumentorum quam Spiritus Sancti assistentiæ (1).

f/ Rei definitæ sensus explicari debet juxta legitimum vocum et formularum valorem, ad quem attendendum est præsertim ubi de censuris doctrinalibus agitur. Ita sententia aliqua non est intelligenda vera, certa, imo nec probabilis eo quod dicatur sana et tuta. Item ex veritate definita nonnisi cautissime et secundum omnes logicæ regulas deducendæ sunt conclusiones; ut autem in hujusmodi conclusionibus, recte procedatur, attendendum est ad formam enuntiationum, ad ea quæ forte in iis supponuntur, etc. (2). *definitionum interpretatio.*

95. Summi Pontifices, in rebus fidei et morum, suavius procedendo aliquando doctrinam efficaciter quidem inculcant, quin tamen ad definitivan sententiam deveniant. Doctrinæ autem propositio qua citra definitionem, securitati fidei et morum providetur, infallibilis non est, exigit tamen assensum internum et religiosum (3). Licet in eo casu Pontifex non loquatur ex *plenitudine auctoritatis,* loquitur tamen ex auctoritate, adeoque audiendus est, nec cum doctoribus privatis ullatenus comparari potest. Ita Pius IX : « Silentio præterire non possumus eorum audaciam qui sanam non sustinentes doctrinam, contendunt iis Apostolicæ Sedis judiciis et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiæ ejusdemque jura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum ac obedientiam detractari absque peccato et absque ulla catholicæ professionis jactura (4). »

96. Mitiori etiam ratione, licet cum propria auctoritate, proceditur in iis documentis ad universos Ecclesiæ prælatos directis, in quibus Pontifices gravia doctrinæ capita in memoriam revocant, et jubent ut in ea insistatur ab Episcopis. Ita agere solent in epistolis encyclicis.

1. Cfr. Scheeben, op. cit., n. 465 ; Jungman, *Hist. eccl.*, diss. XIII, n. 36 et seq. — 2. Cfr. Bouquillon, *De virt. theol.*, n. 247 et seqq. Omni attentione digna sunt quæ habet S. Alphonsus, lib. III, n. 760, ubi carpit eos qui reprobant cunctas opiniones, quæ aliquam similitudinem habent cum propositionibus damnatis, inepte putantes eos ita generaliter proscribi ut nullam patiantur exceptionem. — 3. Cfr. Pius IX, Epist. *Tuas libenter*, ad Arch. Monachien, 21 dec. 1863. — 4. Encycl. *Quanta cura.*

97. Præterea eadem mitiori ratione procedunt Pontifices in documentis ad aliquam particularem Ecclesiam vel ad principem directis. Ubi sedulo retinendum est, aliud esse Pontificem docere *ex cathedra,* et aliud docere *ut Pontificem.* Multa enim ut Pontifex docet, quæ tamen non docet *ex cathedra.* Unum enim multo latius extenditur quam alterum. Hinc inepte nonnulli nihil medium videntur agnoscere, inter actum *ex cathedra,* cui assensus fidei respondere debet, et actum doctoris privati, quo libertas minime restringitur.

98. *Jussio vel prohibitio aliquid docendi.* A doctrinæ propositione distingui debet *præceptum* aliquam doctrinam *tradendi*, vel *prohibitio* ne aliqua doctrina *tradatur :* tali enim jussione vel prohibitione immediate non attingitur nisi actio externa, licet mediate gravissima exinde oriatur præsumptio in favorem vel in præjudicium prædictæ doctrinæ (1).

Librorum proscriptio, Similiter a doctrinæ propositione distingui debet libri *proscriptio,* vel *commendatio,* vel *communicatio* officialis. Etenim ex libri proscriptione, sequitur eum in aliquo peccare sive quoad rem, sive quoad rei expressionem, aut saltem contra Ecclesiæ legem editum esse ; sed per se, et nisi aliud exprimatur, nihil deduci potest relate ad hanc vel illam particularem assertionem in eo contentam (2). — Item ex libri a privato scripti speciali *commendatio,* commendatione, sequitur quidem eum generatim habendum ut excellentem, at non sequitur omnes et singulas ejus partes positive approbatas esse : de hac commendatione plura dicuntur, ubi de sanctis Patribus et theologis sermo est. — *communicatio.* Imo ex libri communicatione in usum publicum, sequitur eum esse auctoritatis privata longe majoris, verum non sequitur omnes et singulas ejus doctrinas, etiam eas quæ minoris momenti sunt, authentice imponi. Et hæc est auctoritas prorsus eminens et singularis *Catechismi ad Parochos :* compositus enim a selectis theologis jussu concilii Tridentini, a S. Pio V post iteratam revisionem editus, pontificia auctoritate Pastoribus propositus est « veluti catholicæ fidei et christianæ disciplinæ tradendæ norma » ; ab universali autem

1. Cfr. Scheeben, *op. cit.*, I, n. 409. — 2. Exemplum indebitæ conclusionis habes in opusc. nostro : *De l'ignorance invincible des conclusions éloignées de la loi naturelle,* § 3, n. 1, pag. 27.

Ecclesia, in conciliis provincialibus et synodis diœcesanis, commendatus est parochis, confessariis, concionatoribus, ut illum assidue præ manibus versantes, munere suo rite fungi, omniaque secundum sanam et catholicam doctrinam docere valeant (1). Cum igitur ab hoc libro fides populi christiani quasi pendeat, fieri nequit ut in eo errores alicujus momenti reperiantur.

99. *Leges disciplinares.*

Summi Pontificis *leges* constituunt regulas operationum, quousque non fuerint abrogatæ aut mutatæ. Præbent etiam adjumenta ad legem divinam securius interpretandam, quum fieri non possit ut a Pontifice universæ Ecclesiæ jubeatur illud quod malum est, vel prohibeatur illud quod voluntate divina præceptum est (2). Ex Pontificis autem *judiciis,* aliisque *gubernationis* actibus, juris divini et ecclesiastici sensus et recta applicatio a prudentibus colligetur, præsertim si rerum circumstantiæ perspectæ fuerint. Quum tamen etiam Pontifici probabilitatem sequi liceat, cavere debemus ne nimis absolute a facto ad jus concludatur : exemplum adest luculentum in celebri quæstione, utrum summus Pontifex dissolvere possit matrimonium ratum non consummatum : quamvis enim notum sit Pontifices a longo tempore tale matrimonium solitos dissolvere, nondum tamen fide certum est eos revera tali potestate gaudere (3).

100. *Liturgia.*

Regulæ sacrorum officiorum a Pontificibus præscriptæ vel admissæ, etiam gravissimæ sunt auctoritatis, et frequentis usus in theologia, v. g. quoad sacramentorum administratio-

1. Cfr. Reginaldi *Apparatus ;* Mœhler, *Symbolique*, intr. — 2. Docet Suarez, *De leg.*, lib. IV, c. 6, n. 22 : « Leges canonicas obligantes totam Ecclesiam proficisci debere a potestate quæ in rebus ad mores pertinentibus errare non potest. Hæc autem potestas pendet ab speciali directione Spiritus sancti Pontifici promissa. » Hinc judicium feratur de via qua recentiores nonnulli se expediunt a gravissimis documentis Conciliorum et Pontificum ; observant scilicet illis documentis non haberi definitiones ex cathedra sensu concilii Vaticani ; unde concludunt, veterem Scholam Ultramontanam, quæ iis insistebat, penitus deceptam fuisse, ac Suarezii, ac Bellarmini theoriam omnino læsam fuisse vaticana definitione. Cfr. Justice, *A propos de l'infaillibilité du Pape.* — 3. Cfr. Perrone. *De matr. Christ.*, lib. 3, s. 2, c. 6, a. 4. Hinc cum aliquo moderamine accipiendum est quorumdam axioma : « de Pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare, instar sacrilegii esse. »

nem (1) ; huc etiam pertinet constitutio antiquæ disciplinæ pœnitentialis (2). Cæterum isti materiæ, proportione servata, applicari debent quæ modo de pontificiis *legibus* generatim dicta sunt.

101. *Collectiones documentorum.*

Acta summorum Pontificum quavis ætate sedulo collecta fuerunt in usum ecclesiasticum. Præcipuæ collectiones antiquæ sunt : collectio Dionysii Exigui (3), Avellana (4), codex Carolinus (5), collectio hispanica S. Isidori (6) ; quibus jungi possunt canonum collectio Reginonis (7) et Burchardi (8), collectio Anselmo dicata (9), collectio Bonizonis (10), Deusdedit (11), Anselmi Lucensis (12), Ivonis (13) ; Decretum Gratiani, compilationes ex Innocentii III et Honorii III decretalibus (14), Gregorii IX decretalium libri, Bonifacii VIII Sextus Decretalium, Clementinæ, Extravagantes, Decretalium liber septimus (15). — Collectiones recentiores sunt : epistolæ SS. Pontificum ab Antonio Carafa (16), et deinde a doctissimo Coustant editæ (17), cum continuatione And. Thiel (18), et aliorum additionibus (19) ; magnum bullarium Romanum, cum specialibus bullariis regionum, ordinum religiosorum (20). — Habentur etiam acta particularia quorumdam Pontificum : v. g. epistolæ S. Leonis (21), S. Gregorii Magni (22), S. Gregorii VII (23), Innocentii III (24), Clementis IV (25), Benedicti XI, Innocentii IV, Bonifacii VIII, Cælestini V, Leonis X (26), Pii IX. — Multa insuper reperiuntur in conci-

1. Cfr. Zaccaria, *Diss. de usu lib. liturg. in rebus theol.* (Bibl. rit. I) ; Rouix, *De jure liturg.* — 2. Cfr. Zaccaria, *Diss. prol.*, p. 2, c 4, app. 2. — 3. Migne, LXVII, 229. — 4. Pitra, *Anal. noviss.*, pag. 43. — 5. Migne, XCVIII, 9-438. — 6. Migne, LXXXIV, 627. — 7. Migne, CXXXII, 186. — 8. Migne, CXL, 549. — 9. Pitra, *An. nov.*, pag. 140. — 10. Maii, *Nov. bibl. vet. pat.* VII ; Pitra, *op. cit.*, p. 137. — 11. Edita a Pio Martinucci, Venetiis 1869. — 12. Pitra, *An. nov.*, p. 141. — 13. Migne, CLXI. — 14. Pitra, *An nov.*, p. 217. — 15. Matth. Lugd. ann. 1590 ; alius est liber septimus Clementis VIII. quem ann. 1870 edidit Sentis. — 16. Opus rarissimum Ant. Carafæ prodiit ann. 1591, 3 vol. in-fol. ; cfr. Pitra, *op. cit.*, pag. 8. — 17. *Epist. Rom. Pont.*, tom. I ab ann. 67 ad ann. 440. — 18. *Epist. Roman. Pont.*, genuinæ a S. Hilaro usque ab Hormisdam 461-523. — 19. Pflugk-Hartthung, *Acta Pontif. Rom. inedita ;* Loewenfeld : *Epistola Rom. Pontif. ineditæ.* — 20. Præcipua illa bullaria enumerat Pitra, *op. cit.*, pag. 363. — 21. Edit. Ballerini. — 22. Edit Benedict. — 23. Migne, CXLVIII. — 24. Migne, CCXIV, CCXV. — 25. Martène, *Thesaurus*, II, 98-634 ; Ampl. coll. II, 1269. — 26. Regesta Innocentii IV, Benedicti XI, Bonifacii VIII, Cœlestini V, Honorii IV, Leonis X, hodie in Gallia, Germania, Italia eduntur.

liorum collectionibus, in *Annalibus* Waddingi et Mabillonii ; in operibus historicis *Italia sacra, Gallia christiana, Illyricum sacrum, Sardinia sacra,* etc. ; in Theineri *Codice diplomatico dominii temporalis S. Sedis* et in ejusdem *Veteribus monumentis* Poloniæ et Lithuaniæ, Hibernorum et Scotorum, Slavorum meridionalium, etc. — Analysim vero ordine chronologico dispositam dederunt Jaffé (1) et Pothast (2).

II. — *De actis conciliorum generalium.*

102. *Capitula et canones in materia doctrinali;*

Concilii vere œcumenici definitio in materia morum infallibilis est (3). Reperitur autem proprie dicta definitio non solum in conciliorum canonibus, sed etiam in eorum capitulis, cum hac tantum differentia, quod capitula doceant quid catholicus debeat tenere et sequi, canones vero quid debeat vitare et fugere (4). Non repugnat tamen ut etiam in conciliis quædam proponantur potius quam definitiva sententia imponantur. Cæterum sedulo præ oculis habendum, quid præcise concilium intenderit, illudque a connexis distinguendum : v. g. notum est Tridentini mentem fuisse veritatem adversus hæreticos vindicare, non tamen dirimere controversias in scholis catholicis vigentes. Præterea, cum re definita aut proposita confundi nequeunt ejus consectaria etiam legitima.

103. *decreta disciplinaria.*

Leges a concilio œcumenico statutæ sunt regulæ morum quousque non fuerint abrogatæ; et si abrogatæ fuerint, adhuc theologo inserviunt ut sensum Ecclesiæ intelligat (5). Præterea advertendum est, etiam in conciliis quædam proponi non per modum legis sed per modum admonitionis (6).

104. *Conciliorum collectiones generales.*

Quando de Conciliorum generalium decretis agitur, facile occurere possunt quæstiones de eorum genuina lectione, de

1. Regesta Romanorum Pontificum ab condita Ecclesia ad ann. post Chr. 1198 : alteram editionem curant quidam Germaniæ viri docti. — 2. Regesta Pontificum Rom. inde ab anno 1198 usque ad ann. 1304. — 3. Cfr. Scheeben, *op. cit.*, n. 512 seqq. — 4. Patet ex Trid,, sess. VI, procem. ad capita, et procem. ad canones ; rursus sess. XIII, procem. ad cap. et procem. ad can. ; item ex conc. Vat. procem. ad cap. et ex monito finali ; cfr. Scheeben, *op. cit.*, n. 562 ; Granderath, *op. cit.*, pag. 7. — 5. Cfr. quæ superius n. 99 dicta sunt de actis Pontificiis. — 6. Exemplum adest in Trid., sess. XXII, *dec. de observ. et evit. in Missæ celeb.*

recta vocum et formularum interpretatione (1). Idcirco ignorari a theologo nequeunt Conciliorum collectiones, commentaria, historiæ. Generales collectiones præstantiores (2) ediderunt Labbe et Cossart (3), Hardouin (4), Coleti (5) et Mansi (6); optimas conciliorum summas, synopses, etc. composuerunt Barth. Carranza (7), Lud. Bail (8), Cabassutius (9), alii. — Concilia illustrarunt Chr. Lupus(10), Em. Schelstraete(11), Van Espen(12), Catalanus (13). — Historiam vero conciliorum post alios erudite scripsit Ill. Héfélé (14).

§ II.

De actis magisterii authentici ordinarii inadæquati.

105. *Magisterium authenticum inadæquatum.*

Magisterium authenticum inadæquatum exercetur per Episcopos singulatim et per concilia particularia.

I. — *De actis episcoporum.*

106. Episcopi gaudent et ipsi triplici potestate docendi, regendi, sanctificandi ; quæ potestas, licet suprema non sit, sed subordinata, vere tamen publica est et efficax (15).

Et quidem legem Dei authentice docent, ita ut subditis sit obligatio eos audiendi : ex divina enim ordinatione habent tum officium prædicandi veritatem revelatam, tum jus exigendi

1. Zaccaria, *diss. cit.*, p. 2, c. 4, app. 1, § 2 exemplum sumit a c. *Quicumque* § *Inhibemus*, de hæreticis in 6, ubi, contra theologos, *laici* nomine intelligendum putat *illiteratum* ; remittit autem ad Muratorium et Ducange. Verum abstinuisset vir eruditus ab hac reprehensione, si canonem Alexandri IV contulisset cum canone 98 conc. Carth. IV et cum verbis S. Leonis epist. 119 ad Anatolium. Cæterum jamdiu antiqua Glossa adverterat « illa verba forte intelligenda esse *ad modum ultramontanorum*, qui illiteratos laicos vocant. » Cfr. etiam Schmalzgruber, lib. v, tit. 7, n. 64. — 2. De conciliorum collectionibus cfr. Quentin, *Jean Dominique Mansi et les grandes collections conciliaires*. — 3. *Sacrosancta Concilia ad regiam editionem exacta*, 18 vol. in-fol. — 4. *Collectio regia maxima Conciliorum*, 11 vol. in-fol. — 5. *Sacrosancta Concilia*, etc., 23 vol in-fol., quibus supplementum sex vol. adjecit Mansi. — 6. *SS. Conciliorum nova et amplissima collectio*, 31 vol. in-fol. — 7. Carranzæ *Summa omnium conciliorum* sæpius edita. — 8. *Summa omnium conciliorum*, 2 vol. in-fol. — 9. *Notitia ecclesiastica*, etc., 1 vol. in-fol. — 10. *Syn. gen. et prov. statuta et canones cum notis et historicis diss.*, 6 vol. — 11. *Antiquitas illustrata*, etc. — 12. *Commentariis in canones et decreta*. — 13. *Sacros. conc. æcum. commentariis illustrata*, 4 vol. in-fol. — 14. Germanice scripta in gallicum idioma versa est. — 15. Cfr. Benedictus XIV, *de Synodo diœcesana*, ubi plurima reperiuntur ad theologiam moralem spectantia.

fidem doctrinæ a se traditæ (1). Authentica episcoporum doctrina habetur in epistolis aliisve scriptis pro officio ad clerum et populum missis, præsertim vero in *catechismis* ad usum rudium et puerorum communicatis. *Catechismi,*

Ecclesiasticam legem generalem interpretantur, applicant, urgent; particularem etiam condunt. Huc maxime pertinent *statuta* diœcesana. *statuta,*

In liturgia plura olim determinabant: nunc eorum potestas valde restricta est. Interim ad hanc partem spectant variarum ecclesiarum libri *rituales* et *pœnitentiales*. *ritualia,*

Prædicta acta non parvæ utilitatis esse possunt in theologia morali, tum propter episcoporum etiam singulariter sumptorum auctoritatem, tum maxime quia ex iis, scilicet ex catechismis, statutis, ritualibus, pœnitentialibus, sensus christianus seu doctrina Ecclesiæ per orbem dispersæ colligitur.

II. — *De actis conciliorum particularium.*

107. Concilia particularia sunt *nationalia* seu *plenaria, provincialia, diœcesana*. In eorum censum non veniunt Episcoporum coadunationes non canonicæ, quales fuerunt conventus cleri Gallicani (2).

108. *Conciliorum particularium auctoritas varia in materia doctrinali.*

Concilia particularia legem Dei authentice docent; licet autem errare possint et erroris exempla non desint (3), gravissimæ tamen sunt auctoritatis: instituta enim sunt ad res sacras ordinandas; constant iis quibus est divinitus commissum officium custodiendi fidem; specialem habent promissionem assistentiæ Spiritus sancti. Non est tamen omnium æqualis auctoritas: major nempe plenarii auctoritas quam provincialis, multo major provincialis quam diœcesani; nam jamdiu recte monuerunt theologi naturæ rerum convenire ut episcopi de causis fidei agant collective potius quam sigillatim (4). Præterea inter ipsa plenaria et provincialia, alia possunt aliis prævalere: tum propter numerum et præstantiam membrorum,

1. Optima hac de re habent Franzelin, *loc. cit.*, cor. 4; Palmieri, *De Rom. Pont.*, th. XXVIII; Scheeben, *op. cit.*, n. 122. — 2. Hinc canonice nihili faciendæ sunt censuræ multarum propositionum moralium a gallicano conventu ann. 1700 emanatæ. Cfr. Scheeben, *op. cit.*, 572. — 3. Cfr. Zaccaria, *diss. cit.*, p. 2, c. 4. § 2. — 4. Scheeben, *op. cit.*, n. 458, 459.

tum propter momentum materiarum tractatarum, tum præcipue propter approbationem Pontificum. Ubi notandum est, duplici modo approbationem dari posse conciliis, nempe : in forma communi, quæ approbatio est simplex actus vigilantiæ ; vel in forma solemni et speciali, qua approbatione concilium a sancta Sede assumitur et fit ipsi proprium (1).

109. *Statuta disciplinaria.*

Insuper particularia concilia legem ecclesiasticam communem explicant, ejusque observationem urgent ; legem vero localem, quæ pro subditis vera est morum regula, condunt. Ex quibus omnibus theologus prudens multa ad sensum christianum dignoscendum depromet ; nihilominus dolendum est, uberrimum illum scientiæ fontem nimium negligi : quam sæpe enim contingit ut in operibus moralibus, occasione cujusvis quæstionis disputatæ, etiam ad disciplinam spectantis, longi texantur scriptorum privatorum catalogi, conciliorum vero textus nulli appareant ! Cæterum non novum est istud peccatum, nec proprium casuistis (2).

110. *Conciliorum particularium collectiones præcipuæ.*

Acta conciliorum particularium reperiuntur tum in generalibus collectionibus supra indicatis, tum in collectionibus specialibus : harum præstantiores ediderunt Jac. Sirmondus pro conciliis Galliæ (3), Jos. Saenz de Aguirre pro conciliis Hispaniæ et Novi Orbis (4), Fred. Schannat et Jos. Hartzheim pro conciliis Germaniæ (5), Car. Peterffy pro conciliis Hungariæ (6), De Ram pro conciliis Belgii (7), Spelmann et Wilkins pro conciliis Angliæ, Lorenzana pro conciliis Mexicanis (8). Pretiosissima tandem est theologo recens collectio Lacensis (9).

111.

Jamdiu soliti sunt theologi vario titulo operibus suis præmittere decreta Conciliorum, Pontificum, Congregationum ad

1. Cfr. Scheeben, n. 571-573. — 2. Exemplum luculentum habetur in opusculo nostro : *De l'obligation de réciter Matines et Laudes avant la Messe.* — 3. *Concilia antiqua Galliæ,* 3 vol. in-fol. ; suppl. dederunt de la Lande, et postea Odespun. — 4. *Collectio maxima Conc. omnium Hispaniæ et novi orbis,* 4 vol. in-fol. — 5. *Conc. Germaniæ,* 5 tom. in-fol. suppl. ; adjecit Herm. Scholl 3 tom. in-fol. — 6. *Sacra Concilia Ecclesiæ romano-catholicæ in regno Hungariæ celebrata,* 2 vol. in-fol. — 7. *Synodicon Belgicum,* 4 vol. in-4. Quod opus utinam absolvatur. — 8. *Concilios provinciales,* 3 vol. in-fol. — 9. *Acta et decreta sac. Conc. recent.*

rem moralem pertinentia (1). Istæ tamen collectiones plerumque imperfectæ sunt : non exhibent enim nisi propositiones damnatas, et quidem inde solum a concilio Constantiensi. Hinc bene meritus est cl. Denzinger quando vulgavit suum « *Enchiridion symbolorum et definitionum, quæ de rebus fidei et morum a Conciliis æcumenicis et summis Pontificibus emanarunt.* » Fatendum tamen etiam ibi plura desiderari.

§ III.

De actis magisterii authentici delegati.

112. *Decretorum sacrarum congregationum vis et auctoritas:*

Magisterium authenticum delegatum olim frequenter exercebatur per theologicas Universitatum facultates, præsertim ex Episcoporum auctoritate (2). Hodie plenius exercetur, auctoritate summi Pontificis per Romanas congregationes. Sunt autem congregationes cœtus Cardinalium instituti ut Pontificem juvent in triplici suo munere docendi, regendi, sanctificandi ; aliunde sub Pontifice et cum ipso repræsentant traditionalem Ecclesiæ sensum.

I. — *De actis Pontificiarum Congregationum.*

113. *in materia doctrinali.*

In primis Pontificem in munere docendi juvant congregatio S. Officii seu Inquisitionis, congregatio Indicis et tribunal Pœnitentiariæ, aliter tamen atque aliter : nam congregatio S. Officii judicat de ipsis doctrinis ; congregatio Indicis librorum censuram exercet ; Pœnitentiaria vero prudentem dirigit principiorum applicationem, tutamque operandi regulam præbet, verbo, difficultates practicas solvit, potiusquam controversias dirimere intendat (3).

1. Hujus moris primum specimen est Claudii Lacroix *Bibliotheca erronea*. 2. Cfr. Schrader, *De theologis generatim*, p. 127, 128 et seqq. Huc pertinet *Collectio judiciorum de novis erroribus*, opera et studio Caroli Duplessis d'Argentré, 3 vol. in-fol. — 3. Ben. XIV, const. *Pastor bonus* facultatem dedit Majori Pœnit. ut « dubia omnia in materia peccatorum, seu forum pœnitentiale alias quomodolibet concernentia, cum consilio Doctorum et Theologorum suorum valeat declarare. » Cæterum exstat ea de re ipsiusmet S. Pœnitentiariæ testimonium iteratis vicibus repetitum ; cfr. *Revue des sciences eccl.*, tom. 40, pag. 340, tom. 45, p. 90. Minus vigilanter nuperrime scripsit quidam, S. Pœnitentiariam, ubi sunt duæ opiniones, semper sequi tutiorem : cfr. *Nouv. rev. théol.*, xviii, 300. Numquid, ut alia omnittamus,

114. Harum congregationum responsa haberi debent tanquam oracula ipsius Pontificis : eduntur enim potestate ab eo communicata, ejus nomine, sub ejus vigilantia. Et quidem sunt formaliter oracula Pontificis, si ipse illa fecerit sua, suoque nomine promulgaverit : in hoc casu illis applicari debent quæ supra diximus de actis pontificiis. Manent autem formaliter ipsarum congregationum responsa, ab actis pontificiis distincta, si hac solum Pontificis approbatione gaudeant : « Facta relatione, Sanctissimus resolutionem approbavit et confirmavit ; » vel etiam : « suprema sua auctoritate confirmavit et promulgari mandavit ([1]). » In eo tamen casu sincera obedientia illis debetur ; et, si de *doctrinis* agatur, assensus præstandus, non sane irreformabilis, quia responsa non proficiscuntur a potestate infallibili, sed nihilominus verus, internus, religiosus, quia proficiscuntur a delegata potestate providendi securitati doctrinæ catholicæ. Hinc gravissime monuit Pius IX, sapientibus catholicis opus esse ut se subjiciant decisionibus quæ ad doctrinam pertinentes a pontificiis congregationibus proferuntur ([2]).

115. Frequentissimus est ac maximi momenti usus responsorum harum congregationum in theologia morali : curandum autem ut sit discretus et prudens. In quem finem ante omnia inspiciendum : a quanam congregatione responsum veniat, nominatim utrum a S. Officio, an vero a S. Pœnitentiaria ; — sedulo examinandum quodnam sit responsi objectum, an ipsa doctrina, an doctrinæ traditio, an applicatio doctrinæ ([3]), an liber in qua reperitur, etc. ([4]) ; — accurate pensandæ sunt formulæ, quæ in responso adhibentur ; — videndum an forte non fuerit ei derogatum ([5]) ; — tandem caute conclusiones sunt deducendæ : v. g. si declaratum sit hoc vel illud fieri posse, ne inferas oppositum fieri non posse ([6]) ; pariter si

partem hoc sensu tutiorem secuta est S. Pœnitentiaria, quando in materia usuræ respondit non esse inquietandos fideles et confessarios ?

1. Cfr. Franzelin, *De trad.*, th. XII, sch. I, princ. 7 ; Scheeben, *op. cit.*, n. 567. — 2. Litt. Apost. *Tuas libenter*, 21 Dec. 1863, ad Arch. Monac. — 3. Exempla applicationis reperies apud *Acta S. Sedis*, II, 676. — 4. Cfr. supra, n. 98. — 5. Cfr. Ill. Malou, Præf. in opusc. Suarezii *De confessione per epistolam*, IX. — 6. Cfr. *Nouv. rev. théol.*, tom. VII, p. 92, 243, 480.

liber ad Indicis cong. delatus et ab ea examinatus, *dimittatur*, ne inferas eum approbatum fuisse (1). Cæterum manifeste excedunt illi qui quovis decreto quamvis quæstionem finitam pronuntiant (2).

116. *in materia disciplinari,*

In munere regendi juvant Pontificem congregationes Concilii, Episcoporum et Regularium, aliæ. Harum congregationum acta ad canonistas quidem primario et principaliter spectant ; at multum etiam prosunt moralistis. Pro eorum autem usu advertendum est, ab his congregationibus aliquando legem ecclesiasticam applicari ad facta particularia, dum videlicet causæ judicantur vel licentiæ conceduntur ; aliquando occasione causæ particularis legem formaliter explicari (3) ; aliquando legem ita explicari ut simul postuletur generale decretum auctoritate Pontificis promulgandum (4). Acta primæ speciei præbent subsidia ad legis interpretationem ; acta secundæ speciei formalem interpretationem continent ; disputatur autem utrum hæc interpretatio sit mere doctrinalis, an vero sit auctoritativa (5) ; acta tertiæ speciei legem proprie dictam constituunt. Hic etiam notare liceat, catholicam obedientiam non postulare ut doctrina absolute subordinetur jurisprudentiæ congregationum, cum e contra aliquando jurisprudentia cedat doctrinæ, ejusque influxu mutetur.

117, *in materia morali-liturgica.*

Pontificem in munere sanctificandi juvant, præter tribunal Pœnitentiariæ, congregatio Indulgentiarum ac SS. Reliquiarum, et congregatio Rituum. Hujus autem Rituum congregationis acta triplici modo inserviunt theologo : imprimis, quatenus determinant legem liturgicam ; præterquam quod enim intima est liturgiam inter et fidem ac mores connexio, norunt omnes multas esse in materia cultus, sacrificii, sacramentorum morales quæstiones quarum solutio a lege liturgica

1. Cfr. *Nouv. rev. théol.*, XII, 460. — 2. Non ita agebat S. Alphonsus ; cfr. v. g. lib. VI, n. 556 : « Super hoc dubio consului S. Pœnitentiariam, quæ respondit.... Et huic sententiæ (Pœnitentiariæ) jamdudum adhæsi ; sed postea, quum percurrissem constitutionem ejusdem Pontificis (Ben. XIV) oppositum satis declaratum reperi. » — 3. Exempla habes apud *Acta S. Sedis*, I, 72, 349, 465, 683 ; VII, 191 ; IX, 579 ; XI, 602 ; XIII, 191 ; XV, 257 ; XVII, 288 ; etc. — 4. *Acta S. Sedis*, tom. XII, 176, coll. XIII, 191 ; XIV, 529, coll. 547. — 5. Cfr. *Acta S. Sedis*, X, 492 ; Aichner, *Jus. can.*, lib. I, 18.

pendet (1) ; — deinde quatenus in causis beatificationis et canonizationis doctrinam servorum Dei respiciunt ; licet enim ex judicio congregationis non discamus quænam sit doctrina vera, certa, tenenda ; discimus tamen quænam sit tuta, sana, conformis menti Ecclesiæ (2) ; — tertio quatenus in eisdem causis spectant modum quo virtutes christianæ a Dei servis exercitæ fuerint ; in vitis namque Sanctorum non pauca occurrunt quæ recte judicari nequeunt nisi penitus intellecto divinæ legis sensu (3).

118. In generaliori gubernatione Ecclesiæ Pontificem juvant tum congregatio Negotiorum extraordinariorum (4), tum maxime congregatio de Propaganda Fide, quæ sive per se, sive ope aliarum congregationum, diversæ naturæ materias tractat, v. g. de obligatione applicationis missæ per missionarios (5), de regimine scholarum, etc. (6).

119. *Decretorum collectiones.* Responsa S. Officii et S. Pœnitentiariæ nulla collectione comprehenduntur ; requiri propterea debent tum in operibus theologorum, tum in foliis periodicis (7), ita ut aliquando dubium moveri possit de eorum authenticitate (8). Indicis autem congregatio a longo tempore catalogum librorum prohibitorum edit, quin tamen prohibitionis rationes in eo referantur (9). — Ab initio sæculi elapsi prodit thesaurus resolu-

1. De decretorum usu et interpretatione cfr. *Acta S. Sedis*, III, 565. Non solum considerari debet quid *possit* cong. sed etiam quid *velit* : v. g. censemus eam non *voluisse* per decretum anni 1703 dirimere quæstionem de potestate Episcoporum quoad novorum festorum institutionem, quidquid in contrarium sentiat Bouix, *De jure lit.*, p. IV, c. 4, p. 6. Manifestæ exaggerationis specimen nonnulli præbuerunt occasione quæstionis de cantu gregoriano ; cfr. *Nouv. rev. théol.*, XI, 173, 271, coll. XVI, 75. — 2. Cfr. supra ubi de S. Alphonso. — 3. Cfr. Benedictus XIV, *De beat. et can.* Hac autem occasione liceat advertere, in magni operis Bollandiani indice morali et in actis benedictinis Mabilonii innumera allegari documenta, quæ theologo in materia virtutum utilia esse possunt : utinam ex hoc fonte sæpius hauriretur ! — 4. Ab hac cong. prodiit nuper responsum magni momenti de solemni voto paupertatis. Cfr. *Nouv. rev. théol.*, X, 610. — 5. *Acta S. Sedis*, I, 407. — 6. *Acta S. Sedis*, XI, 44. — 7. Hujusmodi sunt *Acta S. Sedis* inde ab ann. 1865, *Analecta* vero *Juris Pontificii*, ab ann. 1854 evulgata ; et, apud varias gentes, ea quæ agunt de rebus moralibus ac practicis. — 8. Exempla difficultatum de authenticitate præbent decretum Innocentii XI contra Probabilismum ; cfr. *Etudes religieuses*, tom. 86, pag. 778 ; decretum Clementis XI de Gordonii ordinatione ; cfr. *Civilta Catholica*, Ser. XVI, vol. 10, pag. 143. — 9. Cfr. Zaccaria, *Storia polemica delle proibizioni dei libri.*

tionum S. congregationis Concilii (1), cujus operis compendium methodice dispositum exhibent Zamboni (2), Pallotini (3), Muhlbauer (4) ; huc etiam pertinent editiones ipsius Concilii Tridentini cum S. Congregationis declarationibus olim a Gallemart (5), recentissime a Richter (6), adornatæ. Accedunt causæ selectæ propositæ per summaria precum tum ab aliis, tum non ita pridem a Lingen et Reuss evulgatæ (7). — S. congregationis Episc. et Reg. decisiones collegit Em. Bizzarri (8). — Decreta authentica congregationis Indulgentiarum edita sunt a Prinzivalli (9), novissime autem jussu et auctoritate Leonis XIII rursus prodierunt (10). Gardelliana decretorum S. congregationis Rit. collectio, haud semel impressa, authentica est : eam alphabetico ordine dispositam ac multis documentis auctam dedit Muhlbauer (11). — Non exstabat collectio actorum congregationis de Prop. Fide ; at ante aliquot annos in lucem emissum est opus utilissimum sub titulo : « *Collectanea constitutionum etc. S. Sedis ad usum missionariorum apostolicorum Societatis missionum ad exteros.* » Recentius, anno sc. 1893, publicata tandem est collectio sub titulo : « *Collectanea S. congregationis de Propaganda Fide, seu decreta, instructiones, rescripta pro Apostolicis Missionariis.* »

120. *Magisterium authenticum doctrinam proponit vel rejicit, simplici declaratione, vel adjecta qualificatione.*

Actis magisterii authentici sive ordinarii, sive delegati, aliquando *bona* doctrina proponitur, aliquando *mala* rejicitur. Utrumque fit vel *simplici declaratione,* vel adjectis *qualificationibus.* Simplex declaratio habetur ordinarie in symbolis et fidei professionibus, conciliorum capitibus, bullis et encyclicis Pontificum, catechismis aliisque hujusmodi (12). Qualificationes reperiuntur in judiciis doctrinalibus et canonibus. Bonæ doc-

1. Incipit ab ann. 1718. — 2. Collectio declarationum S. Cong. Cardinalium. — 3. Collectio omnium conclusionum et resolutionum S. Cong. Concilii Tridentini. — 4. Thesaurus resolutionum S. Cong. Concilii. — 5. Duaci et alibi pluries. — 6. Berolini. typ. B. Tauchnitii, 1858. — 7. Ratisb., Pustet, 1871. — 8. Collect. in usum Secr. S. C. EE. et RR. — 9. Bruxellis, Goemaere, 1862. — 10. Ratisb., Pustet, 1882, 2 vol. — 11. Monachii, Stahl. 1863 cum supplemento. — 12. Litteratura de symbolis et fidei professionibus sive historica sive exegetica, recenter in immensum crevit : Recenseri liceat : C. P. Caspari : *Quellen zur geschichte des taufssymbols und der glaubenregel,* 4 voll. ; Ph. Schaff, *Creeds of Christendom,* 3 voll. ; L. Hahn, *Bibliothek der symbole und glaubensregeln,* 1 vol. *Utilissimum* est H. Denzinger *Enchiridion symbolorum et definitionum.*

trinæ qualificationes sunt, quod dicatur *de fide, fidei proxima, catholica, certa, vera, pia ac prudens, sana* et *tuta*. Pravæ vero doctrinæ qualificationes sunt, quod dicatur *hæretica, hæresi proxima, erronea, errori proxima, temeraria, hæresim sapiens, male sonans, piarum aurium offensiva, scandalosa, periculosa, contumeliosa, injuriosa, blasphema; impia, schismatica, seditiosa* [1].

121. Prædictis qualificationibus aliquando indicatur *defectus doctrinæ,* aliquando *pravus aliquis influxus*. Modus autem qualificationes determinandi duplex est. Aliquando enim indicantur *specifice, præcise* et *categorice ;* cum scilicet singulis propositionibus singulæ suæ apponuntur qualificationes, ut fit in conciliis per canones anathemate sancitos, factumque est plus semel a Romanis Pontificibus, et etiam a theologis : cfr. propositiones Jansenii ab Innocentio X damnatæ, 31 Maii 1653, — propositiones duæ ab Alexandro VIII, 24 Aug. 1690 proscriptæ, — propositiones synodi Pistoriensis, 28 Aug. 1794, a Pio VI damnatæ ; — quibus addi possunt propositiones 45 ab Alexandro VII, 24 Sept. 1665 et 18 Mart. 1666, et propositiones 65 ab Innocentio XI, 2 Mart. 1679 proscriptæ, quarum illæ dicuntur omnes ut minimum scandalosæ, istæ vero præterea in praxi perniciosæ. Aliquando autem notæ indicantur *cumulative* seu *in globo,* cum nempe pluribus præstitutis propositionibus plures subjiciuntur notæ, quibus illæ indiscriminatim affici ita perhibentur ut nulla sit propositio cui aliqua ex enumeratis notis non conveniat, et nulla posita sit nota quæ ad aliquam ex his propositionibus non pertineat; unde omnes tandem et singulæ propositiones generatim condemnatæ intelliguntur, adeoque vitandæ, quæcumque censura sit qua reæ habentur : cfr. errores Joannis Wicleff et Joannis Hus a concilio Constantiensi, et errores Lutheri a Leone X proscripti, 16 Maii 1520 ; necnon Michaelis Baii propositiones 79 a S. Pio V, 1 Oct. 1567, Gregorio XIII, 29 Jan. 1579, Urbano VIII, 6 Mart. 1641, — Michaelis de

Qualificatio categorica

vel cumulativa.

1. Uniuscujusque qualificationis sensum exponunt Albertinus, *De agnoscendis assertionibus catholicis et hæreticis ;* Antonius de Panormo, *Scrutinium doctrinarum ;* Suarez, *De fide,* disp. xix, s. 2 ; Lugo, *De fide,* disp. xx, s. 3 ; Schrader, *De Theologia generatim,* n. 70 et seqq. ; Scheeben, *op. cit.,* vol. I, n. 435.

Molinos propositiones 68 ab Innocentio XI, 20 Nov. 1687, — Jansenianorum propositiones 31 ab Alexandro VIII, 7 Dec. 1690, — Fenelonii propositiones 23 ab Innocentio XII, 12 Mart. 1699, — Quesnelli propositiones 101 a Clemente XI, 8 Sept. 1713 damnatæ.

122. *Illæ autem notæ propositionibus affinguntur prout jacent, vel in sensu auctoris, vel in sensu explicato.*

Quod pertinet ad censurarum interpretationem, advertendum est, propositiones aliquando damnari *prout jacent*, nimirum secundum vim potestatemque verborum et phraseum quibus propositiones continentur, citra mentem doctrinamve auctoris aliunde compertam ; — aliquando vero damnari *in sensu ab illarum auctoribus intento,* scilicet sensu litterali, quem verba ab auctore adhibita apud ipsum auctorem a quo petuntur præ se ferunt ; — aliquando demum damnari *in sensu determinato et explicato*. Ita Innocentius XI propositiones 65 declaravit « damnatas et prohibitas, sicut jacent. » S. Pius V vero, Gregorius XIII et Urbanus VIII, de Baii propositionibus definiverunt eas, « quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, etc. ; » item Alexander VII, const. *Cum ad S. Petri sedem,* et const. *Regiminis apostolici,* quinque Jansenii propositiones damnatas edixit et subscribendas postulavit, « in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento. » Tandem Pius VI, bulla *Auctorem fidei,* propositiones Pistoriensium proscripsit in sensu a se explicato intellectas.

123. *Tenenda propositio damnatæ contradictoria; quomodo hæc formanda.*

E legibus logices constat, propositiones contradictorias quidem nunquam esse posse simul veras vel falsas ; contrarias autem, licet nequeant simul esse veræ, posse tamen simul esse falsas. Statim ac igitur de propositione constiterit, quæ teneri non possit, itidem constat contradictoriam semper, sed non semper contrariam, posse teneri. Ut autem contradictoria rite formetur, ad sequentia animadvertendum est : *a*/ utrum propositio damnata *directa* et *absoluta* sit, an *reflexa* ac *modalis,* affecta scilicet definito veritatis certitudinisve modo vel gradu : ut enim in illa ad contradictoriam faciendam mutatur qualitas propositionis principalis, ita in ista qualitas modi mutatur ; — *b*/ utrum propositio proscripta *universalis* sit an *particularis :* exigit enim utriusque contradictoria tam quantitatis quam

qualitatis immutationem ; — *c*/ num *indefinita* illa sit an *definita*, scilicet definita vel particularis, vel universalis, de quo nunc diximus ; indefinita, cujus definitio non a verbis sed aliunde pendet ; — *d*/ num *composita* an *simplex* sit ; et siquidem primum obtineat, num sensu copulativo seu complexo, an diviso seu distributivo rejecta sit, quod ex internis externisque interpretandi regulis determinandum est. Cæterum, quando causa sive ratio, ob quam propositio quædam condemnata est, pro affini seu cognata cum illa militat, oportet hanc similiter condemnatam censeri. Unde sequitur, vi notæ tenendam semper indicari contradictoriam, sed non semper unice tenendam ac solam. Videlicet, ad integram per damnatas propositiones veritatem sententiamque eruendam, satis non est puros agere logicos, logicamque figurarum de propositionum oppositione tabulam respicere, sed esse quoque theologos oportet, criterioque etiam theologico uti. Schrader, op. cit. n. 82. Porro sententia damnatæ contradictoria tenenda erit ut *fidei proxima, theologice certa, prudens, tuta ac sana,* etc., prout illa damnata fuerit tanquam *proxima hæresi, erronea, temeraria, scandalosa, impia,* etc.

PARS TERTIA.

DE HISTORIA THEOLOGIÆ MORALIS.

124. Sicut historia theologiæ christianæ confundi non potest cum historia religionis christianæ, ita historia theologiæ moralis distingui debet ab historia morum christianorum. Pariter sicut historia theologiæ dogmaticæ differt ab historia dogmatum, ita historia theologiæ moralis differt ab historia principiorum moralium. Hinc apparet morum historiam esse adminiculum ad scientiam, historiam vero principiorum moralium, esse scientiæ partem ; theologiæ moralis historiæ objectum proprium esse scripta, in quibus principia moralia exposita sunt et methodus qua fuerunt exposita.

Elementa quæ theologiæ moralis ædificio construendo inservierunt, alia sunt revelata tum in veteri Testamento, tum in novo ; alia sunt cum revelatis connexa, contenta in traditione tum hebraica, v. g. in libris Thalmudicis, tum christiana ; alia sunt a revelatis plus minus independentia, derivata scilicet a gentium philosophia, præsertim græca (1) ; alia sunt derivata partim a revelatione judaica, partim a philosophia.

Duplex Theologiæ moralis ætas.

Duplici distincta ætate theologiæ ædificium constructum est et jugiter crevit : prima Patrum, altera Theologorum. Utraque plures epochas comprehendit, quarum singula suum habet characterem proprium. Unius tamen ætatis vel epochæ ab altera differentia non consistit in oppositione sed provenit ex successiva evolutione, ita ut, cum prior sit posterioris præparatio, plerumque vix definiri possit ubi hæc incipiat, illa desinat (2). Non solum enim doctrina ipsa, sed etiam

1. Platonis, Aristotelis, Zenonis, Philonis ; cfr. Harnack. *History of Dogma*, passim.

2. *Theologiæ moralis* sive *moralis Christianæ* historiam descripserunt Theologi præsertim moderni, tum catholici, tum etiam acatholici, operibus magna parte compendiariis, v. g. Fr. Ant. Zaccaria, *Diss. proleg.* p. 1 ; D. Concina, *Apparatus* ; C. F. Standlin, *Geschichte der christlichen Moral* ; Chr. E. Luthardt, *Geschichte der christlichen Ethik* ; H. J. Bestmann, *Geschichte der christlichen Sitte* ; W. Gass, *Geschichte der christlichen Ethik* ; Th. Ziegler, *Geschichte der christlichen Ethik* ; Ern. Muller, *Theol. mor.* Intr. Ad theologiæ moralis historiam præterea pertinent multa ex iis quæ habentur in *patrologiæ institutionibus* et *in dogmatum historiis*, præsertim ecente ea quæ Ad. Harnack debetur, nec non in historiis morum, nomi-

doctrinæ scientifica expositio « imitatur rationem corporum, quæ licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quæ erant, permanent (1). »

Caput I.

De scientia morali Patrum ætate.

Character generalis.

TRACTATIO scientiæ moralis Patrum ætate generatim est scripturistica : positiva, polemica et practica, potiusquam speculativa ; parænetica magis quam didactica et methodica ; particularis, non systematica. Triplex autem epocha in hac ætate notari potest : prima, ab initio Ecclesiæ usque ad concilium Nicænum ; secunda, a concilio Nicæno usque ad S. Gregorium Magnum ; tertia, a S. Gregorio usque ad S. Bernardum.

ARTICULUS PRIMUS.

De scientia morali in prima Patrum epocha.

Docetur theologia moralis,

125. Hac epocha, quæ duas periodos comprehendit, nempe Patrum Apostolicorum et Apologetarum (2), regulæ morum fidelibus inculcatæ sunt litteris episcoporum (3), eorum homiliis ac commentariis in S. Scripturam (4), et variis tractatibus de

natim in opore W. Lecky, *History of European morals from Augustus to Charlemagne ;* insuper cum theologiæ moralis historia intime connexa est historia Ethicæ naturalis, juris, scientiæ politicæ, œconomicæ, prout exponitur in operibus Pauli Janet, *Histoire de la Philosophie morale et politique;* Valentini Rivalta, *Diritto naturale e positivo : saggio historico ;* J Bonar, *Philosophy and Political Economy, in some of their historical relations ;* Ern. Nys, *Les origines du droit international.*

1. Vincentius Lirinensis, *Comm.* I, 23.

2. De Patribus Apostolicis et Apologetis, cfr. *Dictionnaire de Théol. cath.* verbis *Apostoliques* (Pères) et *Apologistes* (Pères) ; legatur etiam Ad. Harnack, *History of Dogma ;* germanicæ et anglicæ Patrum Apostolicorum editiones criticæ recentiores præcipue debentur curis virorum eruditorum Osc. Gebhardt, Ad. Harnack, Theod. Zahn, Lipsiæ, 1876; item, Fr. Xav. Funk, Tubingæ, 1881 ; J. B. Lightfoot, Londini 1890. Corpus vero Apologetarum sæculi secundi post alios edidit Car. Otto Jenæ 1847-1876.

3. Sicut Apostoli, ita Apostolorum discipuli epistolis docuerunt : cfr. Freppel, *Les Pères Apostoliques,* 10e leçon, I, 206.

4. De origine et usu homiliæ ac sermonis, præter Freppel, *Clement d'Alexandrie* 11e leçon, 275 et Duchesne. *Liber Pontificalis,* Evaristis, cfr. *Dictionnaire de la Bible,* v° homélie, Kraus, *Christ. Alterthümer,* II, 633.

virtutibus et obligationibus; vindicatæ autem fuerunt in libris adversus Paganos, Judæos, hæreticos scriptis.

126. *epistolis,*

Imprimis principia moralia per modum instructionis, hortationis, applicationis indicata reperiuntur in epistolis S. Clementis *ad Corinthios* et *ad Virgines;* in epistolis S. Ignatii et S. Polycarpi; postea in epistolis S. Cypriani, S. Cornelii, S. Dionysii Alexandrini.

127. *homiliis,*

Morem docendi per homiliam, sermonem, concionem, ab Hebræis acceptum, jam memorat S. Justinus. Homiliarum specimina nobis præbent Clemens Alex. in opusculo *de salute divitum,* Origenes in opere *super Leviticum,* forte etiam Tertullianus in tractatu *super orationem Dominicam.* — Ad sermonis genus referri possunt S. Cypriani opuscula *de bono patientiæ, de zelo et livore.* — Accedunt S. Hippolyti, S. Gregorii Thaumaturgi, maxime vero Origenis commentarii, qui supersunt, in varios scripturarum libros.

sermonibus,

et commentariis;

128. *tractatibus,*

Primum aliquod tentamen moralis theologiæ exhibet Hermæ fictio *pastor* nuncupata, cui jungi debet altera fictio dicta *testamentum duodecim patriarcharum.* At inter omnes de christiana morum scientia constituenda optime meritus est Clemens Alexandrinus: ejus enim *pædagogus* est brevis quidam doctrinæ moralis complexus, libri autem *stromatum* profundiorem continent principiorum moralium expositionem pro eruditis christianis (1).

Plurima sunt quæ Origenes de ethica scripsit in homiliis, in commentariis, in controversiis, quæ collecta et ordinata corpus morale constituere possunt (2); tamen ethica specialia opera pauca sunt et parvi momenti, si excipias libellum de

1. Cfr. Eug. De Faye, *Clément d'Alexandrie, étude sur les rapports du christianisme et de la philosophie grecque au IIe siècle,* Paris, 1898, De errore Quietistarum Clementi attributo cfr. Freppel, *Clement d'Alex.,* 10e leçon, p. 465.

2. Theologiam Origenis explicavit Freppel, duplici vol. speciali; de ejus ethica monographiam scripsit Gullielmus Capitaine, in qua scriptoris doctrinam successive exponit de hominis natura, de fine hominis, de notione boni, de lege naturali et positiva, de conscientia, libero arbitrio, gratia, de variis agendi motivis, de virtute, de peccatis, peccatorum fontibus, remediis, de poenis et igne æterno; philosophiam egregie exposuit Denis.

oratione et adhortationem ad martyrium. Haud vulgari tamen laude dignus est, eo quod virtutum cardinalium distinctionem a Platonicis ad christianos transtulerit (1). Tertullianus præcipuas quæstiones specialibus opusculis tractavit, majori tamen eloquentia et acumine quam judicio et prudentia. Et quidem de vita publica et civili christianorum agit in suis libris *de spectaculis, de idololatria, de corona,* ubi cooperationis principia cum exaggeratione urget ; virtutem fortitudinis explicat in libro *ad martyres,* necnon in libris *de patientia* et *de fuga ;* principaliter autem circa temperentiam versatur in *exhortatione castitatis,* atque in libris *de virginibus velandis, ad uxorem, de monogamia, de cultu feminarum, de jejunius ;* præterea etiam tractat *de baptismo* et *de pœnitentia* (2). Similiter S. Cyprianus, quem jam diximus plura moralia in suis epistolis habere, variis insuper libris agit *de oratione Dominica, de opere et eleemosynis, de martyrio, de lapsis, de habitu virginum, de spectaculis,* etc. (3).

129. *libris polemicis*

adversus Judæos,

hæreticos,

Multa de morali christiana continent libri adversus Judæos scripti, nominatim epistola S. Barnabæ, epistola *ad Diognetum,* S. Justini *dialogus cum Tryphone,* Tertulliani et S. Cypriani *libri adversus Judæos* (4). — Multa etiam exhibent hæreseon confutationes, v. g. opus S. Irenæi contra Gnosticos (5), Alexandri Lycopolitani contra Manichæos (6), aliaque scripta

1. Cfr. S. Gregorius Thaum., *Orat. panegyrica in Origenem,* IX. Hanc virtutum cardinalium distinctionem habent inter ethnicos : Plato, *De rep.,* lib. IV ; Tullius, *Rhet.* II *de inv.;* Plotinus, *Enn.* I ; Porphyrius, *Theor. intell. ;* Macrobius, *Comm. in somnium Scipionis,* I, 8 ; inter christianos vero, post Origenem : S. Ambrosius, *De paradiso,* 14 ; *De off.* I, 115, 126 ; II, 49 ; *De Cain et Abel,* II, 21 ; S. Hieronymus, *Epist.* LII, n. 13 ; S. Aug. *De gen. cont. Man.* II, c. 10 ; *De mor. Eccl.,* c. 15 ; S. Gregorius Magnus, *Moral.* II, c. 49, n. 76, 77, lib. XXII, c. 1 ; S. Thomas I, 2, q. LXI.

2. Tertulliani theologiam fuse explicat Freppel, duplici vol. ; breviter Fessler-Jungmann, *Inst. Patr.,* tom. I ; ejus philosophiam explicat Ger. Esser, in opere : *Die Seelenlehre Tertullians.* — 3. Theologia et Ethica S. Cypriani exponitur a Ceillier, tom. 3 et a Freppel, uno vol., etiam a Benson, *S. Cyprian, his life, his times, his work ;* cfr. etiam Fessler-Jungmann, *Inst. Patr.,* tom. I. — 4. Cfr. Freppel, *Les Pères Apostoliques ; Les Apologistes du IIe siècle ;* Fessler-Jungmann, *Inst. Patr.,* vol. I. — 5. De Gnosticis, cfr. Harnack, *History of Dogma,* passim ; Ceillier, tom 2 ; Freppel, *S. Irénée.* — 6. De Manichæis, cfr. Harnack, *History of Dogma,* III, p. 316, Appendix ; Beausobre, *Histoire critique de Manichée et du Manichéisme ;* Dufourq, *De Manichæismo apud Latinos, quinto sextoque sæculo.* (Diss. inaug.).

contra Montanistas et Novatianos. Plura adhuc præbent apologiæ adversus Paganos, v. g. utraque S. Justini *apologia,* Theophili Antiocheni *libri ad Antolycum,* Athenagoræ *legatio,* Tatiani *oratio adversus Græcos,* Minutii Felicis *Octavius,* Tertulliani *apologeticus,* Origenis libri *contra Celsum* (1), Arnobii *adversus gentes,* Lactantii *divinæ institutiones,* Eusebii *præparatio evangelica* et *demonstratio evangelica.* Centra, in quibus elaborata scientia christiana, seu sedes studiorum sæculo secundo et sæculo tertio præcipue fuerunt Roma, ubi docuisse videntur Caius et Hippolytus ; Alexandria, ubi docuerunt Pantænus, Clemens, Origenes ; Cæsarea, ubi per aliquot annos Origenes cathedram habuit; Antiochia ubi cathedram habuit Lucianus. Generalia vitæ christianæ principia exhibentur in Episcoporum vel conciliorum canonibus, in sic dictis epistolis canonicis et in libris liturgico-moralibus, cujusmodi sunt *Doctrina duodecim Apostolorum ;* canones S. Hippolyti triginta octo, canones Apostolici octoginta quinque, constitutiones Apostolicæ octo libris comprehensæ ; epistolæ canonicæ S. Dionysii Alexandrini, S. Petri Alexandrini et S. Gregorii Thaumaturgi ; item canones conciliorum Illiberitani, Ancyrani, Arelatensis, Neo-Cæsariensis ; Principiorum applicatio ad difficiliores casus particulares habentur in libellis emanatis auctoritate episcoporum (2) et tractatibus homiliticis (3).

ethnicos ;

statutis et decretis,

Tandem vitæ christianæ fundamenta continebantur in *symbolis* seu *formulis fidei,* quas fideles memoriter addiscebant et publice recitabant in baptismo (4).

symbolis,

ARTICULUS SECUNDUS.

De scientia morali in secunda Patrum epocha.

ALTERA hæc epocha duas comprehendit periodos. Prior, quæ a concilio Nicæno ad Chalcedonense se extendit, vere 130.

1. Cfr. Denis, *La philosophie d'Origène.* — 2. Cfr. S. Cyp. *epist.* LII, 6. « Copiosus Episcoporum numerus... in unum convenimus, et scripturis divinis ex utraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione liberavimus... secundum quod libello continetur, quem ad te pervenisse confido, ubi singula placitorum capita conscripta sunt. » — 3. Cujusmodi est antiqua homilia *De Aleatoribus.* — 4. De symbolis cfr. Caspari, *Quellen zur geschichte des Taufssymbols,* Christiania 1866 ; F. Kattenbusch, *Das apostolische symbol ;* Bœmer, *Das Apost. Glaubensbekentnis.*

aurea est: tunc enim Ecclesia sanguine martyrum regenerata, libertate donata, œcumenica sanctissimorum Patrum synodo in fidei et morum unitate confirmata, mirabilem accepit a Spiritu sancto donorum scientiæ divinæ effusionem. — At vero multo minus dives fuit periodus posterior, quæ a concilio Chalcedonensi ad S. Gregorium Magnum protenditur, tum propter alias causas, tum maxime propter publicas societatis civilis calamitates.

131. *Indoles hujus epochæ.*

Opera moralia hujus epochæ a præcedentis operibus in hoc generatim distinguuntur quod sint numero abundantiora, mole ampliora, doctrina et eruditione profundiora. — In specie autem, sequentes notantur differentiæ: *a*/ primum majori in luce ponitur excellentia virtutum theologicarum, simulque vis trium operum satisfactoriorum, eleemosynæ, jejunii, orationis instantius prædicatur. *b*/ Deinde rerum mutationibus efficitur ut novæ quæstiones solvendæ occurrant, antiquæ studiosius explicari debeant: ita jam sedulo agitur de potestatis civilis origine, juribus, limitibus, obligationibus, de magistratuum officiis (1), quum de iis antea vix aliquid reperiatur apud Tertullianum et in conciliis Illiberitano et Arelatensi (2); similiter dum eleemosynæ præceptum non minus quam priori epocha inculcatur, simul magis insistitur in legibus de acquisitione divitiarum, de usura, etc. (3). *c*/ Præterea occasione insurgentium vel grassantium hæreseon, maxime Manichæorum et Pelagianorum, moralis christianæ fundamenta plenius stabiliuntur. *d*/ Tandem vitæ monasticæ progressus ad hoc conducit ut regulæ asceticæ et mysticæ a moralibus distin-

1. Cfr. S. Hilarius, *Fragm.* VIII. 2; Lucif. Cal., *De non parcendo in Deum delinquentibus;* S. Ambrosius, *In Luc.* IV, 29; *Epist.* XVII, XVIII, XXI, XXV, XL, LI; S. Greg. Naz., *Or.* XVII; S. Augustinus, *Cont. Cresc. donat.*, lib. III, c. 51; *Epist.* XCIII, C, CV, CXXXIII, CXXXIV, CXXXVIII, CXXXIX, CLIII, CLXXXV, CLXXXIX, CCIV; Synesius, *De regno;* S. Cœlestinus, *Epist.* XIX, XXIII; S. Leo, *Epist.* CXLVIII, CLXIV; S. Simplicius, *Epist.* VIII et XIII; S. Fulgentius, *ad Trasim.* I, 2; Symmachus, *Constitutum;* S. Gregorius Magnus, *Epist.* IX, 6, 110, 116, 122, etc. Hic primus omnium celebrem formulam adhibuisse videtur: « Si quis regum, sacerdotum, judicum, personarumque sæcularium hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat,» ep. XIII, 8... Pitra, *Anal. noviss.* 74-76. — 2. Tertullianus, *Apol.* XXXIII; conc. Illib. can. 56; con. Arel. can. 7. — 3. S. Ambr. *Epist.* XIX, *de Tob.*, c. 2; S. Gregorius Nyssenus, *Or. adv. usurarios;* S. Joan. Chrys., *in Matth., hom.* LXI, 3.

guantur et perfectius explicentur (1), imo jam exhibeatur theologiæ mystico-liturgico-moralis systema plane egregium(2). — Cæterum forma, sub qua doctrina traditur, substantialiter eadem manet, scilicet scribuntur epistolæ, commentarii in sacras litteras, homiliæ et sermones, catecheses, tractatus, canonum collectiones.

132. *Morales epistolæ,*

Itaque doctrina moralis adhuc traditur epistolis doctrinalibus; celebres autem sub hoc respectu sunt epistolæ S. Paciani (3), S. Ambrosii (4), S. Basilii (5), S. Gregorii Nyss. (6), S. Joannis Chrysostomi (7), S. Hieronymi (8), S. Isidori Pelusiotæ (9), S. Fulgentii (10), ac præsertim S. Augustini (11). In hoc autem differt hæc epocha a præcedente, quod ex ea plures supersint Pontificum Romanorum litteræ summi momenti, v. g. S. Siricii (12), S. Innocentii I (13), Zozimi (14),

1. Cfr. S. Ephrem, *Inst. ad monachos;* S. Basilius, *Ascetica, regulæ fusius tractatæ, regulæ brevius tractatæ*, etc.; S. Gregorius Nyss., *De perfecta christiani forma, de instituto christiano*, etc.; Cassianus, *Cœnob. inst.*; S. Nilus, *De monastica exercitatione, de monachorum præstantia.* — 2. Areopagitæ opus *de hierarchia ecclesiastica.*

3. Cfr. De S. Paciano; Fessler-Jungmann. tom. II, p. 24. S. Paciani epistolæ sunt scriptæ contra Novatianos. — 4. De S. Ambrosio ejusque scriptis cfr. Baunard, *S. Ambroise;* R. Thamin, *S. Ambroise et la morale chrétienne au IVe siècle;* Fessler-Jungmann, *Patr. Inst.* tom. I. — 5. De S. Basilio ejusque scriptis cfr. auctores citatos a Fessler-Jungmann, *Inst. patr.* tom. I.; S. Basilii epistolæ multæ sunt, earum plures sunt morales, asceticæ, disciplinares. — 6. De S. Gregorio Nysseno ejusque scriptis cfr. auctores citatos apud Fessler-Jungmann, *Patr.* tom. I. — 7. De S. Joanne Chrysostomo cfr. auctores citatos apud Fessler-Jungmann. *Patr.* vol. 2; Aimé Puech, *Un Réformateur de la société chrétienne au IVe siècle, S. Jean Chrysostome et les mœurs de son temps.* — 8. De S. Hieronymo ejusque scriptis cfr. Fessler-Jungmann, *Patr.* vol. 2; Am. Thierry, *S. Jérome, la société chrétienne à Rome et l'emigration romaine en Terre-Sainte.* — 9. De S. Isidoro Pelusiota cfr. Fessler-Jungmann, *Patr.* vol. II^b; Glueck, *Is. Pel. summa doctrinæ moralis.* — 10. De S. Fulgentio cfr. Fessler-Jungmann, op. cit. vol. II^b; Harnack, *History of Dogma.*— 11. Poujoulat, *Histoire de S. Augustin, sa vie et ses œuvres;* Nourisson, *Philosophie de S. Augustin;* Martin, *S. Augustin;* Epistolæ S. Augustini, 218 superstites sunt, aliæ dogmaticæ, aliæ morales; earum præcipuæ sunt, XXXVI ad Casulanum, XLVII (ad Publicolam), LIV et LV (ad Januarium), XCVIII (ad Bonif. episc.), CCXXVII (ad Honoratum), CCLXII (ad Ecdiciam).

12. Cfr. *Epist.* I (ad Him. Tarrac.), V (ad episc. Afric.), X (ad Gall. episc.).

13. Cfr. *Epist.* II (ad Victricium), III (ad episc. syn. Tolet.), VI (ad Exsuperium), XVII (ad episc. Maced.), XXV (ad Decentium), XXXVI (ad Probum.).

14. Cfr. *Epist.* I (ad Gall. episc.), IV (ad episc. Afric.).

Bonifacii ([1]), S. Cœlestini ([2]), Hilarii ([3]), S. Gelasii ([4]), Symmachi ([5]), S. Leonis et S. Gregorii Magni.

133. *commentarii et homiliæ,*

Morales commentarios, homilias, enarrationes in sacras litteras egregie scripserunt S. Hilarius ([6]), S. Ambrosius ([7]), S. Ephrem ([8]), S. Gregorius Nyss. ([9]), S. Joannes Chrysost. ([10]), S. Cyrillus Alex. ([11]), S. Chromatius ([12]), S. Hieronymus ([13]), S. Augustinus ([14]), Theodoretus ([15]), S. Gregorius Magnus ([16]). Multum placuisse videntur hac epocha morales tractatus de personis et eventibus historiæ sacræ: hujusmodi sunt oratio vel tractatus S. Zenonis *de Abraham,* S. Ambrosii libri *de Cain et Abel, de Noe et arca, de Abraham, de Isaac et anima, de Jacob et vita, de Joseph patriarcha, de Elia et jejunio, de Nabuthe Jezraelita, de Tobia, de interpellatione Job et David;* S. Gregorii Nyss. libri *de hominis opificio, de vita Moysis,* S. Ephrem, *in Jonam et Ninivitas,* etc.

134. *sermones,*

Universam fere morum doctrinam variis sermonibus et orationibus exposuerunt S. Gregorius Naz. ([17]), S. Basilius ([18]), S. Ephrem ([19]), S. Zeno ([20]), S. Gregorius Nyss. ([21]), Asterius Amasenus ([22]), S. Joannes Chrysost. ([23]), S. Augustinus ([24]), S. Leo M. ([25]), S. Petrus Chrysologus ([26]), Theo-

1. Cfr. *Epist.* VII (ad Hon. Aug.). — 2. Cfr. *Epist.* IV (ad episc. prov. Vienn. et Narbon.), V (ad episc. Apul. et Cal.). — 3. Cfr. *Epist.* I et II, vel XV et XVI (ad Tarrac.), VIII (ad episc. Gall.). — 4. *Epist.* IX, vel XIV (ad episc. Luc.). — 5. *Epist.* VI vel XV (ad Cæs. Ar.). — 6. *In Psalm.* — 7. *In Psalm., in Luc.* — 8. *In plerosque libros V. et N. T.* — 9. *In Eccl., in Cant.* — 10. *In Gen., Ps., Isaiam et in omnes fere N. T. libros.* — 11. *In proph., in Joan, et Luc.* — 12. *In Matth.* — 13. *In Gen., Eccl., Proph., in Matth., et in quasdam Pauli epist.* — 14. *In Gen., Psalm., Evang.,* etc. — 15. *In omnes fere utriusque Test. partes.* — 16. *In Job., Ez., Ev.* — 17. Cfr. or. I *(de sac.),* XXXVII *(de matr.),* XXXIX et XL *(de baptismo).* — 18. Cfr. hom. I et II *(de jejunio),* VI et VII *(cont. avar.),* X *(de ira),* XI *(de invidia),* XIII *(de bapt.),* XV *(de fide.)* — 19. Cfr. serm. *de sacerd., de pœn., de perf.,* hom. *de virt. et pass.,* etc. — 20. Cfr. in ejus opp. fere omnes tract. libri I. — 21. Cfr. *De or. Dom.* or. quinque; *De beat.* or. octo; *contra usurarios* or. duæ; *adv. eos qui baptismum differunt.* — 22. Cfr. Hom. III *(adv. avaritiam),* V *(de divortio),* XIII *(de pœn.),* XIV *(de jejunio).* — 23. Cfr. *De statuis* hom. viginti et una, *de pœn.* novem, etc. — 24. Cfr. inter serm. primæ classis, IX *(de decem chordis),* LV *(de oratione et Euch.),* CLXXII *(de cura mort.);* inter serm. secundæ classis, illi qui respiciunt cultum martyrum eorumque intercessionem; inter serm. tert. classis, *de pœn., de vita et moribus clericorum.* — 25. Cfr. serm. *de collectis, de jejunio, de quadragesima.* — 26. Cfr. v. g. serm. XXXIX, LXXXV, CLVII, etc.

doretus ([1]), S. Maximus Taur. ([2]). — Præterea libellis, qui in usum erant catechumenorum, jam adduntur doctæ catecheses, imprimis S. Cyrilli ([3]) et S. Joannis Chrysostomi ([4]). — Nec tandem desunt poemata moralia ([5]). *catecheses,*

Tractatus generales adhuc pauci sunt, si tamen sint qui tale nomen mereantur : huc aliquatenus referri possunt S. Basilii *moralia,* S. Gregorii Nyss. *catechesis magna,* S. Cyrilli Alex. libri *de adoratione in spiritu et veritate,* S. Augustini opera *de ordine, de moribus Ecclesiæ, de vera religione, de agone christiano, enchiridion de fide, spe et charitate;* S. Fulgentii libri ad *Monimum,* Gennadii liber *de dogmatibus ecclesiasticis.* — De specialibus autem argumentis tractatus plures occurrunt ; præcipui sunt S. Ambrosii libri *de officiis ministrorum, de virginibus, de virginitate, de institutione virginis, de lapsu virginis, de viduis, de mysteriis, de pœnitentia;* Ambrosiastri, *de sacramentiis ;* S. Joannis Chrysostomi, *de sacerdotio;* S. Augustini, *de continentia, de bono matrimonii, de virginitate, de viduis, de adulterinis nuptiis, de mendacio, contra mendacium, de cura mortuorum, de utilitate jejunii, de disciplina christiana;* Salviani, *de avaritia;* Boetii, *de consolatione;* S. Gregorii Magni, *de cura pastorali.* 135. *tractatus,*

Vindicatur moralis christiana a calumniis Paganorum in mirabili opere S. Augustini *de civitate Dei* et in libris S. Cyrilli Alexandrini *contra Julianum;* a perversionibus vero hæreticorum in libris S. Augustini contra Donatistas, contra Manichæos, contra Pelagianos ; S. Hieronymi contra Vigilantium, Helvidium et Jovinianum ; in S. Epiphanii *panario* seu *libro de hæresibus.* 136. *apologiæ,*

Casuistice et disciplinariter inculcata reperiebantur principia moralia tum in quorumdam Patrum epistolis et responsis *canonicis,* v. g. tribus S. Basilii ad Amphilochium, una S. Gregorii Nyss. ad Letoium, una Timothei Alexandrini ad interrogationes propositas de episcopis et clericis ; — tum in epistolis decretalibus summorum Pontificum, de quibus jam 137. *canonum collectiones.*

1. *Græc. aff. cur.* serm. duodecim. — 2. Cfr. v. g. hom. xc et xci, xcvii, cv. — 3. Cfr. *Cat.* ii, *(de pœn.),* iii *(de baptismo),* iv *(de decem dogm.),* et myst. quinque. — 4. Cfr. *Cat. duæ ad illumin.* — 5. S. Gregorii Naz. *de virg., de ira, de juramento,* etc.

supra dictum est; — tum in conciliorum canonibus: Nicænis, Gangrensibus, Antiochenis, Laodicenis, Africanis, etc. qui in usum ecclesiarum variis codicibus collecti habebantur (1).

138. Vitæ monasticæ progressus ad hoc conduxit ut principia ascetica a moralibus distinctius separarentur et explicarentur perfectius. Litteraturæ vero asceticæ specimen occidentale præcipuum præbet regula S. Benedicti; alia specimina præbent vitæ monasticæ forma orientalis S. Antonii et S. Pachomii; forma græca S. Basilii; forma Hibernica S. Columbani; forma Gallicana S. Martini. Monumenta huc pertinentia sunt *Institutiones* et *Collationes* Cassiani, *Apophthegmata* Patrum, etc. (2)

139. Formulæ liturgicæ jam existebant a primitivis temporibus in ecclesia Romana, Alexandrina, Antiochena, aliis. Postea, scilicet sæculis IV vel V, prodierunt liturgiæ quæ dicuntur S. Jacobi, S. Basilii, S. Chrysostomi (3), necnon *Sacramentaria* Ambrosianum, Gallicanum, Gothicum, in quibus descripti habentur ritus celebrationis missæ, ordinationis, initiationis baptismalis, dedicationis ecclesiæ, consecrationis virginum.

140. Postquam hac epocha jus Romanum meliori spiritu paulatim imbutum fuerit et post Constantinum multæ promulgatæ leges ab imperatoribus christianis, publicatæ sunt collectiones canonum et legum civilium in usum eorum, qui jurisdictionem episcopalem adibant. Mox prodiit an. 428-438 codex Theodosianus, et paulo post an. 528-533 codex Justinianæus. Licet autem duplex ille codex plurimum debeat morali christianæ, vicissim non parvus fuit utriusque influxus, maxime codicis Justinianæi, in moralem christianam (4).

1. Cfr. Ballerini, ad op. S. Leonis: *De ant. can. coll.; codex canonum ecclesiasticorum et constitutorum S. Sedis Apost.*, etc. — 2. Cfr. Paulin Ladeuze, *Etude sur le cénobitisme Pachomien;* Dom. Cutbert Buller, *The Lausien history of Palladius;* D. Ursmer Berlière, *Les origines du monachisme et la critique moderne;* J. M. Besse, *Les moines d'Orient*, etc. — 3. Textus dederunt Goar, *Euchologium sive rituale Græcorum;* Renaudot, *Liturgiarum orientalium collectio;* Daniel, *Codex liturgicus ecclesiæ orientalis in epitomen redactus;* quoad historiam cfr. J. Robertson, *The divine liturgies of Chrysostom and Basil;* Hammond, *The ancient liturgy of Antioch;* Probst, *Liturgie des vierten Jahrhunderts.* — 4. Cfr. Troplong, *De l'influence du christianisme sur le droit civil des Romains;* Tardif, *Histoire des sources du droit français.*

ARTICULUS TERTIUS.

De scientia morali in tertia Patrum epocha.

141. *Theologiæ characteres per hanc epocham.*

Epocha ista duplicem periodum comprehendit : priorem a sæculo septimo usque ad decimum labens ; posteriorem ab undecimi initio fere usque ad finem duodecimi. Utriusque periodi sequentes sunt characteres : — *a*/ Doctorum præcedentium opera, studio, scriptis, absoluta erat, saltem in suis præcipuis capitibus, veritatis christianæ explicatio, illustratio, defensio : idcirco ab iis jam repetitur doctrinæ confirmatio, derivantur necessariæ declarationes, ita ut, qui res fidei et morum deinceps tractant, sub aliquo respectu non sint nisi *exscriptores, collectores, compilatores* (1). — *b*/ Præterea in dies magis magisque doctrina traditur in scholis abbatialibus et episcopalibus (2), a magistris seu scholasticis, modo scholæ necessitatibus accommodato, adeoque paulatim fit *scholastica :* ex quo etiam contingit ut philosophia in servitium theologiæ instantius adhibeatur, generaliores componantur tractatus, proindeque scientia sacra *speculativa* et *systematica* evadat. — *c*/ Insuper cum hujus epochæ intime christianæ præcipui scriptores sint monachi et Episcopi, mirum non est eos speciali sollicitudine tractare ea quæ spectant ad Dei cultum, ad ministros sacros, ad regimen politicum christianum. — *d*/ Ex quibus apparet hanc epocham, præsertim ratione secundæ periodi, æque vocari posse *primam* Theologorum ac *ultimam* Patrum : est enim sub omni respectu media inter unam et alteram ætatem, adeo ut simul exhibeat in Damiano, Bernardo et aliis non degeneres Gregorii Magni successores, in Hugone autem et Anselmo dignos S. Thomæ præcursores.

142. *Epistolæ morales,*

Epistolæ morales hac epocha pauciores fiunt, et minoris momenti ; eæ tamen notari possunt quas scripserunt S. Isi-

1. Jam ævo anteriori morem *colligendi* et *compilandi* introduxerant S. Prosper, Evagrius, Ennodius, Eugippius, S. Cæsarius, Arelatensis, Procopius Gazæus. De S. Cæsario Arelatensi cfr. Villevieille, *Histoire de S. Césaire ;* Malnory, *S. Césaire.* — 2. De harum scholarum regimine agunt capitularia ann. 789, 804, 805, 811, ap. Baluze, tom. I, col. 237, 417, 421, 479. In iis docebantur sacræ litteræ, psalterium, rituale, pœnitentiale, canones, computus et cantus.

dorus, Paulinus Aquileiensis, B. Alcuinus, Amulo Lugdunensis, B. Servatus Lupus, Hincmarus Rhemensis, Ratherius Veronensis, S. Petrus Damianus, Lanfrancus, Goffridus Vindocinensis, S. Anselmus Cantuariensis, B. Ivo Carnotensis, Hildebertus Cenomanensis, S. Bernardus ([1]), Petrus venerabilis, Petrus Cellensis, Petrus Blesensis, etc. Per se patet id, quod de epistolis privatorum affirmamus, intelligi non posse de litteris quas, pro munere suo docendi et regendi, ad omnes ecclesias mittebant summi Pontifices ; supersunt enim plures, et quidem gravissimæ, v. g. ex Gregorio II, Stephano II, Nicolao I, Joanne VIII, S. Gregorio VII, Paschale II, Alexandro III, Innocentio III.

143. *commentarii,*

Etiam minoris momenti sunt morales in scripturas commentarii, iique ex antiquioribus magnam partem deprompti : præstantiores composuerunt S. Isidorus, S. Maximus Abbas, S. Joannes Damascenus, S. Beda, B. Alcuinus, Smaragdus, Drutmarus, Rabanus, Angelomus, Haymo Halberstadiensis, Florus Lugdunensis, Œcumenius, S. Bruno Carthusianus, Paschasius Radbertus, Remigius Autissiodorensis, Odo Cluniacensis, Atto Vercellensis, S. Bruno Herbipolensis, Lanfrancus, Theophylactus, Euthymius, Guibertus de Novigento, S. Bruno Signiensis, Hugo a S. Victore, Honorius Augustodunensis, Gulielmus S. Theoderici, Hervæus Burgidolensis, etc. Inter omnes autem singulari laude dignus est Rupertus Tuitiensis, cujus ingenio debetur nobile specimen theologiæ scripturisticæ ([2]).

144. *sermones,*

Quoad sermones, orationes, homilias, nulla ratione potest hæc ætas cum præcedente conferri ; nihilominus haud spernenda subsidia theologo morali subministrant opera oratoria vel catechetica S. Bonifacii, S. Ambrosii, Autperti, Bedæ, Rabani, Attonis, Ratherii, S. Petri Damiani, S. Anselmi, S. Brunonis Signiensis, Hildeberti, S. Bernardi, Petri Cellensis, Petri Blesensis, etc.

1. De S. Bernardo ejusque scriptis cfr. Vacandart, *S. Bernard.*

2. Opera ejus inscribuntur : *De Trinitate et operibus ejus*, libri 42 ; *De gloria et honore Filii hominis*, libri 12 ; *De glorificatione Trinitatis et processione sancti Spiritus*, libri 9 ; *De victoria verbi Dei*, libri 12.

145. *sententiarum libri partem moralem habentes,*

Jam propria huic epochæ apparent prima tentamina, imo specimina satis perfecta integri systematis theologici, dogmatici simul et moralis. Opera istam indolem præ se ferentia inscribuntur *sententiarum libri, summæ,* etc. Eorum elementa hauriuntur e scriptis antiquiorum seu a traditione petuntur. Ratio distributionis in omnibus substantialiter eadem est : illa nempe quæ jam indicatur in symbolo, et semper postea retenta est : consideratur Deus in sua natura et in suis operibus, in gubernatione supernaturali creaturarum earumque directione in finem. Methodus in priori periodo plerumque mere positiva est, in posteriori positiva simul et speculativa. — Auctores, qui in hac parte excelluerunt vel magis noti sunt, ordine chronologico hic memoramus cum indicatione operum, quæ supersunt et edita fuerunt. Pro prima periodo : S. Isidorus Hispalensis, *sententiarum libri tres* (1) ; Taio Cæsaraugustanus, *sententiarum libri quinque* ex Moralibus S. Gregorii (2) ; S. Joannes Damascenus, *de fide orthodoxa libri quatuor* (3) ; Alcuinus (vel alius), *confessio fidei* (4). — Pro altera periodo : Hildebertus Cenomanensis, *tractatus theologicus* (5) ; Honorius Augustodunensis, *elucidarium* (6) ; Hugo a S. Victore, *summa*

1. Migne LXXXIII, 537. — 2. Migne LXXX, 727. — 3. *Patr. Gr.*, XCIV, 789. In lib. 1° agitur de Deo ; in 2° de creaturis, de homine ejusque potentiis et operationibus ; in 3° de Verbo incarnato ; in 4° de sacramentis. — 4. Migne CI, 1001.

5. Hildeberti editor, postquam adnotavit Rob. Pullum et Pet. Lombardum nonnulla ab Hildeberto mutuasse, ita prosequitur : « Attendat solers lector scholasticos illius ævi theologos, non aliam in suis assertionibus observasse methodum, quam quæ in hoc Hildeberti *tractatu theologico* deprehenditur, licet diversis plerumque sint usi terminis. Sicut enim in exponenda doctrina sua, ut propositiones suas probet, utitur sacræ Scripturæ testimoniis, et sanctorum Patrum et Ecclesiæ doctorum auctoritatibus ; deinde quæ possent illi objici quolibet in articulo seu capite, ipse refert sub verbis : *Quæritur, solet quæri, opponitur,* et similibus, quæ deinde docte omnino et solide solvere non omittit ; sic theologi scholastici, postquam suas assertiones exposuerunt et probaverunt, sibi ipsis ad majorem discussionem et intelligentiam objectiones suscitant sub hac epigraphe : *Objicies,* quas postea ad sua principia reducunt et diluunt. » — Quoniam autem theologia est scientia fidei, scite incipit Hildebertus a brevi consideratione virtutum theologicarum : quem morem etiam secuti sunt Hugo a Sancto Victore, Abaelardus, alii.

6. Migne CLXXII, 1110. Titulus operi *elucidarium* præfigitur, ait Honorius, « quia in eo obscuritas diversarum rerum elucidatur... Fundamentum opusculi supra petram, id est, Christum, jaciatur, et tota machina quatuor firmis columnis fulciatur. Primam columnam erigat prophetica auctoritas ; secundam stabiliat apostolica dignitas ; tertiam roboret expositorum saga-

sententiarum, et *summa de sacramentis christianæ fidei* (1); P. Abaelardus, *sic et non* et *epitome theologiæ christianæ* (2); Robertus Pullus, *sententiarum libri octo* (3); Petrus Lombardus, *sententiarum libri quatuor* (4); Nicolaus Ambianensis, *de arte seu de*

citas; quartam figat magistrorum solers sublimitas. » Jam vero procedit per interrogationes, totumque tractatum in tres libros distribuit: primus est de Deo, hominis creatione et lapsu, incarnatione Verbi et Christi præsentia in Eucharistia; secundus de peccatis et obligationibus; tertius de novissimis.

1. Migne CLXXVI. *Summa sententiarum* septem tractatibus constat: 1° de Trinitate, divinis attributis et incarnatione; 2° de creatione et statu angelicæ naturæ; 3° de creatione et statu humanæ naturæ; 4° de sacramentis in generali et præceptis divinis; 5° de sacramento baptismi; 6° de sacramentis confirmationis, eucharistiæ, pœnitentiæ et extremæ unctionis; 7° de sacramento conjugii. — *Summa de sacramentis christianæ fidei* duplici libro constat: primus, duodecim partibus distinctus, agit de creatione et tempore legis; secundus, octodecim partibus distinctus, agit de incarnatione et tempore gratiæ. — De sua scribendi ratione ita ad *summam sententiarum* Hugo præfatur: « Ubicumque possumus, auctoritatum vestigia sequamur; ubi vero certa deest auctoritas, his potissimum assentiri studeamus, qui maxime auctoribus accedunt, et non de sensu suo præsumentes, scripturas ex pietate interpretantur... Si qua igitur obscura nobis occurrerint, sit nostri propositi primum ad auctoritates recurrere; deinde quod nostri temporis sapientes de illis sentiant in medium conferre; et cur potius hos quam illos imitari placeat (et ratione et auctoritate simul concurrentibus) pro facultate nostra in lucem ponere. » De vita et scriptis Hugonis cfr. Haureau, *Les œuvres de Hugues de Saint-Victor*; Mignon, *Les origines de la scolastique et Hugues de Saint-Victor*.

2. Migne CLXXXVIII. Liber *sic et non* inscribitur, quia in eo referuntur Patrum oppositæ sententiæ de plerisque quæstionibus theologicis, quin tamen conciliatio ostendatur. — In *Theologiæ christianæ epitome*, tractat de Deo, Incarnatione, sacramentis, operibus. De Abælardo, cfr. Ch. de Remusat, *Abélard*; Em. Kaiser, *Pierre Abélard critique*; Denifle, *Cartularium Universitatis Parisiensis*, vol. I, passim.

3. Pulli *sententiæ* prius ab Hug. Mathoud editæ, recusæ prostant apud Migne CLXXXVI.

4. Lombardi opus constat *libris*: libri autem *distinctionibus*: liber primus tractat de Deo, secundus de creatione, hominis operatione, etc., tertius de incarnatione, quartus de sacramentis. Scopum suum in *Prologo* his verbis enuntiat: « In labore multo ac sudore, hoc volumen, Deo præstante, compegimus ex testimoniis veritatis in æternum fundatis... In quo majorum exempla doctrinamque reperies; in quo per dominicæ fidei sinceram professionem, vipereæ doctrinæ fraudulentiam prodidimus, aditum demonstrandæ veritatis complexi, nec periculo impiæ professionis incerti, temperato inter utrumque moderamine utentes. Sicubi vero parum vox nostra insonuit, non a paternis discessit limitibus. Non igitur debet hic labor cuiquam pigro vel multum docto videri superfluus, cum multis impigris, multisque indoctis, inter quos etiam et mihi, sit necessarius, brevi volumine complicans Patrum sententias, appositis eorum testimoniis. » De Petro Lombardo cfr. Protois, *Pierre Lombard, son époque, sa vie, ses écrits, son influence*.

articulis catholicæ fidei libri quinque (1) ; Alanus, *theologicæ regulæ* (2) ; Petrus Pictaviensis, *sententiarum libri quinque* (3). — Ex subjectis notis apparet ubinam, juxta ordinem supra descriptum, in præcitatis operibus sit quærenda principiorum moralium explicatio.

146. *tractatus generales de virtutibus et vitiis,*

Tractatur etiam fere universa moralis, seorsim a dogmatica, libris qui vario titulo inscribuntur, frequentius autem *de virtutibus et vitiis*. Præcipuos auctores ordine chronologico hic etiam indicamus, cum operum quæ supersunt et edita fuerunt, mentione. Scilicet Defensor Locociengis, *scintillarum liber* (4) ; Paulinus Aquileiensis, *liber exhortationis* (5) ; Alcuinus, *de virtutibus et vitiis* (6) ; Jonas Aurelianensis, *de institutione laicali* (7) ; Hincmarus Rhemensis, *de cavendis vitiis et virtutibus exercendis* (8) ; Ratherius Veronensis *præloquiorum libri sex* (9) ; S. Bruno Signiensis, *sententiarum libri sex* (10) ; Hildebertus Cenomanensis, *de honesto et utili* (11) ; Abaelardus, *ethica* seu liber *scito teipsum* (12) ; Petrus Cantor, *verbum abbreviatum* (13).

147. *opuscula de specialibus argumentis moralibus,*

Occurrunt etiam opuscula de specialibus argumentis, minori tamen numero : huc pertinent Agobardi libri *adversus legem Gundobadi, de divinis sententiis, de grandine et tonitruis* (14) ; Rabani, *de magicis artibus* (15) ; Paschasii Radberti scriptum *de fide, spe et charitate* (16) ; Adhelmi liber *de laudibus virgini-*

1. Migne CCX. Ita sui operis, quod communius Alano tribuitur, nomen et distributionem explicat Auctor in suo *Prologo :* « Editionem hanc *artem catholicæ fidei* merito appello. In modum enim artis composita definitiones, distinctiones continet, et propositiones artificioso successu propositum comprobantes. Quinque igitur libris hoc opus distinctum est. Primus agit de una omnium causa, id est, de uno eodemque trino Deo; secundus de mundo, angeli et hominis creatione, et arbitrii libertate ; tertius de Filio Dei incarnato pro homine redimendo ; quartus de sacramentis Ecclesiæ ; quintus de resurrectione mortuorum. »

2. Migne CCX. — 3. Migne CCXI. « Ordinem quinque partitionum distinximus : in prima agendo de fide Trinitatis ; in secunda de rationali creatura ; in tertia de reparatione quæ facta est per virtutum restitutionem ; in quarta de ea quæ semel facta est per Incarnationem ; in quinta de ea quæ quotidie fit per sacramentorum participationem. » Auct. in Prol.

4. Migne LXXXVIII, 595. — 5. Migne XCIX, 198. — 6. Migne CI, 613. — 7. Migne CVI, 122. — 8. Migne CXXV, 857. — 9. Migne CXXXVI, 145. — 10. Migne CLXV, 475. — 11. Migne CLXXI, 1003. — 12. Migne CLXXVIII, 633. — 13. Migne CCV.

14. Migne CIV, 113, 147, 249.; cfr. CXXV, 659, ubi refertur judicium Hincmari. — 15. Migne 1095. — 16. Migne CXX.

tatis [1]; Guiberti de Novigento, tractatus *de virginitate* [2]; Anonymi (int. op. S. Bernardi) liber *de conscientia* [3]; item Petri Cellensis, *de conscientia* [4]; Petri Blesensis opusculum *de amicitia christiana et de charitate Dei et proximi* [5]; S. Petri Damiani, *de eleemosyna* [6]; item Innocenti III, *de eleemosyna* [7]; Guntheri, *de oratione, jejunio et eleemosyna* [8]; Ernaldi liber, *de donis Spiritus sancti* [9].

148. At multa exstant opera de præcipuis christianorum statibus, præsertim de officiis *clericorum* et de obligationibus *principum*.

tractatus de officiis clericorum

Et quidem ad ordinem ecclesiasticum et clericorum officia spectant scripta Agobardi *de modo regiminis ecclesiastici* et *de dispensatione ecclesiasticarum rerum* [10]; Rabani, *de clericorum institutione* [11] et *de ecclesiastica disciplina* [12]; Algeri Leodiensis, *de misericordia et justitia* [13]; S. Petri Damiani, *liber gomorrhianus; de cælibatu sacerdotum; contra intemperantes clericos; contra clericos aulicos, contra inscitiam et incuriam clericorum* [14]; card. Deusdedit, *contra invasores et simoniacos et reliquos schismaticos* [15]; Humberti Sylvæ Candidæ, *contra simoniacos* [16]; S. Bernardi, *de consideratione, ad Eugenium III; de moribus et officio episcoporum, ad Henricum arch. Senonensem; de conversione, ad clericos; de præcepto et dispensatione, ad monachos; de laude novæ militiæ, ad milites templi;* Anonymi *de ordine vitæ et morum institutione* [17]; Gerhrohi Reicherspergensis *de ædificio Dei* et *adversus simoniacos* [18]; Petri Blesensis, *quales sunt,* et *institutio episcopi* [19].

et obligationibus principum,

Ad ordinem politicum et principum ac magistratuum obligationes spectant Sedulii Scoti liber *de rectoribus christianis et convenientibus regulis quibus est respublica rite gubernanda* [20]; Pasilii Imperatoris *Parænesis ad filium;* Theophylacti *Institutio regia*, quibus anterior *Expositio capitum admonitoriorum* Agapeti diaconi, dicata Justiniano; Smaragdi abbatis, *via regia* [21]; Jonæ Aurelianensis opusculum *de institutione regia* [22]; Hinc-

1. Migne LXXXIX, 103. — 2. Migne CLVI, 579. — 3. Migne CLXXXIV, 551. — 4. Migne CCII, 1083. — 5. Migne CCVII, 871. — 6. Migne CXLV, 207. — 7. Migne CCXVII, 747. — 8. Migne CCXII, 97. — 9. Migne CLXXXIX, 1589. — 10. Migne CIV, 189 et 227. — 11. Migne CVII, 294. — 12. Migne CXII, 1191. — 13. Migne CLXXX, 859. — 14. Migne CXLV. — 15. Maii, *Bibl. nov.* — 16. Migne CXLIII, 1005. — 17. Migne CLXXXIV, 559. — 18. Migne CXCIV, 1191 et 1335. — 19. Migne CCVII, 1005 et 1098. — 20. Migne CIII, 291. — 21. Migne CII, 931. — 22. Migne CVI, 279.

mari, *de regis persona et regio ministerio; de fide Carolo regi servanda; novi regis instructio ad rectam regni administrationem; de institutione Carlomanni; de coercendo raptu viduarum* (1); Helinandi, *de bono regimine principis* (2); Joannis Sarisberiensis *polycraticus sive de nugis curialium et vestigiis philosophorum* (3).

de utriusque potestatis relationibus;

Utriusque ordinis, politici et ecclesiastici, relationes explicant Agobardus, *de comparatione regiminis ecclesiastici et politici; de privilegio et jure sacerdotii* (4); Hincmarus, *pro Ecclesiæ libertatum defensione* (5); S. Petrus Damianus, *disceptatio synodalis inter regis advocatum et romanæ Ecclesiæ defensorem* (6); Goffridus Vindocinensis, *de ordinatione episcoporum et de investitura laicorum* (7); Hugo Floriacensis, *de regia potestate et sacerdotali dignitate* (8); Honorius Augustodunensis, *summa gloria de Apostolico et et Augusto* (9).

149. *libri polemici;*

Nec defuit moralis christianæ plena defensio adversus ejus corruptores, Manichæos, Catharos, Waldenses: rem egregie præstiterunt Petrus Venerabilis, in libro *adversus Petrobrusianos* (10); Bernardus Fontis Callidi, *adversus Waldensium sectam* (11); Bonacursus, *contra Catharos* (12); Alanus, *adversus hæreticos* (13).

150. *tractatus de Eucharistia,*

Majori adhuc sollicitudine tractantur, præsertim ætate vere liturgica Caroli Magni ejusque successorum, ea quæ pertinent ad cultum et servitium divinum. Imprimis Eucharistiæ sacramentum et sacrificium, in quo reperitur cultus substantia, egregie explicatur, ab ineptiis Joannis Scoti vindicatur, et contra Berengarii hæresim docte propugnatur. De corpore et sanguine Domini scripserunt priori periodo: S. Paschasius Radbertus (14), S. Joannes Damascenus (15), Ratramnus (16), Adrevaldus (17), Gezo (18), Gerbertus (19); posteriori autem periodo: Adelmannus (20), Durandus abbas (21), Guitmundus (22), Lanfrancus (23), Honorius Augustodunensis (24), Gulielmus

1. Migne CXXV, 833. — 2. Migne CCXII, 735. — 3. Migne CXCIX, 389. — 4. Migne CIV. — 5. Migne CXXV. — 6. Migne CXLV. — 7. Migne CLVII. — 8. Migne CLXIII. — 9. Migne CLXXII. — 10. Migne CLXXXIX, 719. — 11. Migne CCIV, 795. — 12. Migne CCIV, 775. — 13. Migne CCX, 305. — 14. Migne CXX, 1267. — 15. Migne, *Pat. Græc.*, XCV, 402. — 16. Migne, CXXI, 103. — 17. Migne CXXIV, 948. — 18. Migne CXXXVII, 371. — 19. Migne CXXXIX, 177. — 20. Migne CXLIII, 1289. — 21. Migne CXLIX, 1375. — 22. Migne CXLIX, 1427. — 23. Migne CL, 407. — 24. Migne CLXXII, 1249.

S. Theodorici [1], Algerus Leodiensis [2], Balduinus Cantuariensis [3], etc. — Eucharistiæ celebrationem accurate exposuerunt Anonymus, quem S. Isidorum aliqui putaverunt [4], Florus Lugdunensis [5], Remigius Autissiodorensis [6], Odo Cameracensis [7], Stephanus de Balgiaco [8], Hildebertus Cenomanensis [9], Joannes Cornubiensis [10], Innocentius III [11]. — Materiam Eucharistiæ in controversia de azymo et fermentato docte explicarunt Humbertus Sylvæ Candidæ [12], S. Anselmus Cantuariensis [13], Anselmus Havelbergensis [14]. — Alia sacramenta in particulari minus frequenter tractata fuerunt ; scripserunt tamen de baptismo Leidradus [15], S. Ildefonsus Toletanus [16], Amalarius [17], Theodulfus Aurelianensis [18], Maxentius [19], S. Bernardus, alii ; de matrimonio Rabanus [20], S. Petrus Damianus [21], S. Anselmus [22], Ernulfus Roffensis [23]. — Simul autem sacrificium, sacramenta, publicas orationes, sacras functiones multi illustrarunt tractatibus mystico-liturgico-moralibus, qui inscribuntur *de officiis ecclesiasticis, de sacris ordinibus, de sacramentis Ecclesiæ, de divinis officiis, speculum Ecclesiæ,* etc. Præcipui sunt S. Isidorus Hispalensis [24], Rabanus [25], Joannes Rothomagensis [26], Drogo Cardinalis [27], Rupertus [28], Honorius Augustodunensis [29], Joannes Beleth [30], Henricus Card. [31], Siccardus [32]. — His tandem jungi debent quæ de cultu imaginum reliquerunt S. Joannes Damascenus [33], Theodorus Studita [34], Nicephorus [35], item, (licet minus

de cæteris sacramentis,

de officiis ecclesiasticis ;

1. Migne CLXXX, 345. — 2. Migne CLXXX, 739. — 3. Migne CCIV, 405. 4. Migne LXXXIII. 1146. — 5. Migne CXIX, 15. — 6. Migne CI, 1146. — 7. Migne CLX, 1053. — 8. Migne CLXXII, 1271. — 9. Migne CLXXI, 1153. — 10. Migne CLXXVII, 457.

11. Migne CCXVII, 763. A libro quarto operis Innocentii *de sacro altaris mysterio,* desumpta est *expositio Missæ,* quam sub nomine S. Petri Damiani vulgavit Card. Maii.

12. Migne CXLIII, 929. — 13. Migne CLVIII, 542. — 14. Migne CLXXXVIII, 1209. — 15. Migne CIX, 855. — 16. Migne XCVI, 111. — 17. Migne XCIX, 887. — 18. Migne CV, 223. — 19. Migne CVI, 51. — 20. Migne CX, 1087. — 21. Migne CXLV, 191.

22. Migne CLXIII, 557. — 23. Migne CLXIII, 1457. — 24. Migne LXXXIII, 757. — 25. Migne CXII, 1166.

26. Migne CXLVII, 13. — 27. Migne CLXVI, 1557. — 28. Migne CLXX, 11. — 29. Migne CLXXII, 541.

30. Migne CCII, 9. — 31. Migne CCIV, 251. — 32. Migne CCXIII, 13.

33. Migne, *Pat. Gr.,* XCIV, 1227 ; XCVI, 1347. — 34. Migne, *Pat. Gr.,* XCIX, 327. — 35. Migne, *Pat. Gr.,* C, 533.

accurate), Auctor *librorum Carolinorum* (1), Agobardus (2), Jonas Aurelianensis (3).

Tandem accedamus ad opera canonico-moralia, per eam epocham in dies ampliora et abundantiora ; intelligimus *collectiones decretorum* et *libros pœnitentiales*. 151.

collectiones decretorum,

Decretorum collectiones composuerunt S. Isidorus Hispalensis vel alius vetustus auctor (4), Crisconius Africanus (5), Egbertus Eboracensis (6), Abedoc et Ethelwolfus Hiberni (7), Angelramnus Metensis (8), Radulfus Bituricensis (9), Walterus Aurelianensis (10), Isaac Lingonensis (11), Regino Prumiensis (12), Atto Vercellensis (13), Abbo Floriacensis (14), Burchardus Wormatiensis (15), Anselmus Lucensis (16), Bonizo

1. Migne XCVIII, 599. — 2. Migne CIV, 199. — 3. Migne CVI, 305.

4. Migne LXXIV. Collectioni canonum præmittuntur *excerpta canonum decem libris comprehensa,* quibus materiæ synthesis pulchra continetur ; in libro enim 1° agetur de institutionibus clericorum ; in 2° de institutionibus monasteriorum et monachorum, atque ordinibus pœnitentium ; in 3° de institutionibus judiciorum et gubernaculis rerum ; in 4° de institutionibus officiorum et ordine baptizandi ; in 5° de diversitatibus nuptiarum et scelere flagitiorum ; in 6° de generalibus regulis clericorum cæterorumque christianorum et regimine principali ; in 7° de honestate et negotiis principum ; in 8° de Deo et de his quæ sunt credenda de illo ; in 9° de abdicatione hæreticorum et usibus eorum ; in 10° de idololatria et cultoribus ejus ac de scriptis pacis et muneribus missis.

5. *Breviarium canonum,* Migne LXXXVIII. 830. — 6. *Excerptiones e dictis et canonibus sanctorum Patrum.* Migne LXXXIX, 379. — 7. Collectio constans 65 libris in plura capitula distributis, Migne XCVI, 1279. — 8. Migne XCVI, 1031. — 9. Migne CXIX, 703. — 10. Migne CXIX, 725. — 11. Migne CXXIV, 1075.

12. *De ecclesiasticis disciplinis libri duo ;* in libro 1° inquiritur de his quæ Episcopus vel ejus ministri in suo districtu vel territorio inquirere debeant per vicos, pagos atque parochias suæ diœceseos (capitula 443) ; in libro 2° percurritur quid cum sæcularibus et laicis sit agendum (capitula 446), Migne CXXXII, 185.

13. Migne CXXXIV, 27. — 14. Migne CXXXIX, 473.

15. *Decretorum libri XX ;* 1us de primatu Ecclesiæ ; 2us de sacris Ordinibus ; 3us de Ecclesiis ; 4us de sacramento Baptismatis et Confirmationis ; 5us de sacramento Corporis et Sanguinis Domini ; 6us de homicidiis ; 7us de incœstu ; 8us de viris ac fœminis Deo dicatis ; 9us de fœminis non consecracratis ; 10us de incantatoribus et auguribus ; 11us de excommunicatione ; 12us de perjurio ; 13us de jejunio ; 14us de crapula et ebrietate ; 15us de laicis ; 16us de accusatoribus et testibus ; 17us de fornicatione ; 18us de visitatione infirmorum ; 19us de pœnitentia ; 20us de contemplatione.

16. Anselmi collectio distributa est in XIII libros: 1us de primatu et excellentia Romanæ Ecclesiæ ; 2us de primatu Romanæ Ecclesiæ et libertate appellationis ; 3us de ordine accusandi, testificandi et judicandi ; 4us de auctoritate privilegiorum ; 5us de jure et ordinatione et statu Ecclesiarum ;

Sutriensis (1), Deusdedit (2), Ivo Carnotensis (3), Gregorius (4), Gratianus (5). Placuit notis subjicere indicationem materiarum his operibus contentarum : qui enim eas consideraverit, facile perspiciet fere universam moralem in eis reperiri, atque exinde ortam esse subsequenti ætate theologiam casuisticam (6).

libri pœnitentiales.

Suos pœnitentiales libros habuerunt Græci : eos ediderunt Joannes Jejunator (7), Theodorus Studita (8), Nicephorus Const. (9). — Innumeri autem fuerunt apud Latinos, qui etiam dicebantur *de remediis peccatorum, de mensura pœnitentiarum :*

6us de electione et ordinatione et de omnipotestate sive statu episcoporum ; 7us de ordinatione presbyterorum, diaconorum et reliquorum ordinum ; 8us de lapsis ; 9us de sacramentis ; 10us de conjugiis ; 11us de pœnitentia ; 12us de excommunicatione ; 13us de vindicta et persecutione.

1. Bonizonis collectio in x libros distributa est : 1us de baptismo ; 2us de episcopis ; 3us de metropolitanis ; 4us de excellentia Romanæ ecclesiæ ; 5us de secundi ordinis sacerdotibus ; 6us de monachis ; 7us de regibus et de judicibus ; 8us de subditis ; 9us de peccatorum remediis ; 10us de pœnitentia.

2. Collectio card. Deusdedit ann. 1869 Venetiis prodiit cura Pii Martinucci.

3. Ivoni attribuuntur *decretum* et *panormia*. *Decretum* constat 17 partibus : 1a de fide ; 2a de corpore et sanguine Domini ; 3a de ecclesia ; 4a de festivitatibus et jejuniis ; 5a de primatu Romanæ Ecclesiæ ; 6a de clericis ; 7a de monachis ; 8a de conjugiis ; 9a de incœsta copulatione ; 10a de homicidiis ; 11a de incantationibus ; 12a de mendacio et perjurio ; 13a de raptoribus ; 14a de excommunicatione ; 15a de pœnitentia ; 16a de officiis laicorum ; 17a de fide, spe et charitate. — *Panormia* constat 8 libris : 1o de fide, baptismo, confirmatione, eucharistia ; 2o de constitutione ecclesiarum et oblatione fidelium, de sepulturis, decimis, præscriptione et possessione, etc., de legibus, eleemosyna, observatione diei dominicæ ; 3o de Pontifice, episcopis, sacerdotibus, religiosis, monialibus ; 4o et 5o de primatu Romanæ Ecclesiæ, synodis, judiciis, etc. ; 6o et 7o de nuptiis et matrimoniis ; 8o de homicidiis. Cfr. de Ivone Paul Fournier, *Yves de Chartres et le droit canonique*.

4. Gregorii collectio dicta *policarpus* libris VIII constat.

5. Gratiani *Decretum* a collectionibus anterioribus ordine prorsus differt. Durum est Em. Pitra de eo recens judicium : « En posant sa triple et fameuse distinction des personnes, des causes et des choses sacrées, il renversa le plan de l'école Grégorienne ; il relégua au dernier rang la *consécration*. Commençant par le droit naturel et positif, il ramenait la science canonique au pur naturalisme, et par le défilé des distinctions et des causes, il se renfermait dans le terre à terre du droit pratique casuistique. » *Op. cit.*, 143.

6. Cæterum de his collectionibus cfr. Ballerini, *De antiquis collectionibus et collectoribus canonum* ; Theiner, *Disquisitiones criticæ* ; Maassen, *Bibl. lat. jur. can.* ; Pitra, *Jur. eccl. Græc. hist. et mon.* De collectione vero Pseudo-Isidoriana, Hinschius, *Decretales Pseudo-Isid. et Cap. Angelramni*.

7. *Consequentia et ordo erga eos qui confitentur*. *Pat. Gr.*, LXXXVIII, 1889.

8. *Canones de confessione et pro peccatis satisfactione*. *Pat. Gr.*, XCIX, 1721.

9. *Pat. Gr.*, C, 855.

omnes, ut videtur, derivati a primitivo Romano (1). Cum autem annorum decursu facile vitiarentur, de exemplarium correctione vel etiam abolitione non semel in conciliis actum est (2). Celebriores præ se ferunt nomina S. Columbani (3), Cummiani (4), Egberti (5), Theodori Cantuariensis (6), Rabani (7), Halitgarii Cameracensis (8); tribuuntur etiam libri pœnitentiales Alano de Insulis (9), Petro Pictaviensi, Roberto de Flamesbure, Magistro Joanni de Deo. — Ex quibus concludi potest non fuisse his temporibus eam librorum moralium penuriam quam alii extollunt, deplorant alii.

Quum ad terminum hujus ætatis perventum sit, juverit eam 152.
generali quodam conspectu perlustrare, ut perspiciatur quanta fuerit sub ipsa scientiæ progressiva evolutio. Theologiæ moralis ædificium a Clemente Alexandrino in *pædagogo* et *stromatibus* et a primis canonum collectoribus inchoatum, fere erectum apparet in utraque *summa* Hugonis et in *decreto* Ivonis ; plures ejus partes, initio tenues et minutæ, ita decursu temporum auctæ fuerunt, ut, primo aspectu, ipsis vix aliquid deesse videatur. Multa tamen adhuc manent perficienda. Ampliandum, confirmandum, decorandum est ipsum ædificium ; quædam partes adjungendæ, quarum elementa dispersa vagantur, v. g. de actibus humanis, de conscientia, de legibus, de justitia; aliæ convenientiori loco statuendæ, v. g. de pœnitentia, de matrimonio : qui labor sequentis erit ætatis.

1. Libros pœnitentiales collegerunt vel eorum historiam scripserunt, Antonius Augustinus, *Can. pœn.;* Joannes Morinus, *De disciplina in adm. sacram. pœn.*; Jacobus Petit, *Theodori Cant. pœn.;* Lucas d'Achery, *Coll. ant. can. pœn.* (in spicil.); A. Wasserschleben, *Die Bussordnungen der abendlandischen Kirche* et Jos. Schmitz, *Die Bussbücher und die Bussdisciplin der Kirche.*

2. Conc. Turonense III, ann. 813, cap. 22 ; Cabilonense II, ejusdem anni, can. 38 ; Parisiense, ann. 829.

3. *De pœnitentiarum mensura taxanda* (42 capitula) ; Migne LXXX, 228. Cfr. Malnory, *De Luxoviensibus monachis.*

4. *De mensura pœnitentiarum* (cap. 14); Migne LXXXVII, 979.

5. *Pœnitentiale,* quatuor libris constans ; Migne LXXXIX, 401.

6. *Pœnitentiale et capitula;* Migne XCIX, 927.

7. *Pœnitentium liber;* Migne CXII, 1397.

8. *De vitiis et virtutibus et de ordine pœnitentium libri quinque;* item *liber pœnitentialis e scrinio Romanæ Ecclesiæ assumptus;* Migne CV, 651.

9. Migne CCX, 281.

Caput II.

De scientia morali Theologorum ætate.

153. *Character generalis.*

Scientiæ sacræ tractatio hac ætate plerumque *scholastica* est ; locum enim habet in scholis, opera magistrorum, in favorem discipulorum. Hinc *universalis* est, totum revelationis ambitum complectens ; *systematica,* partes harmonice distribuens in unum corpus organicum ; *didactica,* ad formam et necessitates lectionum elaborata ; *speculativa,* penitiori veritatum explicationi prospiciens. Duplex epocha in ea ætate distingui debet : una a sæculo XII labente ad sæculi XVI pseudo-reformationem ; altera a sæculi XVI primordiis ad nostri temporis renovationem.

ARTICULUS PRIMUS.

De scientia morali in prima Theologorum epocha.

154. *Præparatio.*

Præparatam fuisse hanc epocham a scriptoribus anterioribus, supra ostendimus ; non solum enim doctrina traditionalis in unum collecta erat et claris explicationibus illustrata, verum etiam in his explicationibus nova methodus adhiberi cœperat. Nempe ab initio sæculi XII plures exstiterant qui, influxu librorum Aristotelis, abundantius quam antea dialecticæ usum in theologiam induxerunt. Ex his quidem nonnulli, uti Abælardus et Gilbertus Porretanus, vario modo peccarunt, ita ut ab Ecclesia reprobari debuerint, et contra ipsam methodum concitaverint præjudicia multorum, qui prudentiores vel timidiores, antiquo mori magis positivo addicti erant. Mox tamen Lombardus, utriusque partis merita ita feliciter conjunxit, ut non solum animos paulatim ad unitatem reduxerit (1), verum etiam per totam novam ætatem *magister* acceptus fuerit.

1. Dicimus animos *paulatim* ad unitatem revocatos ; nam Lombardo adversarii acerrimi non defuerunt, v. g. Abbas Joachim, Joannes Cornubiensis, *Eulogium ad Alexandrum Papam,* ac præ cæteris Walterus S. Victoris, celebri libro *de quatuor Franciæ labyrinthis* (Abælardo, Gilberto, Lombardo, Petro Pictaviensi). De Joachimo abbate cfr. Gebhart, L'*Italie mystique ;* Paul Fournier, *Joachim de Flore* et le *liber de vera philosophia.*

JAM ista epocha in duplicem periodum dividitur : prima, quæ per antonomasiam *scholastica* vocatur, et vere aurea est, protenditur usque ad sæculum XIV adolescens ; ejus autem culmen habetur intra annos 1230 et 1280 ; secunda, quæ majorem sæculi XIV partem et integrum sæculum XV comprehendit, sub omni respectu inferior fuit. 155. *Duplex periodus : perfectionis et lapsus.*

CAUSÆ, vel instrumenta, vel occasiones progressus et mirabilis perfectionis in prima periodo hæc potissimum fuerunt : — *a*/ Ecclesiæ longa certamina pro sua libertate, victoriæ tandem ab ipsa relatæ, mox etiam celebratio magni concilii Lateranensis : exinde enim provenerunt copiosi fructus sanctitatis et doctrinæ ; — *b*/ institutio novorum ordinum religiosorum, qui, sanctæ juventutis ardore pleni, atque ad docendum brevi admissi, egregios scientiæ operarios protulerunt ; — *c*/ universitatum et academiarum erectio, extensio ; — *d*/ operum Aristotelis versio sincerior, et hinc generalior eorum usus concessus a Pontificibus (1) ; item juris romani perfectior cognitio ; — *e*/ tandem necessitas efficacis defensionis veritatum revelatarum contra falsam Arabum mahumetanorum philosophiam. His aliisque de causis orta est renovatio seu *renascentia* fortasse profundior et generalior ea quæ sæculo XV locum habuit ; renovatio illa seu mutatio simul fuit philosophica, — theologica, — juridica, (per Irnerium et Gratianum), — ascetica (per S. Franciscum et S. Dominicum), — liturgica, — artistica (in stylo Gothico), — politica, (per evolutionem communitatum), — œconomica. 156. *Perfectionis causæ*

Scientiæ sacræ characteres per eam periodum sequentes apparent : *a*/ Theologia est plena, ampla, una : omnes veritates expenduntur, sub quocumque respectu, adversus quoscumque errores : hinc librorum moles in immensum crescit (2). — *b*/ Hæc autem theologia informatur philosophia vere christiana ; scilicet veterum sapientia, principiis christianis perfecta et *et scientiæ characteres in prima periodo.*

1. Cfr. Launoy, *De varia Aristotelis fortuna in academia Parisiensi*. Denifle, *Cartularium Universitatis Parisiensis*, vol. I ; Hauréau, *Histoire de la philosophie scholastique*.

2. Compara v. g. alterutram *summam* Hugonis a S. Victore, cum S. Thomæ *summa* vel cum antiquiore *summa* Alex. Alensis, quam Rogerius Baconus dicebat esse « plus quam pondus unius equi. »

correcta (1), explicationi veritatum revelatarum servire cogitur, ita ut obtineatur felix illud fidei et rationis *connubium,* sine quo vera theologia non existit (2). Sicut enim ad fidem necessaria est ratio, ita ad fidei scientiam seu theologiam necessaria est philosophia ; tanta autem est ista philosophiæ ad theologiam necessitas, ut, experientia teste, pro vario systemate philosophico quo theologus imbuitur, variam theologia indolem accipiat. — *c/* Præterea est theologia hac periodo perfecte analytica : singula materia in suas partes logice dividitur ac subdividitur, donec ad propositionem bene determinatam perveniatur ; statuta autem propositione, afferuntur quæ ei vel favent vel obstant, postea veritas explicatur, et, si necesse sit, specialis difficultatum solutio datur (3). — *d/* Tandem est absolute didactica, imo et technica ; forma ejus simplex et concisa, minime oratoria vel litteraria, nec tamen barbara aut inconcinna.

157. *Lapsus causæ*

Causæ vel occasiones lapsus in secunda periodo præcipuæ sunt : — *a/ philosophica,* nominalismi propagatio ; — *b/ politica,* dissidium inter Ecclesiam et statum; — *c/ ecclesiastica* et *religiosa,* dissensiones inter filios S. Francisci, postea magnum schisma occidentale et hæresis Wicleffiana ; — tandem *d/ moralis,* vitæ nempe corruptio non solum inter fideles, sed etiam inter clericos.

Fit autem theologia per eam periodum minus ampla, minus originalis, minus elegans, minus synthetica. — Deformatur

1. Cfr. Talamo, L'*Aristotelismo nella scolastica ;* Schneid, *Aristoteles und die Scholastik.*

2. Cfr. Leonis XIII encyclica *Æterni Patris.*

3. Methodus ista, si pars ejus substantialis spectetur, in humanæ rationis legibus fundatur, et semper adhibita est ; si vero consideretur pars *formalis* et *technica,* successivam evolutionem habuit. Jam aliquod ejus specimen deprehenditur apud Hildebertum ; Abælardus in suo *sic et non* circa unamquamque quæstionem retulit oppositas Patrum sententias, quin tamen eorum conciliationem tentaret ; Lombardus, Abælardi discipulus, deinde Altissiodorensis et Alensis, non solum textus apparenter oppositos referunt, sed etiam eos componunt ; primi Magistri commentatores, nominatim S. Bonaventura et S. Thomas, ad singulas quæstiones allegant auctoritates et rationes in utramque partem, deinde sententiam suam eligunt et exponunt, postea opposita diluunt ; magis adhuc symmetrice, ut ita dicam, procedit Angelicus in sua *summa :* solet enim *tria argumenta* afferre contra doctrinam quam defensurus est, et *unam auctoritatem* in ejus favorem ; deinde ad quæstionis articulum *respondet,* et difficultates solvit.

etiam intollerabili abusu distinctionum nimis subtilium. — Tractantur materiæ particulares, potiusquam universales summæ componantur. — Ratione etiam circumstantiarum fit ut quæstionibus theoreticis præferantur polemicæ, politicæ, practicæ. *et scientiæ characteres in secunda periodo.*

158. Ex dictis apparet integram hanc epocham vocari posse e suis præcipuis characteribus, *lombardianam* et *academicam ;* dici etiam debet *peripatetica,* potius quam *augustiniana* (1); quatenus peripatetica, est pure *aristotelica,* brevi exclusa omni labe Averroismi (2). Præterea recte dicitur ratione status scriptorum, *regularis* magis quam *sæcularis* (3), quatenus autem regularis, est maxime *dominicana* et *franciscana.*

Duplex schola ; thomistica et scotistica, Quum solius scientiæ moralis vices exponere intendamus, nostri non est ostendere : — diversam ab ipsa origine fuisse theologiæ indolem apud Dominicanos et Franciscanos ; « Alii enim (Prædicatores) principaliter intendunt speculationi, et postea unctioni ; alii (Minores) principaliter unctioni, et postea speculationi (4) » — mox graviora dissidia inter magistros utriusque ordinis nata esse ; — acriter impugnatam S. Thomæ doctrinam a Gulielmo De la Mare (5) et Joanne Peckam (6) ; — constitu-

1. Cfr. de doctrina Augustiniana, O. Rottmanner, *Der Augustinismus ;* Werner, *Der Augustinismus des Späteren Mittelalters.* Characteres præcipui doctrinæ Augustinianæ sunt : absentia distinctionis formalis inter philosopiam et theologiam, seu inter veritates rationales et veritates revelatas ; præeminentia notionis boni super notionem veri, voluntatis super intellectum. Augustinianæ doctrinæ hac epocha adhæserunt Gulielmus Parisiensis, Henricus Gandavensis, Ægidius Romanus, etc.

2. Cfr. Mandonnet, *Siger de Brabant et l'Averroïsme latin au XIII^e siècle.*

3. Mandonnet, op. cit.

4. S. Bonaventura, *Opera,* tom. V, pag. 440.

5. Auctor est *Correctorii Thomæ ;* cfr. de ipso *Hist. litt.,* XXI, 299.

6. Cfr. De Rubeis *in S. Thomæ lib. sent. diss. 2 et 3 ;* Duplessis d'Argentré, *Coll. jud.,* I, 128. Hæc leguntur in processu Canoniz. S. Thomæ : « Item dixit idem testis se audivisse a pluribus patribus prædicatoribus fide dignis, quod quando idem frater Thomas una vice disputabat Parisiis, ubi erat frater Joannes de Pekamo, ordinis fratrum minorum, qui fuit postea archiepiscopus Cantuariensis ; quantumcumque dictus frater Joannes exasperaret eumdem fratrem Thomam verbis ampullosis et tumidis, nunquam tamen ipse frater Thomas restrinxit verbum humilitatis, sed semper cum dulcedine et humanitate respondit. » Ap. Boll. c. IX, n° 77. Ipse Joannes Peckam, scribens die 7 Dec. 1284, ad cancellarium Oxoniensem, vehementer redarguit quosdam prædicatores, qui ausi sunt se publice jactitare doctrinam veritatis plus in suo ordine, quam in alio sibi contemporaneo viguisse,

tam a Gulielmo Warone ejusque discipulo Joanne Duns Scoto scholam scotisticam thomisticæ adversam ; — e schola scotistica ortam Ockami Nominalium sectam ; dum autem franciscani in duas factiones scindebantur, similer dominicani oppositas tendentias sequebantur, aliis S. Thomæ fidelioribus, aliis liberioribus.

His igitur prætermissis, potius e re nostra est ut indicemus in quibus Thomistæ a Scotistis discrepent relate ad quæstiones morales. Præter augustinianam doctrinam de notionibus boni et veri et de præeminentia voluntatis in intellectum, de quibus dictum est, præcipuæ differentiæ sunt sequentes : *a*/ Apud Thomistas moralitas determinatur ex rerum natura et fine intrinseco operationum ; apud Scotistas, potius ex libera Dei voluntate ; — *b*/ hinc Thomistæ absolutam propugnant necessitatem et immutabilitatem legis naturalis, non ita Scotistæ, saltem quoad præcepta secundæ tabulæ ; — *c*/ item distinctio peccati mortalis a veniali magis fundamentalis est apud Thomistas quam apud Scotistas ; — *d*/ præterea discrepant circa prima principia vitæ supernaturalis, nempe connexionem habituum cum gratia sanctificante, infusionem virtutum mo-

etiam in moralibus sibi invicem adversa.

cujus contrarium quia tenere putamus viros majores et sapientiores ecclesiæ militantis, ipsam eorum jactantiam asserimus esse falsam, quod non esset difficile declarare, nisi comparatio esset odiosa, comparando scilicet scripta scriptis, personas personis et labores laboribus satis notis. » Paulo post 1 Januarii 1285, scribens ad Papam, prædicatores acriter denuntiat, postulando ut summus Pontifex attendere dignetur quod « cum doctrina duorum ordinum in omnibus pene dubitabilibus sibi pene penitus hodie adversetur, cumque doctrina alterius eorumdem, abjectis et ex parte vilipensis Sanctorum sententiis, philosophicis dogmatibus quasi totaliter innitatur, ut plena sit idolis domus Dei, et languore pugnantium quæstionum.» Iterum scribit 7 Junii 1285, ad episc. Lincolniensem stylo adhuc vehementiori : « Noverit ipse quod philosophorum studia minime reprobamus, quatenus mysteriis theologicis famulantur, sed profanas vocum novitates, quæ contra philosophorum veritatem, sunt in Sanctorum injuriam citra viginti annos in altitudines theologicas introductæ, abjectis et vilipensis Sanctorum assertionibus evidenter. Quæ sit ergo solidior et sanior doctrina vel filiorum beati Francisci, sanctæ scilicet memoriæ fratris Alexandri et fratris Bonaventuræ et consimilibus, qui in suis tractatibus ab omni calumnia alienis, sanctis et philosophis innituntur, vel illa novella quasi tota contraria, quæ quidquid docet Augustinus de regulis æternis, de luce incommutabili, de potentiis animæ, de rationibus seminalibus inditis materiæ, et consimilibus innumeris, destruit pro viribus et enervat, pugnas verborum inferens toti mundo. Videant antiqui in quibus est sapientia, videat et corrigat Deus cœli. »

ralium ; — *et* tandem in sacramentis non pauca sunt quæ diversimode ab utrisque explicantur (1).

159. Per utramque modo descriptam periodum, tractatur theologia moralis simul cum dogmatica in *commentariis* (2), in *quæstionibus quodlibetalibus* et *disputatis,* in *summis* et *compendiis :* quæ diversæ librorum formæ a moribus scholæ originem habuerunt.

Commentarii in Magistrum.

Etenim in universitate Parisiensi, saltem a tempore quo Mendicantes ad cathedram in ipsa habendam admissi sunt, lectio super *librum sententiarum,* lege vel consuetudine, ad dignitatem magistralem aspirantibus præscripta fuit (3). Hæc est causa cur tot scripti fuerint commentarii *in sententias,* iique haud raro primi laboris indicia præ se ferant. Hujusmodi opera initio quidem nomini suo respondebant; scilicet Magistri textus exponebatur, dividebatur, propositis quæstionibus declarabatur (4). Mox tamen littera ita passim derelicta videtur ut non fuerit nisi occasio easdem materias tractandi. Primi commentatores fuerunt B. Albertus Magnus et S. Bonaventura (5) ; post eos proxime veniunt S. Thomas et Petrus

1. Cfr. card. Sarnanus, *Conciliatio dilucida omnium controversiarum inter Thomam et Scotum ;* Fr. Macedo, *Collationes doctrinæ S. Thomæ et Scoti ,* Marcus a Boduino, *Paradisus theologicus unius ac trium doctorum, Angelici, Seraphici ac Subtilis ;* Fulg. Stella. ap. *Analecta Juris Pontificii,* III, 936 ; Scheeben, I, 1062.

2. Vere *commentatrix* est hæc epocha ; *commentariis* enim illustrabant theologi (præter S. Litteras et Lombardi sententias), opera Areopagitæ, Boetii, S. Augustini.

3. S. Thomæ et S. Bonaventuræ coæqualis, Rogerius Baconus, excellentiam *libri sententiarum* non agnoscebat : « mirum est, ait, quod sic est exaltatus *liber sententiarum,* quum *liber historiarum* (Petri Comestoris) est magis proprius theologiæ. » Hinc, in scripto ad Pontificem, morem commentandi sententias reputabat unum ex *peccatis* studii theologici suo tempore : « Quartum peccatum est quod per Franciam una summa magistralis textus facultatis theologiæ sit *liber sententiarum ;* nam ibi est tota gloria theologorum ; et postquam illum legit quilibet, jam præsumit se de magistro theologiæ. » Commentatores autem parvi pendebat, imo prorsus contemnebat, etiam B. Albertum Magnum. Cfr. Em. Chasles : *Roger Bacon,* et C. Narbey, *Le moine Roger Bacon,* ap. *Rev. des quest. hist.,* XXXV, 115.

4. Cfr. S. Thomas, S. Bonaventura, Durandus.

5. B. Albertus Magnus commentarium suum scripsit circa ann. 1248, forte etiam ab anno 1245 ; S. Bonaventura intra annos 1248 et 1256. Commentarius S. Bonaventuræ omnium optimus habetur ; fatendum tamen in eo multa ex *summa* Alex. Alensis desumpta reperiri. Cfr. Nov. edit. opp. S. Bonaventuræ *Prol. in lib. I sent.* c. 1.

de Tarentasia (1), Richardus de Media villa (2), Joannes Duns Scotus (3). Deinde longa serie sequuntur : — thomistæ Hervæus Natalis (4), Petrus Paludanus, Joannes Capreolus (5), Sylvester Prieras ; — dominicani a S. Thoma recedentes Durandus a S. Portiano (6) et Robertus Holkot (7) ; — scotistæ (præter Raymundum Lullum) (8), Petrus Aureolus (9), Franciscus Mayronis, Antonius Andreas, Joannes de Bassolis, Petrus Aquilanus dictus *Scotellus,* Nicolaus de Orbellis ; — nominales Gulielmus Ockam (10), Adamus Goddam, Petrus Allia-

1. S. Thomas suum commentarium scripsit post ann. 1256 ; Petrus a Tarentasia post ann. 1269.

2. De Richardo cfr. R. P. Prosper de Merigny, *La scolastique et les traditions franciscaines.*

3. Scoti opera edidit Luc. Waddingus, 12 vol. in-fol. ; novissime reimpressa sunt, 18 vol. in-4° ; cfr. Pluzanski, *Essai sur la philosophie de Duns Scot.*

4. Commentarii ejus prodierunt Parisiis 1647.

5. « Commentarios Joannis Capreoli in 4 libros sententiarum recensuit, notis auxit et illustravit Mathias Aquarius, Ven. 1589, 4 vol. in-fol. Adjecit singulis Capreoli scriptis *conclusiones S. Thomæ ;* ad calcem vero vol. quarti subjiciuntur *controversiæ inter D. Thomam et cæteros theologos ac philosophos.* Hisce diebus prodit nova editio operis Capreoli, sub titulo : *Defensiones theologiæ divi Thomæ.* Capreoli biographiam vide apud *Revue thomiste,* vol. 7.

6. Quæ fuerit apud Durandum ingenii libertas discimus ex *commentarii* præf. : « Modus loquendi ac scribendi in cæteris, quæ fidem non tangunt, est, ut magis innitamur rationi quam auctoritati cujuscumque doctoris, quantumcumque celebris vel solemnis ; et parvipendatur omnis humana auctoritas, quando per rationem elucescit contraria veritas. Quamvis enim captivandus sit intellectus noster in obsequium Christi, et in his, quæ fidem tangunt, plus acquiescere debeamus auctoritati S. Scripturæ quam cuicumque rationi humanæ... tamen omnis homo dimittens rationem propter auctoritatem humanam, incidit in insipientiam bestialem... Compellere vel inducere aliquem ne doceat vel scribat dissona ab iis, quæ determinatus doctor scripsit, est talem doctorem præferre sacris doctoribus, præcludere viam inquisitioni veritatis... Nos igitur plus rationi quam cuicumque auctoritati humanæ consentientes, nullius puri hominis auctoritatem rationi præferimus, attendentes quod omnibus existentibus amicis sanctum est præhonorare veritatem. »

7. Cfr. D'Argentré. *Coll. jud.*, I, 340 ; *Roberti Holkot temeraria quædam dicta.*

8. De Raymundo Lullo cfr. *Acta Sanctorum,* tom. V, Junii, ubi reperitur dissertatio in qua Lulli doctrina vindicatur ab omnibus accusationibus contra ejus orthodoxiam prolatis ; Lud. Flandrensis, O. Cap. *Tractatus de theologico systemate Lulliano ;* Pasqual, *Vindiciæ Lullianæ ; Anal. jur. Pontif.,* II, 2469, III, 812. Opera Raymundi in unum collecta Moguntiæ prodierunt 1722-1742, 10 vol. in-fol.

9. Aureoli opera edidit card. Sarnanus, Lugd. 1577.

10. « Scholam inchoavit vel maxime stabilivit Nominalium. Vir quidem acris ingenii, sed minime sobrii ; plus enim volebat sapere quam oportebat ; nec timuit in cœlum os suum ponere ; et sacram deprimere pontificiam nimiumque extollere imperatoriam dignitatem.... Si fœdam hanc maculam

censis (1), Marsilius ab Ingen, Gabriel Biel, Jacobus Almainus, Joannes Major (2); — S. Bonaventuræ addicti Gulielmus Vorilongus, Stephanus Brulefer, Nicolaus de Nysse ; — augustiniani variæ indolis Ægidius Romanus (3), Alphonsus Vargas, Thomas de Argentina, Gregorius Ariminensis (4); — Joannes Baconus Carmelita (5) ; Dionysius Carthusianus (6), Adrianus Florentius (Adrianus VI) Lovaniensis (7).

Quæstiones disputatæ et quodlibetales.

Lectis per constitutum tempus Magistri sententiis, tandem poterant licentiati materias *quas vellent* pertractare, et respondere *quodlibet:* hinc quæstiones *disputatæ* et *quodlibetales*. Scilicet *quodlibetales* vocabantur quæstiones de variis quibuslibet argumentis, sive quæ pro nata occasione occurrebant, sive quæ proponebantur ab aliis ; *disputatæ* autem dicebantur *quæstiones,* quas auctor data opera in scholis accuratius agitabat. Jam vero quodlibetales et disputatas quæstiones reliquerunt S. Thomas (8), Henricus Gandavensis, Richardus de Media villa, Scotus, Hervæus Natalis, Franciscus Mayronis, Petrus Aureolus, Joannes Baconus, Ockam, Adrianus VI.

Summæ theologicæ

Maturioris ætatis et profundioris studii fructus sunt *summæ* theologicæ, eo fine scriptæ ut studentibus essent scientiæ *promptuaria,* non autem ut magistrorum lectionibus textum

non incurrisset, insigni inter theologos nomine audiret. Eamque nihilominus retinuit famam ut *venerabilis inceptor* et *singularis doctor* communiter appelletur. » Wadding, *Bibl.*

1. De Petro Alliacensi recenter scripsit Tschakert, *Peter von Ailly,* Gotha, 1877, item L. Salembier, *Petrus de Alliaco.* — 2. Scripsit Major *commentarium* seu quæstiones in IV libros sententiarum ab anno 1509 ad 1516.

3. B. Ægidium illustrarunt plures scriptores ord. S. Aug. v. g. Dion. Petrellus a Sigillo, Aug. Arpe, Frid. Nicol. Gavardi, Ben. Sichrowsky ; editio completa operum Ægidii adhuc desideratur.

4. Cfr. Werner, *Die Scholastik des späteren Mittelalters ; die nachscotistische Scholastik ; der Augustinismus in der Scholastik des späteren Mittelalters.*

5. Baconum suum illustrarunt Dionysius Blasco: *Theologiæ Baconeæ amnis,* etc. ; Elisæus a Garcia, *Quæstiones theologico-morales in lib. 4 sent. Joannis Baconii;* Jos. Zagaglia, *Cursus theologicus secundum mentem et germanam doctrinam Joannis Baconii,* 4 vol. in-fol.; Didacus de Castilla, *Speculum theologiæ Baconianæ,* 4 vol. in-fol.

6. Dionysii Carthusiani operum nova editio hodie prodit ; cfr. Mouzel, *Denys le Chartreux, sa vie, son rôle.*

7. Cfr. Reusens, *Syntagma doctrinæ theol. Adriani VI.;* A. Lepitre, *Adrien VI.*

8. S. Thomæ quæstiones *quodlibetales* magnam partem morales sunt ; ex *disputatis* ad moralem spectant quæstiones *de malo, de virtutibus in communi, de charitate, de correctione fraterna, de spe, de virtutibus cardinalibus ;* in eas commentarium edidit Xantes Mariales, 2 vol. in-folio.

præberent ; inde redditur ratio, cur per duo sæcula, nullus in summam S. Thomæ editus fuerit commentarius (1). Celebriores sunt summæ : Gulielmi Altissiodorensis (2), Alexandri Alensis (3), S. Thomæ (4), B. Alberti Magni (5), Henrici Gandavensis (6). Advertatur vix unam ex his summis absolutam esse, post eas autem nullam compositam fuisse summam universalem. — Summis accedunt minoris molis vel diversæ indolis opera, v. g. S. Thomæ *summa contra gentes* (7) et *compendium theologiæ* ad Reginaldum (8), S. Bonaventuræ *centilo-*

et theologiæ compendia.

1. Cfr. Simler, *Les sommes de théologie.*

2. Edita Parisiis 1500, Ven. 1592 ; inscribitur sæpe : *Summa aurea in IV libros sententiarum,* quamvis nullimode rationem habeat commentarii.

3. Alensis *summa* dividitur in quatuor *partes,* partes in *quæstiones,* quæstiones in *membra,* membra in *articulos.* Prima pars agit de Deo uno et trino; secunda de creatura prout a Deo est et prout peccato deformatur ; tertia de Christo reparatore et de mediis quibus homo ad Deum reducitur, sc. de lege, gratia et vita supernaturali; quarta de sacramentis. — Quanti faciendum sit Alensis opus, usu et facto ostenderunt S. Thomas ac (præsertim) S. Bonaventura, qui multa ex ipsa hauserunt; proclamavit etiam Alexander IV, bulla *de fontibus Paradisi,* dum asseruit in « ea esse sententiarum irrefragabilium ordinatas acies ad obterendam veritatis pondere contentiosæ pervicaciam falsitatis. » Cum autem in secunda, tertia, quarta parte incompleta esset, Pontifex eam absolvi jussit, quod tamen effectum non est.

4. S. Thomæ *summa* dividitur in tres *partes,* partes in *quæstiones,* quæstiones in *articulos.* Pars prima tractat de Deo ipso et de processu creaturarum a Deo ; secunda de motu creaturæ rationalis in Deum tum in genere (1-2) tum in specie (2-2) ; tertia de mediatore et de mediis, nempe de Christo et de sacramentis. Morte præventus est Angelicus quando pœnitentiæ sacramentum exponebat ; hinc sæculo XV *supplementum* ex ejus commentariis super sententias desumptum addidit Henricus Gorcomius. Cfr. Touron, *Vie de S. Thomas d'Aquin ;* De Rubeis, *Diss.;* Ch. Jourdain, *La philosophie de S. Thomas ;* Werner, *Thomas von Aquino.*

5. Alberti *summa,* post mortem S. Thomæ inchoata, quadruplici parte constare debebat ; duæ priores tantum absolutæ fuerunt, quæ respondent primo et secundo libro sententiarum. Opera B. Alberti edita fuerunt ann. 1651 a Pet. Jammy, 2 vol. in-fol. De doctrina ejus et meritis, cfr. Sighart et Von Hertling.

6. Etiam Henrici *summa* imperfecta remansit : non comprehendit enim nisi prologum et theodicæam. Doctrinam Henrici illustrarunt plures scriptores ordinis Serv. B. M. V. v. g.: Henricus Bargus a Castro Novo, Hieronymus Scarparius, Georgius Soggia, Ben. Ang. Maria Canali, quibus jungi debet Fr. Ant. de Zembrana, O. ss. Trin. De ejus vita, cfr. cl. P. Erhle, *Archiv. für Litteratur und Kirchgeschichte,* 1885 ; Denifle, in præcitato periodico *Archiv.* etc.; M. Dewulf, Etudes sur *Henri de Gand ;* Nap. de Pauw, in pluribus articulis *Annalium academiæ Belgicæ.*

7. Dividitur in quatuor *libros,* libri in *capita.* In lib. 1° agitur de Deo, in 2° de creaturis, in 3° de motu creaturarum in Deum, in 4° de Incarnatione, sacramentis, resurrectione. Classicus est in hunc librum Francisci Ferrariensis commentarius. — 8. Etiam illud opus imperfectum remansit.

quium et præsertim *breviloquium* (1), Alberti Magni *summa de creaturis* (2), Hugonis Argentinensis *compendium theologicæ veritatis* (3), etc.

160. *Tractatus de virtutibus et vitiis,*

Morem jamdiu introductum exponendi scientiam moralem separatim a dogmatica in libris inscriptis *de virtutibus, de virtutibus et vitiis, de præceptis decalogi,* secuti sunt plures hujus temporis theologi. — Et quidem *a|* tractatus *de virtutibus, de virtutibus et vitiis* scripserunt S. Bonaventura (4), Gulielmus de Melitona (5), Joannes de Rupella (6), Gulielmus Peraldus (7), Hervæus Natalis (8), Vincentii Bellovacensis continuator (9), Franciscus Mayronis (10), Alexander Carpentarius (11), S. Antoninus (12), Jac. Almainus (13). Addi possunt quæ de officiis et obligationibus diversorum statuum scripsit Dionysius Carthusianus. — *b|* Opera *de præceptis decalogi* ediderunt S. Thomas (14), Franciscus Mayronis (15), Joannes Baconus (16), Henricus de Urimaria (17), Nicolaus Dinckelspulius (18), Petrus Jeremiæ (19), Joannes Nyder (20), Henricus Har-

de præceptis decalogi.

1. Secutus est S. Bonaventura in suo *Breviloquio* ordinem summæ Alexdri Alensis ; agit enim in prima parte de Trinitate ; in secunda et tertia de creatura mundi et de corruptela peccati (2ª pars Alensis) ; in quarta et quinta de incarnatione Verbi et de gratia Spiritus Sancti (3ª pars Alensis); in sexta et septima de medicina sacramentali et de statu finalis judicii (4ª pars Alensis).

2. Dividitur in duplicem partem : 1ª de quatuor coævis, scilicet materia prima, tempore, cœlo et angelis ; 2ª de homine.

3. Tribuitur etiam B. Alberto Magno, S. Bonaventuræ et aliis.

4. Vel alius auctor opusc. *de virtutibus cardinalibus.*

5. *Summa de virtutibus doctoris irrefragabilis Alexandri de Ales.* Par. 1509. Rarissimum istud opus confectum videtur ex commentariis S. Bonaventuræ, ut in *summa* Alensi insereretur; cfr. Nova edit. opp. S. Bonaventuræ, I, pag. 60, 61 ; De Rubeis *in summ. S. Thomæ,* diss. 4.

6. *Summa de vitiis.* — 7. *Summa de virtutibus et de vitiis,* sæpius edita. — 8. Opusc. *de virtutibus moralibus.*

9. *Speculum morale* desumptum ex S. Thoma et Petro de Tarentasia ; cfr. de Rubeis, *op. cit.* — 10. *De virtutibus et vitiis capitalibus.* — 11. *Destructorium vitiorum.* — 12. *Liber de virtutibus.*

13. *De actuum et habituum essentia eorumque impedimentis ; de tribus virtutibus theologicis, Fide, Spe et Charitate ; de humanis virtutibus ; de earumdem virtutum oppositis.* — 14. Opusc. III : *Expositio in duo præcepta charitatis et decem legis præcepta.*

15. *De decem præceptis Decalogi.* — 16. *Compendium legis Christi.*

17. *Præceptorium,* quod etiam sub nomine Nicolai Lyrani prodiit.

18. *Liber de præceptis Decalogi.* — 19. *Expositio decem præceptorum.*

20. *Consolatorium timoratæ conscientiæ ; formicarius ; præceptorium ;* cfr. de ipso recens opus Dris Schieler, *Magister Johannes Nyder.*

phius (1), Hieronymus Savonarola (2), Godeschalchus Holen (3), Joannes Beetzius (4).

161. *Tractatus particulares,*

Notatu dignum est in utraque hujus epochæ periodo duos exstitisse scriptores magnæ apud suos auctoritatis, qui variis tractatibus universam fere moralem forma expositiva potius quam scholastica explicarunt. Primus est Gulielmus Alvernus, Episc. Parisiensis, qui scripsit libros *de fide, de legibus, de virtutibus, de moribus, de vitiis et peccatis, de tentationibus et resistentiis, de meritis, de sacramentis in genere et de singulis sacramentis in specie* (5). Alter est Joannes Gerson, Parisiensis Cancellarius, cujus sunt : *opusculum tripartitum de præceptis decalogi, de confessione et de arte moriendi, de vita spirituali lectiones VI* (6), etc. — Inter materias speciales duæ sunt quæ frequentius seorsim tractatæ videntur, justitia et superstitio. *a*/ Varias de justitia quæstiones tractarunt Nicolaus Oresmius (7), Henricus de Hassia (8), Joannes Nyder (9), S. Joannes Capistranus (10), S. Bernardinus Senensis (11), S. Antoninus (12), Gabriel Biel (13), Angelus de Clavasio (14), Bernardinus de Bustis (15), tandem Conradus Sumenhart qui omnium primus amplum tractatum composuit (16). — *b*/ Diversas species superstitionis expendunt plures : de *sortibus* et *astrorum judiciis* agit Angelicus (17) ;

nominatim de justitia,

de superstitione,

1. *Speculum aureum in decem præcepta Decalogi,* pluries editum.
2. *Expositio decalogi.*
3. *Divinæ legis præceptorium,* in-fol.
4. *Præceptorium divinæ legis,* non semel editum.
5. Recentissima operum ejus editio est Aurelianensis ann. 1674 ; de Gulielmo cfr. Noel Valois, *Guillaume d'Auvergne.*
6. Opera ejus collecta prodierunt successive Argentinæ 1488, cura Joannis Geiler ; Parisiis 1606, cura Richerii ; Antverpiæ 1705, cura Lud. Ellies Dupin. De Gersone scripsit Dr Schwab, *Johannes Gerson,* Wurtzburg, 1858.
7. *De mutatione monetæ,* edit. pluries v. g. in *Bibl. Patrum,* inter opera Gersonis, et seorsim ann. 1622.
8. *Liber de contractibus et ordine censuum ;* in app. opp. Gersonis.
9. *Liber de contractibus mercatorum,* pluries editus.
10. *De usuris, contractibus et restitutionibus.*
11. *De contractibus et usuris.* — 12. *De usuris.*
13. *Tractatus de monetarum potestate simul et utilitate,* pluries editus. Cfr. Linsenmann. — 14. *De restitutionibus,* semel et iterum prodiit.
15. *Tractatus pro defensione montium pietatis* ; cfr. Rohrbacher, *Hist. eccl.*, liv. XVIII. § 5 ; Benedictus XIV, *De Syn.* x, 5.
16. *Septipartitum opus de contractibus pro foro conscientiæ et theologico,* Ven. 1580 ; cfr. Linsenmann.
17. Opusc. XXI et XXII.

etiam de *astrologia* multa habent Alliacensis (1), Gerson (2), Savonarola (3); de *magia*, præter Bernardum Basinum (4), egregium opus reliquerunt Jacobus Sprengerus et Henricus Institor (5). — Ad cæteras materias pertinent Durandi tractatus *de legibus*, Petri Alliacensis de *libero arbitrio* et *de conscientia erronea*; Almaini *dictata de actibus fidei et intellectus, de actibus fidei* et *de libertate voluntatis*; Roberti Holkot *de imputabilitate peccati*; Martini Magistri, *de fortitudine et temperantia*; Joannis de Lignano, *de bello et duello*; Francisci Mayronis, *de jejunio*; Henrici de Govichem, *tractatus de superstitiosis quibusdam casibus, cum tractatu de celebratione festorum*; Antonii de Rosellis, *tractatus de jejunio; tractatus de usuris, etc.* *de variis materiis.*

162. *Expositio Eucharistiæ.*

Ea, quae ad cultum divinum spectant, videntur hac epocha minus instanter exposita fuisse quam epocha anteriori. *a*/ Imprimis de Eucharistiæ sacrificio et sacramento plerique agunt speculative et mystice potius quam positive et polemice: idque jure merito; nulla enim ante Wicleffum negatio audiebatur, imo, si temerariam quamdam Joannis Parisiensis opinionem excipias (6), nullus exprimebatur perversus sensus; hinc toti esse poterant in intelligentia tanti mysterii aperienda, in amore fidelium excitando. Huc pertinent opuscula, B. Alberti Magni (7), aliorum (8). — *b*/ Missæ celebrationem explicarunt, Gaufridus Boussardus (9), Hieronymus Savonarola (10), ac præ cæteris Gabriel Biel (11). In specie autem de sacrificii forma tractarunt Card. Bessarion (12) et Joannes

1. *Liber de concordia astrologiæ et theologiæ; de concordia astronomicæ veritatis et narrationis historicæ; de concordantia astronomicæ veritatis cum theologia.*

2. *Trilogium astrologiæ moralizatæ; de sculptura et fabricatione idololatrica imaginum astrologicarum; de erroribus circa artem magicam,* etc.

3. *Contra astrologiam divinatricem,* libri III.

4. *Liber de magicis artibus et magorum maleficiis,* pluries editus.

5. *Malleus maleficiarum;* in eo agitur de magiæ existentia ejusque effectibus; de artibus et remediis; tandem de processu contra magos.

6. *Determinatio de modo existendi Corporis in sacramento Altaris,* Londini, 1686.

7. *De sacr. Euch.; de sacrif. Missæ.*

8. Ægidii Romani (vel alius): *theoremata de sacramento corporis Christi;* Fr. Mayronis, Opusc. *De corpore Christi;* Gul. Ockam, *tractatus de sacramento altaris.*

9. *De divinissimo Missæ sacrificio compendiosa et brevis expositio.*

10. *De sacrificio Missæ et mysteriis ejus.* — 11. *Expositio canonis Missæ ex lectura quondam cl. viri Eggelingi de Brunswick.*

12. *De sacramento Eucharistiæ, et quibus verbis corpus Christi conficiatur.*

de Turrecremata [1]; de ejusdem effectu et fructu Stephanus Brulefer [2], Wernerus Rollwinck [3], de communione sub utraque specie Gerson [4]; de Eucharistiæ ministro et subjecto, Lyranus [5]; tandem de communicandis capite damnatis Joannes Geiler [6]. — *c/* De rebus sacris et officiis ecclesiasticis universis scripserunt Gilbertus Tornacensis [7], Nicolaus Plovius [8], præcertim vero Durandus [9]; in particulari de horis canonicis tractarunt Joannes de Lignano [10] et Radulfus de Rivo [11]; de efficacia aquæ benedictæ Turrecremata [12].

et sacrarum functionum.

163. *Summæ morales,*

Quod attinet ad theologiam stricte practicam, propriæ sunt huic epochæ, præsertim posteriori ejus periodo, *summæ de casibus conscientiæ*. Hæ summæ, quæ decretorum collectionibus successerunt, partim canonicæ sunt, partim morales, ex operibus Theologorum et Jurisperitorum depromptæ; pleræque alphabeticæ, aliæ methodicæ. Celebriores sunt S. Raymundi de Pennaforti *Summa de casibus pœnitentialibus* [13]; Reinerii de Pisis *Pantheologia* [14]; Joannis Friburgensis *Summa major seu confessariorum* [15]; Astesani *Summa de casibus conscientiæ,* dicta

1. *Diss. duæ de Euch. verb.* (ap. Labbe *Coll. conc.* XIII, 1141); præterea scripsit tractatum *de corpore Christi adversus Bohemos.*

2. Concio *de valore Missarum,* in synodo Moguntina habita. — 3. *De sacramento Euch. et fructu Missarum.*

4. *Tractatus contra hæresim de communione laicorum sub utraque specie.*

5. *Tractatus de idoneo ministrante et suscipiente SS. Altaris sacramentum.*

6. *De communicandis his, qui ultimo supplicio afficiuntur.*

7. *Tractatus de officio episcopi et Ecclesiæ cæremoniis.*

8. *Tractatus sacerdotalis de sacramentis et divinis officiis.*

9. *Rationale divinorum officiorum.*

10. Opusc. *de horis canonicis.*

11. *Kalendarium eccl. seu de observ. can. prop.* XXIII.

12. *De aqua benedicta contra Pet. Anglicum.*

13. S. Raymundi *Summa* pluries edita est, novissime Veronæ, 1744, cura Balleriniorum; distribuitur in quatuor *libros*, libri in *titulos*. Liber 1us agit de peccatis in Deum; 2us de peccatis in proximum; 3us de altaris, sacramentorum, pœnitentiæ ministris; 4us de sponsalibus et matrimonio. Mox in *summam* S. Raymundi *glossas* scripsit Willelmus Rhedonensis. De S. Raymondo, cfr. Danzas, *Les temps primitifs de l'ordre de St-Dominique*, 2e sér., I.

14. *Pantheologia* alphabetice distributa dogmatica simul et moralis, non semel jam edita, rursus prodiit cura Joann. Nicolai, Lugduni, 1664 et iterum 1670, 3 vol. in-fol.; cfr. Nat. Alexander, *Hist. eccl.* de script. sæc. XIV, art. 1.

15. Scripta secundum ordinem *summæ* S. Raymundi, semel et iterum prodiit.

Astensis (1); Monaldi *Summa casuum pœnitentiæ,* dicta *aurea* et *monaldina;* Bartholomæi a S. Concordia, civitate Pisani, *Summa casuum conscientiæ,* dicta *Pisanella, seu magistruccia;* S. Antonini *Summa theologica* (2); Nicolai Auximani *Summa casuum conscientiæ* et *supplementum;* Baptistæ Salvis *Summa casuum conscientiæ,* dicta *Baptistiana;* Pacifici *Summa,* dicta *Pacifica;* Angeli de Clavasio *Summa casuum conscientiæ,* dicta *Angelica;* Baptistæ Trovamala *Summa casuum conscientiæ,* ad utilitatem simplicium confessorum, dicta *Rosella;* Bartholomæi Fumi *Summa casuum conscientiæ,* dicta *Armilla;* Joannis Tabiensis *Summa,* dicta *Tabiena;* Sylvestri Prieratis *Summa,* dicta *Sylvestrina.* — His jungi debent *Pupilla oculi* Joannis de Burgo (3), Michaelis Lochmayer *Parochiale curatorum,* et alia ejusdem generis.

164. *confessionalia.*

Libris pœnitentialibus paulatim substituuntur opera accuratius elaborata, quæ inscribuntur *Confessionalia, summæ confessionales, tractatus de modo confitendi, de partibus pœnitentiæ, etc.* Hujusmodi sunt opusculum S. Thomæ *De modo confitendi et puritate conscientiæ* (4); Nicolai Dinckelspulii *Confessionale* et Liber *De tribus partibus pœnitentiæ;* Nicolai Auximani *interrogatorium confessorum;* S. Joannis Capistrani *instructio* seu *directio simplicium sacerdotum;* Henrici Harphii liber *De tribus pœnitentiæ partibus;* S. Antonini *Summa confessionalis;* Bernardini Tomitani *Tractatus de modo confitendi,* Michaelis de Mediolano *Confessionale;* Savonarolæ *Manuale confessionum;* Henrici de Hassia *Regulæ ad discernendum peccatum mortale a veniali;* Gersonis opuscula *De arte audiendi confessiones, de remediis contra recidivum peccati, de forma absolutionis a peccato, de potestate absolvendi et*

1. Edita prius Nurembergæ 1482 et Ven. 1519; rursus sæc. elapso 2 vol. in-fol. Constat octo libris: 1° de praeceptis Dei; 2° de virtutibus et vitiis; 3° de contractibus et testamentis; 4° de sacramentis in genere, de baptismo, de confirmatione, de Eucharistia; 5° de pœnitentia et extrema unctione; 6° de ordinatione; 7° de censuris; 8° de matrimonio.

2. Pluries edita, recentius 1740, cura fratrum Ballerini, 4 tom. in-fol.; in 1° agitur de anima, de peccatis et legibus; in 2° de peccatis in specie; in 3° de diversorum statuum obligationibus; in 4° de virtutibus et donis Spiritus Sancti. Cfr. *Civilta catt.* 1868, tom. IV, p. 581; Bouix. *De Papa,* vol. II, in fine.

3. In ea agitur de decem præceptis, sacramentorum administratione et de reliquis ecclesiasticorum officiis; recusa est Argentorati, 1718.

4. LVII^m.

peccatorum reservatione, etc.; Joannis Lud. Vivaldi liber *De causa contritionis, de veritate contritionis.* — Accedunt tractatus *De indulgentiis* Francisci Mayronis, Gersonis, Felini Sandæi.

165. *Libri polemici de rebus politicis.*

Multa circa vitam publicam christianorum habentur in hujus temporis libris politicis, nec non in libris polemicis de relationibus utriusque potestatis. — Libri politici præcipui sunt tractatus S. Thomæ *de regimine principum* (1), ejusdem opusculum *de regimine Judæorum* (2); Vincentii Bellovacensis *De eruditione filiorum regalium;* Ægidii Romani *De regimine principum* (3); Gulielmi Peraldi *De eruditione principum* (4). — Libri polemici sunt illi qui scripti fuerunt occasione dissidii a Philippo Pulchro, Ludovico Bavaro, et aliis excitati contra Romanos Pontifices. Principum auctoritatem erronee vel etiam hæretice ac schismatice ampliarunt Joannes Parisiensis (5) aliique incerti nominis (6), Marsilius Patavinus (7), Gulielmus Ockam (8), Joannes de Janduno (9), Antonius de Rosellis (10), Gregorius de Heimburg (11), etc. Jura autem Ecclesiæ vindi-

1. Tractatus *De regimine principum* liber primus est S. Thomæ; liber secundus a S. Thoma incœptus, completus est a Ptolomæo Lucensi; libri tertius et quartus, quibus distinctum opus constituitur, nec S. Thomæ, nec forte Ptolomæi Lucensis sunt. Cfr. De Rubeis, *op. cit.*

2. Opusc. XVII; cfr. De Rubeis, *Diss.*

3. Ægidii opus filio regis Galliarum dicatum, prodiit Romæ 1482, Ven. 1598, Romæ 1607; tribus libris constat; primus in quatuor partes distribuitur, secundus in tres, itemque in tres partes tertius, ac singulæ partes pluribus constant capitibus.

4. Inter opuscula S. Thomæ XXXVII^{um}; tractatus iste septem libris constat; postquam libro primo dictum est de iis quæ principem communiter decent, in sequentibus sigillatim quæritur quomodo se habere debeat princeps ad Deum et ad Ecclesiam, ad seipsum, ad eos qui juxta ipsum sunt, ad filios, ad subditos, ad hostes. — 5. *Tractatus de regia potestate et papali.* Par. 1506; apud Goldast *Monarchia* II, 107.

6. Auctor *quæstionis in utramque partem disputatæ, de potestate regia et pontificia,* quæ falso adscripta fuit Ægidio Romano; apud Gold. II, 95; item auctor *somnii viridarii,* quem existimant esse Radulphum de Prelles.

7. *Defensor pacis,* ap. Goldast II, 154; *De jurisdictione imperiali in causis matrim.* ibid.

8. *Disputatio de potestate ecclesiastica et sæculari;* ap. Goldast I, 13; *De jurisd. imperatoris in causis matrim.;* ib. 21; *Quæstionum octo decisiones super potestate et dignitate summi Pontificis,* ap. Goldast II, 313. De Marsilio et Ockam cfr. James Sullivan, in periodico *American historical Review* vol. 2; A. Baudrillart, in *Revue d'histoire et de littérature religieuses.*

9. *Libellus pro superioritate Imperatoris in temporalibus,* ap. Gold. I, 18.

10. *Monarchia,* ap. Goldast I, 252. — 11. *Admonitio de injustis usurpationibus Paparum;* ap. Goldast I, 557; *Appellatio Sigismundi,* ib. II, 1576, etc.

carunt Ægidius Romanus (1), Augustinus Triumphus (2), Alexander a S. Elpidio (3), Hervæus Natalis (4), Durandus a S. Porciano (5), Petrus Bertrandus (6), Petrus Paludanus (7), Nicolaus Simonis (8). — Accedunt quæ in utramque partem, de imperio Romano ejusque ortu et translatione reliquerunt Radulfus de Columna (9), Dantes Alighierius (10), Pius II (11). — Huc etiam referri possunt scripta de tyrannicidio occasione necis ducis Aurelianensis evulgata (12).

de rebus ecclesiasticis,

Controversiæ de variis rebus ecclesiasticis etiam occasionem dederunt penitius exponendi non paucas quæstiones morales. Primo loco veniunt difficultates contra Mendicantes motæ a Gulielmo de S. Amore. Is enim, non solum scripsit librum *de periculis novissimorum temporum,* verum duplici opusculo inquisivit: *utrum liceat homini dare quidquid habet, ita ut sibi nihil retineat et mendicet; — utrum debeamus dare eleemosynam valido mendicanti, si sit pauper* (13). Egregie responderunt S. Thomas (14) et S. Bonaventura (15). — Mox celebris quæstio de paupertate evangelica totum ordinem S. Francisci, imo Ecclesiam ipsam turbavit. Ubertinus de Cassalis (16), Michael Cesenas (17),

1. *De ecclesiastica potestate:* ex hoc libro desumpta est pars bullæ *Unam sanctam;* cfr. Jungmann, *Hist. eccl.*, XXX, 55.

2. *Summa de potestate ecclesiastica,* Romæ 1479, 1582.

3. *Tractatus de jurisdictione imperii et auctoritate summi Pontificis,* Lugd. 1498, Arimini 1624; etiam ap. Roccaberti *Bibl. max. Pont.*, tom. II.

4. *Tractatus de potestate Papæ,* Par. 1647; *Opusc. de utraque potestate papali et regali.* — 5. *De jurisdictione ecclesiastica.*

6. *Libellus de jurisdictione ecclesiastica,* Par. 1610; *Tractatus de origine et usu jurisdictionum, seu de spirituali et temporali jurisdictione,* Ven. 1584: Bibl. Pat. XXVI.

7. *Tractatus de causa immediata ecclesiasticæ potestatis,* Par. 1506.

8. *De potestate Papæ, Imperatoris et Concilii,* Mediol. 1505, 1510.

9. *De translatione imperii a Græcis ad Latinos,* ap. Goldast, II, 88.

10. Opus cui titulus *Monarchia.*

11. *Tractatus de ortu et auctoritate imperii Romani,* ap. Goldast, II, 1558.

12. Cfr. Opera Gersonis, tom. ult.

13. Guillelmi opera simul collecta prodierunt Parisiis 1632.

14. Opusc. *Contra impugnantes Dei cultum et religionem; — De perfectione vitæ spiritualis; — Contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu.*

15. Opusc. *Quare fratres minores prædicent et confessiones audiant; — Libellus apologeticus in eos qui ordini Fratrum minorum adversantur; — De paupertate Christi, contra magistrum Gulielmum; — Apologia pauperum,* etc.

16. *Responsio circa quæstionem de paupertate Christi et Apostolorum;* ap. Baluze *Misc.* I, 293. — 17. *Tractatus contra varios errores et hæreses Joannis XXII;* ap. Goldast, II, 1236.

Gulielmus Ockam [1], falsam Petri Joannis Olivi doctrinam contra ipsum Pontificem propugnarunt; eis restiterunt Richardus de Media villa [2], Alexander a S. Elpidio [3], Hervæus Natalis [4], Franciscus Mayronis [5], Petrus Aureolus [6], Alvarus Pelagius [7]. — Paulo post, varia scripta prodierunt occasione renovati dissidii inter Parochos et Mendicantes [8]. — De reformatione autem agentes, multa circa cleri officia reliquerunt Joannes Gerson [9], S. Laurentius Justinianus [10], Ægidius Carlerius [11], Joannes Trithemius [12], S. Joannes Capistranus [13], Dionysius Carthusianus [14], alii [15]. — Tandem nonnulli, tempore schismatis et deinceps, constitutionem Ecclesiæ exponentes attigerunt ea quæ spectant jurisdictionis originem, legum positivarum obligationem, etc.: et quidem minus feliciter Petrus Alliacensis [16], Joannes Gerson [17], Franciscus Zabarella [18], Jacobus Almainus [19]; optime autem Joannes de Turrecremata [20].

1. *Opus nonaginta dierum; — Compendium errorum Joannis XXII;* ap. Goldast, II, 398.

2. *Tractatus contra Petrum Joannis.* — 3. *De paupertate evangelica et ecclesiastica unitate.*

4. Opusc. *de paupertate Christi et Apostolorum.*

5. *De paupertate Christi et Apostolorum.*

6. *Tractatus de paupertate et usu paupere rerum.*

7. *De planctu Ecclesiæ;* hoc opus duplici libro constat; 1° agitur de suprema Papæ potestate in spiritualibus et temporalibus; (ubi defensio explicita bullæ *Unam sanctam)* et de unitate Ecclesiæ contra Fraticellos schismaticos; in 2° virorum eccl. omniumque reipublicæ christianæ statuum vitia perstringuntur.

8. Richardus Fitz-Ralph, Archiep. Armacanus: *Defensio curatorum adversus Fratres mendicantes;* cfr. damnatæ theses Joannis de Polliaco.

9. *De officio pastorum; — De visitatione prælatorum; — De sollicitudine ecclesiasticorum; — Dial. super cælibatu.*

10. *De regimine et institutione prælatorum.* — 11. *Diversæ casuum consultationes,* Bruxellis 1478. — 12. *De vitæ sacerdotalis institutione.*

13. *Speculum clericorum, seu sermo ad clerum in Tridentina synodo diocesana.*

14. *De vita sacerdotali recte instituenda.*

15. v. g. Nicolaus de Clemengis, qui spiritu minime catholico ducebatur.

16. Opusc. *Utrum Petri Ecclesia lege reguletur; — Utrum Petri Ecclesia rege gubernetur, lege gubernetur, fide confirmetur, jure dominetur; — De Ecclesiæ, Concilii, Romani Pontificis et Cardinalium auctoritate; — Tractatus de reformatione, seu canones reformandi Ecclesiam.*

17. *De potestate ecclesiastica.*

18. *De schismatibus auctoritate Imperatoris tollendis.*

19. *De dom. temp. civ. et eccl.; — De auct. Eccl. et Conc. gener.; — Expositio circa decisiones M. G. Ockam, de potestate eccl. et laica.*

20. *Summa de Ecclesia et de ejus auctoritate.*

166. *de rebus fidei et morum contra infideles et hæreticos,*

Plura doctrinæ moralis capita tractari in operibus polemicis contra Judæos et Mauros, Catharos, Albigenses, Waldenses, Wicleffitas, sponte intelligitur. Horum operum præcipua sunt Raymundi Martini *pugio fidei* (1), Porchetti Selvatici *victoria adversus impios hebræos* (2), Monetæ *summa adversus Catharos et Waldenses* (3), Reineri Sacchoni *summa adversus Waldenses* (4), Guidonis de Perpiniano *summa de hæresibus omnibus earumque confutationibus* (5), Thomæ Netter (Waldensis) *doctrinale antiquitatum fidei catholicæ* (6). — Plura etiam ad rem moralem pertinentia continent libri in usum Inquisitorum scripti, cujusmodi sunt *practica* Bernardi Guidonis (7), *directorium* Eymerici (8), *tractatus* Guidonis Fulcodi (9).

167. *de rebus liturgicis.*

Litteratura liturgiæ, quæ epocha scholastica minus floruit quam epocha anteriore, jam satis descripta est. Eam repræsentant Innocentius III, G. Durandus, Gab. Biel, Radulphus de Riva, et alii pauci.

et aseeticis.

Ascetica in iisdem operibus et ab iisdem auctoribus tractata est ac theologia moralis. In ea exponenda simul cum mystica præ cæteris versati sunt scriptores Sancti Victoris, et postea doctores Franciscani, qui pariter adhæserunt doctrinæ Augustinianæ, positivæ, mysticæ. Hujusmodi fuerunt Hugo a S. Victore, S. Bonaventura, Henricus Gandavensis, Gerson, Dionysius Carthusianus; præter hos, Eckehardus, H. Suso, Jo. Rusbroek, Thomas a Kempis, Is. Taulerus, alii. Vix

1. Prodiit primum Parisiis cum notis Jos. De Voisin; deinde. ann. 1687, Lipsiæ cum intr. Carpzovii.

2. Prodiit Parisiis 1520 in-fol.

3. Monetæ *summam* cum notis et apparatu Romæ ann. 1743 edidit Th. Aug. Richinius.

4. Edidit Jac. Gretserus, Ingolst. 1613. — 5. Par. 1528 in-fol.

6. Ultimam edit. curavit Bonaventura a S. Marco Blanciotti, Ven. 1756, 3 vol. in-fol.; in hoc doctissimo opere agitur I. de Deo, homine, Christo, Ecclesia, Ordinibus religiosis; II. De sacramentis; III. De cultu catholico.

7. *Practica inquisitionis hæreticæ pravitatis* edita est a cl. Douais, Paris. 1886. Constat quinque partibus: tres priores *formulas* exhibent; quarta agit de inquisitorum officio, juribus et privilegiis; quinta continet descriptionem hæreseon.

8. Tribus partibus constat Eymerici *directorium:* prima continet expositionem fidei catholicæ, cum duodecim quæstionibus relate ad fidem; secunda, leges contra hæresim, cum 53 quæstionibus de hæreticis, blasphemis, magis, etc.; tertia explicat rationem procedendi adversus hæreticos.

9. Edita a Carena in fine sui libri de *Inquisitione.*

autem per eam ætatem, a tempore S. Bernardi ad tempus usque Savonarolæ, tractata est ascetica sub forma populari concionum, si pauci excipiantur, B. Albertus M., Gerson, S. Vincentius Ferrerius, S. Joannes Capistranus, S. Thomas a Villanova.

168. *Status juris canonici.*

Propter utriusque scientiæ affinitatem et mutuam unius ab altera dependentiam, juverit tandem summatim indicare statum juris canonici per hanc primam epocham.

Eo scilicet tempore quo Lombardus scribebat *librum sententiarum,* Gratianus suum compilabat *decretum;* quando autem sæculo sequente componebantur *summæ theologicæ,* simul edebantur *libri decretalium* Gregorii IX. Jam vero sicut theologi *librum sententiarum*, ita jurisperiti *decretum* et præsertim *decretales libros* commentariis illustrarunt.

Præcipui canonistæ sunt: Innocentius IV, *Sinibaldus* (1); Henricus de Segusio, *Ostiensis* (2); Guido Baisius, *archidiaconus* (3); Gulielmus Durandus, *speculator* (4); Joannes Andreas (5), Henricus Boich (6), Joannes de Lignano (7), Joannes Calderinus (8), Antonius de Butrio (9), Baldus Ubaldus (10), Franciscus Zabarella (11), Petrus Ancharanus (12), Joannes de Imola (13), Nicolaus Tudeschi, *Abbas Panormitanus* (14); Joannes de Turrecremata (15), Joannes Ananiensis (16), Alexander de Imola (17), Felinus Sandæus (18).

1. *Commentarius in 5 libros Decretalium.*
2. *Summa utriusque juris; — Commentarius in sex libros decretalium.*
3. *Comm. lib.* III *(Rosarii* titulo); — *Decretal. lib. 5.*
4. *Speculum juris,* et (quod prioris compendium est) *Repertorium juris.*
5. *Comm. in 3 lib. Decr.; — Glossæ mercuriales,* etc.
6. *Comm. in 5 lib. Decretal., in sextum et in Clementinas.*
7. Opera ejus varii argumenti inserta sunt in dupl. collect. cui titulus : *Tract. tractatuum* (tom. 15, 16, 17) et *Tract. universi juris* (tom. 12, 14, 15).
8. *Comm. in libros Decretal.; — Consilia* sive *responsa juris.*
9. *Comm. in 5 lib. Decretal.; in Sextum Decretal.; — Consilia* sive *responsa; Repertoria; — Tract. de jure patronatus.*
10. *Comm. in 5 lib. Decretal.* — 11. *Comm. in 5 lib. Decretal.; in Clementinas,* etc. — 12. *Comm. in lib. Decret. et in Clementinas,* etc. — 13. *Comm. in lib. Decretal.; in Sextum et in Clementinas.*
14. *Comm. in 5 lib. Decretal.; in Clementinas; — Thesaurus singularium in jure canonico decisionum.* — 15. *Comm. in Decretum Gratiani.*
16. *Comm. in Decretal. — Quæst. jur.; — Consilia; — De jure patronatus,* etc.
17. *Comm. in Sextum et in Clementinas.*
18. *Comm. in 5 lib. Decretal.; — Consilia; — De jure patronatus.*

169. *Ecclesiæ decreta.*

Pro coronide liceat advertere, tota hac epocha, scilicet a concilio Lateranensi III ann. 1179 ad Lateranense V ann. 1513, multum profecisse moralem opera Synodorum, Pontificum, Episcoporum, qui et veram doctrinam instanter docuerunt, et falsam Albigensium, Beguardorum, Fraticellorum, Marsilii, Ekkardi, Joannis Wicleff et Joannis Huss, Petri Oxomensis, Joannis Petit, Matthæi Graban, damnarunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De scientia morali in secunda Theologorum epocha.

170. *Duplex periodus seorsim describenda.*

Duplex etiam periodus in hac epocha distinguitur: prima, incœpta a pseudo-reformatione, protenditur usque ad hæresis Jansenianæ propagationem; altera ab hæresi Janseniana ad renovationem nostri temporis sese extendit: utramque separatim considerabimus.

§ I.

De prima periodo (1517-1660).

171. *Summa scientiæ sacræ perfectio in prima periodo:*

Aurea ista periodus culmen suum habet intra annos 1570-1630: tunc exiguntur scientiæ monumenta soliditate, amplitudine, pulchritudine incomparabilia; eorum elementa egregia annis immediate præcedentibus alacriter præparata fuerant: annis autem illud temporis punctum sequentibus jam lassitudo quædam in operariis apparet, imo vires deficere videntur.

perfectionis causæ

Tanti progressus tantæque perfectionis causæ, occasiones, instrumenta fuerunt: *a/* Ecclesiæ reformatio jamdiu inchoata et efficaciter absoluta per concilium Tridentinum ac deinceps per influxum Romanorum Pontificum; — *b/* institutio variorum ordinum clericorum regularium, speciatim Societatis Jesu e cujus sinu agmina doctorum divino beneficio mox prodire debebant, simulque renovatio juventae monasticæ, virorum eruditorum feracissimæ; — *c/* inventio artis typographicæ, cujus ope media ad scientificum laborem necessaria omnibus præsto fuerunt; institutio, renovatio, reformatio Universitatum in Belgio, in Germania, in Hispania, in Lusitania: Lovaniensis, Duacenæ, Dilinganæ, Salmanticensis, Coimbricensis; —

d/ litterarum humanarum studium, et accuratior antiquitatis cognitio; — *e*/ Prosperitas nationum catholicarum, speciatim Hispanicæ, Lusitanicæ, Gallicæ; — *f*/ etiam hæresis Lutheranæ ortus et diffusio, quæ ad penitiorem rerum indagationem non impulerunt modo, sed omnino coegerunt.

et theologiæ characteres.

Jam vero per eam periodum *a*/ theologia revocata est ad suos fontes: nempe propter controversias cum Protestantibus, antiquæ collectiones sufficientes jam non erant, sed nova industria Scripturæ et Patres expendi debebant; ad quod opus peragendum facultatem præbebant multiplices, variis linguis, Bibliorum et veterum scriptorum editiones typis vulgatæ. — *b*/ Deinde in omnibus suis partibus multum ampliata est, quin etiam partibus novis est aucta, v. g. tractatu de Ecclesia. — *c*/ Item informata profundiori ac sinceriori philosophia, relictis placitis Nominalium et Platonicorum anterioris ævi. — *d*/ Præterea emendata est quoad methodum; pro illa enim formali et abstracta dialectica, quæ in usu erat apud degeneros scholasticos, pro infinitis distinctionibus, quibus materiæ implicabantur, jam occurrunt magnæ *disputationes,* modo plano ac simplici dispositæ, solis adhibitis partitionibus quæ ad rerum explicationem conducunt et ex rerum visceribus oriuntur. — *e*/ Tandem correcta est quoad formam; lingua enim utitur, non quidem exquisita, tamen bene latina et castigata. Non solum renovatio hujus temporis fuit religiosa et theologica, verum etiam fuit litteraria, artistica et scientifica (1).

172.

S. Thomas communis ordinum religiosorum et academiarum magister.

Tota hac periodo in academiis et apud plerosque ordines religiosos magister dominatur S. Thomas: Lombardus enim paulatim a scholis removetur; Scotus autem, S. Bonaventura, Ægidius, Joannes Baconus, licet a suis minime relinquantur, inferiorem nihilominus locum tenent. Hinc commentariis

1. Varia illa reformatio ab Hispania profecta est, atque Hispanorum ope in cæteras regiones introducta. Sane quam præclare de studiis theologicis meruerint Maldonatus in Galiis, Toletus in Italia, Valentia in Germania, omnibus notum est. Jam vero summi illi viri informati fuerant lectionibus vel saltem præceptis Dominici Soto et Melchioris Cani: horum autem magister fuerat Franciscus de Victoria. Cfr. Melch. Canus, *De locis,* lib. XII, procem.; Der Katholik, *Die Vaticanischen Handschriften der Salmanticenser Theologen,* 1884, II, 495.

in *sententias* Magistri succedunt commentarii in *summam* S. Thomæ. Initio quidem scribuntur commentarii proprie dicti, in quibus scilicet textus Angelici tum explicationibus tum quæstionibus elucidatur; mox autem commentariorum nomine appellantur etiam tractatus quibus materiæ tantum evolvuntur secundum *summæ* ordinem: quod vidimus olim contigisse relate ad Lombardum, et pariter observatur apud *decreti* et *decretalium* expositores.

Scissio scholæ thomisticæ in duplicem partem.

Hæc vero magna schola thomistica in duplicem partem statim scissa est, unam Aquinati strictius adhærentem, alteram liberiorem et moderatiorem: hinc Fratres Prædicatores, quibus adstipulati sunt Carmelitæ, necnon doctores Lovanienses et Duaceni, etc.; inde alumni Societatis Jesu, alii: priores thomistæ simpliciter dicebantur, hodie autem *Banneziani*, posteriores Molinistæ a suo duce dicuntur; Romæ inter utriusque partis asseclas celebres habitæ sunt congregationes *de auxiliis*. Præcipua controversiarum capita erant *Dei scientia, ejus concursus ad operationes humanas, gratiæ efficacia, prædestinatio*. Licet autem his attingerentur ipsa vitæ supernaturalis fundamenta, primitus tamen scientia moralis inde turbata non est. Nonnisi sequenti periodo aliqui connexionem sibi visi sunt deprehendere inter doctrinam de scientia media et doctrinam de probabilismo, etc.

173. Hac itaque periodo tractatur theologia moralis simul cum dogmatica, speculative et scientifice, in commentariis super *sententias*, item in commentariis super *summam*, in *explicationibus* Scoti, in operibus a textu *independentibus*.

Commentarii in Magistrum;

Et quidem commentarii in Magistrum paulatim rariores fiunt; etenim *liber sententiarum* qui, ratione partis suæ positivæ, hucusque lectionibus textum præbuerat, jam non erat temporum necessitatibus accommodatus (1). Interim *quatuor* simul libros commentati sunt: Martinus de Ledesma, Antonius Cordubensis, Michael de Palacios, Jacobus Tavanthius, Pau-

1. Exstat de hac re opusculum theologi laici, Henrici de Vicq: « *Consilium quo ostendit, e re fore Ecclesiæ christianæ, ut in locum sententiarum Petri Lombardi aliud opus substituatur ad hæreses perimendas accommodatius.* Duaci, 1596. Revera eodem anno, jussu Philippi II, in academiis Lovaniensi et Duacena *libro sententiarum* substituebatur *summa*.

lus Palanterius, Gulielmus Estius (1), Joannes Martinez de Ripalda (2), Christophorus Brenzonius, Bartholomæus Mastrius de Meldula; — *secundum* et *quartum*, Josephus Angles; — *tertium* Franciscus del Castillo Velasco; — *quartum* Dominicus Soto, Franciscus Irribarne, Antonius Hyquæus (3).

commentarii stricte dicti in totam summam S. Thomæ;

Operibus theologicis in S. Thomam egregie præluserat anteriore epocha Joannes Capreolus; hujus periodi initio prodiit Cajetani *commentarius*, qui in hoc scriptionis genere primus tempore primus etiam merito remansit (4). Subsecuti sunt veri nominis commentarii Francisci Toleti (5), Seraphini Capponi a Porrecta (6), Hieronymi Medices (7), Francisci Sylvii (8).

opera generalia a summa S. Thomæ dependentia;

A *summa* Angelici etiam pendent, licet stricte dicti commentarii non sint, opera universalia magnorum istius ævi magistrorum: Francisci Suarez (9), Gabrielis Vas-

1. Estii commentarius, tanto viro dignus, concinnus est, doctrina plenus, eruditione refertus.

2. *Brevis expositio litteræ Magistri sententiarum, cum quæstionibus quæ circa ipsam moveri possunt, et auctoribus qui de illis disserunt.*

3. Omisimus illos, etiam maximæ auctoritatis, quorum opera parum aut nihil ad theologiam *moralem* pertinent, utpote quæ circa solum primum librum versentur.

4. Cfr. Leonis XIII epist. ad Card. De Luca 15 oct. 1879.

5. *In summam S. Thomæ enarratio*, 4 vol. in-4° prima vice prodiit Romæ ann. 1869, cura R. P. Paria.

6. *Elucidationes formales in summam theologicam S. Thomæ de Aquino.*

7. *Summæ Theologicæ S. Thomæ... formalis explicatio.*

8. *Commentarii in summam S. Thomæ*, 4 vol.

9. Suarezii opera collecta prodierunt Lugduni, Moguntiæ, Venetiis, 23 vol. in-fol., recentissime Parisiis 23 vol. in-4°, quibus 24^um^ opuscula inedita complectens addidit ill. Dom. Malou, quondam eruditissimus Brugensium Præsul. Ad moralem pertinent quæ scripsit doctor Eximius in 1-2: *de ultimo fine*, 1 vol.. *de legibus*, 1 vol. et (ex parte) *de gratia*, 3 vol.; in 2-2: *de triplici virtute theologica*, 1 vol.; *de virtute et statu religionis*, 4 vol.; in 3 p.: *de sacramentis et censuris*, 3 vol. Plura ad moralem spectantia continet etiam *Fidei defensio*, et collectio *opusculorum*. Justitiæ materiam non attigit, nec sacramenta ordinis et matrimonii. Ex his *classici*, judicio omnium, sunt tractatus *de legibus, de religione, de sacramentis;* tractatus autem *de fine ultimo* et *de triplici virtute theologica*, minus forte elaborati, nonnisi post mortem auctoris prodierunt; nihilominus et ipsi egregii sunt. Suarezii Moralis est positiva, speculativa, polemica et casuistica, omnibus scilicet partibus absoluta: in ea miramur ubique conjuncta eruditionem, vim et subtilitatem, diligentiam, sobrietatem et prudentiam, pietatem. Forte produci poterunt qui, sub uno vel alio speciali respectu, doctorem eximium vincant, v. g. profunditate Didacus Ruiz, facilitate arcana divina explicandi Lessius subtilitate Joannes de Lugo, eruditione Petavius; at nullus est qui omne simul perfecti theologi dotes plenius cumulaverit, nullus qui plures theol

quez (1), Gregorii de Valentia (2), Adami Tanner (3), Jacobi Granadi (4), Roderici de Arriaga (5), Ludovici Mæratii (6), e S. J. — Philippi Gammachæi (7), Nicolai Ysamberti (8), e Sorb. — Joannis a S. Thoma (9) et Francisci de Arauxo (10), ex O. P. — Joannis Baptistæ Lezana (11), Antonii a Matre Dei, Dominici a S. Teresia et Joannis ab Annuntiatione Salmanticensium (12), item Philippi a SS. Trinitate (13), ex O. Carm.

scripta in varias summæ partes morales;

Præterea ad varias *summæ* partes morales referuntur scripta Ludovici Molinae (14), Joannis de Salas (15), Leonardi Les-

giæ partes felicius explicaverit, nullus cujus assiduum studium tanti valeat ad sensum theologicum apud discipulos evolvendum et perficiendum. Nostro judicio minime excedunt qui Suarezium omnium recentioris aevi theologorum principem agnoscunt. Tanti viri vitam cum debitis laudibus descripserunt Antonius Decamps, Josephus Masseus, Bernardus Sartolo, J. De Reverseaux; ejusdem doctrinam pluribus expendit cl. Werner, in op. *Franz Suarez.*

1. Opera Vasquezii collecta prodierunt Lugduni 1620, 10 vol. in-fol.; ad moralem theologiam pertinent quæ scripsit in 1-2: *de actibus humanis, de legibus, de merito, de gratia,* 2 vol.; in 2-2: opuscula *de eleemosyna, scandalo, restitutione,* 1 vol.; in 3 p. *de sacramentis in genere, de baptismo, de Eucharistia et ordine, de pœnitentia, matrimonio, excommunicatione,* 2 vol. Præstat Vasquez eruditione, subtilitate, crisi acuta; aliquando tamen nimia libertate abripitur in sententias minus prudentes.

2. Commentarii Valentiæ in universam S. Thomæ summam, 4 tomis comprehensi, eminent doctrinæ soliditate, rerum claritate, eruditione; sunt autem simul positivi, scholastici, polemici.

3. *Univ. theol. schol. spec. pract. ad meth. S. Thomæ,* 4 vol. in-fol., item *Disp. theol. in omnes partes summ. theol. S. Thomæ,* 2 vol. in-8°.

4. *Comm. in summ. theol. S. Thomæ,* 8 vol. in-fol.

5. *Disp. theol. in summ. S. Thomæ,* 8 vol. in-fol. Acumine præstat, et frequenti crisi subjicit majorum, præsertim Suarezii, opiniones; dum autem subtilitati indulget, partem positivam aliquando negligit.

6. *Disp. in summ. theol.,* 3 vol. in-fol. — 7. *Summ. theol.,* 3 vol. in-fol. Reprehendi debet quod Richerii patronus exstiterit Gammachæus.

8. *Comm. in S. Thomæ summ.,* 6 vol. in-fol.

9. Theologia Joannis a S. Thoma per modum commentarii in summam Angelici conscripta constat tomis 8 in-fol.

10. *Comm. in summ. S. Thomæ,* 7 vol. in-fol.

11. *Summa theol. sacræ,* 5 vol. in-fol.

12. *Curs. theol. Salm.* constat 15 vol. in-fol.; ea quæ respondent 1. p. s. Thomæ scripsit Antonius a Matre Dei; quæ 1-2. Dominicus a S. Teresia; reliqua Joannes ab Annunciatione. Salmanticenses commentarii habentur ut scholæ thomisticæ opus præcipuum; revera docti sunt et scholastici, forte tamen nimis diffusi. — 13. *Summa theol. scholasticæ,* 5 vol. in-fol.

14. Notissimus Molina commentario suo in 1 p. S. Thomæ et libro *Concordiæ liberi arbitrii cum gratiæ donis,* in scientia morali laudem sibi promeruit immortalem opere *de justitia et jure.*

15. *Disp. in 1-2. d. Thomæ tomi 2; — Comm. in 2-2. d. Thomæ de contractibus*

sii (1), Joannis Præpositi (2), Luisii Turriani (3), Antonii Perez (4), Francisci de Oviedo (5), Ægidii De Coninck (6), Joannis De Lugo (7), Sfortiæ Pallavicini (8), Martini Perez ab Unanoa (9), e S. J. — Andreæ Duval (10) e Sorb. — Dominici Soto (11), Batholomæi de Medina (12), Dominici Bannez (13), Petri de Ledesma (14), Didaci Cabezudo (15), Raphaelis de

1. Præter opera omni auro pretiosiora *de perfectionibus divinis, de summo bono, de gratia, de prædest.* aliaque ad moralem proxime non spectantia, scripsit Lessius in 1-2. et in 3 p. *de beat., de act. hum., de sacram. et censuris.* 1 vol. in-fol. (post mortem edit.), in 2-2. *de justitia et jure cæterisque virt. card.* Excellunt Lessii opera idearum nobilitate, expositionis nitore, comparationum luminibus ; non solum intellectum illuminant, sed et affectum pascunt, et cor accendunt.

2. *Comm. in 1-2. S. Thomæ, de beat., act. hum., pecc., leg. et justif.* 1 vol. in-fol., *in 3 p. S. Thomæ, de incarnatione Verbi divini, sacram. et censuris,* 1 vol. in-fol.

3. *Disp. in 2-2. S. Thomæ, de fide, spe, charitate et prudentia ; in 2-2. de justitia,* 2 vol. in-fol. ; — *Select. disp. in theol. schol., posit. et moralem,* 1 vol. in-fol. *Opuscula theologica* (inter quæ 10um *de conscientia dubia,* 11um *de essentia peccati,* 12um *de peccato delectationis*).

4. De *justitia et jure, de restitutione et de pœnitentia ; — in 2 et 3 p. tractatus sex.* Ita de ipso Pallavicinus : « Antonius Perez in theologico magisterio collega, vir ingenio mortalium, quos ego viventes ubique noverim, aut unquam in Societate nostra floruisse sciam, pro mea æstimatione nulli secundus. » *Vind. Soc. Jesu,* c. 36.

5. *In 1-2.* 1 vol. in-fol. ; — *In 2-2. de fide, spe, et charitate,* 1 vol. in-fol.

6. *Comm. ac disp. in univ. doct. d. Thomæ de sacram. et cens.* 1 vol. in-fol. — *De moralitate, natura et affectibus act. supern. in gen. et de fide, spe ac charitate speciatim,* 1 vol. in-fol.

7. Opera Lugonis Lugduni et Venetiis prodierunt 7 vol. in-fol., recentius Parisiis totidem vol. in-4°. Fere omnia ad moralem pertinent, nempe *de virtute fidei divinæ, de jure et just. de Euch., de pœn.* Lugonem proclamat S. Alphonsus, theologorum post S. Thomam facile principem. Certo profunditate, ingenii acumine, perspicaci opinionum crisi, subtilissima rerum analysi nulli secundus.

8. *Disp. in 1-2.*, 1 vol. in-fol. Pallavicinus, Lugonis in cathedra collegii Romani dignus successor, magnam sibi laudem promeruit scriptis theologicis, maximam vero historia concilii Tridentini.

9. Præter opera *de Deo uno et trino* et *de mirabili divini Verbi incarnatione,* scripsit *de S. Matrimonii sacramento,* 1 vol. in-fol. et *de virtute et sacramento pœnitentiæ,* 1 vol. in-fol.

10. *In 2-2. S. Thomæ,* 2 vol. in-fol.

11. Opus ejus *de justitia et jure cæterisque virtutibus cardinalibus* ad 2-2. refertur.

12. In 1-2 ; et in 3 p., 2 vol. in-fol.

13. Bannezii opera quatuor tomis comprehenduntur ; ad moralem pertinent quæ scripsit in 2-2. *de fide, spe et charitate,* et *de jure et justitia,* 2 vol. Fuit Bannez rigidorum Thomistarum antesignanus, Molinæ et ipsius Suarezii impugnator acerrimus. Cfr. Suarezii opuscula ab ill. Malou vulgata.

14. In 3 p. *De magno matrimonii sacramento.*

15. *Comm. et disp. in 3 p. Sum. theol. d. Thomæ Aq.,* 2 vol. in-fol.

la Torre (1), Gregorii Martinez (2), Joannis Ildephonsi Baptista (3), ex O. P. — Petri Cornejo de Pedrosa (4), ex O. Carm., — Petri Aragon (5), Mich. Barth. Salon (6), ex O. S. A., — Petri de Lorca (7), Petri de Cabrera (8), Alphonsi Curiel (9), Ludovici de Montesinos (10), — Joannis Wiggers (11), Joannis Malderi (12).

Scoti explicationes;

Eodem fere tempore quo Cajetanus S. Thomam commentabatur, Scotum illustrabant Petrus Tartaretus (13), et Franciscus Lychetus (14). Deinde subtilem suum doctorem explicarunt Jac. Malafossa (15), Melchior Flavius (16), Franciscus de Pitigianis (17), Philippus Faber (18), Angelus Vulpes (19), Joannes Poncius (20), Joannes Merinero (21). — Eumdem cum Alensi et S. Bonaventura comparavit Mathias Hauzeur (22). — A reliquis autem Franciscanis discedentes

1. *De partibus potentialibus justitiæ, in 2-2. d. Thomæ Aq.*, 2 vol. in-fol.
2. *In 1-2.*, 3 vol. in-fol.
3. *Comm. in totam 1-2.*, 3 vol. in-fol.
4. *In 3 p. S. Thomæ comm.*, 1 vol. in-fol.; — *Divers. mater.*, 1 vol. in-fol.
5. — *In 2-2. de fide, spe et charitate*, 1 vol. in-fol.; — *In 2-2. de justitia et iure*, 1 vol. in-fol.
6. *De justitia et jure in 2-2. S. Thomæ Aq.*, 2 vol. in-fol.
7. *Comm. et disp. in universam 1-2. S. Thomæ*, 2 vol. in-fol.; — *in 2-2 de fide, spe et charitate.*
8. *In 3 p. d. Thomæ comm. et disp.* (de sacram. in gen., de auxilio prævio et de bapt.). 1 vol. in-fol.
9. *Lecturæ seu quæstiones in d. Thomæ Aq. 1-2*, 1 vol. in-fol.
10. *Comm. in 1-2. S. Thomæ*, 2 vol. in-fol.
11. *Comm. in 1-2;* — *in 2-2. de virt. theol., de jure et justitia.*
12. *In 1-2. de legibus, gratia*, etc.; *in 2-2. de virt. theol., de jure et justitia*, 2 vol. in-fol.
13. *Comm. seu reportata in sententias et quodlibeta Scoti*, 2 vol. in-fol.
14. *Comm. in 1. 2. et 3 Johannis Scoti sent. lib. et in ejusdem quodl.*, 2 vol. in-fol.
15. *Enarr. in lib. sent. Scoti.* — 16. *Resol. in 4 ll. sent. Scoti.*
17. *Summa theol. specul. et mor. ac comment. schol. in 3 et 4 sent. lib. Johannis Duns Scoti, pp. 4*
18. *In quatuor libros sent. Scoti comm.*, 1 vol. in-fol.; — *Disp. theol. de pœn., de pecc.* etc., 1 vol. in-fol.
19. *Summa s. theologiæ Scoti et comm. in eamdem*, 10 vol. in-fol. Adversus ipsum scripsit Hyac. de Rugeriis : *Defensorium doctrinæ d. Thomæ.*
20. *Comm. theol. in quibus subtilis doctoris qq. in ll. sent. elucidantur et illustrantur*, 5 vol. in-fol.; — *Cursus theol. ad mentem Scoti.*, 1 vol. in-fol. etc.
21. Curs. theol. complectens tract. de *beat., de act. hum., bon. et mal. morali, pecc. actuali*, 2 vol. in-fol.
22. *Collatio totius theol. inter Majores Alexandrum Halensem patriarcham theologorum doctorem irrefragabilem, S. Bonaventuram, Joannem Duns Scotum, ad mentem S. Augustini sub magisterio Christi interiore per gratiam, exteriore per Ecclesiam*, 2 vol. in-fol.

Ord. Cap. scriptores S. Thomæ et S. Bonaventuræ adhærebant, v. g. Petrus Capullius (1), Ludovicus Caspensis (2), Bonaventura Lingoniensis (3), Cœlestinus à Monte Marsano (4).

cursus theologici.

Theologiam independentem integram pauci hoc tempore composuerunt; referri tamen possunt Angelus del Pas (5), Martinus Becanus (6), Justus Lorichius (7), Joannes Lalemandet (8), Gaspar Hurtado (9), Raphael Aversa (10), Joannes Martinonus (11), Sfortia Pallavicinus (12), Thomas Comptonus (13), Petrus a S. Joseph (14).

174. *Opera moralia polemica et positiva.*

Simul etiam cum dogmatica tractatur theologia moralis positive et polemice in innumeris operibus adversus diversas hæreticorum sectas scriptis; in iis enim exponuntur ac vindicantur principia fundamentalia vitæ christianæ: liberum arbitrium, justificatio, fides et bona opera, legum humanarum obligatio, eucharistia et cultus, cætera sacramenta, etc.; item, (occasione errorum Baii) questiones de ignorantia vincibili et invincibili, de actuum bonitate, supernaturalitate, et aliæ gravissimæ (15). Auctores, qui hujusmodi argumenta felicius versarunt, recensemus, titulis scriptorum moralium indicatis.

---

1. *Comm. in 1 et 2 lib. sent. S. Bonaventuræ*, 2 vol. in-fol.

2. *Cursus theol.* 2 vol. in-fol.

3. *Bonaventura Bonaventuræ*, sc. *Bonaventura et Thomas, sive sum. theol. ex omnibus fere SS. Thomæ et Bonaventuræ placitis concinnata*, 3 vol. in-fol.

4. *Cursus theol.* (ex SS. Thoma et Bonaventura), 2 vol. in-fol.

5. *Enchir. divinæ scholasticæque theologiæ.*

6. *Sum. theol.* Opus eruditione, perspicuitate, ordine, facilitate, sobrietate præstantissimum, quod non immerito dixerunt in theol. schol. omnibus epitomis et introductionibus præferendum.

7. *Thesaurus theol. theor. et pract.*, 1 vol. in-fol.

8. *Cursus theol.*, 1 vol. in-fol.

9. Seorsim prodierunt *de Deo*, 1 vol. ; *de beat., act. hum.* etc., 1 vol.; *de fide, spe, char.*, 1 vol.; *de just. et jure*, 1 vol.; *de incarn. Verbi*, 1 vol.; *de sacram. in gen. et in spec. de bapt., confirm., pœn., extr. unct.*, 1 vol.; *de Euch., sacrif. mis., ord.*, 1 vol.; *de matrim. et cens.*, 1 vol. — In his operibus res breviter, solide, dilucide tractantur.

10. *Theol. schol. univ.*, 4 vol.; — *De ord. et matrim. sacram.; de Euch. sacram. et sacrif., de pœnit. sacram. et extr. unct.; de fide, spe et char.*, 3 vol. in-4°.

11. *Theol. univ.*, 5 vol.

12. *Assertiones theol.*, tom. 7, in-12.

13. *Curs. theol.*, 2 vol. in-fol. — 14. *Idea theol. spec. sacram. mor.*, 3 vol. in-fol.

15. Quantus autem inde progressus in morali doctrina factus fuerit, disces ex iis quæ referuntur in diss. nostra *de l'ignorance invincible des conclusions éloignées de la loi naturelle*. § 2.

Occurrunt primo loco magni Lovanienses: Joannes Driedo (1), Jacobus Latomus (2), Ruardus Tapperus (3), Judocus Ravesteyn (4); quibus jungi debent Belgæ eorum contemporanei vel discipuli: Judocus Clichtovæus (5), Albertus Pighius (6), Joannes Garetius (7), Matthæus Galenus (8), Gulielmus Damasi Lindanus (9), Joannes Lensæus (10), Henricus Cuyckius (11). — Ex Anglis celebriores sunt: Joannes Fissherus, episcopus Roffensis (12), Richardus Smith (13), Gulielmus Alanus, card. (14), Thomas Stapleton (15), Franciscus Hamilton (16), Henricus Holden (17). — Ad Germanos vel Polonos pertinent Joannes Eckius (18), Jacobus Cochlæus (19), Stanislaus Hosius,

---

1. *De gratia et libero arbitrio ; — De libertate christiana.*

2. *De ratione obligandi humanæ legis ; — De confessione secreta ; — De fide et operibus ; — De monachorum institutis, votis et obligationibus ; — De matrimonio.*

3. *Explicationes in articulos a facultate theol. Academiæ Lovaniensis Caroli V Imp. jussu collectos.*

4. *Defensiones decretorum conc. Trid.*

5. *De sacrif. Missæ ; — De sacram. Euch. ; — Propugnaculum Ecclesiæ ; — De veneratione sanctorum ; — De laude monasticæ religionis ; — De præc. Dec., orat. Dom., salut. Angel., sacram.*

6. *De missæ officio ; — De lib. hom. arb. ; — Quæstio de divortiatorum novis conjugiis.*

7. *De veritate corporis Christi in Euch. ; — De mortuis vivorum precibus juvandis ; — De sacrificio Missæ ; — De sanctorum invocatione.*

8. *De Christ. et cath. sacerdote ; — De ss. Missæ sacrificio ; — De sæculi nostri choreis ; — Catecheses.*

9. *Panoplia evangelica ; — Stromatum lib. III ; — De sacrificio Missæ audiendo.*

10. *De libertate christiana ; — De fidelium purgatorio ; — De ecclesiastica satisfactione pœnitentis ; — De fide, spe, charitate ; — De sui ac reipublicæ christianæ contra impium invasorem defensione.*

11. *Quæst. quodl. de anno jubilæo ; — Orat. panegyricæ ; — Orat. paræneticæ ; — Epist. paræneticæ ; — Conciones XX de sacrif. Missæ.*

12. *De Eucharistia ; — De sacerdotio ; — De sacramentis.*

13. *De bapt. parvulorum ; — De consiliis evangelicis et operibus supererogatoriis ; — De votis monasticis ; de cælibatu episcoporum, sacerdotum.*

14. *De sacram. in gen., de sacram. Euch., de Missæ sacrificio ; — De indulgentiis ; De imaginibus.* Epistolæ Alani nuper editæ sunt ; plura etiam de ipso in *Douay-diaries ;* vitam enarravit Dr Alph. Bellesheim : *Wilhelm Cardinal Allen,* Mog. 1885.

15. *Principiorum fidei doctrinalium demonstratio,* 1 vol. in-fol. ; *Universa justificationis doctrina,* 1 vol. in-fol. ; *Principiorum fidei doctrinalium relectio ; — Antidota ; — Prompt. dogm. et mor.* (per modum orat.). — Est Stapleton omnium controversistarum eruditione, doctrina, vi et acumine forte primus, certo nulli secundus.

16. *De sanctorum cultu.*

17. *Analysis fidei.*

18. *Loci communes, sermones,* etc.

19. *Speculum circa Missam.*

card. (1), Justus Lorichius (2), Judocus Coccius (3) ; — ad Gallos: Claudius Espencæus (4), Ant. de Mouchy (5), Claudius Sanctesius (6), Jacobus Davy Duperron, card. (7), Nicolaus Coeffeteau (8), Franciscus d'Abra de Raconis (9) ; — ad Hispanos et Lusitanos : Alphonsus a Castro (10), Gaspar Casal (11), Dominicus Soto (12), Andreas Vega (13), Michael Medina (14), Franciscus Horantius (15), Didacus Payva de Andrada (16), Martinus Perez de Ayala (17) ; — ad Italos: Gaspar Contarenus (18), Ambrosius Catharinus (19), Dominicus Gravina (20). — Insignes multi e societate Jesu prodierunt apud varias gentes : B. Petrus Canisius (21), Joannes Maldonatus (22), Gregorius de Valentia (23), Joannes Busæus (24), Franciscus Torres (25), Franciscus Costerus (26), Robertus

1. *Confessio catholicæ fidei christianæ ; — De communione sub utraque specie ; — De conjugio sacerdotum.*

2. *De eccles. cœlibatu.* — 3. *Thesaurus catholicus*, 2 vol. in-fol.

4. *De Euch. et ejus ador.* — 5. *De Euch. sacrif.*

6. *Examen doct. Calviniana et Bezana de cœna Domini ;—De rebus Euch. controv.*

7. *Traité du sacrement de l'Eucharistie : — Réplique au Roi de la grande Bretagne ; — Œuvres meslées ;* 3 vol. in-fol. — Judicio omnium inter controversistas primum locum tenet cum Bellarmino et Stapletono.

8. *Les merveilles de la Ste Eucharistie ; — Réponse au livre du sieur Du Plessis ; — La défense de la Ste Eucharistie ; — Pro sacra monarchia Ecclesiæ cath. apost. et rom.* (adv. M. A. de Dominis.)

9. *Réponse à la tradition de l'Eglise sur la Pénitence et la Communion.*

10. *De hæresibus ; — De justa punitione hæreticorum ; — De potestate legis pœnalis.*

11. *De sacrif. missæ ; — De cœna et calice Domini quoad laicos.*

12. *De natura et gratia.* — 13. *De justificatione.*

14. *De recta in Deum fide ; — De sacrorum hominum continentia : — De indulgentiis ;* unus fuit Medina ex iis quibus in concilio Tridentino munus commissum est *catechismi* conficiendi ; explicationem quarti articuli symboli præparaverat, quæ seorsim prodiit Venetiis 1564.— 15. *Loci catholici lib. VII.*

16. *Orthod. explicationum libri X ;* (ubi inter alia agit de peccato, de libero arbitrio, de lege et evangelio, de justificatione et fide ; de s. cœna, de sacramentis, de cultu sanctorum et imaginum, de cœlibatu) ; — *Defensio Tridentinæ fidei catholicæ.* — 17. *De divinis, apostolicis atque ecclesiasticis traditionibus, de auctoritate ac vi earum, assertiones seu libri X.*

18. *De sacramentis ; — De potestate Pontificis*, etc. ; cfr. de ipso recens opus Fr. Dittrich, 2 vol, in-8. — 19. *De sacramentis*, etc.

20. Præter celebres ejus « *Catholicas præscriptiones* », quæ ad scientiam moralem directe non spectant, edidit : *Pro sacrosancto Ordinis sacramento vindicias orthodoxas.* — 21. *Summa doctrinæ christianæ.*

22. Magnus ille Evangeliorum interpres scripsit polemice *de fide*, — *De sacram.*, — *De cæremoniis.* — 23. *Opuscula de fidei controversiis ;* ad moralem præcipue spectant : *analysis fidei catholicæ ; de numero sacramentorum novæ legis ; de missæ sacrificio ; de idololatria.* — 24. *Disputatio theologica de jejunio et delectu ciborum.* — 25. *De cœlibatu et matrimoniis clandestinis.* — 26. *Enchiridion controversiarum præcipuarum nostri temporis de religione.*

Personius (1), Robertus Bellarminus, card. (2), Martinus Becanus (3), Jacobus Gretserus (4), Ludovicus Richeome (5), Petrus Coton (6), Dionysius Petavius (7), Theophilus Raynaudus (8).

175. *Tractatus morales generales speculative et practici.*

Seorsim a dogmatica theologia moralis practice simul et casuistice exponitur ; exponitur autem integre vel per partes in amplis tractatibus, qui jam succedunt antiquioribus summis methodicis. Hujusmodi opera universalia reliquerunt : Joannes Azor (9), Henricus Henriquez (10), Thomas Sanchez (11),

1. *De sacris alienis non adeundis.*

2. *Disputationes de controversiis fidei adversus hujus temporis hæreticos,* 4 vol. in-fol. Moralistæ specialiter utilia sunt quæ habentur in tractatibus de membris ecclesiæ militantis, clericis, monachis et laicis ; de sacramentis in genere et in specie ; de justificatione. Bellarmini singulare meritum est quod absolutissimam theologiæ polemicæ summam composuerit, acceptis quidem non paucis elementis quæ jam plene vindicata fuerant, iis tamen propria etiam eruditione confirmatis, ingenio illustratis : hinc communiter hæretici Bellarminum aggrediendum susceperunt ; a Bellarmino fidei propugnatores arma petierunt ; Bellarmini autem divitiis scholæ catholicæ ad nostram usque ætatem vixerunt.

3. *De triplici cœna, calviniana, lutherana, catholica ; — De communione sub utraque specie ; — Manuale controversiarum,* etc. Est Becanus exemplar theologis polemicis, claritate, soliditate, brevitate. — 4. Opp. Gretseri collecta prodierunt Ratisbonæ 1734, 17 vol. in-fol. Ad scientiam moralem pertinent : *De Sancta cruce ; — De spontanea disciplinarum seu flagellorum cruce ; — De sacris peregrinationibus ; — De sacris processionibus ; — De funere christiano ; — De benedictionibus et maledictionibus ; — De materia et forma Eucharistiæ.* etc.

5. *La Sainte Messe déclarée et défendue ; — L'idolâtrie huguenote,* etc.

6. *Du très saint et très auguste sacrement et sacrifice de la Messe.*

7. Viri hujus, inter eruditos facile principis, opera ad magnam partem dogmatica sunt ; ad moralem tamen etiam spectant *diatriba de potestate consecrandi et sacrificandi ; — De la pénitence publique et de la préparation à la communion.*

8. Majori eruditione quam judicio præstat Raynaudus. Ex operibus ejus, quæ 19 vol. in-fol. comprehensa sunt, ad moralem scientiam spectant : *Moralis disciplina ; — De virtutibus et vitiis ; — Erotemata de bonis ac malis libris deque justa aut injusta eorumdem confixione ; — De stygmatismo sacro et profano, divino, humano, dæmoniaco ; — De honore judicis ; — De æquivocatione et mentali restrictione ; — De ortu infantium contra naturam per sectionem cæsaream,* etc.

9. *Institutiones morales,* 3 vol. in folio. Eminet Azor prudentia, ingenio, eruditione ; quæ in opere suo morali de *sancto imperio romano* scribit, eo magis notari debent quod ex theologis paucissimi hanc materiam tractaverint.

10. *Theologiæ moralis summa,* tom. 3 in-fol. — *Summa moralis sacramentorum.*

11. *De S. Matrimonii sacramento,* 3 vol. in-fol. — *Opus morale in præcepta decalogi,* 2 vol. in-fol. — *Consilia seu opuscula moralia* (præcipue de justitiæ materia), 2 vol. Est Sanchez, præsertim ratione operis de matrimonio, auctor *classicus ;* admiramur in eo subtile acumen, peracre judicium, raram perspicuitatem, singularem et exquisitam in rebus indagandis solertiam, in tradendis facillimam methodum, in evolvendis citandisque theologis et jurisperitis exactissimum et pene indefessum studium. Nullus unquam scriptor exstitit qui matrimonii quæstiones uberius et accuratius explicaverit.

Paulus Laymann (1), Ferdinandus de Castropalao (2), Vincentius Filliucius (3), Paulus Comitolus (4), Stephanus Bauny (5), Stephanus Fagundez (6), Antonius Quintanadvenas (7), Joannes de Dicastillo (8), Antonius de Escobar (9), e S. J. — Paulus Carraria (10), Franciscus Ghetius (11), Vincentius Candidus (12), Petrus de Tapia (13), ex O. P. — Antonius Cordubensis (14), Henricus de Villalobos (15), Gesualdus de Bononiis (16), Eligius Bassæus (17) ex O. S. Fr.; — Gregorius Sayrus (18), Bartholomæus a S. Fausto (19); Martinus Bonacina (20), Ægidius Trullenck (21), Josephus Rocafull (22), Zacharias Pasqualigo (23).

1. *Theologia moralis in 5 libros partita,* 1 vol. in-fol. Est etiam Laymann auctor vere *classicus,* eruditione, rationum momentis doctrinæque perspicuitate præclarissimus. — 2. *Opus morale de virtutibus et vitiis contrariis,* 7 vol. in-fol. — 3. *Moralium quæstionum de christianis officiis et casibus conscientiæ ad formam cursus,* 2 vol. in-fol.

4. *Responsa moralia in VII libros digesta.* — 5. *Theol. mor.,* 4 vol. in-fol.

6. *In 10 præc. Dec.,* 1 vol. in-fol. — *In 5 præc. Eccl.,* 1 vol. in-fol. — *Informatio pro opinione esus ovorum et lacticiniorum tempore quadragesimæ,* in-fol. — *De justitia et contractibus,* 1 vol. in-fol.

7. *Singularia theol. mor. ad 7 Ecclesiæ sacramenta,* 1 vol. in-fol.; — *Ad 5 Eccl. præcepta,* 1 vol. in-fol.

8. *De justitia et jure cæterisque virtutibus cardinalibus,* 1 vol. in-fol.; — *De sacramentis,* 3 vol. in-fol.; — *De juramento, perjurio et adjuratione,* 1 vol. in-fol.

9. *Universæ theol. mor. receptiones absque lite sententiæ,* 7 vol. in-fol.

10. *Canonica et moralis theologia,* 2 vol. in-fol. — 11. *Thesaurus animæ ex morali theologia ad sensum D. Thomæ explicata collectus,* 4 vol. in-fol.; — *Summa theologia moralis D. Thomæ,* (ipsis Angelici verbis), 2 vol. in-4°.

12. *Illustriores disputationes morales,* 4 vol. in-fol. — 13. *Catena moralis doct.,* 2 tom. in-fol. — 14. *Quæstionarium theologicum,* 1 vol. in-fol. Est opus vere doctum in quo quæstiones miscellaneæ profunde explicantur.

15. *Somma de la Theologia moral y Canonica,* 2 vol. in-fol.

16. *Cursus theol. mor ,* 3 vol. in-fol.

17. *Flores totius theol. pract. cum supplem.,* 2 vol. in-fol.

18. *Clavis regia sacerdotum,* 1 vol. in-fol.; — *De censuris ecclesiasticis,* 1 vol. in-fol. etc. Inter magnos theologos Sayrus annumerandus, maximis, si diutius vixisset, æquandus; obiit enim fato nimis immaturo ætatis ann. 32 nondum expleto. Cfr. Ziegelbauer, *Hist. litt. Ord. S. Ben.* p. 2, c. 1, s. 4, p. 183. — 19. *Theol. mor.,* 3 vol. in-fol.

20. Opera Bonacinæ tribus tomis constant: 1. de sacramentis; 2. de præceptis; 3. de bulla Cœnæ.

21. *In 10 Decalogi et 5 Ecclesiæ præcepta, absolutissima et resolutoria expositio,* 2 vol. in-fol. — *Praxis sacramentorum,* 1 vol. in-fol.

22. *Praxis theologiæ moralis,* 2 tom.

23. *De sacrificio novæ legis,* 2 vol. in-fol. — *Variarum quæstionum mor. canon. centuriæ IV,* 4 vol. in-fol.; — *Sacra mor. doctrina de statu supern. humanæ naturæ,* 1 vol. in-fol.; — *Theoria et praxis magni jubilæi,* 1 vol. in-fol.; — *Praxis jejunii eccl. et nat.,* 1 vol. in-fol.; — *Singulares selectæ quæstiones mor. jur.* 1 vol.; — *Theoria et praxis,* 1 vol. in-fol.

176. *Tractatus speciales de theologia fundamentali;*

Partes theologiæ moralis fundamentalis (præter commentatores et polemistas) nonnulli speciatim tractarunt. Et quidem de *beatitudine* egerunt Joannes Baptista Arrighi (1), et Ægidius de Præsentatione et Fonseca (2); — *de actibus humanis*, Franciscus Irribarne (3) — *de libero arbitrio*, Joannes Genesius de Sepulveda (4); — *de conscientia* Martinus Bresserus (5), Franciscus Bardus (6), Andreas Blancus (7), Joseph Rosell (8); — *de legibus* Georgius Stengel (9); — *de peccatis* Joannes Pelecyus (10), Augustinus Oregius (11); — de his omnibus simul Franciscus Felix (12), Nicolaus Baldellus (13).

de virtutibus theologicis,

Virtutes et præcepta multi explicarunt. Imprimis materiam virtutum theologicarum versarunt Franciscus a Christo (14), Petrus Hurtado (15), Joannes Martinez de Ripalda (16), Raphael Aversa (17), Hermanus Gnadt (18), Nicolaus Baldellus (19), Leon. de Penafiel (20), Andreas Sanctarellus (21), Hieronymus Ferrantius (22). — Virtutes autem morales plures expenderunt; nempe *religionem:* Gabriel Paleotus (23), Josephus Burger (24), Franciscus Torreblanca (25), Petrus Binsfeld (26), Benedictus Pererius (27), Antonius Delrio (28); — *justitiam:* Petrus Navarra (29), Ludovicus Lopez (30), Ferdi-

de virtutibus moralibus, religione,

justitia,

1. *Lib. III de beat. hom.* — 2. *Disputationes de animæ et corporis beatitudine.*
3. *De act. hum.*, 1 vol. in-fol. — 4. *De fato et libero arbitrio, libri III.*
5. *De consc. lib. VI ad omnigenas conscientias dirigendas idonei.*
6. *Discept. mor. de consc. in communi, recta, erronea, probabili, dubia et scrupulosa*, 1 vol. in-fol. — 7. *De opinionum praxi.*
8. *Praxis deponendi conscientiam in dubiis et scrupulis.*
9. *Diss. de divinis et humanis legibus.*
10. *Malum summi mali sive de infinita gravitate peccati mortalis.*
11. Inter opera simul collecta, 1 vol. in-fol. — 12. *Tentativæ complutenses*, 3 vol. in-4°. — 13. *Disp. ex mor. theol. lib. 5.* — 14. *De fide, spe et char.*
15. *De tribus virt. theol.*, 2 vol. in-fol. — 16. *De virt. fide, spe, char.*
17. *De fide, spe et char.*, 1 vol. in-4°. — 18. *Asserta theol. de virt. theol.*
19. *Disputationum ex mor. theol. lib. IV*, 1 vol. in-fol.
20. *De virtute divinæ fidei.* — 21. *De hæresi, schism., apost. etc.*, quo opere Gallicani insulse commoti fuerunt; cfr. D'Argentré, *Coll. jud.*, II, p. 2, pag. 212. — 22. *De scandalo et correptione fraterna.*
23. *De sacris et profanis imaginibus*, lib. II.
24. *Analysis theologico-juridica de juramenti natura, obligatione, interpretatione et dispensatione*, 1 vol. in-4°.
25. *Epitome delictorum in quibus aperta vel occulta invocatio dæmonum intervenit.* — 26. *De confessionibus maleficorum et sagarum.*
27. *De magia, de observatione somniorum et de divinatione astrologica libri III.*
28. *Disquisitionum magicarum lib. VI.*
29. *De ablatorum restitutione in foro conscientiæ libri V.*
30. *Tractatus de contractibus et negotiationibus* sive *Instructorium negotiantium.*

nandus Rebellus [1], Paulus Comitolus [2], Andreas Blancus [3], Petrus de Onate [4], Petrus Wadding [5], Alphonsus Villagut [6], Gregorius Caraffa [7], Nicolaus Abram [8]; — *fortitudine, temperantia ;* *fortitudinem* : Thomas Hurtado [9] ; — *temperantiam :* Alphonsus Ciaconius [10], Joannes Sanchez [11], Joannes Baptista Filesac [12], Thomas Hurtado [13], Leonardus Lessius [14].

de obligationibus particularibus clericorum Clericorum, parochorum, regularium obligationes exposuerunt Antonius de Molina [15], Ludovicus Cressolius [16], Antonius Possevinus [17], Augustinus Barbosa [18], Vincentius Filliuccius [19], Franciscus Pellizarius [20], Joannes Baptista Lezzana [21]. — *et principum.* Principum vero ac magistratuum officia explicarunt Judocus Clichtovæus [22], Franciscus Patricius [23], B. Thomas Morus [24], Franciscus de Victoria [25], Joannes

1. *De obligationibus justitiæ, religionis et charitatis.*

2. *De contractu universe ad scientiæ methodum revocato.* — 3. *De cambio.*

4. *De conditionibus et modis impossibilibus et jure prohibitis, contractibus et testamentis adscriptis.*

5. *De contractibus in genere et in specie.*

6. *De usuris,* 1 vol. in-fol.

7. *De monomachia* seu *de duello,* 1 vol. in-fol. quo materia plane exhausta videtur. — 8. *De veritate et mendacio lib. IV,* in-fol.

9. *Resolutiones orthodoxo-morales, scholasticæ, historicæ de vero, unico et proprio martyrio,* 1 vol. in-fol. : (adversus lib. Theoph. Raynaudi *De martyrio per pestem.*)

10. *De jejuniis et varia eorum apud antiquos observantia.*

11. *Tractatus de jejunio.*

12. *De prisco et vario ritu observatæ apud christianas gentes quadragesimæ.*

13. *Chocolate o tabaco si se compadecen con el ayuno.*

14. *De bono status eorum qui colunt et vovent castitatem in sæculo.*

15. *Instruccion de sacerdotes,* opus in varias linguas versum.

16. *Mistagogus de sacrorum hominum disciplina.* — 17. *De officio curati.*

18. *Pastoralis sollicitudinis,* sive *de officio et potestate episcopi tripartita descriptio,* 1 vol. in fol. ; item *de officio et potestate parochi,* 1 vol. in-fol.

19. *De statu clericorum,* 1 vol. in-fol.

20. *Manuale Regularium,* 2 vol. in-fol. (in Ind.); — tr. *de monialibus* (in Ind. donec corrigatur; correctus a Fr. Montano prodiit ann. 1755.)

21. *Summa quæstionum regularium.*

22. *De regis officio.* — 23. *De institutione reipublicæ ;* — *De regno et regis institutione.* — 24. *De optimo reipublicæ statu.*

25. *Relectio de potestate temporali ;* — *De Indis.* Tandem agnoscunt Jurisperiti nostri summam eruditionem, profundam doctrinam scholasticorum sæculi XVI, in his præsertim quæ spectant jus naturale et publicum. Ita v. g. legitur in op. per. *Revue de droit intern. et de législ. comp.* XV, 195-199. « Je ne crois pas qu'il y ait quelque chose de comparable dans l'histoire littéraire du droit aux pages si courtes qui composent la double dissertation *de Indis* de François Victoria ; et cependant celui-ci ne put mettre la dernière main à son œuvre dont on doit la publication au zèle pieux de ses disciples. » Cfr. supra, pag. 85, n. 1.

Mariana [1], Gregorius Tolosanus [2], Michael Mauclerus [3], Odoardus Westonus [4], Baptista Fragosus [5], Joannes Sinnichius [6]. — Pontificis et Ecclesiæ potestatem respectu auctoritatis civilis vindicarunt Lessius [7], Becanus [8], Card. Duperron [9], Gaspar Scioppius [10], et alii qui librum Regis Angliæ [11] vel Richerii doctrinam confutarunt [12]. — Speciatim vero de tolerantia politica egerunt Joannes Lensæus [13], Cornelius Lancellotus [14], Jacobus Pamelius [15], Petrus Coretus [16], et alii [17]. Huc etiam pertinent scripta de *inquisitione* a Jacobo Simancas [18], Francisco Pegna [19], Ludovico de Paramo [20] etc. — Quæstiones autem œconomicas et sociales attingere cœperunt variis sententiis hinc Joannes

1. *De rege et regis institutione :* opus, quoad substantiam, eximium ; cujus tamen doctrina de tyrannicidio (nec nova nec Marianæ propria) innumeris adversus Societatem Jesu calumniis occasionem dedit. Scripsit etiam Mariana opusc. *de mutatione monetæ.*

2. *De republica libri* 26.

3. *De monarchia divina, ecclesiastica et sæculari christiana deque sancta inter Ecclesiam et sæcularem illam conjuratione,* 1 vol. in-fol.

4. *Theatrum vitæ civilis et sacræ,* 1 vol. in-fol. — *De triplici hominis officio,* 1 vol. (Brugis apud B. M. V. canonicus erat auctor).

5. *Regimen reipublicæ christianæ,* tom. 3 in-fol.

6. *Saul ex-rex* sive *de Saule... divinitus primum sublimato, ac deinde ob violatam religionem principatu vitaque exuto, in typum regum ac principum temeratæ religionis reorum, ideoque cœlitus animadversorum vel animadvertendorum,* 2 vol. in-fol.

7. *Defensio potestatis summi Pontificis adversus librum regis Magnæ Britanniæ, Guil. Barclaii Scoti, et M. Georgii Blaquelli ; — Discussio decreti magni conc. Later... de potestate Ecclesiæ... et incommoda diversæ sententiæ.*

8. *Controversia Anglicana de potestate Pontificis et Regis;* cfr. Fleurii continuator ad ann. 1613.

9. *Harangue au Tiers Estat.*

10. *Ecclesiasticus auctoritati seren. D. Jacobi M. Britanniæ regis oppositus.*

11. Cfr. Tractatus noster *de religione,* 1, 665.

12. Richerii opera huc pertinentia sunt : *De ecclesiastica et politica potestate ; — Demonstratio libri de ecclesiastica et politica potestate ; — Apologia pro Joanne Gersonio.* — Similis fere spiritus est damnatum opus Petri de Marca *Concordia sacerdotii et imperii.*

13. *De unica religione conservanda.*

14. *De libertate religionis e republica proscribenda.*

15. *De religionibus diversis non admittendis.*

16. *Defensio veritatis.*

17. V. g. Molanus, Sweertius, Rosweydus, Becanus in libris *de fide hæreticis servanda ;* cfr. tractatus noster *de virt. theol.* n. 299.

18. *Institutiones catholicæ.*

19. *Instructio sive praxis inquisitorum ; — De temporali regno Christi, etc.* Edidit præterea *Directorium Eymerici* cum notis.

20. *De origine et progressu officii S. Inquisitionis.*

Ludovicus Vives [1], Ægidius Witsius [2]; inde vero Laurentius a Villavicentio [3], et maxime Dominicus Soto [4].

De sacramentis in genere. Universalem sacramentorum materiam tractarunt Franciscus de Victoria [5], Martinus Vibaldus [6], Bartholomæus Hugolinus [7], Vincentius Fernandez [8], Guillelmus Mercerus [9], Joannes Sanchez [10], Augustinus Bernal [11]. In specie egerunt de *confirmatione :* Pontius, Gulielmus Beyer,

de eucharistia, Lucas Holstenius, Joannes Morinus [12] ; — de *Eucharistia :* Didacus de Tapia [13], Martinus Meurisse [14], Petrus de Marca [15], Josephus Ballo [16], Jacobus Sirmondus [17], Pontius [18], Franc. Hyac. Choquet [19], Paulus Aresi [20],

pœnitentia, Christophorus Madridius [21] ; — de *pœnitentia :* Philippus Faber [22], Franciscus Suarez [23], Seraphinus a Conceptione [24], Joannes Morinus [25], Jacobus Sirmondus [26] ; de

extrema unctione, ordine, matrimonio, *extrema unctione :* Nicolaus Serarius [27]; — de *ordine :* Philibertus Marchini [28], Joannes Morinus [29], Franciscus Hallier [30]; — de *matrimonio :* Nicolaus Serarius [31], Joannes Gutierez [32].

---

1. *De subventione pauperum.* — 2. *De continendis et alendis domi pauperibus.*
3. *De œconomia sacra circa pauperum curam a Christo instituta.*
4. *In causa pauperum deliberatio ;* cfr. tract. noster de *virt. theol.*, nº 496 ; De Ram, *Opinion des théologiens de Louvain sur la répression administrative de la mendicité* (Bull. de l'Acad. roy. de Belg. tom. XXII.); *Annal. Jur. Pont.* VI 1835.
5. *De septem sacramentis.* — 6. *Candelabrum aureum Ecclesiæ S. Dei.*
7. *De sacramentis, de censuris.* — 8. *Mixtæ e jure canon. et theol. disputationes in sacramentorum materiam.* — 9. *De sacramentis, irregularitate, indulgentiis.*
10. *Selectæ et practicæ disp. de rebus in adm. sacram. præsertim. euch. et pœn. passim occurrentibus.* — 11. *De sacramentis in genere et de euch. et ordine in particulari.* — 12. Inter opuscula posthuma.
13. *De incarn. Christi, de admir. euch. sacram., de ritu missæ.*
14. *De sacros. et adm. Euch. sacram.* — 15. Inter disp. posthumas.
16. *Resolutio de modo evidenter possibili transsubstantiationis panis et vini in sacrosanctum Domini Jesu corpus et sanguinem,* 1 vol. in-4º.
17. Diss. *de azymo.* — 18. *De aquæ et vini conversione in sacr. Euch.*
19. *De mixtione aquæ in calice eucharistico ejusque in Christi sanguinem conversione.* — 20. *De aquæ vino mixtæ in sacrificio missæ transmutatione.*
21. *De frequenti usu Eucharistiæ.*
22. *De pœn., de pecc., de purg., de suff., de indulg.*, 1 vol. in-fol.
23. *De virtute et sacram. pœn. tract. VIII,* 1 vol. in-fol.
24. *Tractatus de pœn. virt. et sacram.*, 1 vol. in-fol.
25. *Comm. hist. de disc. in adm. sacram. pœn.* — 26. *Hist. pœn. publ.*
27. *Disp. de sacram. extremæ unctionis* (in *thes.* Zacc) — 28. *De sacram. ord. et sacrif. Missæ,* 1 vol. in-fol. — 29. *Comm. hist. et dogm. de sacris Ecclesiæ ordinationibus,* 1 vol. in-fol. — 30. *De sacris elect. et ordin. ex ant. et novo jure,* 3 vol. in-fol. — 31. *De catholicorum cum hæreticis matrimonio quæstiones* (in *thes.* Zacc.) — 32. *Canonicarum quæstionum utriusque fori,* lib. III (tertius versatur circa *sponsalia de futuro et matrimonia.*)

177. TANDEM principiorum moralium applicatio docetur operibus practicis, quæ inscribuntur *confessariorum directoria,* aliove simili titulo, et *casus conscientiæ.*

Directoria confessariorum.

Nempe antiquiorum *confessionalium* locum jam obtinent confessariorum *directoria.* Hujusmodi sunt opera Martini Navarri (1), Joannis Molani (2), Emm. Sa (3), Joannis Polanci (4), Martini Fornari (5), Card. Toleti (6), Petri Binsfeld (7), Josephi Augustini (8); Steph. Bauny (9), Petri et Jacobi Marchant (10), Hermanni Busenbaum (11), Antonii de Escobar (12), Valerii Reginaldi (13). Huc etiam referri debent *instructiones* et *præcepta* S. Caroli Borromæi (14).

Casus conscientiæ.

His operibus adduntur *casuum conscientiæ* et *responsionum* ac *decisionum moralium* collectiones: præcipuæ debentur Ludovico de Beja (15), Jacobo De Graffiis (16), Joanni De Lugo (17), Francisco Sylvio (18), Andreæ Sanctarello (19), Francisco de Arauxo (20) et Antonino Diana (21).

---

1. *Manuale sive Enchiridion confessariorum et pœnitentium.*

2. *Theologiæ practicæ compendium per conclusiones.*

3. *Aphorismi confessariorum.* — 4. *Methodus ad juvandos eos qui moriuntur.*

5. *Institutio confessariorum.* — 6. *Instructio sacerdotum.* — 7. *Enchiridion theologiæ pastoralis.* — 8. *Brevis notitia eorum, quæ scitu vel necessaria vel valde utilia sunt confessariis.* — 9. *Somme des péchés qui se commettent en tous estats;* — *Summa casuum conscientiæ seu manuale confessariorum.*

10. Petri Marchant sunt: *Tribunal sacramentale et visibile animarum in hac vita mortali,* 3 vol. in-fol.; — *Notabiles resolutiones variorum casuum et quæstionum practicarum;* Jacobi vero Marchant est *hortus Pastorum.*

11. *Medulla theol. mor.* Opus vere classicum a Cl. Lacroix et S. Alphonso uberrimis commentariis illustratum.

12. *Liber theol. mor. 24 S. J. doctoribus reseratus.*

13. *Praxis fori pœnitentialis ad directionem confessarii in usu sacri sui muneris,* 2 vol. in-fol.; — *Compendiaria praxis difficiliorum casuum conscientiæ;* — *De prudentia et cæteris in confessario requisitis ad recte fructuoseque divini ministerii sui munera obeunda.*

14. Cfr. *Acta Ecclesiæ Mediolanensis,* 2 vol. in-fol. *Opera* S. Caroli, 5 vol. in-fol. collecta sunt; seorsim prodierunt: *Instructiones pro confessariis; Instructiones ad concionandum, confessionisque et Eucharistiæ sacramenta ministranda; Pastorum instructiones.*

15. *Responsa casuum conscientiæ.*

16. *Decisionum aurearum casuum conscientiæ,* tom. 2, cum *appendice,* 1 tom. et *additamentis,* 1 tom. — *Consiliorum sive responsorum casuum conscientiæ,* tom. 2. — *Practica 5 casuum summo Pontifici reservatorum,* 1 tom. — *De arbitrariis confessariorum,* 1 tom.

17. *Responsorum moralium lib. 6.* — 18. *Resolutiones variæ* (inter opusc.)

19. *Variæ resolutiones et consilia.* — 20. *Variæ et selectæ decisiones morales.*

21. *Resolutiones morales,* tom. 12 — vel *Antoninus Diana... coordinatus,* 10 vol. Operis compendium plurimi confecerunt.

178. Ad expositionis complementum, juverit verbulum addere de statu asceticæ, liturgiæ et juris canonici per hanc periodum : triplex enim illa scientia ita cum morali connexa est ut olim simul cum ipsa tractaretur.

Status asceticæ. Asceticæ magistri præcipui fuerunt S. Ignatius de Loyola, S. Teresia, S. Petrus ab Alcantara, Joannes ab Avila, S. Joannes a Cruce, Petrus de Berulle, Alphonsus Rodriguez, Jac. Alvarez de Paz, Car. de Condren, Ven. J. J. Olier. In eadem populo concionibus explicanda excelluerunt S. Franciscus Salesius, Lud. Granatensis, Ant. Vieira.

liturgiæ Eodem tempore ipsi *textus* liturgici correctiores editi sunt jussu concilii Tridentini et Pontificum Romanorum cura : in eos egregia commentaria practica scripserunt Bartholomæus Gavantus ([1]) et Paulus Quarti ([2]). — Vetera autem documenta publici juris fecerunt Georgius Cassander ([3]), Jacobus Pamelius ([4]), Melchior Hittorpius ([5]), Cornelius Schulting ([6]), Hugo Menardus ([7]), Jacobus Goar ([8]) ; historicis vero dissertationibus et notis antiquos ritus illustrarunt Stephanus Durantus ([9]), Josephus Vicecomes ([10]), Fortunatus Scacchi ([11]), Marcus Marsilius ([12]).

et juris canonici. Etiam cura Pontificum correctiores prodierunt *textus* juris canonici, quos mox criticis et practicis commentariis exposuerunt Didacus Covarruvias et Leiva ([13]), Martinus Azpilcueta ([14]), Antonius Augustinus ([15]), Augustinus Barbosa ([16]), Franciscus Zypæus ([17]).

1. *Thesaurus SS. Rituum sive commentaria in rubricas Missalis et Breviarii romani.* — 2. *Rubricæ Missalis romani commentariis illustratæ; — De processionibus ecclesiasticis et de litaniis sanctorum, de sacris benedictionibus, de rebus benedictione sacratis.*

3. *Liturgica.* — 4. *Liturgia Latinorum.* — 5. *De catholicæ Ecclesiæ divinis officiis ac ministeriis.* — 6. *Bibliotheca ecclesiastica.* — 7. *S. Gregorii liber sacramentorum.* — 8. *Euchologion sive rituale Græcorum.*

9. *De Ecclesiæ catholicæ ritibus.*

10. *Observationes ecclesiasticæ de antiquis baptismi ritibus ac cæremoniis; — De ritibus confirmationis; — De antiquis Missæ ritibus; — De Missæ apparatu.*

11. *Sacrorum elæochrismaton Myrothecia.* — 12. *Hydragiologia sive de aqua benedicta.* — 13. Opera ejus 2 vol. collecta sunt. — 14. *Præter Enchiridion* supra memoratum, varia de jure scripsit quæ tribus vol. collecta fuerunt. — 15. Summus ille vir edidit *antiquas collectiones Decretalium* cum notis, item cum notis *canones pœnitentiales;* scripsit etiam eruditissimos *dialogos 40 de emendatione Gratiani; epitome juris Pontifici veteris,* etc.

16. Opera ejus comprehenduntur tom. 20 in-fol.

17. *Juris Pontificii novi analytica enarratio.*

§ II.

De secunda periodo (1660-1830).

179. *Causæ mutationis*

Est hæc periodus tum *mutationis* tum præsertim *perversionis* et progressivi lapsus in ruinam. — *a*/ Mutationis causa fuit, ab una quidem parte, lassitudo quædam relate ad quæstiones scholasticas, imo tædium multorum animis ingeneratum ex præcedentibus disceptationibus; ab altera autem parte, alacritas prorsus singularis in excolendis studiis criticis et historicis, quæ præstantiores quosque viros ad se alliciebant (1) : hinc considerationes speculativæ locum cedebant accuratæ eruditioni. — *b*/ Quominus autem nobile sæculum positivum scholastico successerit, prohibuit enata hoc tempore perversionis causa efficacissima, nempe hæreseos jansenianæ et erroris gallicani simultanea propagatio, mox autem rationalismi extensio (2), atque inde exorti febronianismus et josephismus: hæ siquidem pestes non solum multorum, qui eis mederentur, animos occuparunt, verum etiam non parum ipsas scholas catholicas infecerunt. — *c*/ Altera potentissima perversionis causa fuit invasio novorum systematum philosophicorum, quæ, a cartesiano ad kantianum usque, antiquam sapientiam christianam impetierunt (3).

et perversionis in hac periodo.

1. Advertatur hoc præcise tempore floruisse eos qui dici possunt eruditionis heroes: D'Achery, Mabillon, Martène, Massuet, Martianay, le Nourry, Maran, Coustant, Touttée, Jul. Garnier, Bacchini, d'Aguirre, Pez, Montfaucon, Sainte-Marthe, de la Rue, Ruinart, omnes ex O. S. B. — Bona, O. Cist. — Bollandum, Henschenium, Papebroch, Stilting, Dusolier, Labbe, Harduin, e S. J. — Thomassin, Renaudot, le Quien, Muratori, Ducange, Baluze, Lupum, Noris, Ughelli, Assemani etc.

2. Hæc rationalismi extensio describitur in opere recenti Lud. Dacros, *Les encyclopédistes*.

3. A multis notata est affinitas quædam Jansenismi cum Cartesianismo. Sane *a*/ Cartesius et Jansenius influxum senserant ambo Calvinistarum Batavorum. — *b*/ Jansenianis et Cartesianis communis fuit contemptus philosophiæ Aristotelicæ et theologiæ scholasticæ ; — *c*/ Jansenii gratia victrix simile quid habet cum Cartesii determinismo ; — *d*/ quare non casu sed ex rerum connexione factum est ut sæpe, qui Jansenii theologiam sequebantur, simul Cartesii philosophiam passim amplecterentur. Cfr. Monchamp, *Hist. du Cartésianisme en Belgique*, ch. VI.

Recte etiam comparata est præsens periodus cum periodo quæ sæculis XIV et XV continetur ; hinc *nominalismus*, inde *cartesianismus ;* hinc *Fraticellorum* rigor hæreticus et schismaticus, inde *Jansenii* dogmata ; hinc Philippi Pulchri, Ludovici Bavari *defensores*, inde *gallicani, febroniani, josephistæ ;* hinc *naturalismus* classicæ renovationis, inde *rationalismus* sæculi

180. *Generales theologiæ characteres.*

Hac itaque periodo *a*/ in dies evadit theologia minus speculativa et magis positiva, ut tandem nec speculativa nec vere positiva sit, sed prorsus jejuna : ex quo sponte contingit ut vi et efficacia careat adversus revelationis hostes quotidie numerosiores. — *b*/ Desinit etiam esse thomistica, hoc videlicet sensu, quod Angelicus suum in scholis principatum paulatim amittat ; primum ejus opera e manibus magistrorum et discipulorum recedunt, deinde ipsa doctrina plerisque incomperta fit ; pro commentariis in *summam* initio adhibentur *cursus* et *institutiones* haud ignobiles, postea scholas invadunt insufficientia compendia. — *c*/ Opera universam doctrinam revelatam complectentia rariora fiunt, multo autem frequentiora opuscula de variis peculiaribus argumentis : hæc scripta, tum generalia tum specialia, primis quidem centum annis hujus periodi severiori criterio, stylo eleganti, logico ordine plerumque nitent, deinceps vanæ et formalis methodi sollicitudine, in Germania præsertim, sæpe deformantur ; simul autem theologiæ partes artificiose multiplicantur, cum magno utique veræ scientiæ detrimento : scilicet ratione vel præcipui fontis ex quo doctrina hausta est, vel specialis finis practici ad quem dirigitur, theologia inscribitur *biblica, patristica, catechetica, homilitica,* etc. — *d*/ Lingua latina circa finem hujus periodi cedit linguis vernaculis germanicæ, gallicæ, italicæ, ita ut proprium Ecclesiæ idioma tandem nec audiatur, nec intelligatur. Præterea multa opera, in eruditionem cleri evulgata, ipso suo titulo quemdam *particularismum* redolent ; prodeunt scilicet theologiæ *Lugdunensis*, *Pictaviensis, Rothomagensis,* et aliæ similes ; sicut enim quævis diœcesis suo *breviario,* suo *missali*, suo *rituali,* suo *catechismo* gaudebat, ita sua *theologia* gloriabatur.

181. *Specialis indoles theologiæ moralis.*

Quod speciatim theologiam moralem attinet, *a*/ hæc, tota ista periodo, est omnino contentiosa, plena disputationibus acerrimis, imo accusationibus et improperiis (1). Contentionum

XVIII ; utrobique societatis christianæ dissolutio ex qua devenitur hinc in *pseudo-reformationem,* inde in *perturbationem gallicanam.*

1. Contentiones et criminationes in variis scriptis exhibentur, præcipue in Arnaldi opere, *Théologie morale des Jésuites ;* quædam earum historia legi potest in Dan. Concina, *Della storia del Probabilismo e del Rigorismo ;* plura documenta referuntur in opere edito a Dollinger et Reusch, *Geschichte der moral streitigkeiten.*

objectum sunt duo præcipua ethicæ christianæ capita, directio scilicet conscientiæ et administratio sacramentorum ; *causa* fuerunt Jansenii errores nimium diffusi (1) ; *occasio incentiva*, dissidium ordinum religiosorum in quæstione de auxiliis (2) ; *prætextus*, imprudentes opiniones et methodus præpostera quorumdam theologorum periodi antecedentis (3). — *b*/ Exinde

1. Hanc, et non aliam, fuisse intimam controversiarum causam facile agnoscet qui sequentia perpenderit. *a*/ Janseniana principia de ignorantia, arbitrii libertate, cupiditate et charitate, opponuntur receptis principiis de humanis operationibus, virtutibus, requisitis dispositionibus ad receptionem sacramentorum. — *b*/ De facto jansenianæ hæresis auctores infensissimi exstiterunt morali catholicæ sui temporis, quam per contemptum *casuisticam* vocabant, ut patet ex Jansenii, tom. 2, *libro proœmiali*, c. 8. — *c*/ Præsules, qui ardentius in casuistas insurrexerunt, aperte favebant Jansenistis, v. g. apud Gallos Henricus de Gondrin, arch. Senonensis, etc. — *d*/ Casuistarum impugnatio pari gradu cum erroris propagatione progressa est ; scilicet Jansenii *Augustinus* prodiit anno 1640 ; anno 1643, Arnaldi *frequens communio ;* querelæ Jacobi Boonen ad Universitatem Lovaniensem delatæ anno 1654 ; anno 1656 editæ epistolæ *Provinciales ;* anno 1658 promulgata decreta Henrici de Gondrin et aliorum : conveniunt ergo *principia, personæ, tempora*. Absit tamen ut jansenismi notam inuramus omnibus passim casuistarum adversariis !

2. Quæstio *de auxiliis* extrinsecum quidem habuit influxum, eumque gravissimum, in controversias morales ; at nulla videtur esse inter illam quæstionem et has controversias relatio intrinseca ; hoc evidenter constat tum ex doctrinarum consideratione, tum etiam ex *facto :* duces enim utriusque partis, Bannez, Alvarez, Molina, Suarez, Valentia, in moralibus perfecte conveniebant : nempe æque erant *casuistæ ;* imo a Bartholomæo de Medina (1570) usque ad Ildephonsum Baptistam (1645), Dominicani passim probabilismum propugnaverunt ; verum cum anno 1654 celebre decretum in capitulo generali Ord. Præd. emissum esset, deinceps hujus instituti scriptores omnes probabiliorismum vel tutiorismum defenderunt.

3. Revera circa finem antecedentis periodi nonnulli exstiterunt Moralistæ, qui, dum toti essent in limitibus præceptorum definiendis, videntur expositionem virtutum et principiorum supernaturalium fere neglexisse ; nimirum theologiæ partem positivam et speculativam haud satis curabant, in casuistica autem sobrietate et gravitate carebant. Horum defectus cum aliqua exaggeratione deplorat Terillus, *De consc. prob.* præf. : « Innumerabiles sunt qui a triginta annis (scribebat circa ann. 1660) *summis* casuum, rerumque moralium *tractatibus* bibliothecas impleverunt... In opiniones laxiores oculos animumque conjecerunt, gnari eas præ omnibus rudiori legentium vulgo placituras... Vidi ego ex his recentioribus nonnullos viros cæteroquin egregios, qui cum in rebus summi momenti ad Dei legem et conscientiæ obligationem pertinentibus, ab unanimi omnium sententia ad intolerabilem opinandi laxitatem declinassent, aliud tamen quo moverentur non habebant, quam argumentum a simili ductum. » Imprudentes illi tum ex quovis instituto religioso, tum e clero sæculari prodierant ; præ cæteris tamen hujus peccati insimulati sunt Jesuitæ : hinc Societatis præpositi generales iteratis vicibus suos monuerunt de sententiis laxioribus, aliisque exoticis et novis, in docendo cavendis. Cfr. v. g. epist. Goswini Nickel, 29 Maii 1657, Joannis Pauli Oliva, 2 Dec. 1662, 30 Ap, 1667, etc.

factum est ut moralistæ in duas partes scissi fuerint : hinc *rigidiores*, inde *benigniores ;* rigidiores partem positivam affectabant, casuisticam contemnebant ; benigniores, veteri mori addicti, licet Concilia et Patres non negligerent, praxi sedulo intendebant. — *c/* Disputationum quasi centrum erat *probabilismi* quæstio : theologi benigniores *probabilistæ* erant, rigidiores *antiprobabilistæ*. Hæc quæstio summum quidem habet momentum practicum, quum ab ejus solutione pendeat vitæ directio in millenis dubiis quotidie emergentibus ; at non habet generale momentum scientificum ; nam ab ejus solutione pendere non debet tractatio specialium materiarum. Nihilominus fatendum est, scientiæ moralis libros diversam indolem induisse pro vario modo quo eorum auctores de probabilismo sentirent. Antiprobabilistæ enim facile suas sententias certas proclamabant, aut, controversiis vix indicatis, obligationes pronuntiabant ; e contra probabilistæ aliquando nimis proni erant ad valorem quibusdam sententiis attribuendum, vel etiam, relatis variis opinionibus, probabilitate contenti, in quemdam scepticismum delabebantur, minus solliciti de ulteriori inquisitione veritatis (1). Ab hoc igitur tempore distingui solent theologi in *probabilistas* et *antiprobabilistas,* quasi a præcipuo suo charactere. — *d/* Sedes Apostolica, munere suo functa, non paucas utriusque partis erroneas propositiones damnavit ; quæ damnatio causa fuit non levis in doctrina ipsa progressus, simulque ortum dedit novæ parti litteraturæ theologicæ, nempe *commentariis in propositiones damnatas*.

182. Itaque etiam hac periodo theologia moralis plus minus speculative exponitur simul cum dogmatica tum in *commentariis*, tum in *cursibus* et *compendiis :* ita tamen ut rarissimi sint commentarii super ¦Magistrum, commentarii vero super S. Thomam in dies evadant rariores, e contra cursus et compendia magis magisque multiplicentur.

Commentarii in S. Thomam. In S. Thomæ summam integram vel in ejus partes morales

1. Ad rem Mutius Vitelleschi, S. J. præpositus generalis, suos monebat « ut qui docent scribuntque, minime hac regula et norma in delectu sententiarum utantur : *tueri quis potest, probabile est, doctore non caret.* Verum ad eas sententias accedant, quæ tutiores, et quæ graviorum majorisque nominis doctorum suffragiis sunt frequentatæ. »

scripserunt Petrus de Godoy (1), Dominicus de Marinis (2), Vincentius Ferre (3), Thomas Madalena (4), Bernardus Rabaudy (5), Joannes de Alliaga (6), — Andreas a Cruce (7), Laurentius a S. Teresia (8), — Didacus de Silva Pacheco (9), Alanus Ritter (10), — Jos. Maria Requesens (11), Joannes Puteobonellus (12).

Scripta in libros sententiarum Scoti et aliorum.

Pauci illi qui circa *sententiarum libros* versati sunt, potius Scoti, S. Bonaventuræ, Henrici Gandavensis, Joannis Baconi, quam ipsius Lombardi doctrinam illustrare intenderunt. Et quidem sub tali forma Scotum interpretati sunt Laurentius Brancatius de Laurea (13), Emmanuel Perez de Quiroga (14), Joannes Perez Lopez (15), Amandus Hermann (16); — S. Bonaventuram, Gaudentius Bontempi (17) et Bartholomæus de Barberiis (18); — Henricum Gandavensem, Georgius Soggia (19), — Joannem Baconum, Elisæus a Garcia (20).

Cursus, institutiones ad mentem S. Thomæ.

Ex plurimis operibus quæ inscripta fuerunt *cursus, systemata, institutiones,* aliisve similibus titulis, alia ad mentem Magistrorum elaborata exhibentur, alia sunt magis independentia. Ad strictiorem scholam thomisticam pertinent : dominicani Vincentius Contenson (21), Petrus Labat (22), Joannes Baptista Gonet (23), Bonifacius Maria Grandi (24), Joannes

---

1. *Disputationes theol.* in 1 p.; in 1-2; in 3 p., 7 vol. in-fol.
2. *Expositio commentaria* in 1 p.; in 1-2; in 2-2; in 3 p.
3. Scripsit in S. Thomam 8 vol. in-fol., nempe tria in 1 p., reliqua in 1-2.
4. *Observationes litterales in summam S. Thomæ; — Examen thomisticum.*
5. *Exercitationes theol. ad singulas partes summæ S. Thomæ.*
6. *Quæstiones commentariæ in 1. 2. S. Thomæ,* 6 vol. in-fol.
7. In 1 p. et in 1-2, 4 vol. in-fol.
8. *Elucidarium thomisticum* seu *spicilegium thomisticum,* quod post mortem auctoris edidit Adeodatus a SS. Petro et Paulo.
9. In 1 p. et in 1. 2., 5 vol. in-fol. — 10. *Theoremata theologica in summam S. Thomæ.* — 11. *Selectarum disputationum in 1-2. lib. IV.*
12. *Quæstiones selectæ,* in 1 p.; in 1-2.; in 2-2; in 3 p., 4 vol. in-fol.
13. *Commentaria in III et IV lib. sent. Doctoris subtilis,* 8 tom. in-fol.
14. *In lib. I sent.,* vol. 3; *in lib. II,* vol. 2; *in lib. III,* vol. 3; præterea edidit *quæstiones selectas theologicas,* ad mentem Scoti.
15. *In I et III lib. sent.,* vol. 2 in-fol. — 16. *Tractatus theol. in lib. sent.,* 4 vol. in-fol. — 17. *Palladium theologicum seu tuta theol. scholastica,* 7 v. in-fol.
18. *Cursus theol. super lib. sent.,* 2 vol. in-fol. — 19. *In IV lib. sent. quæstiones disp.,* vol. 2 in-fol. — 20. *Quæstiones theol. mor. in 4 lib. sent. Joannis Baconii.* — 21. *Theologia mentis et cordis,* 2 vol. in-fol.
22. *Theologia schol. secundum illibatam S. Thomæ doctrinam,* 8 vol. in-8.
23. *Clypeus theol. thomisticæ,* 5 vol. in-fol.; — *Manuale thomistarum,* 6 vol. in-12. — 24. *Cursus theol.,* 3 vol. in-fol.

Syrus (1), Natalis Alexander (2), Renatus Billuart (3), Vincentius Gotti (4); carmelitæ Franciscus Bonæ Spei (5), Paulus a Conceptione (6); benedictini Augustinus Reding (7), Benedictus Pettschacher (8), Paulus Mezger (9), Alphonsus Wenzel (10), Placidus Troici (11), Benedictus Schmier (12); minorita Franciscus Palanco (13). — Ad liberiorem vero S. Thomæ scholam pertinent e S. J. Martinus de Esparza (14), Jacobus Platel (15), Sylvester Maurus (16), Thomas Mlodzianowski (17), Joannes Ulloa (18), Edmundus Simmonet (19), Wirceburgenses (20), Joannes Baptista Gener (21); e sorbonicis Tournely (22).

Scoti, — Scoti doctrinam sequuntur Bernardus Sannig (23), Clemens Bascetti (24), Marcus a Bauduino (25), Claudius Frassen (26), Bartholomæus Hieronymus a Monte Fortino (27), Crescentius

S. Bonaventuræ, Krisper (28). — S. Bonaventuræ adhærent Marcellus Regien-

1. *Univ. theol. thom.*, 4 vol. in-fol.

2. *Theol. dogm. et mor. secundum ord. Cath. Rom.*, 2 vol. in-fol. (accedit fere ad Jansenianos).

3. *Summa S. Thomæ hodiernis academiarum moribus accommodata*, 19 vol. in-8 vel 3 in-fol.; — *Summa Summæ S. Thomæ*. 6 vol. in-8.

4. *Theol. schol. dogm.*, 16 vol. in-4.

5. *Comm. in univ. theol. schol.*, tom. 6 in-fol.

6. *Tract. theol.* juxta S. Thomæ et cursus Salmanticensis doctrinam, 5 vol. in-fol. — 7. *Theologia schol. univ.*, 13 vol. in-fol. In hoc prægrandi opere nemo doctrinæ soliditatem. plures claritatem desiderarunt.

8. *Theol. univ. specul. pract.*, 3 vol. in-fol. — 9. *Theol. schol.*, 4 vol. in-fol.

10. *Contr. selectæ ex univ. theol. schol.*, 4 tom. in-fol.

11. *Theol. posit. pol. schol. hist.*, 6 vol. in-fol.

12. *Theol. schol. pol. pract.*, 3 vol. in-fol.

13. *Theol. ad mentem S. Thomæ*, 10 vol. in-fol.

14. *Cursus theol.*, 2 vol. in-fol.

15. *Synopsis cursus theol.*, 5 vol. in-8. Opus egregium, claritate, soliditate præstans. — 16. *Opus theol.*, 3 tom. in-fol.; — *Quæst. theol. lib.* VI, 6 vol. in-12. Magnum nomen sibi fecit commentariis in Aristotelem.

17. *Præl. theol.*, tom. 4 in-fol. — 18. *Curs. theol.*, 5 vol. in-fol.

19. *Institutiones theol.*, 3 vol. in-fol.

20. *Theol. dogm pol. schol. mor.*, 10 vol. in-8. Auctores fuerunt Henricus Kilber, Thomas Holtzclau, Ignatius Neubauer, e. S. J.

21. *Theol. dogm. schol.*, 6 vol. in-4; opus vere eruditum, quod tamen remansit imperfectum.

22. *Præl. theol.*, 16 vol. in-8; continuationem adjecit Collet. Commendatur opus eruditione, doctrinæ soliditate, styli nitore.

23. *Schola theol. scotistarum*, 4 vol. in-fol.

24. *Curs. theol.*, 3 vol. in-fol.

25. *Paradisus theol. unius ac trium doctorum, Angelici, Seraphici et Subtilis horum conciliatoris fonte irriguus*, 2 vol. in-fol.

26. *Scotus academicus*, 4 vol. in-fol. vel 12 vol. in-4.

27. *Summa theol. Scoti* (ad modum summæ S. Thomæ) 5 vol. in-fol.

28. *Theol. scholæ scot. univ.*, 4 vol. in-fol.

sis (1), Gulielmus Herinx (2), Franciscus Maria Bruxellensis (3). — S. Augustinum et S. Thomam duces profitetur nova schola Augustiniana, cujus præcipuus doctor est Laurentius Berti (4). — Ad S. Augustini pseudo-discipulos pertinent Gaspar Juenin (5), Ludovicus Habert (6), Carolus Witasse (7). *S. Augustini.*

183. *Opera polemica moralia adversus*

Simul etiam cum dogmatica, positive et polemice, tractatur theologia moralis in libris hac periodo scriptis adversus Lutheranos, Jansenianos et Quesnellistas, Rationalistas, nec non in specialibus quorumdam eruditorum operibus. Imprimis contra Protestantes varias partes moralis catholicæ vindicarunt Petrus et Hadrianus van Walenburch (8), Arnaldus et Nicole (9), Liberius a Jesu (10), Jacobus Benignus Bossuet (11), Joannes Jacobus Scheffmacker (12), etc. — Contra Jansenianos et Quesnellistas sinceram Ecclesiæ doctrinam practicam propugnarunt Stephanus Dechamps (13), Jacobus Fontana (14), Henricus de Bissy (15), Claudius Pelletier (16), Joannes

Protestantes,

Jansenianos,

1. *Summa Seraphica*, 2 vol. in-fol.

2. *Summa theol. schol. et mor.*, 4 vol. in-fol.

3. *Theol. Capucino-Seraph. schol. et mor.*, 3 vol. in-4.

4. *De disciplinis theologicis*, 8 vol. in-fol. Duplex schola Augustiniana hoc tempore orta est: prima cum S. Augustino connectebatur per beatum Ægidium Romanum; ad eam pertinebant Gavardus, Arpe, Sichrowski; cfr. supra pag. 99, not. 3; altera, de qua hic agimus, cum S. Augustino connectebatur per Gregorium Ariminensem, et quibusdam videbatur non satis recedere ab *Augustino* Jansenii: ad eam pertinebant Lupus, Norisius, Berti, etc. — 5. *Inst. theol.*, 7 vol. in-12.

6. *Theol. dogm. et mor.*, 7 vol. in-12; opus a Fenelonio speciali *instructione pastorali* proscriptum.

7. *Tractatus theologici*, 5 vol. in-8.

8. *Tractatus generales de controversiis fidei*, 2 vol. in-fol.

9. Communi opera conscripserunt opus classicum *Perpétuité de la foi de l'Eglise catholique touchant l'Eucharistie*, cui ultimum vol. adjecit Eus. Renaudot. Præterea Arnaldi sunt: *Renversement de la morale de* Jésus-Christ *par les erreurs des Calvinistes; — L'impiété de la morale des Calvinistes.*

10. *Controversiæ dogm.*, 7 vol. in-fol.: opus eruditum, quo magnus cursus theol. polem. constituitur.

11. *Exposition de la doctrine catholique; — Histoire des variations des églises protestantes; — La sainteté et la concorde du mariage chrétien violées; — Traité de la communion sous les deux espèces*, etc

12. *Lettres d'un docteur allemand de l'université catholique de Strasbourg*, 2 vol. in-4. — 13. *De hæresi Janseniana*, 1 vol. in-fol.

14. *Constitutio* Unigenitus *theologice propugnata*, 4 vol. in-fol.

15. *Mandement et inst. past. sur la const.* Unigenitus, 2 vol. in-4.

16. *Traité dogm. de la Messe; — Traité dogm. et mor. de la pénitence; — Traité de la charité envers le prochain; — Traité de la charité envers Dieu; — Nouvelle défense de la constitution de N. S. P. le Pape* Unigenitus.

Josephus Languet [1], Laurentius Alticozzi [2]. — Adversus *Quietistas,* Quietistas sana ethicæ principia inculcarunt Paulus Segneri [3], Antoninus Massoulié [4], Jacobus Benignus Bossuet [5], Do- *Rationalistas.* minicus Ricci [6], etc. — Contra Rationalistas præstantiam moralis christianæ ostenderunt Nicolaus Malebranche [7], Bernardus Lamy [8], Joannes Franciscus Baltus [9], Remigius Ceillier [10], Joannes Baptista Fassoni [11], Nicolaus Bergier [12], Carolus Chassanis [13], Sigismundus Storchenau [14], *Scripta eruditorum ad moralem pertinentia.* Alphonsus Muzzarelli [15]. — Ex eruditis hujus ætatis non pauci varias quæstiones morales versarunt; præcipui sunt Ludovicus Thomassinus [16], Christianus Lupus [17], Joannes Baptista Thiers [18], Benedictus XIV [19], Franciscus Antonius

1. Opera ejus collecta prodierunt, 2 vol. in-fol. — 2. *Summa Augustiniana,* 6 vol. in-4. — 3. *Concordia fra la fatica et la quiete nel orazione; — I sette principii su cui si fonda la nuova orazione di quiete.*

4. *Traité de la véritable oraison; — Traité de l'amour de Dieu.*

5. Inter opera vol. 18, 19, 20, 28, 29, 30 (ed. Lachat).

6. *Homo interior juxta doctoris Angelici doctrinam.*

7. *Conversations chrétiennes dans lesquelles on justifie la vérité de la religion et de la morale de* Jésus-Christ. — 8. *Démonstrations ou preuves évidentes de la vérité et de la sainteté de la morale chrétienne.*

9. *Jugement des SS. Pères sur la morale de la philosophie payenne;* etiam sub hoc titulo : *Parallèle de la philosophie chrétienne et de celle des payens.*

10. *Traité de la morale des Pères de l'Eglise.*

11. *De morali Patrum doctrina* (adv. Barbeyrac).

12. *Traité hist. et dogm. de la vraie religion;* etc.

13. *Du christianisme et de son culte; — Essai hist. et crit. sur l'insuffisance et la vanité de la morale des anciens comparée à la morale chrétienne.*

14. *Die Philosophie der Religion,* tom. 7 in-8; — *Zugaben zur Philosophie der Religion,* tom. 5 in-8.

15. *Il buon uso della logica in materia di Religione,* 4 vol. in-8; vel 11 vol. in-12. — *Diss. selectæ,* etc.

16. *Traités hist. et dogm. sur divers points de la discipline de l'Eglise et de la morale chrétienne,* 7 vol. in-8, sc. *des fêtes, des jeûnes, de l'office divin, de la vérité et du mensonge, de l'aumône, du négoce et de l'usure, de l'unité de l'Eglise.* Addi potest amplum opus Moralistis utilissimum : *Ancienne et nouvelle discipline de l'Eglise touchant les bénéfices et les bénéficiers,* 3 vol. in-fol.

17. Christiani Lupi *notæ* et *dissertationes* in acta conciliorum aliaque documenta ecclesiastica theologo omnino prosunt; exstant etiam ejusdem diss. eruditæ de rebus moralibus; opera collecta prodierunt Venetiis 13 vol. in-fol.

18. Ipsius sunt: *De festorum dierum imminutione* (proh.); — *L'avocat des pauvres; — Traité des superstitions; — Traité des jeux et divertissements permis et défendus aux chrétiens; — La plus solide, la plus nécessaire et souvent la plus négligée de toutes les dévotions* (sc. observatio mandatorum Dei et Ecclesiæ).

19. Benedicti XIV opera omni eruditione referta ad theologiam moralem et jus canonicum æque pertinent: *De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione; — De SS. missæ sacrificio; — De synodo diœcesana; — Institutiones ecclesiasticæ; — Quæstiones canonicæ et morales; — Bullarium.*

Zaccaria (1), Hyacinthus Sigismundus Gerdil (2), Martinus Gerbert (3). His addi possunt nonnulli alii etiam eruditione præstantes, sed doctrinæ non sinceræ : Joannes Launoy (4), Petrus Nicole (5), Ludovicus Ellies Dupin (6), Jacobus Duguet (7). — Tandem theologiæ positivæ ac polemicæ systema ediderunt, B. Jos. Mar. Thomasius (8), Antonius Boucat (9), Carolus Sardagna (10) et Angelus Cigheri (11).

184. *Tractatus morales*

Theologiam moralem separatim a dogmatica multi exposuerunt varia methodo et diverso spiritu.

1. Ipsius sunt : *De casuisticæ theologiæ originibus, locis atque præstantia ; — Dell'anno santo,* 2 vol. ; — *Storia polemica del celibato sacro ; — Nuova giustificazione del celibato ; — Storia polemica delle proibizioni de' libri ; — Lasciamo stare le cose come stanno ; — Commandi chi puo, ubbedisca chi dee ; — Rendete a Cesare cio ch' è di Cesare, ma si a Dio rendete quel ch'e di Dio ; — Thesaurus theologicus,* 13 vol. in-4 ; — præterea edidit cum prolegomenis, notis, appendicibus theologiam Th. Tamburini et Claudii Lacroix, opuscula Dom. Viva, medullam Lud. Abelli.

2. Ipsius sunt : *Principes métaphysiques de la morale chrétienne. — Theologia moralis,* (nom. *de actibus humanis, de jure et justitia,* etc.)

3. *Principia theologiæ moralis ; — De æqua morum censura ; — Principia theologiæ sacramentalis ; — De selectu theologico circa effectus sacramentorum ; — De eo quod est juris divini et ecclesiastici in sacramentis ; — Principia theologiæ liturgicæ ; — De christiana felicitate hujus vitæ ; — De dierum festorum numero minuendo,* etc.

4. Opera ejus collecta prodierunt 10 vol. in-fol. Ad moralem spectant : *De frequentis confessionis et eucharisticæ communionis usu atque utilitate ; — De mente concilii Tridentini circa contritionem et attritionem ; — De mente concilii Tridentini circa satisfactionem ; — Explicata Ecclesiæ traditio circa canonem* Omnis utriusque sexus ; — *De sacramento unctionis infirmorum ; — Veneranda Romanæ Ecclesiæ circa simoniam traditio ; — De cura Ecclesiæ pro miseris et pauperibus ; — De veteri ciborum delectu in jejuniis christianorum.*

5. Præcipua ejus opera sunt : *Essais de morale,* 13 vol in-12 ; — *Instructions théologiques et morales* sur le symbole, l'oraison dominicale, le premier commandement, les Sacrements, 7 vol. in-12° ; — *Réfutation des principales erreurs des Quiétistes ; — Traité de l'usure.*

6. Ipsius sunt : *Traité philosophique et théologique sur l'amour de Dieu ; — De la nécessité de la foi en* Jésus-Christ *pour être sauvé.*

7. *Traité de la prière publique ; — Traité sur l'eucharistie ; — Conférences ecclésiastiques.*

8. Pro more temporis composuerat, ann. 1701, *Indiculum institutionum theologicarum veterum Patrum ;* postea ann. 1709-1712 edidit *Institutiones theologicas antiquorum patrum,* quæ post mortem completæ sunt, 4 vol. in-4° ; referuntur selecta Patrum opuscula, Tertulliani, S. Gregorii Nazianzeni, Vincentii Lirinensis, S. Cypriani, S. Basilii Magni, S. Epiphanii.

9. *Theol. patrum dogm. schol. posit.*

10. *Theol. dogm. polem.*, 9 vol. in-8°.

11. *Sanctæ cath. Eccl. dogmatum et morum ex selectis veterum Patrum operibus veritas demonstrata,* 13 vol. in-4°.

Jesuitarum, Imprimis alumni Societatis Jesu ita passim veteri doctrinæ addicti remanserunt ut inter probabilistas et casuistas primum locum teneant; horum præcipui sunt: Georgius Gobat (1), Thomas Tamburini (2), Jacobus Illsung (3), Benedictus Pereyra (4), Claudius Lacroix (5), Dominicus Viva (6), Petrus Catalanus (7), Joannes Reuter (8), Edmundus Voit (9); a *Carmelitarum,* quibus dissentit Paulus Gabriel Antoine (10). — Ex carmelitis præstantiores sunt: Salmanticenses Franciscus a Jesu Maria, Antonius a Matre Dei, Sebastianus a S. Joachim et Alphonsus ab Angelis (11), Antonius a Spiritu Sancto (12), Cassianus a S. Elia (J. B. Pallavicinus) (13), Angelus a S. Maria (14), Sebaldus a S. Christophore (15), Antonius a S. Joseph (16); quorum plerique partibus probabilistarum addicti fuerunt; nonnulli tamen ad opposita castra transierunt, imo horum sodalis Henricus à S. Ignatio fere ad jansenismum delapsus est (17). — Insignes multos eosque passim benigniores protulit *Franciscanorum,* Ordo S. Francisci; inter hos eminent: Franciscus Bordonus (18),

1. Opera ejus variis titulis seorsim successive prodierunt; ab ipso collecta fuerunt sub titulo: *Experientiæ theol.*, 2 vol. in-fol.; postea edita fuerunt *opera moralia omnia*, 3 vol. in-fol.

2. Opera ipsius etiam seorsim successive prodierunt; collecta fuerunt uno vel pluribus vol. in-fol.

3. *Arbor scientiæ boni et mali*, 1 vol. in-fol.

4. *Promptuarium theol. mor.*, 2 vol. in-fol. — *Elucidarium S. Theol. mor.*, 1 vol. in-fol.

5. *Theologia moralis*, tom. 8 in-8°, vel 1 vol. in-fol. per modum commentarii in Busenbaum.

6. *Cursus theologico-moralis*, 2 vol. in-8°.

7. *Universi juris theologico-moralis corpus*, 2 vol. in-fol.

8. *Theol. mor. quadripartita*, 4 vol. in-8°.

9. *Theol. mor.*, 2 vol. in-8°. — 10. *Theol. mor.*, 4 vol. in-12°.

11. *Cursus theol. mor. Salm.* ann. 1665 inchoatus nonnisi circa 1724 absolutus, constat 6 vol. in-fol. Cum prima ejus pars (de sacramentis) prodierit ante decreta Alexandri VII et Innocentii XI, postea corrigi debuit. Quanti Salmanticenses fecerit S. Alphonsus, mox indicabimus.

12. *Directorium confessariorum*, 2 vol. in-fol.; — *Directorium Regularium*, 1 vol. in-fol; — *Consulta varia*, 3 vol. in-fol.

13. *Arbor omnium opinionum moralium*, (ord. alph.) 6 vol. in-fol.

14. *Breviarium morale Carmelitanum*, 5 vol. in-fol; — *Consulta varia theol.*, 1 vol. in-fol. — 15. *Theol. juridico-canonico-polemico moralis*, 3 vol. in-fol.

16. *Compendium Salm.*, 2 vol. in-fol.

17. *Ethica amoris*, sive *theol. sanctorum*, 3 vol. in-fol. (opus in *Ind. relatum*).

18. Opera ejus omnia *juridico-regularia et moralia* 6 vol. in-fol. collecta sunt. Ibi tamen non comprehenduntur varia opera specialia, v. g. *Appendices ad manuale consultorum in causis S. Officii.* — *De successione in bonis clericorum*, etc.

Ivo Parisiensis (1), Patritius Sporer (2), Anacletus Reiffenstuel (3), Benjamin Elbel (4), Corbinianus Luydl (5). — His accedunt ex variis familiis Ludovicus Babenstuber (6), Joannes Caramuel (7), Silvester Giribaldi (8), Franciscus Rotarius (9), Constantinus Roncaglia (10), Augustinus Michl (11), Eusebius Amort (12).

E contra theologi ordinis Prædicatorum, a majoribus suis in hoc discedentes, rigidiorum et antiprobabilistarum placita passim sequuntur (13). Referri hic possunt Joannes Martinez Prado (14), Ludovicus Bancel (15), Fulgentius Cuniliati (16), Daniel Concina (17), Vincentius Patuzzi (18). — His adstipulati sunt plures in Belgio et in Gallia : Martinus Steyaert (19), *Prædicatorum.*

1. *Moralis christiana,* tom. 4 in-4°; agit de morali christ. universim et de officiis hominum in Deum; — de directione vitæ singularis; — de vita publica, œconomica et politica; — de usu bonorum et malorum.

2. *Theologia moralis,* (cum additionibus et supplementis K. Kazenberger), 3 vol. in-fol.

3. Præter insigne opus *Juris canonici,* reliquit optimam *theologiam moralem,* 2 vol. in-fol. (quam tamen ann. 1778, P. Flavianus Ricci ad *saniorem doctrinam* revocavit, id est deformavit.)

4. *Theol. mor. decalogalis et sacramentalis per modum conferentiarum casibus practicis illustrata.* — 5. *Theologia mor. christiana et evangelica,* 13 vol. in-8°.

6. *Ethica supernaturalis,* seu *cursus theol. mor. Salisburgensis,* 2 vol. in-fol.; opus egregium.

7. Viri hujus singularis præcipua opera sunt: *Theologia fundamentalis;* — *Theologia intentionalis* (de reali, morali et virtuali); — *Theologia præterintentionalis* (de effectibus); — *Theologia rationalis* (in S. Thomam); — *Theologia regularis;* — *Trismegistus theologicus,* etc. Habitus est Caramuel ut laxistarum sui temporis princeps, atque a multis hoc nomine impetitus, præcipue a Joanne Morando, Francisco Bonæ Spei, Prospero Fagnano; ei tamen defensores non defuerunt, v. gr. Franciscus Verde et Th. Kreyenriet; interim ipsius sunt plures ex propositionibus ab Alexandro VII et Innocentio XI damnatis.

8. *Univ. theol. mor.,* 3 vol. in-fol. — 9. *Theol. mor. Regularium,* 3 vol. in-fol.

10. *Univ. Theol. mor.,* tom. 2 in-fol.; deinde aucta ab Alex. Bambacari, 3 tom. in-fol., et ab Opt. Belloti, 10 vol. in-8.

11. *Theol. canonico-moralis,* 3 tom. in-fol.

12. *Theol. eclectica mor. et schol.,* 4 tom. in-fol.; — *Ethica christiana;* — *Theologia moralis inter rigorem et laxitatem media,* 2 vol. in-4, etc.

13. Cfr. supra n. 181, p. 131, nota 2.

14. *Theol. mor. quæstiones præcipuæ,* 2 vol. in-fol.; — *De sacramentis in genere et in specie,* 3 vol. in-fol.

15. *Brevis univ. theol. tam mor. quam schol. cursus,* 7 tom. in-12; — *Moralis D. Thomæ,* 2 vol. in-4 (opus inchoaverat Fr. Ghetius).

16. *Universæ theologiæ moralis accurata complexio.*

17. *Theologia christiana dogmatico-moralis,* 10 vol. in-4, cum *apparatu,* 2 vol. in-4. — 18. *Ethica christiana,* 3 vol. in-fol.

19. *Theologiæ practicæ aphorismi,* 2 vol. in-12.

Jacobus Besombes (1), Franciscus Genet (2), Petrus Collet (3), etc. — Apud Gallos etiam editæ sunt sic dictæ *collationes* Andegavenses (4), Parisienses (5), Lucionenses (6).

S. Alphonsus. Inter oppositas autem et implexas illas theologorum sive laxiores, sive rigidiores sententias, tandem S. Alphonsus, a quocumque partium præjudicio liber, et in Dei gloriam spiritualemque hominum salutem unice intendens animum, tutam stravit viam per quam christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent (7). Nihilominus nonnisi post mortem pacem scholis reddidit.

1. *Theol. mor. christiana.* — 2. *Théologie morale,* (gallice scripta, postmodum in latinum versa), tom. 8 in-12.

3. *Theol. moralis universa,* 17 vol. in-8 ; — *Traité des dispenses,* 3 vol. in-12 ; — *Traité des indulg. et du Jubilé,* 2 vol. ; — *De l'office divin,* 1 vol. ; — *Des saints mystères,* 2 vol. ; — *Des exorcismes de l'Eglise,* 1 vol. etc. Magni fit ejus tractatus de *pœnitentia* propter dissertationes historicas.

4. Constant 24 tomis in-12 ; præcipuus earum auctor fuit Fr. Babin ; opus continuarunt Vautier, Audebois, Cotelle.

5. Earum auctor est Laur. le Semelier ; constant 22 vol. in-12.

6. Eas inchoavit Louis, continuavit Dubos ; constat 26 vol. in-12.

7. Opus S. Alphonsi prius inscribebatur : « *Medulla theologiæ moralis R. P. Busenbaum S. J.* CUM ADNOTATIONIBUS *per R. P. D. Alphonsum de Liguori adjunctis.* » Postea inscriptum est : « *Theologia moralis concinnata a R. P. Alphonso de Ligorio...* PER APPENDICES *in medullam R. P. Hermanni Busenbaum S. J.* » Itaque *a/* si *methodum* respicias, theologia S. Alphonsi est commentarius in *medullam* Hermanni Busenbaum : commentarium denotat non solum titulus operi ab auctore præfixus, verum etiam forma ejus intrinseca ; commentarius autem ille est labor proprius et personalis, ad modum v. g. scripti S. Thomæ in *Magistrum ;* videlicet commentator pro suo judicio textum corrigit, explicat, auget. Ita ipse S. Doctor in *monito ad lectorem ;* « Ut justa methodus servaretur, *medullam* Hermanni Busenbaum præmittendam censui, non jam ut omnes ipsius Auctoris opiniones approbarem, sed tantum ut ejusdem methodum sequerer, quæ inter aliorum auctorum methodos ad res morales exponendas valde accommodata mihi visa fuit. » — *b/* Si vero *doctrinam* respicias, theologia S. Alphonsi derivata est ab anterioribus casuistis, maxime vero a Salmanticensibus. Ita rursus ipse S. Doctor in *præfatione* primæ editionis sui operis : « Alia explicanda, alia addenda censui (ad Busenbaum) ex diversis probatorum doctorum auctoritatibus, nimirum S. Thomæ, Lessii, Sanchez, Castropalai, Lugo, Laymann, Bonacina, Viva, Croix, Roncaglia et aliorum, præsertim Salmanticensium, qui communi æstimatione moralem hanc scientiam diffuse et egregie pertractant ; quosque ipse inter cæteros frequentius familiares habui, *ita ut fere omnia quæ iidem tot libris latiore calamo in examen revocant, breviter concinnata hic invenias.* » Sane cuicumque, textum S. Doctoris cum Salmanticensium textu paulo attentius conferenti, apparebit, plerumque easdem utrobique quæstiones proponi, easdem dari solutiones, iisdem argumentis et auctoritatibus sententias confirmari. — *c/* Si *mentem* et *animum* respicias, voluit S. Doctor librum edere qui, mediam viam tenens, sententias magis veritati consonas magisque necessarias ad conscientias dirigendas exponeret : sic

185. *Generales disputationes.*

INTERIM intestinas has controversias quasi ex professo multi hoc tempore agitarunt. Omissis Arnaldo, Pascale et Nicolio Jansenistis, theologiam moralem probabilistarum acriter impugnarunt Vincentius Baron (1), Julius Mercorus (2), Jacobus a S. Dominico (3), Hyacinthus Parpera (4), Daniel Concina (5); — defenderunt Honoratus Fabri (6), Matthæus de Moya (7), Stephanus Dechamps (8), Andreas Mendo (9), Carolus Casnedi (10), Carolus Noceti (11), Josephus Maria Gravina (12).

Commentaria in propositiones damnatas,

His accedunt qui commentaria scripserunt in *propositiones damnatas:* Joannes de Cardenas (13), Raymundus Lumbier, Joannes Pollenter, Joannes Maria Sbogar (14), Laurentius Maria Pisani (15), Joannes Schweitzer, Martinus Steyaert, Franciscus Verde (16), Dominicus Viva (17), Didacus Duarte, Martinus de Torrecilla (18), Valentinus a Matre Dei, Augusti-

---

declarat ipse in *monito ad lectorem* et in *epistola ad Benedictum XIV;* illum autem quod intendebat revera perfecisse, haud semel solemniter testata est S. Sedes. — *d*/ Tandem si respicias *merita,* eminet S. Doctor sapienti opinionum delectu et eximio sensu christiano, potius quam profunda eruditione, aut ordinata rerum expositione; uno verbo dicere liceat, parte prudentiali, (quæ ipsi quasi unice cordi erat), plerisque præstat, parte vero stricte scientifica (quam immensis laboribus distentus, minus curare potuit), multis cedit.

1. Adversus *laxiores probabilistas* plura volumina edidit nomine *manuductionis ad theologiam* inscripta: horum nonnulla in indicem relata fuerunt.

2. *Basis totius theol. mor. h. e. praxis opinionum limitata adversus nimis emollientes aut plus æquo exasperantes jugum Christi,* 1 vol. in-fol.

3. *Securiores semitæ theologiæ moralis;* — *Compendiaria theol. mor. explicatio;* — *Eclaircissements apolog. de la mor. chrét.* — 4. *Fundamenta, axiomata theologorum, dogmata recentiorum, deductiones ex istis generales, ac particulares determinationes sanæ doctrinæ moralis;* — *Lucerna theologica.*

5. Tum in sua *theologia christiana,* tum in variis oper. specialibus v. g. *La quaresima appellante, Storia del Probabilismo,* etc.

6. *Apologeticus doctrinæ mor. Societatis Jesu,* 1 vol. in-fol.

7. *Amadæi Guimenii Lomarensis opusculum adversus quorumdam expostulationes contra nonnullas Jesuitarum opiniones morales* (opus pluries proh.); — *Selectæ quæstiones ex præcipuis theol. tract.* (etiam proh.).

8. *Quæstio facti* (utrum probabilismus sit proprius Theologorum S. J.).

9. *Statera opinionum benignarum,* 1 vol. in-fol.; — *Epitome opinionum moralium.* — 10. *Crisis theologica,* vol. 5 in-fol. — 11. *Veritas vindicata* (adv. Concinam.) — 12. *Conclusiones theologicæ critico-ethicæ* (in *thes.* Zacc. IV, 335.) — *Trattenimenti apologetici,* etc.

13. *Crisis theologica,* 2 vol. in-fol. 4 pp. quarum quarta, post Innocentii XI decretum scripta, est posthuma. Merito dicitur opus omnibus numeris absolutum. — 14. *Theologia radicalis,* 1 vol. in-fol. — 15. *Gedeonis gladius.*

16. *Anacephaleosis propositionum damnatarum ab Alex. VII,* 1 vol. in-fol.

17. *Damnatæ theses ab Alex. VII, Inn. XI, Alex. VIII;* — *Trutina theol. thesium Quesnellianarum.* Est in hoc scriptionis genere opus omnium perfectissimum. — 18. Opus hispanice scriptum duobus constans vol. in-fol.

nus Mathæucci (1), Franciscus Van Ranst (2), Ildephonsus Hurtado (3), Antonius Maria Bonucci, Thomas Milante, Georgius Slezina, Vincentius Mas.

Controversiæ de probabilismo,

Fœcundissima disputationum materia fuit probabilismi quæstio, quæ totum theologiæ campum pervasit. Equidem pacificam probabilismi possessionem anteriore periodo turbare tentarant duo e S. J. theologi Paulus Comitolus et Andreas Blancus: frustra tamen egerant. Verum aliter se res habuit post exortum jansenismum, cujus doctrinam de ignorantia invincibili ex adverso oppositam probabilismi fundamento supra vidimus. Acrioris disputationis initium fecerunt famosæ litteræ *Provinciales:* mox probabilismum specialibus scriptis impugnarunt (præter supra laudatos Vincentium Baron, Julium Mercorum, Vincentium Contenson etc.) Joannes Baptista Gonet (4), Prosper Fagnanus (5), Antonius Marinari (6), Michael de Elizalda (7); defenderunt vero Martinus de Esparza (8), Antonius Terillus (9), Franciscus Bordonus (10). — Recruduit bellum circa finem sæculi XVII et initium sæculi XVIII, quo tempore numerosiores fiunt probabilismi adversarii: eorum agmen, impellente Innocentio XI, ducit Thyrsus Gonzalez (11); sequuntur Ægidius Estrix (12), Antonius Bonnet (13), Joannes Gisbert (14), Ignatius de Camar-

1. *Cautela confessarii pro foro sacram. occasione decret. Alex. VII, Inn. XI, Alex. VIII ; — Observ. doct. adv. Quietistarum errores.*

2. *Veritas in medio.* — 3. *Theol. mor.... a Sede Apost. castigata,* 1 vol. in-fol.

4. *Diss. de probabilitate.*

5. *In cap.* Ne innitaris ; dicitur a S. Alphonso, IV. 669, magnus rigoristarum princeps.

6. *Diss. de opinione prob.*

7. *De recta doctrina morum,* 1 vol. in-fol.

8. *De usu licito opinionis probabilis.*

9. *Fundamentum totius theol. mor.,* 1 vol. in-4; — *Regula morum,* 1 vol. in-4; Terilli opera in probabilismi quæstione summi sunt momenti; tamen ejus allegationes non possunt clausis oculis accipi.

10. *Propugnaculum opinionis probabilis in concursu probabilioris,* 1 vol. in-fol.

11. *Fundamentum theologiæ moralis,* 1 vol. in-4. Thyrsus Gonzalez, S. J. præpositus generalis, supplici libello Clementem XI jam inducere conatus est ut suis probabilismum plus minus interdiceret. Cfr. *Synopsis tractatus theol. de recto usu opinionum probabilium,* ab Anonymo concinnata, Vindobonæ, 1761, pag. 209-274.

12. *Logistica probabilitatum modico specimine proposita.* (In *thes.* Zacc. IV; et in *cursu compl.* Migne XI.)

13. *An ignorantia invincibilis licitum reddat usum opinionis minus probabilis.*

14. *Antiprobabilismus,* 1 vol. in-4.

go [1], Christophorus a S. Joseph [2], Thomas Luccioni [3], quibus favet Bossuet cum pluribus Galliarum præsulibus in conventu anni 1700 [4]; nihilominus fortiter obstant Franciscus Woelker [5], Gabriel Gualdo [6], Bernardus Bissus [7]; alii autem concordiam inter contendentes stabilire conantur: Josephus Riccius [8], Vincentius Mariani della Rovere [9], Christophorus Rassler [10]. — Novus in probabilismum impetus factus est circa medium sæculum XVIII præsertim a Petro Ballerini [11], Daniele Concina [12] et Vincentio Patuzzi [13], quibus tamen restiterunt S. Alphonsus [14], Franciscus Neumayr [15], Franciscus Mannhart [16], alii.

de contritione et attritione,

Alia controversia, quæ integram pariter theologiam pervasit, versabatur circa administrationem sacramenti pœnitentiæ. Omissis iis qui janseniano errore infecti erant, v. g. Joanne Opstraet, Gummaro Huyghens, Joanne de Neercassel, Ludovico Habert, multi sæculo XVII disputarunt de contritione et attritione ad sacramentum requisita: hinc quidem Franciscus Farvaques [17], Christianus Lupus [18], Petrus

1. *Regula honestatis moralis,* 1 vol. in-fol.
2. *De regulis morum,* 1 vol. in-fol.
3. *Veritatis moralis seu doctrinæ probabilis investigatio,* 1 vol. in-4.
4. Opp. tom. XXII; tom. autem XXXI insertæ sunt quatuor dissertatiunculæ de probabilitate, tanto viro prorsus indignæ.
5. *Legitimi probabilismi vindiciæ,* 1 vol. in-fol.
6. *Tr. prob. ex principiis antiquorum compositus; — An auctoritates patrum efficaciter probent majorem probabilitatem esse sequendam,* etc.
7. *Crisis de probabilitate.* — 8. *Fundamentum theologiæ moralis.*
9. *Concordia doctrinæ probabilistarum cum doctrina probabilioristarum.*
10. *De recto usu opinionum probabilium,* 1 vol. in-4; — *Norma recti,* 1 vol. in-fol. (Proponit æquiprobabilismum.)
11. *Riposta alla lettera del P. Segneri; — Epistolæ quatuor theologico-morales; — Saggi della storia del Probabilismo; — Moralium actionum regula in opinabilibus.* — 12. *Della storia del probabilismo e del rigorismo,* tom. 2 in-4, etc.
13. *Trattato della regola prossima delle azioni umane; — Lettera ad un ministro di stato; — La causa del probabilismo,* etc.
14. *Diss. de usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris; — Breve diss. sull uso moderato dell' opinione probabile; — Riposta apologetica; — Apologia,* etc. etc.
15. *Quæstio an probabilismus sive doctrina moralis benignior scholarum catholicarum abominabilis et execratione digna sit;* (Proh.). — *Notæ theologicæ pro tutela probabilismi.*
16. *Ingenua indoles scientiæ mediæ, probabilismi ac gratiæ efficacis* (in *thes.* Zacc. II, IV, V. et in *cursu compl.* Migne XI).
17. *Veritas et caritas.*
18. *De germano ac avito sensu SS. Patrum, universæ Ecclesiæ et præsertim Tridentinæ synodi circa christianam contritionem et attritionem.*

Lambertus Ledrou [1]; inde vero Ægidius Estrix [2], Maximilianus Ledent [3], Josephus Maria Requesens [4], Balthazar Francolini [5], Sebastianus Dupasquier [6]; conciliatorem egit Stephanus Abbati [7]. — Plures etiam eodem tempore scripserunt de absolutione danda vel differenda, v. g. Hieronymus Henneguier [8], Livinus de Meyer [9], Carolus ab Assumptione [10]. — Iterum medio sæculo XVIII utraque quæstio vehementer agitata est ab Andrea Hieronymo Andreucci [11], Joanne Baptista Faure [12], Daniele Concina [13].

de absolutione danda vel neganda.

186. *Tractatus speciales*

Extra controversas illas materias, variæ theologiæ moralis partes specialibus operibus expositæ sunt; fatendum tamen est hujusmodi opera, licet numero plurima occurrant, valore passim esse mediocria.

de theologia fundamentali,

Imprimis quod moralem fundamentalum attinet, egerunt de *beatitudine* Richardus Lyncæus [14], Joannes de Ferreras [15], Felix Alamin [16], Adrianus Miaskowski [17]; — de *actibus humanis* Isidorus de Luz [18], Philippus de Aranda [19], Carolus

1. *Dissertationes quatuor de contritione et attritione.*
2. *Dissertatio historico-theol. pro mente concilii Tridentini de vi attritionis sine amore amicitiæ in sacramento comprobata,* etc. (in *thes.* Zacc. XI).
3. *Diss. de attritione ex metu gehennæ.*
4. *De honestate contritionis et attritionis, earumque sufficientia ad remissionem culpæ in sacramento vel extra sacramentum pœnitentiæ.*
5. Opera ejus collecta prodierunt 1 vol. in-fol.; præcipua sunt: *Clericus romanus contra nimium rigorem munitus; — De dolore ad sacramentum pœnitentiæ rite suscipiendum requisito; — De disciplina pœnitentiæ.*
6. *L'attrition suffisante pour la rémission des péchés dans le sacrement de pénitence,* 2 vol. in-4.
7. *Pax attritionistarum et contritionistarum.*
8. *De absolutione sacram. percipienda et impertienda.*
9. *De operibus pœnalibus sacramenti pœnitentiæ; — Praxis et doctrina communis Ecclesiæ absolvendi mox peccatores ordinarios.*
10. *Eclaircissement touchant l'usage de l'absolution des consuétudinaires et récidives.*
11. *Confessarius recidivi, seu de danda vel neganda aut differenda absolutione.*
12. *Dubitationes theologicæ de judico practico.*
13. *Instruzione dei confessori e dei penitenti; — De sacram. absol. impertienda aut differenda recidivis.*
14. *De Deo ultimo fine,* 2 vol. in-fol.
15. *De Deo ultimo hominis fine,* 1 vol. in-4.
16. *De beatitudine hominis naturali et supernaturali,* 1 vol. in-fol.
17. *Tractatus de fine ultimo et beatitudine creaturæ rationalis,* 1 vol. in-fol.
18. *De act. hum. disput.,* 1 vol. in-fol.
19. *De homine naturaliter et supernaturaliter operante,* 1 vol. in-fol.

de Baccis [1], Adrianus Miaskowski [2], Franciscus Cajetanus Incontri [3], Joannes Diertins [4], Joannes Chrysostomus Filippini [5], Ivo Parisiensis [6]; — de *legibus* Udalricus Freiberger [7], Josephus De Voisin [8], Dominicus Maria Marchese [9], Antonius Soell [10]; — de *conscientia* Ludovicus De Schildere [11], Alphonsus de Saraza [12], Thomas Muniessa [13], Marius Diana [14], Cœlestinus Reitmayer [15]; — de *virtutibus et vitiis* Joannes Evangelista Rottner [16], Gregorius Dietl [17], Joannes Baptista Faure [18].

de virtutibus theologicis,

Qui virtutes theologicas attigerunt, plerique ignoti manserunt; memorari tamen possunt Franciscus Pichon Merinero [19], Gabriel a S. Vincentio [20], Emmanuel Navarro [21], Petrus Ludovicus Danes [22], Vincentius Mascarell [23], Eusebius Amort [24]; his autem jungi debent qui scripserunt de *septem* fidei punctis scitu necessariis [25], de fide *rudium* et *puerorum* [26], de *motivo* charitatis [27]. Ad hanc etiam materiam refertur

1. *De principiis universæ theol. mor.*, 1 vol. in-fol.
2. *Tract. theol. de act. hum.*, 1 vol. in-fol.
3. *De act. hum.* — 4. *De peccatis ignorantiæ.*
5. *De privilegiis ignorantiæ*, 1 vol. in-fol. (Hujusmodi privilegia 234 recensentur).
6. *De indiff. act. hum.*; — *De necessitate.* — 7. *De oblig. legum in foro consc.*
8. *De lege divina secundum statum omnium temporum.*
9. *Theol. bipartita*, 2 vol. in-fol.: (in priori parte agit de supremo legislatore et capite Ecclesiæ Romanæ; in posteriori de legibus).
10. *Scientia legum*, 1 vol. in-4. — 11. *De principiis conscientiæ formandæ.*
12. *Ars semper gaudendi.* — 13. *Stimulus conscientiæ*, 1 vol. in-4.
14. *Idea jurium interioris fori*, 1 vol. in-fol.
15. *Basis et fundamentum totius theol. mor.*
16. *De formali peccati, distinctione specifica peccatorum et macula peccati.*
17. *Ariadne theol. seu tract. de vitiis et peccatis.* — 18. *Diss. in recentiora quædam erronea systemata de morum dogmatibus.* (In *thes.* Zacc. IV.
19. *De virt. supern. fide, spe, charitate.* — 20. *De fide, spe et charitate*, in-fol.
21. *De virt. theol. fide, spe et charitate*, 1 vol. in-fol. — 22. *De fide, spe et charitate.* — 23. *De libertate actus fidei* (contra Quesnellum). — 24. *Idea amoris divini*; — *Systema doctrinæ circa duo præcepta spei et charitatis.*
25. Cfr. de hac controversia Claessens, *Hist. des archev. de Malines*, I, 373.
26. Ægidius Estrix diatribam scripsit *de fide imperfecta quorundam rudium hominum*, quæ in Indicem relata est; optima autem est diss. Joannis le Franc de Pompignan: *Controverse pacifique sur l'autorité de l'Eglise, en général, mais surtout sur ce point: comment la foi des enfants et des adultes ignorants est-elle une foi ferme et raisonnable?*
27. De hac quæstione scripserunt Bern. Mar. De Rubeis, *De charitate, virt. theol.*; Vinc. Bolgeni, *Della carita o amor di Dio*, 2 vol. in-8; Alph. Muzzarelli, *Del motivo formale specifico e primario dell'atto di carita*, et alii plures; cfr. Hurter *Nomenclator*, III, 527.

opus classicum Antonii Sessa Panormitani de censuris doctrinalibus (1).

de virtutibus moralibus, Haud præclarius expositæ videntur virtutes morales; nonnulla tamen earum argumenta specialiter evoluta fuerunt. — *religione,* Et quidem de *religione* egerunt Blasius a Purificatione (2), Angelus Pistacchi (3), Philippus Gruther (4); tres autem hujus materiæ quæstiones speciales tractatæ hic occurrunt: prima respicit cultum Beatæ Virginis et Sanctorum, quem vario spiritu explicarunt Joannes de Neercassel (5), Ludovicus Muratori (6), Joannes Chrysostomus Trombelli (7), Cœlestinus Mayr (8), Benedictus Plazza (9); altera respicit opera servilia et festorum imminutionem, de quibus egerunt Muratori et Quirinus (10), Horontius Stabili (11), Gaspar Bertallazzone (12); tertia respicit superstitionem, quam expenderunt Josephus Maraviglia (13), Martinus de Torrecilla (14), Hieronymus Tartaroti (15), Petrus Lebrun (16), Augustinus Calmet (17), Nicolaus Lenglet du *justitia,* Fresnoy (18). — De *justitia* magnum opus reliquit Christophorus Haunoldus (19); præterea haud spernendos tractatus scripserunt Josephus Vogler (20), Joannes Evangelista Rott-

1. *Scrutinium doctrinarum,* 1 vol. in-fol. — 2. *De adoratione,* 1 vol. in-fol.
3. *De superstitione reorumque judicio,* 1 vol. in-fol.; — *De votis quibuscumque,* 2 vol. in-fol.; — *De juramento ac perjurio,* 1 vol. in-fol.
4. *De actu bene desiderandi, seu de validitate voti non ambiendi,* 1 vol. in-fol.
5. *De Sanctorum et præcipue B. M. V. cultu.*
6. *Lamindi Pritanii de ingeniorum moderatione in religionis negotio;* — *Antonii Lampridii de superstitione vitanda;* — *Ferd. Valdesii Epistolæ;* — *Della regolata devozione de'christiani.*
7. *De cultu Sanctorum, diss. 10,* tom. VI; — *Priorum quatuor de cultu SS. diss. vindiciæ,* 1 vol. in-8; — *Mariæ SS. vita ac gesta, cultusque illi adhibitus,* tom. 6 in-4; — *Vita e culto di S. Giuseppe;* — *Vita e culto dei SS. genitori de Maria V. Giochinno ed Anna.*
8. *Hyperdulia Mariana,* 1 vol. in-fol.
9. *De cultu Christianorum in Sanctos Sanctorumque Reginam... vindicato.*
10. Cfr. *Raccolta di scritture concernenti la diminuzione delle Feste di precetto.*
11. *Ragionamento intorno al divieto delle opere servili nei di festivi.*
12. *Sull' antichita del precetto di astenersi dalle opere servili nei giorni di festo.*
13. *Pseudomantia veterum et recentiorum explosa,* 2 vol. in-fol.
14. *De maleficiis et incantationibus,* 1 vol. in-fol.
15. *Del congresso notturno delle lammie;* cfr. Hurter, op. cit. II, 1399.
16. *Histoire des pratiques superstitieuses,* 4 vol.
17. *Traité sur les apparitions,* 2 vol. in-12.
18. *Traité hist. et dogm. sur les apparitions,* 2 vol. in-12; — *Recueil de dissertations anciennes et nouvelles sur les apparitions,* 2 vol. in-12.
19. *De justitia et jure privatorum universo,* 4 vol. in-fol.; — *Jurisprudentia judiciaria,* 2 vol. in-fol. — 20. *Juris cultor theologus,* 1 vol. in-8.

ner [1], Gregorius Rossignolus [2], Clemens Laficara [3], Melchior Friderich [4]; — specialiter egerunt de *veritate* Franciscus Orsi [5]; de *duello* Daniel Stadler [6] et Gerdil [7]. — *Usuræ* autem materia multorum ingenium exercuit; mitius de ea judicium pronuntiarunt Emmanuel Maignan [8], Nicolaus Broedersen [9], Scipio Maffei [10], Mastrofini [11], De la Luzerne [12]; strictiorem sententiam propugnaverunt Nicolaus Maria Gennaro [13], Godefridus Herman [14], Daniel Concina [15], Petrus Ballerini [16]. — Tandem *jejunium* sub respectu physiologico-historico-morali considerarunt Nicolaus Andry [17], Laurentius Cozza [18], Philippus Hecquet [19], Andreas Patrono [20], Sebastianus Paoli [21], Gregorius Berthelet [22], Daniel Concina [23], Gaspar Bertalazzone [24]. *temperantia ;*

De variis hominum statibus late disseruit Petrus Maria Passerinus de Sextula [25]. In specie autem de *parochis* tractarunt Ludovicus Engel [26], Sebastianus Abreu [27], Paulus *de variis hominum statibus.*

1. *De restitutione honoris et famæ.*

2. *Praxis theol. legalis de contractibus,* 1 vol. in-fol.; — *De cambiis et permutatione ;* — *De societatibus, simonia, commodato et deposito ;* — *De locato et conducto ;* — *De restitutione ;* — *De tutore et curatore.* — 3. *De fama.*

4. *Emptio et venditio ad legem Dei et humanam formata.*

5. *Diss. dogm. e mor. contra l'uso materiale delle parole.*

6. *De duello,* 1 vol. in-4 : opus eruditum, accuratum, solidum.

7. *Traité des combats singuliers ou des duels,* 1 vol. in-4.

8. *Diss. theol. de usu licito pecuniæ.*

9. *De usuris licitis et illicitis,* 1 vol. in-fol. (Auctor erat Jansenianus).

10. *Dell'impiego del denaro.* — 11. *De l'usure.* — 12. *Diss. sur l'usure.* — 13. *Usura detecta,* 1 vol. in-fol.

14. *De usuræ vitio ;* — *De causis usuræ vitium purgantibus.*

15. *Comm. in epist. encycl. Benedicti XIV adversus usuram ;* — *Usura contractus trini.*

16. *Cautiones adhibendæ defensoribus litterarum cambii ;* — *La dottrina della Chiesa cattolica circa l'usura ;* — *De jure divino et naturali circa usuram ;* — *Vindiciæ juris divini et humani circa usuram ;* — *Appendix trium opusculorum in materia usurarum.*

17. *Le régime du carême ;* — *Traité des aliments de carême.*

18. *Tract. dogm.-moralis de jejunio ecclesiastico,* 1 vol. in-fol.

19. *Traité des dispenses du carême,* 3 vol. — 20. *Jejunii ecclesiastici defensio.*

21. *Lettera sopra il digiuno.*

22. *Traité historique et moral de l'abstinence de la viande.*

23. *La disciplina antica e moderna della Romana Chiesa intorno al sacro quaresimale digiuno ;* — *La quaresima appellante,* etc.

24. *Diss. sopra il precetto del digiuno quadragesimale.*

25. *De hominum statibus et officiis inspectiones morales,* 3 vol. in-fol.

26. *Manuale parochorum,* 1 vol. in-fol.

27. *Institutio parochi.*

de clericis, Segneri [1], Georgius Spengler [2]; de *clericis* Candidus Brognolo [3], Ludovicus Bulteau [4], Augustinus Diesbach [5].

principibus, magistratibus, — *Principis* institutionem proposuerunt Joannes Antonius Velasquez [6], Cœlestinus Hermann [7], Jacobus Benignus Bossuet [8], Franciscus Fenelon [9], Stephanus Abbati [10], Emmanuel Corea [11], Jacobus Josephus Duguet [12]. — De

militibus, politicis, *militibus* egerunt Thomas Antonius Schiara [13]; de *judicibus* Adamus Staudinger [14]; de *medicis* Michael Boudewyns [15]; de *subditis* David Brueys [16], Barruel [17]; de *familia christiana*,

de relationibus utriusque potestatis, Constantinus Roncaglia [18]. — Relationes utriusque ordinis ecclesiastici et civilis contra Gallicanos [19], Jansenianos [20], Josephistas [21], egregie statuerunt Thomas Roccaberti [22], Cœlestinus Sfondrati [23], Antonius Bianchi [24], Joannes Pey [25], Ludovicus Cuccagni [26], quibus jungi possunt scriptores de *inquisitione*, v. g. Cæsar Carena [27], Thomas De Bene [28], Franciscus Bordonus [29], et pro altera parte sæculi XVIII auctores opusculorum de *tolerantia* [30], de *cleri*

1. *Il parroco instruito.* — 2. *Instructiones parochi*, 4 tom. — 3. *Speculum clericorum.* — 4. *Cura clericalis*, 3 vol. — 5. *De dominio clericorum.*

6. *In psalmum 100um comm. litt. et mor. sive de optimo principe et optimo principis administro.*

7. *Idea exacta de bono principe.*

8. *Politique tirée des propres paroles de l'Ecriture sainte.*

9. *Direction pour la conscience d'un roi.* — 10. *Theologus principis*, 1 vol. in-fol.

11. *Idea consiliarii*, 1 vol. in-fol. — 12. *Institution d'un prince*, 3 vol.

13. *Theologia bellica*, 3 vol. in-fol. — 14. *De officio judicis ecclesiastici et civilis.* — 15. *Ventilabrum medico-theologicum.*

16. *Traité de l'obéissance des chrétiens aux puissances temporelles.*

17. *Question nationale sur l'autorité et sur les droits du peuple dans le gouvernement.* — 18. *Familia christiana instituta in suis officiis.*

19. Bossuet, *Defensio declarationis cleri Gallicani.* — Ellies du Pin, *Traité de la puissance ecclésiastique et temporelle.*

20. La Borde, *Principes sur la distinction des deux puissances*; cfr. Ben. XIV litteræ ad Primatem et Episcopos Poloniæ.

21. Febronius, *De statu Ecclesiæ, deque legitima potestate Romani Pontificis.*

22. *De Romani Pontificis auctoritate*, 3 vol. in-fol.; edidit præterea *Bibliothecam maximam Pontificiam*, 21 vol. in-fol.

23. *Regale sacerdotium Romano Pontifici assertum*; — *Gallia vindicata.*

24. *Della potestà e polizia della chiesa*, 7 vol. in-4.

25. *De l'autorité des deux puissances.*

26. *De mutuis Ecclesiæ et imperii officiis.*

27. *De officio S. Inquisitionis*, 1 vol. in-fol.

28. *De officio S. Inquisitionis* (inter tract. mor.), 1 vol. in-fol.; — *De comitiis seu parlamentis*, 1 vol. in-fol.

29. *Appendices ad manuale Consultorum in causis S. Officii*, 1 vol. in-fol.

30. Cfr. plura ap. Feller, *Recueil de représentations*, etc.

constitutione civili (1) et de *juramento gallico* (2). — Quæstionibus autem politicis accedit quæstio socialis in fine hujus periodi sæpius agitata de prohibitione mendicationis et de mediis pauperes adjuvandi (3).

de sacramentis.

Doctrinam sacramentorum exposuerunt Petrus Maria Passerinus de Sextula (4), Joannes Bosco (5), Joannes Claudius Puteobonellus (6), Constantinus Roncaglia (7), Gaspar Juenin (8), Renatus Hyacinthus Drouin (9), Carolus Duplessis d'Argentré (10), Carolus Merlin (11), Joannes Chrysostomus Trombelli (12). — Quæstiones speciales de *forma* baptismi expendcrunt Engelbertus Hoermann (13), Augustinus Franciscus Orsi (14); de ejusdem *subjecto* Gabriel Gualdo (15), Hyacinthus Campion (16), Hieronymus Fiorentini (17), Franciscus Emmanuel Cangiamila (18), Ignatius Ludovicus Bianchi (19). — Scripserunt de *confirmatione* Jacobus de Sainte-Beuve (20), Michael Amatus (21). — De *eucharistiæ* sacramento et sacrificio egerunt Gabriel de Henao (22), Alvarus Confuegos (23); speciales autem quæstiones pertinentes ad eucharistiæ *materiam*, *formam*, *species*, *sumptionem*, tractarunt Joannes Bona (24), Joannes Just. Ciampini (25), Franciscus Macedo (26), Joannes

baptismo.

confirmatione.

eucharistia.

1. Cfr. Barruel, *Collection ecclésiastique*, etc. tom. 14 in-8.
2. Cfr. Tractatus noster *de Religione*, tom. I, n. 672.
3. Status hujus quæstionis in fine sæculi XVIII apparet ex iis quæ referuntur ap. *Synodicon Belgicum*, IV, sect. 3, mon. 70.
4. *De sacramentis, de euch.*, 2 vol. in-fol. — 5. *Theol. sacram.*, 6 vol. in-fol.
6. *Moralia de sacram. in gen. et de euch.*; — *De sacram. pœnit.*, 2 vol. in-fol.
7. *Quæsita dogm. mor. de S. Ecclesiæ sacram.*, 1 vol. in-fol.
8. *Comm. hist. et dogm. de sacram. in gen. et in specie*, 1 vol. in-fol.
9. *De re sacramentaria.* — 10. *De propria efficacia sacram. nov. leg.*
11. *Tr. hist. et dogm. sur les paroles ou les formes des sacrem. de l'Eglise* (Ap. Migne *Curs. compl.* XXI.)
12. *Tract. de sacram. per polem. et liturg. diss. distributi*, 13 vol. in-4.
13. *Responsum Pontificis Nicolai M. ad consulta Bulgarorum de bapt. in nomine Christi collato ab errore vindicatum.*
14. *De baptismo in nomine Christi.*
15. *Baptisma puerorum in uteris existentium.*
16. *De baptismo non natis abortivis et projectis conferendo.*
17. *De hominibus dubiis seu abortivis baptizandis.* — 18. *Sacra Embryologia.*
19. *De remedio æternæ salutis pro parvulis in utero clausis.*
20. *De confirm. et extrema unctione.*
21. *De opobalsami specie ad sacrum chrisma conficiendum requisita.*
22. *De eucharistiæ sacramento*, 1 vol. in-fol. — *De missæ sacrificio*, 1 vol. in-fol. — 23. *Vita abscondita*, 1 vol. in-fol. — 24. *De azymo et fermentato.*
25. *Conjectura de perpetuo azymorum usu in Ecclesia latina.*
26. *Azymus eucharisticus.*

Mabillon (1), Petrus Lebrun (2), Gulielmus Bougeant (3), Petrus Benedictus (4), Franciscus Orsi (5), Jacobus Salier (6), Joannes Saguens (7), Fortunatus a Brixia (8), Renatus Billuart (9), Joannes Pichon (10). — Materiam *pœnitentiæ*, præter superius indicatos, tractarunt Natalis Alexander (11), Dyonisius Sanmarthanus (12); his autem jungi debent qui de *indulgentiis* et *jubilæo* disputarunt: Joannes Bossius (13), Honoratus a S. Maria (14), Joannes Baptista Ebbert (15), Eusebius Amort (16), Theodorus a Spiritu Sancto (17). — De *extrema unctione* scripserunt Guido Drapier (18), Benedictus de Gaetanis (19). — Tandem matrimonii doctrinam explicarunt Joannes Angelus Bossius (20), Gregorius Rossignolus (21), Joannes Kugler (22), Christophorus Cosci (23); tota autem hac periodo a multis agitata est quæstio de *potestate in matrimonium:* hanc potestatem falso principibus solis adscripserunt Launoy (24), Judocus Leplat (25), Benedictus Oberhauser (26); falso etiam principi-

pœnitentia et indulgentiis,

extrema unctione,

matrimonio.

1. *De pane euch. et fermentato.*
2. *Défense de l'ancien sentiment sur la forme de la consécration de l'eucharistie.*
3. *Réfutation de la diss. du P. Lebrun.* — 4. *Antirrheticon alterum* (ad opp. S. Ephræm.) — 5. *De invocatione Spiritus sancti in liturgiis Græc. et Orient.*
6. *Hist. schol. de speciebus eucharisticis,* 3 vol. in-4.
7. *Accidentia profligata, species instauratæ.*
8. *Diss. physico-theol. de qualitatibus corporum sensibilibus.*
9. *De mente Ecclesiæ circa accidentia eucharistiæ.*
10. *L'esprit de* Jésus-Christ *et de l'Eglise sur la fréquente communion* (opus prohibitum, quod multis accusationibus adversus S. J. occasionem præbuit.)
11. *Diss. polemica de confessione sacramentali.*
12. *Traité de la confession auriculaire.*
13. *De triplici Jubilæi privilegio,* 1 vol. in-fol.
14. *Traité des indulg. et du jubilé.* — 15. *De Jubilæo,* 1 vol. in-fol.
16. *De origine, progressu, valore ac fructu indulgentiarum,* 1 vol. in-fol.
17. *De indulgentiis,* 1 vol. in-fol.; — *De jubilæo,* 1 vol. in-fol.
18. *Tradition de l'Eglise touchant l'extrême-onction.*
19. *De suprema unctione liber historico-dogmaticus.*
20. *De effectibus contractus matrimonii,* 3 vol. in-fol.; — *De dote filiabus danda,* 1 vol. in-fol.; — *De nuptiis sine parentum consensu non contrahendis,* 1 vol. in-fol.; — *De patria potestate,* 1 vol. in-fol.
21. *De sponsalibus, de matrimonio,* 2 vol. in-fol.; — *De effectibus matrim.,* 1 vol. in-fol.; — 22. *Tract. theol. canon. de matrim.,* 2 vol. in-fol.
23. *De separatione tori conjugalis,* 3 vol. in-fol.; — *De sponsalibus,* 1 vol.
24. *Regia in matrimonium potestas.*
25. *De potestate statuendi impedimenta dirimentia matrimonium:* — *De sponsalibus et impedimentis matrimoniorum.*
26. *Apologia historico-critica divisarum potestatum in legibus matrimonialibus impedimentorum dirimentium;* — *Systema historico-criticum divisarum potestatum,* etc.

bus simul et Pontificibus adscripserunt Joannes Gerbais (1), et alii; solis Pontificibus merito vindicarunt Joannes Clemens Galesius (2), Hyacinthus Gerdil (3) etc. Circa finem vero sæculi elapsi exorta est quæstio de *divortio,* quam egregie explicarunt Chapt de Rastignac (4), Bergier (5), Barruel (6), etc.

187. *Theologia practica pastoralis,*

Quod pertinet ad praxim stricte dictam, magis magisque hac periodo exculta est theologia *pastoralis* nuncupata, donec sub generali Austriaca studiorum deformatione sæculi XVIII ad verum excessum producta res fuerit. Inter innumeros hic recensemus Tobiam Lohner (7), Hermanum Damen (8), Thomam Dujardin (9), Martinum Wigandt (10), Joannem Reuter (11), Petrum Calixtum Campetti (12), S. Alphonsum (13). — *Casus* vero *conscientiæ* et *resolutiones morales* ediderunt Jacobus de Sainte-Beuve (14), Joannes Clericatus (15), Joannes Pontas (16), Andreas Zuccheri (17).

ascetica.

Præcipui in scientia ascetica magistri per eam ætatem fuerunt: Eusebius Nierenberg, Jerem. Drexelius, Bossuet, Rancé, Fénelon, S. Alphonsus de Ligorio, S. Leonardus a Portu Mauritio, S. Paulus a Cruce; eamdem scientiam in concionibus proposuerunt Bourdaloue, Senault, Mascaron, Massillon, Houdry.

188. *Status juris liturgici,*

Liturgiam practicam et historicam egregie explicarunt Bernardus Bissus (18), Cajetanus Maria Merati (19), Joannes

1. *Traité pacifique du pouvoir de l'Eglise et des princes sur les empêchements de mariage.* — 2. *Ecclesiastica in matrimonium potestas.*
3. *Del matrimonio ossia confutazione dei sistemi contrari all'autorita della Chiesa circa il matrimonio.*
4. *Accord de la révélation et de la raison contre le divorce.*
5. *Observations sur le divorce.* — 6. *Du divorce.*
7. *Instructiones practicæ,* 11 vol.
8. *Doctrina et praxis S. Caroli Borromæi de pœnitentia.* 3 vol. in-12.
9. *De officio sacerdotis qua judicis et medici.* — 10. *Tribunal confessariorum.*
11. *Neo-confessarius practice instructus.* — 12. *Pastor catholicus,* 1 vol. in-fol.
13. *Homo apostolicus; — Praxis confessariorum.*
14. *Résolutions de plusieurs cas de conscience touchant la morale et la discipline de l'Eglise.* — 15. *Decisiones sacramentales,* 3 vol. in-fol.
16. *Dict. des cas de conscience,* 3 vol. in-fol.; *supplementum* ediderunt Lamet et Fromageau. — 17. *Decisiones Patavinæ,* 4 vol. in-4.
18. *Hierurgia,* 2 vol. in-fol.
19. *Thesaurus SS. Rit.* (a Gavanto conscriptus) *correctior et locupletior.*

Michael Cavalieri (1), Hieronymus Baruffaldi (2), Ferdinandus Tetamo (3). — Veteres textus liturgicos ediderunt Joannes Mabillon (4), B. Jos. Mar. Thomasius (5), Lud. Muratori (6), Edmundus Martène (7), Martinus Gerbert (8), Alexander Lesley (9), Eusebius Renaudot (10), Josephus Al. Assemani (11), Emmanuel de Azevedo (12). — Commentaria autem historico-liturgica scripserunt Joannes Bona (13), Claudius de Vert (14), Joannes Grancolas (15), Petrus Lebrun (16).

naturalis. Sub fine hujus periodi jus naturale et gentium, apud Protestantes et Rationalistas in scientiam distinctam jamdiu constitutum (17), ab ipsis catholicis systematice tractari cœpit

1. Opera ejus liturgica comprehenduntur 5 tom. in-fol.: constant commentariis in authentica decreta S. Rituum Congregationis.

2. *Commentaria ad Rituale Romanum.*

3. *Diarium liturgico-theologico-morale,* tom. 8 in-4. — 4. *De liturgia Gallicana.* — 5. *Codices sacramentorum ; — Psalterium ; — Responsalia et Antiphonaria Romanæ Ecclesiæ.*

6. *Liturgia Romana vetus.*

7. *De antiquis Monachorum ritibus ; — De antiquis Ecclesiæ ritibus.*

8. *Vetus liturgia Alemannica ; — Monumenta veteris liturgiæ Alemannicæ.*

9. *Missale mixtum,* (mozarabicum).

10. *Liturgiæ orientales.* — 11. *Codex liturgicus Ecclesiæ universæ.*

12. *Vetus Missale Romanum monasticum Lateranense.*

13. *De divina psalmodia ; — Psallentis Ecclesiæ harmonia ; — Rerum liturgicarum libri duo.*

14. *Explication simple, littérale et historique des cérémonies de l'Eglise.*

15. *Traité de l'antique des cérémonies des sacrements ; — Les anciennes liturgies ; — L'ancien sacramentaire de l'Eglise ; — Traité de la Messe et de l'Office divin,* etc.

16. *Explication littérale, historique et dogmatique des prières et des cérémonies de la Messe.*

17. Horum præcipui sunt, apud Batavos et Germanos : Grotius, *De jure belli et pacis ; Mare liberum ; De jure prædæ ;* Byntershoeck, *De dominio maris ; Quæstiones juris publici ;* Puffendorf, *De jure naturæ et gentium libri octo ; De officio hominis et civis secundum legem naturalem ;* Christ. Thomasius, *Institut. jurisprud. divinæ libri tres ; Fundamenta juris naturæ et gentium ex sensu communi deducta, in quibus ubique secernuntur principia honesti, justi ac decori ;* Henricus Cocceji, *Juris publ. prudentia compendio exhibita ; Exercitationes curiosæ ; Dissertationes varii argumenti ; Consilia ; Deductiones ; Comm. in lib. Grotii de jure belli et pacis ;* Wolfius, *Jus gentium methodo scientifica pertractatum ;* Em. Kant, *Rechtslehre ;* Hegel, *Grundlinien der Philosophie des Rechts,* etc.; — apud Anglos et Scotos : Thomas Hobbes, *De cive ; Leviathan* (de materia, forma et auctoritate gubernii) ; *De corpore politico ;* Rich. Cumberland, *De legibus naturæ ;* Seldenus, *Mare clausum* (adv. Grotium) ; *De jure naturæ et gentium juxta disciplinam Hebræorum ;* Locke, *Two treatises on civil government ;* Bentham, *Fragment on government ; Principles of Morals and Legislation ;* — apud Gallos et Helvetos : Montesquieu, *De l'esprit des lois ;* Rousseau,

seorsim a Theologia (1). Id præstiterunt Concina (2), Finetti (3), Guarini (4), Desing (5), Schwarz (6), Zallinger (7), J. de Maistre (8), De Bonald (9), Lud. de Haller (10), etc.

Ex canonistis pauci hoc tempore decretalium libros proprie dictis commentariis illustrarunt; horum præcipui sunt Prosper Fagnanus (11), Emmanuel Gonzalez Tellez (12), Nicolaus Rodriguez Fermosini (13). Plerique Decretalium ordinem potius secuti sunt quam textum exposuerint; præstantiores sunt Pirhhing (14), Anacletus Reiffenstuel (15), Franciscus Schmalzgrüber (16), Vitus Pichler (17), Bern. Zeg. Van Espen (18), Placidus Boekhn (19). — Juris canonici praxim spectarunt Joannes Baptista de Luca (20), Petrus Leurenius (21), Dominicus Ursaja (22). — Ad partem juris historicam et criti- *et canonici.*

Contrat social ; Burlamaqui, *Principes ou éléments du droit politique ; Principes du droit de la nature et des gens ;* De Felice, *Code de l'humanité ou législation universelle ;* Vattel, *Droit des gens,* etc. Quamvis inter eos nonnulli sint qui a scientia merito laudantur, præ cæteris Grotius, tamen nullus est qui non sit longe inferior magnis theologis nostris sæculorum XIII et XVI. — Cfr. Meyer, *Inst. juris natur.* procem. Amplam juris naturalis nomenclaturam exhibet opus period. *Literarische Handweizer,* ann. 1878-1879, auct. Vering.

1. Cur apud Catholicos jus naturale et gentium in theologia tractatum fuerit, diximus supra n. 19, pag. 10; cfr. n. 131 cum nota 1, pag. 76; n. 148, pag. 86 et 87; n. 165, pag. 106 et 107; n. 176, pag. 125; n. 186, pag. 148.

2. *Juris naturalis et gentium doctrina metaphysica aperta.* — 3. *De principiis juris naturæ et gentium lib. XII.* — 4. *Juris naturalis et gentium principia et officia ad christianæ doctrinæ regulam exacta et explicata.*

5. *Diatribe circa methodum Wolfianam in philosophia practica universali;* — *Hypodigma politicum juris naturæ ;* — *Juris naturæ larva detecta ;* — *Jus naturæ liberatum ac repurgatum ;* — *Jus gentium redactum ad limites suos.*

6. *Institut. juris publ. nat. et gentium.*

7. *Institutionum juris naturalis et ecclesiastici publici libri V.*

8. *Considérations sur la France ;* — *Essai sur le principe régénérateur des constitutions politiques ;* — *Du Pape ;* — *Les soirées de St-Pétersbourg.*

9. *Théorie du pouvoir politique et religieux dans la société civile ;* — *Législation primitive,* etc. — 10. *Restauration de la science politique.*

11. *Comm. in quinque Decretalium libros,* 3 vol. in-fol.

12. *Comm. perpetua in singulos textus 5 ll. Decretalium Gregorii IX,* 5 vol. in-fol. — 13. Opera ejus simul collecta prodierunt, 14 vol. in-fol.

14. *Jus can. in 5 ll. decr. distributum,* 5 vol. in-fol.

15. *Jus canonicum,* 3 vol. in-fol. — 16. *Jus ecclesiasticum universum.*

17. *Jus canonicum practice explicatum ;* — *Summa jurisprudentiæ sacræ universæ.* — 18. *Jus ecclesiasticum universum* (opus proh.)

19. *Comm. in jus universum,* 3 vol. in-fol.

20. *Theatrum veritatis et justitiæ,* 14 vol. in-fol. — *Sacræ rotæ Romanæ decisiones ad theatrum veritatis et justitiæ,* 4 vol. in-fol.

21. *Forum ecclesiasticum,* tom. 4 in-fol.; — *Forum beneficiale,* 2 tom. in-fol.; — *Vicarius episcopalis,* 1 vol. in-fol.

22. *Disceptationes ecclesiasticæ,* 8 vol. in-fol.

cam pertinent opera Thomassini (1), Berardi (2). — Egregium autem apparatum ad jurisprudentiam ecclesiasticam scripsit Josephus Biner (3).

189. *Conspectus generalis ætatis theologorum.*

Jam si præterlapsam ætatem generali quodam conspectu contemplari libeat, facile deprehendetur, varias inter scholarum ac methodorum vicissitudines, jugiter auctum fuisse, tum theologicæ universæ corpus, tum speciale systema theologiæ moralis ; eorum vero membra in dies perfectiora evasisse. Quod ut luculenter appareat, exemplum, quæso, sumatur a tractatu de *justitia et jure :* quantus in eo progressus a Lombardo (4), ad S. Thomam (5) ; quantus iterum a moralistis sæculorum XIV et XV ad Lessium, Molinam et Lugonem (6) ! Idem vero fere contigit quoad tractatus de *legibus,* de *religione,* de *eucharistia,* de *pœnitentia,* de *matrimonio,* etc.

ARTICULUS TERTIUS.

De scientia morali in novissima theologorum epocha.

190. *Novæ epochæ indicia.*

Novam Theologiæ epocham a quinquaginta fere annis inchoatam esse arbitramur. Ab hoc enim tempore *a)* theologiæ *fontes*, scripturæ, patres, ecclesiastici doctores, egregiis studiis illustrati sunt, et innumeris editionibus in omnium usum divulgati ; — *b)* theologiæ *instrumentum,* scilicet philosophia christiana, scholis feliciter restitui cœpit, repudiatis falsis et peregrinis doctrinis ; — *c)* theologiæ *adjumentum* nempe historia ecclesiastica, vario modo est perfectum. — *d)* Ipsa vero theologia, quoad partem suam *positivam,* purgata est a maculis Jansenismi et Gallicanismi ; quoad partem *speculativam,* Angelicum suum magistrum recuperavit ; quoad *casuisticam,* Beatum Alphonsum accepit ducem securum, sedatis importunis controversiis quæ tamdiu agitatæ fuerant. — *e)* Hæc paracta sunt opera quidem et labore virorum doctorum, præcipue tamen potenti actione Romanorum Pontificum, qui studia exegetica

1. *Ancienne et nouvelle discipline de l'Eglise.*
2. *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti,* 4 vol. in-4 ; edidit etiam *commentaria in jus ecclesiasticum universum.*
3. *Apparatus eruditionis ad jurisprudentiam ecclesiasticam,* 8 vol. in-4.
4. *Sent.* lib. 4. dist. 15. — 5. S. Thomas 2-2. q. 57-80. — 6. Cfr. supra, nº 161 et nº 173.

et patristica, philosophica, historica, theologica promoverunt, variisque scientiis religiosis suam viam, suas leges præscripserunt. Nec defuit efficacia synodi œcumenicæ Vaticanæ : ex qua utinam mox oriantur ii scientiæ sacræ fructus, quos e Synodis Nicæna, Lateranensi, Tridentina secutos admirati sumus.

temporis necessitates ;

Hisce præsidiis licuit Ecclesiæ occurrere urgentioribus ævi necessitatibus inde a Gallicana, imo a generali clade ortis. — Primam necessitatem creavit diffusio systematum philosophicorum a fide independentium et etiam ipsi oppositorum, quæ moralem christianam infecerunt, cujusmodi fuerunt Kantii criticismus, Hegelii pantheismus, Contii positivismus. — Alteram necessitatem creavit diffusio systematum politicorum, ex quibus provenit nationum ordinatio liberalis, implicans scilicet omnes modernas libertates cogitationis, religionis, associationis, publicationis ; item guberniorum sæcularisatio, implicans separationem status ab Ecclesia, sæcularisationem matrimonii, scholarum, etc. — Tertiam necessitatem crearunt causæ œconomicæ, mutata sc. opificum conditio, mutati laboris et commercii methodi. — Quartam necessitatem crearunt causæ ex præcedentibus ortæ, diffusæ sc. sectæ populares, communismus, collectivismus, socialismus, imo et anarchismus. — Quintam necessitatem crearunt novæ scientiæ, in dies magis florentes, quæ scientiæ morali et præsertim morali theologiæ æmulæ factæ sunt, sc. biologia, psychologia, sociologia, anthropologia, religionum scientia, critica historica et biblica. — Tandem generalem necessitatem creavit diffusio rationalismi, sub multiplici forma.

191. *Quomodo his necessitatibus Theologia respondeat.*

Ut igitur novæ et perturbatæ societatis necessitatibus renovata scientia theologica plane respondeat, duo præcipue necessaria sunt : primum, adversus naturalismum, rationalismum, liberalismum, in tuto poni debet character supernaturalis religionis, Ecclesiæ, doctrinæ christianæ ; alterum, ostendi debet « necessaria illa cohærentia qnæ Dei voluntate intercedit inter utrumque ordinem, qui tum in natura, tum supra naturam est [1]. »

Quod speciatim pertinet ad theologiam moralem, imprimis

1. Pius IX, Alloc. diei 9 junii 1862.

immutabilia divinæ et naturalis legis principia accurate probanda sunt ope rationis et auctoritatis : nam jam nullum fere est præceptum, nullum institutum quod non impugnetur, ab iis præsertim qui sic dictam *religionum historiam comparatam* tractant ; unde adversus eos necesse est provocare « ad naturam rerum, memoriam originum, conscientiam generis humani (1). » — Deinde eadem principia applicare oportet factis, inventis, moribus nostri temporis : sunt enim ortæ et quotidie oriuntur gravissimæ quæstiones physiologicæ, œconomicæ, politicæ, quas theologus negligere non potest. — Speciali cura explodenda est perniciosa illa separatio ordinis juridici ac legalis et politici ab ordine morali (2). — Præterea ostendenda moralis christianæ efficacia ad felicitatem non supernaturalem tantum sed et naturalem, tum hominum singulorum tum populorum : qua in re omnibus theologis exemplo sunt summi Pontificis Leonis XIII encyclicæ de *principatu politico*, de *matrimonio*, de *civitatum constitutione christiana*, etc.

192. *Tractatus generales.*

Interim pauci hoc nostro tempore integrum corpus theologiæ tum theoreticæ, tum practicæ confecerunt (3). Laborem nuper susceperat, qui ei perficiendo par omnino erat, Joseph Kleutgen, variis scriptis philosophico-dogmaticis de scientia sacra præclare meritus ; at primo suo volumini vir egregius immortuus est (4). Disputationes Christiani Pesch sunt exclusive dogmaticæ et stricte theoreticæ, licet unum volumen habeatur de virtutibus in genere et de virtutibus theologicis et aliud de virtutibus moralibus. Novissime cursum dogmaticum simul et practicum aggressi sunt egregii professores collegii S. J. Lovaniensis (5).

1. Leo XIII. Encycl. *De matrim.* — 2. Cfr. Theod. Meyer, *Grund. der Sittlichkeit und des Rechts*, III.

3. Cfr. Bouvier, *Institutiones theologicæ ;* Vincent, *Compendium theologiæ universæ ;* Blieck, *Theol. universæ expositio methodica ;* etc. Ampliores sunt *Institutiones theol. præambulæ, dogmaticæ, sacramentariæ et moralis* quas vulgavit Martinet ; octo enim voluminibus constant, quorum quatuor de theol. præambulari et dogmatica, alia quatuor de theol. morali ; desideratur pars sacramentalis. — 4. Ejus *Institutiones theologicæ* octo partibus constare debebant. — R. P. Hilarius Parisiensis *Theologiam universam* edere incœperat ; verum a labore destitisse videtur ante absolutum tertium volumen.

5. Volumina hucusque prodierunt de virtutibus theologicis (Lahousse), de sacramentis in genere, de baptismo, confirmatione, Eucharistia (Lahousse) ; de pœnitentia (De San).

Moralis autem theologiæ systema plures quidem ediderunt; adverti tamen potest: *a/* opera hucusque vulgata non esse nisi *manualia* in usum discipulorum, vel *compendia* in utilitatem confessariorum; *b/* ex his multa mere practica esse, quædam tamen etiam aliquousque speculativa, pauca vere positiva et polemica ; *c/* pleraque, præsertim ex recentioribus, ad mentem S. Alphonsi esse elaborata, imo quædam etiam ex S. Doctoris libris deprompta, ita ut Moralis hodierna dici queat *Alphonsiana ;* dolendum tamen quod linguarum vernacularum usus in dies communior evadat (1). — Referri merentur: e Gallis et Helvetis Gousset (2), Neyraguet (3), Gury (4). Marc (5); ex Italis Panzutti (6), Scavini (7), Grassi (8), Ballerini (9), Sarra (10), D'Annibale (11), Ghelardi (12), Ninzatti (13); e Belgis Vandervelden (14), Haine (15), Aertnys (16),

1. Recentioris theologiæ moralis litteraturam dedit Scheeben, in per. *Literarischer Handweiser,* n. 56-59 et 79 ; eam ibid. prosecutus est Noldin, n. 167, 168.

2. *Théol. mor. à l'usage des curés et des confesseurs.* — *Le code civil commenté dans ses rapports avec la théol. mor.* — *Exposition des principes du droit canonique.* — 3. *Compendium theol. mor. S. Alphonsi.*

4. *Theol. mor.* Opus sæpissime ab ipso auctore editum et successive correctum, doctissimis notis a P. Ballerini auctum, a R. P. Dumas in quibusdam perfectum, novissime a R. P. Sabetti in compendium redactum.

5. *Inst. morales Alphonsianæ.*

6. *Theol. mor. S. Alphonsi in institutiones redacta.*

7. *Theol. mor. univ.* Compendium operis dedit cl. Del Vecchio.

8. *Theol. mor.* (juxta doct. S. Alphonsi).

9. Vir acutus æque ac eruditus commentationes adornaverat in *Medullam* Hermanni Busenbaum, quæ tandem aliquando integræ vulgatæ sunt cura D. Palmieri ! Ex his deprompsit suas *Annotationes* ad opus Guryanum anno 1866 editas, et anno 1869 auctas et expolitas. Cum autem illæ *Annotationes* impugnatæ fuerint tum *in Summario additionali* ad causam doctoratus S. Alphonsi, tum in *Vindiciis Alphonsianis,* eas anno 1874 responsionibus munivit: hæc controversia sub quodam respectu ingrata quidem extitit; occasionem tamen præbuit ut ex utraque parte non pauca proferrentur quæ ad theologiæ profectum conducant. Scripsit præterea Ballerini libellos *de actibus humanis, de jure et justitia,* in usum discipulorum, dissertationem *de morali systemate S. Alphonsi,* ac tempore concilii Vaticani opusculum *de jure et officio episcoporum in ferendo suffragio pro infallibilitate Romani Pontificis.* Acerrimus etiam fuit impugnator doctrinæ Rosminianæ, adversus quam vulgavit opus : *Principii della scuola Rosminiana esposti in lettere famigliari da un Prete Bolognese.* Cfr. *Lit. Handw.* nº 307. — 10. *Memoriale theol. mor.*

11. *Summula theol.* Opus mole exiguum, doctrina refertissimum.

12. *Instituti di theologia morale.*

13. *Theol. mor. S. Alphonsi ordine logico digesta.*

14. *Principia theol. mor. theoretice et practice exposita ;* opus iterum edidit ac notis egregiis instruxit R. P. Piat.

15. *Elementa theol. mor.* — 16. *Theologia moralis,* 2 vol.

Gènicot [1]; e Germanis Waibel [2], Probst [3], Werner [4], Fuchs [5], Hirscher [6], Jocham [7], Elger [8], Martin [9], Dieckhoff [10], Bittner [11], Palasthy [12], Friedhoff [13], Ritter [14], Rohling [15], Simar [16], Linsenmann [17], Muller [18], Pruner [19], Staller [20], Lehmküll [21], Schwane [22], Göpfert [23]; ex Americanis Kenrich [24], Konings [25].

193. *Tractatus speciales, de theologia fundamentali.*

Fusius ac plenius pertractatæ sunt materiæ speciales: quasi præparati lapides futuris architectis ad monumenta ædificanda. Et quidem varias theologiæ fundamentalis quæstiones exposuerunt Plassmann [26], Klee [27], Schmid [28], Laloux [29], Walsh [30], Van Endert [31], Waffelaert [32], Potton [33], Raphael a S. Joseph [34], Tepe [35], Frins [36], quorum nonnulli opus nostrum de simili argumento prius editum, ita pro-

1. *Institutiones theologiæ moralis*, 2 vol.
2. *Moral. Theol. nach dem Geiste des heiligen Alphons.*
3. *Katholische Moraltheologie.*
4. *System der christlichen Ethik.* — *Ench. theol. mor.*
5. *Inst. theol. mor.* — *System der christl. Sittenlehre.*
6. *Die christliche Moral als Lehre von der Verwirklichung des Göttlichen Reiches in der Menschheit.* Opus ingenio et styli elegantia clarum, traditionis tamen fundamentis haud sufficienter innixum, atque idcirco non paucis vitiis fœdatum. — 7. *Moraltheol.* — 8. *Lehrbuch der kath. Moralth.*
9. *Lehrbuch der kath. moral.* — 10. *Compendium Ethicæ christianæ.*
11. *Lehrbuch der kath. Moralth.* — 12. *Theol. morum catholica.*
13. *Allgemeine Moraltheologie.* — *Specielle Moralth.*
14. *Breviarium der christl. Ethik.* — 15. *Medulla theol. mor.*
16. *Lehrbuch der kath. Moraltheol.* — 17. *Lehrbuch der Moralth.*
18. *Theol. moralis.* Opus eruditum, practicum et pium. — 19. *Moralth.*
20. *Epitome theol. mor.*
21. *Theologia moralis* : opus vere eruditum, inter cætera recentiora ejusdem indolis præstantissimum : jam prodiit ejusdem compendium.
22. *Allgemeine Moralth. Specielle Moralth.* — 23. *Moral. Theol.*, 3 vol.
24. *Theol. mor.*
25. *Theol. mor. S. Alphonsi in compendium redacta et usui cleri Americani accommodata.* Magna pars operis deprompta est a Gury et Ballerini : cfr. *Etudes religieuses*, 1878, II, 79 et 1879, I, 359, necnon Auctoris præfatio apologetica quartæ editioni præmissa.
26. *Die moral-gemäss der Schule des hl. Thomas.*
27. Non vidimus nisi operis versionem gallicam, cui titulus : *Principes de théologie morale.*
28. *Grund. der kath. moraltheol.* — 29. *De actibus humanis.*
30. *De actibus humanis* (per modum additionum ad Gury.)
31. *De opinionis probabilis usu ad efformandum conscientiæ dictamen.*
32. *De dubio solvendo in re morali.* — 33. *Theoria probabilitatis.*
34. *Institutiones fundamentales theologiæ moralis.*
35. *Institutiones theologiæ moralis generalis*, 2 vol.
36. *De actibus humanis ontologice et psychologice.*

baverunt ut quædam ex ipso in suam utilitatem mutuare dignati sint (1). Huc etiam magna ex parte spectant quæ scripta sunt tum initio istius epochæ in defensionem theologiæ S. Alphonsi (2), tum postea in interpretationem ejus systematis moralis (3). Controversia de morali systemate quæ ab anno circiter 1874, sopita habebatur, iterum recruduit inter alumnos S. Alphonsi et quosdam e Societate Jesu theologos. Hinc scripta vulgata a Ter Haar (4), Gaudé (5), De Caigny (6); inde responsa opposita ab Arendt (7) et a Le Bachelet (8).

de virtutibus theologicis,

De virtutibus theologicis scripserunt Perrone (9) et Mazzella (10), quorum operibus egregiis addere liceat volumen de eadem materia a nobis vulgatum (11). In specie de fidei divinæ natura, analysi, libertate egerunt sive in operibus dogmaticis generalioribus sive in distinctis libris, Franzelin (12), Kleutgen (13), Denzinger (14), Scheeben (15), Heinrich (16), Schrader (17), Brouwer (18), Bainvel (19), De la Barre (20), Le Bachelet (21): his jungi possunt commentatores primæ constitutionis synodi Vaticanæ, præcipue Ferré (22) et Vacant (23).

de virtutibus cardinalibus,

Quod ad virtutes morales attinet, imprimis *religionis* materia exposita est a Perrone (24), Wirthmüller (25), Antonini (26),

1. *Theol. mor. fundamentalis.* — Forte etiam indicari debuisset Rosminii opus italice scriptum de *conscientia.*

2. Cfr. Gousset, *Justification de la Théol. mor. de S. Alphonse.* — *Lettres à M. le curé.....*

3. Controversiæ litteraturam exhibent *Vindiciæ Alphonsianæ,* præf.; cfr. etiam *Lit. Handweiser,* n. 167, 168; item *Civiltà cattolica,* Dec. 1873.

4. *De morali systemate antiquorum probabilistarum.* — 5. *De æquiprobabilismo S. Alphonsi.* — 6. *De morali systemate S. Alphonsi.* — 7. *Crisis æquiprobabilismi hodierni.* — 8. *La question Liguorienne.*

9. *Præl. theol. de virtutibus fidei, spei et charitatis.*

10. *De virtutibus infusis.* — 11. *De virtutibus theologicis.*

12. *De habitudine rationis humanæ ad divinam fidem* (Appendix ad tract. *de traditione et scripturis.*)

13. *Theol. der Vorzeit, III.*

14. *Relig. Erkentniss,* III et IV. — 15. *Dogm.* I, § 38-46.

16. *Dogm. Theol.,* I. — 17. *De fide, utrum ea imperari possit.*

18. *De fide divina.*

19. *La foi et l'acte de foi.* — 20. *La vie du dogme catholique.*

21. *L'apologétique traditionelle et l'apologétique moderne.*

22. *La costituzione dogmatica Dei Filius sulla Fede catholica.*

23. *Etudes théologique sur la constitution du Concile du Vatican.*

24. *Præl. theol. de virtute religionis.* — 25. *Die moralische Tugend der Religion.* — 26. *Le Serment.*

Göpfert (1), Lahousse (2), atque a nobis ipsis (3). Huc etiam pertinent quæ de magnetismo, spiritismo, hypnotismo multi scripserunt (4). — De *justitia* haud ignobiles tractatus apud diversas gentes editi sunt a Carrière (5), Crolly (6), De Lama (7), Marres (8), Waffelaert (9), Pruner (10), Schwane (11), Kutschker (12), Funck (13), Van Gestel (14), qui fere omnes principia moralia explicarunt in sua relatione ad modernas variarum nationum leges civiles. Addi debent qui magis solliciti fuerunt de prædictorum principiorum applicatione ad res non tam juridicas quam sociales et œconomicas, ut Pottier (15) et A. Vermeersch (16), — De *temperantia* scripserunt Debreyne (17), Bouvier (18), Craisson (19), Lupellus (20), Capellmann (21), von Olfers (22), Stohr (23), Lecomte (24), Eschbach (25), Surbled (26). — Particulares obligationes clericorum et regularium expenderunt Pavy (27), Hèfélé (28),

1. *Der Eid.* — 2. *De vera religione ;* tractatus iste non est moralis, sed exclusive apologeticus.

3. *De virtute religionis.* — Notare liceat tractatum nostrum tribus annis prodiisse ante cl. Göpfert opus de juramento.

4. Hujus argumenti litteraturam satis amplam dedit Hagemann in per. *Literarischer Handweiser*, n. 263-265, 270-271, 294, 327, 376, 577 ; cfr. etiam *Revue des questions scientifiques*, XII, 98, præsertim Max Dressoir, in duplici fasciculo, *Bibliographie der modern hypnotismus.*

5. *De justitia et jure. — De contractibus ;* utriusque operis compendium pluries editum est.

6. *De justitia et jure* (secundum leges Anglorum).

7. *De justitia et jure, ratione habita ad codicem civilem Austriacum.*

8. *De justitia secundum doctrinam theologicam et principia juris recentioris, præsertim vero Neerlandici.*

9. *Tractatus de justitia. — Etude de théol. mor. sur l'obligation en conscience des lois civiles.* — 10. *Lehre vom Recht.* — 11. *Restitutive Gerechtigkeit ; — Die theol. Lehre über die Verträge.* — 12. *Die Lehre vom Schadenersatze.*

13. *Zins und Wucher. — Geschichte des kirchl. Zinsverbotes.*

14. *De justitia et lege civili.*

15. *De jure et justitia dissertationes.*

16. *Quæstiones de justitia ad usum hodiernum scholastice disputatæ.*

17. *Theol. mor. — Mœchialogie.* — 18. *De sexto præcepto.* — 19. *De rebus venereis.* — 20. *Tractatus de castitate.*

21. *Medicina pastoralis. — Facultative Sterilität.*

22. *Pastoralmedecin.* — 23. *Handbuch der Pastoralmedecin.*

24. *De l'ovulation spontanée de l'espèce humaine dans ses rapports avec la théol. mor.* — 25. *Disputationes physiologico-theologicæ de humanæ generationis œconomia, de embryologia sacra, de abortu medicali et de embryotomia, de colenda castitate.*

26. *La morale dans ses rapports avec la médecine et l'hygiène.*

27. *Du célibat ecclésiastique.* — 28. *Die Entwicklung des Cœlibates und die kirchliche Gesetzgebung über denselben.*

Philips (1), Jac. Schmitt (2), Laurin (3), Stöger (4), Allioli (5), Roskovany (6).

Generalem vel etiam universalem sacramentorum doctri- *de sacramentis.*
nam exposuerunt Berlage (7), Oswald (8), Franzelin (9), Haine (10), De Augustinis (11), Billot (12), Sasse (13), Noldin (14), Morgott (15). In specie egerunt de *Baptismo*, Risi (16); — de *Confirmatione* Jansens (17); — de *Eucharistiæ* sacrificio et sacramento Franzelin (18), Rosset (19), Katschthaler (20), Stockl (21), Hergenröther (22), Thalhofer (23), Menne (24), Specht (25), Diepolder (26), Gihr (27); Vande Burght (28), Lambrecht (29), Renz (30), Vacant (31), Watterich (32), Buathier (33), Lepin (34), Breiteneicher (35), Hoppe (36), Franz (37), Plątzweg (38), Probst (39), Favre (40), Labis (41), Maurel (42); — de *pœni-*

1. *De cœlibat.* — (Vermischte Schriften.) — 2. *Der Priestercölibat.*
3. *Der Cölibat der Geistlichen nach canonischem Rechte.*
4. *Der Gottliche Beruf zum Breviergebete.*
5. *Ueber die inneren Motive der canonischen Hören und irhen Zusammenhang.*
6. *Cœlibatus et Breviarum :* ubi utriusque materiæ ampla litteratura exhibetur. — 7. *Die dogmatische Lehre von den Sacramenten.* — 8. *Die dogmatische Lehre von den heiligen Sacramenten.* — 9. *De Sacramentis in genere.*
10. *Principia dogmatico-moralia universæ theologiæ sacramentalis.*
11. *De re sacramentaria.*
12. *De Ecclesiæ sacramentis,* 2 vol.; est commentarius in textum Aquinatis.
13. *Institutiones theologicæ de sacramentis Ecclesiæ,* 2 vol.
14. *De sacramentis.* — 15. *Der Spender der heiligen Sacramenten.*
16. *De baptismo parvulorum in primitiva Ecclesia.* — 17. *Traité de la confirmation.* — 18. *Tract. de SS. Euch. sacram. et sacrif.*
19. *De sanctissimo ac divinissimo Eucharistiæ mysterio.* — 20. *De SS. Eucharistia.* — 21. *Das Opfer nach seinem Wesen und nach seiner Geschichte.*
22. *Die Eucharistie als Opfer.* — 23. *Das Opfer des Alten und des Neuen Bundes.* — 24. *Das allerheiligste Sacrament des Altars als Opfer.*
25. *Die Wirkungen des Eucharistischen Opfers.*
26. *Das Wesen des Eucharistischen Opfers und die Wirkungen vorzüglichsten katholischen Theologen der drei letzen Jahrhunderte.*
27. *Das heilige Messopfer.* — 28. *De celebratione Missarum.*
29. *De sanctissimo Missæ sacrificio.* — 30. *Opfer character der Eucharistie.*
31. *Histoire de la conception du sacrifice de la Messe dans l'Eglise latine.*
32. *Der konsecrationmoment in heiligen Abendmahl.* — 33. *Le sacrifice dans le dogme catholique et dans la vie chrétienne.* — 34. *L'idée du sacrifice dans la religion chrétienne.* — 35. *Die Sacramente und das heilige Messopfer.*
36. *Die Epiclesis der Griechischen und Orientalischen Liturgien und der Romische Consecrationscanon.* — 37. *Die Eucharistische Consecrationsmoment.*
38. *Betrachtungen über die hl. Messe für Priester und Laien.*
39. *Verwaltung der Eucharistie als Opfer.*
40. *Théorie et pratique de la communion fréquente et quotidienne.*
41. *De la fréquente communion,* in op. per. *Revue catholique,* 1863; et seorsim in op. *L'Eucharistie.* — 42. *Traité de la communion fréquente, d'après la doctrine et la pratique de l'Eglise catholique.*

tentiæ virtute et sacramento, itemque de *indulgentiis* ac *jubilæo*, Palmieri (1), Lierheimer (2), Tappehorn (3), Bouvier (4), Loiseaux (5), Bastien (6), Thurston (7), quibus accedunt commentatores bullæ *Apostolicæ Sedis* (8); — *de ordine* Gasparri (9), Reuter (10); — *de extrema unctione,* Schmitz (11); — de *matrimonio* Carrière (12), Martin (13), Perrone (14), Palmieri (15), Rosset (16), Gasparri (17), De Becker (18), Heis (19), Haringer (20), Rive (21), Schneemann (22), de Breda (23), Kutschker (24), Schulte (25), Knopp (26), Weber (27), Bangen (28), Giovine (29), Feije (30), Mansella (31), Zittelli (32), Roskovany (33); tandem *de sacramentalibus* Arendt (34).

Theologia pastoralis,

Theologiam *pastoralem* præ cæteris excoluerunt Amberger (35), Benger (36), Gassner (37), Schuch (38), Schneider (39), Zenner (40), Ricker (41), Berardi (42), Frassinetti (43), Formisano (44),

1. *De sacramento pœnitentiæ.*
2. *Das heilige Busssacrament.* — 3. *Anleitung zur Verwaltung des hl. Busssacraments.* — 4. *Traité des indulgences et du jubilé.*
5. *Traité canonique et pratique du jubilé*
6. *Tractatus de Jubilæo anni sancti.* — 7. *The Holy Jear of Jubilee.*
8. Breviores commentarios multi ediderunt ; ampliores vero R. P. Piat, *Comm. in const. Apost. Sedis;* Avanzini-Pennachi, *Comm. in const. Apostolicæ Sedis.* — 9. *De sacra ordinatione.* — 10. *Subdiakonat.*
11. *De effectibus sacramenti Extremæ Unctionis.*
12. *Præl. theol. de matrimonio.* — 13. *De matrimonio.*
14. *De matrimonio christiano.* — 15. *De sacramento matrimonii.*
16. *De sacramento matrimonii,* 6 vol.
17. *De matrimonio,* 2 vol. — 18. *De sponsalibus et matrimonio.*
19. *De matrimonio tractatus quinque usui venerabilis cleri Americani accommodati.* — 20. *Das heilige Sacrament der Ehe.*
21. *Die Ehe in dogmatischer, moralischer und socialer Beziehung.*
22. *Die Irrthümer über die Ehe.* — 23. *Considérations sur le mariage au point de vue des lois.* — 24. *Das Eherecht der Katholische Kirche.* — 25. *Handbuch des Katholischen Eherechtes.* — 26. *Vollstandiges Katholisches Eherecht.*
27. *Die canonischen Ehehindernisse.* — 28. *De sponsalibus et de matrimonio.*
29. *De dispensationibus matrimonialibus consultationes canonicæ.*
30. *De impedimentis et dispensationibus matrimonii.*
31. *De impedimentis matrimonium dirimentibus.*
32. *De dispensationibus matrimonialibus.* — 33. *De matrimoniis mixtis.* — *Matrimonium in Ecclesia catholica.* Amplissimam totius materiæ litteraturam exhibet eruditissimus auctor. — 34. *De sacramentalibus.*
35. *Pastoraltheologie.* — 36. *Pastoralth.* — 37. *Handbuch der Pastoral.*
38. *Handbuch der Pastoralth.* — 39. *Instructio practica confessarii.*
40. *Instructio practica confessarii.* — 41. *Leitfaden der Pastoraltheol.*
42. *De recidivis et consuetudinariis.* — *Praxis confessariorum seu universæ theol. moralis et pastoralis tractatus theoreticus practicus.*
43. *Manuale del Parroco novello.* — *Compendio della Theol. mor. di S. Alphonso.* — 44. *Theol. mor.*

Aertnys [1]. — Collectiones autem casuum conscientiæ ediderunt Gury [2], Eula [3], Gallo [4], Thaddæi [5], Ricci [6], alii [7].

Tandem multas quæstiones morales feliciter attigerunt qui nostro tempore forma didactica aut litteraria vel etiam oratoria Religionis apologiam fecerunt; inter hos eminent apud Hispanos Balmes [8]; apud Italos Gatti [9]; apud Gallos Felix [10], Monsabré [11], d'Hulst [12]; apud Germanos Vosen [13], Hettinger [14], Stökl [15], Weiss qui rem moralem ex professo tractat [16]. *apologetica.*

194. *Scientiæ affines: jus naturale,*

Jus naturale, politicum et gentium feliciter ad Scholasticorum principia revocatum est. Eorum qui in hac parte bene meruerunt dux et princeps est Taparelli d'Azeglio [17]; secuti sunt in Italia Audisio [18], Bensa [19], di Giorgio [20], Sanseverino [21], Tolomei [22], Prisco [23], Augias [24], Signoriello [25], Ferretti [26], G. De Luise [27]; — in Belgio Rutten [28],

1. *Fasciculus theol. mor.* (De occasionariis et ricidivis, — de usu matrimonii.) — 2. *Casus conscientiæ.* Aliam editionem curavit R. P. Dumas.

3. *Collectio casuum de re dogm., mor. et liturgica.* — 4. *Suppetiæ Evangelii præconibus* (præsertim Indiarum.) — 5. *Specimen explanationis casuum conscientiæ in Archidiœcesi Ferrariensi.* — 6. *Casus theol. mor. universæ.*

7. V. g. Auctor (P. V.) trium vol.: *Casus conscientiæ his præsertim temporibus accommodati* (de liberalismo.)

8. *Le protestantisme comparé au catholicisme.*

9. *Institutiones Apologetico-polemicæ,* 3 vol.

10. *Le Progrès* (Conf. de N.-D.) — *Le socialisme devant la société* (Conf. de Grenoble.) — *Christianisme et socialisme* (Conf. du Mans.)

11. *Conf. de N.-D.* — 12. *Conférences de Notre-Dame,* 1891-1896.

13. *Der Katholicismus.* — 14. *Apologie des Christenthums.*

15. *Das Christenthum und die grossen Fragen der Gegenwart.*

16. *Apologie des Christenthums vom Standpunkte der Sittenlehre.*

17. *Saggio teoretico di dritto naturale, (Essai théorique de droit naturel)* ; — *Esame dei governi representativi.*

18. *Juris naturæ et gentium privati et publici fundamenta.*

19. *Jur. nat. univ. summa.* — 20. *Saggio sui principi fundamentali del diritto filosofico e in particolari sulla teoria del diritto penale.*

21. *La dottrina di S. Thommaso sull origine del potere et sul preteso diritto di resistenza.* — 22. *Corso elementare di diritto naturale razionale.*

23. *Principii di Filosofia del diritto sulle basi dell' Etica.*

24. *Del potere civile e dei suoi limiti.* — 25. *Philosophia moralis.*

26. *Philosophia moralis.*

27. *Filosofia critica dei diritto universale.* Ubi sermo est de Italis prætermitti nequit Rosmini, qui de philosophia juridica, sociali, politica plura edidit volumina ; doctrinam ejus recenter gallice proposuit Ill. Hugonin, in op. *Philosophie du droit social.* De causa Rosminiana documenta habes apud *Anal. juris Pontificii* XV, 696, 766, 893.

28. *Ethicæ seu philosophiæ moralis elementa.*

Onclair [1]; — in Gallia M... B...-(de Lehen) [2], A. de Margerie [3], Tanc. Rothe [4]; — in Germania Walter [5], Moy de Sons [6], Schrader [7], de Brandis [8], Renninger [9], Costa Rosetti [10], Th. Meyer [11] : quibus accedunt auctores *Ethicæ* in generali cursu philosophiæ: Dmowski, Tongiorgi, Liberatore, Zigliara, Vallet, Gonzalez, Tarino, Stöckl.

sociale, Ad jus naturale pertinent vel cum eo connexæ sunt quæstiones œconomicæ et sociales, quas sub variis formis et ad varium scopum explicarunt Le Play [12], Ducpétiaux [13], Ill. Malou [14], Périn [15], Brants [16], Ribot [17], Lescœur [18], Winterer [19], Héfélé [20], Eberl [21], Ketteler [22], Theod. Meyer [23], Weiss [24], Hitze [25], P. Hergenröther [26]. Utilia etiam sunt quæ de historia rei œconomico-religiosæ scripserunt Gaume [27], de Champagny [28], Martin-Doisy [29], de Ribbe [30], Albertus [31], Ratzinger [32], Tollemer [33], De Gryse [34].

politico-ecclesiasticum, Ecclesiæ et Status relationes simulque catholicorum erga

1. *De la révolution et de la restauration des vrais principes sociaux* (opus ex Ephemeridibus *Civilta cattolica* depromptum.)
2. *Instituts de droit naturel.* — 3. *De la famille, leçons de philosophie morale.*
4. *Traité de droit naturel théorique et appliqué.* — 5. *Naturrecht.*
6. *Grundlinien der Philos. des Rechts aus Kathol. Standpunkte.*
7. *De hominum societate.* — 8. *Der Staat auf christlicher Grundlage.*
9. *Die Grundlage christlicher Politik.* — 10. *Institutiones Ethicæ et juris naturæ.* — 11. *Institutiones juris naturalis,* 2 vol.
12. *La réforme sociale.* — *L'organisation de la famille.* — *L'organisation du travail,* etc. — 13. *La question de la charité et des associations religieuses en Belgique.* — 14. *De la liberté de la charité en Belgique.*
15. *De la richesse dans les sociétés chrétiennes; — Des doctrines économiques depuis un siècle; — Le socialisme catholique; — L'usure; — Le Patron.*
16. *Les grandes lignes de l'Economie politique.*
17. *Du rôle social des idées chrétiennes.*
18. *La foi catholique et la réforme sociale.*
19. *Le socialisme contemporain.*
20. *Das Christenthum und die Wohlthätigheit.* — 21. *Die Kirche und die Association der Arbeiter.* — 22. *Die Arbeiterfrage und das Christenthum; — Liberalismus, Socialismus und Christenthum.*
23. *Die arbeiterfrage und die christlicher Etischen social Geselschaft.*
24. *Kapital u. Arbeit.*
25. *Kapital und Arbeit und die Reorganisation der Geselschaft.*
26. *Die Sonntagsheiligung vom religiosen, socialen und hygienischen standpunkt.*
27. *Histoire de la société domestique.*
28. *La charité chrétienne dans les premiers siècles de l'Eglise.*
29. *Histoire de la charité pendant les quatre premiers siècles de l'ère chrétienne.*
30. *Les familles et la société en France avant la révolution.*
31. *Die Social-Politik der Kirche.* — 32. *Geschichte der Kirchl. Armenpflege; — Volkswirtsschaft.* — 33. *Des origines de la charité catholique.*
34. *Notre droit national et la révolution.*

utramque auctoritatem officia expenderunt Parisis ([1]), Audisio ([2]), Solaro della Margherita ([3]), Tarquini ([4]), De Lecce ([5]), Liberatore ([6]), Labis ([7]), Périn ([8]), Moulart ([9]), Hammerstein ([10]), Gosselin ([11]), Hergenröther ([12]), Molitor ([13]), Roskovany ([14]), Sauvé, Vanden Berghe ([15]). Accedunt qui egerunt de concordatis ([16]), de placito regio ([17]), de potestate docendi et regimine scholarum ([18]), necnon illi qui *Syllabum* Pii IX vel commentati sunt vel defenderunt v. g. Ramière ([19]), At ([20]), Chesnel ([21]), Laforêt ([22]), Keller ([23]), Falconi ([24]), cæterisque longe eminentes fasciculorum *Lacensium* scriptores ([25]).

Quod pertinet ad scientiam canonum, ignoramus utrum vel unus prodierit commentarius in Decretalium libros ([26]). Quidam scripti sunt tractatus paulo ampliores, præsertim a Philips ([27]), et Bouix ([28]); innumera autem vulgata *manualia*, *compendia*, *institutiones*, quorum recensio hujus loci non est. — *canonicum,*

1. *Cas de conscience.* — 2. *Diritto publico della chiesa et delle genti christiane.* — *Idea storica e razionale della diplomazia ecclesiastica.*

3. *L'Uomo di Stato.*

4. *Juris ecclesiastici publici institutiones.*

5. *Saggio sulle relazioni tra la Chiesa e lo Stato.* — 6. *La Chiesa e lo Stato.* — *Diritto publico ecclesiastico.* — 7. *Le libéralisme, la Franc-maçonnerie et l'Eglise catholique.* — 8. *Les lois de la Société chrétienne.*

9. *L'Eglise et l'Etat.* — 10. *De Ecclesia et Statu juridice consideratis.*

11. *Pouvoir du Pape au moyen-âge.*

12. *Katholische Kirche und Christlicher Staat.*

13. *Die decretale* PER VENERABILEM *von Inn.* III.

14. In utroque opere: *Romanus Pontifex* et *Ecclesiæ independentia;* ubi amplissima litteratura exhibetur.

15. *L'Eglise et l'Etat. Principes qui régissent leurs rapports mutuels.*

16. De Bonald: *Deux questions sur le Concordat de 1801;* Em. Tarquini et Cl. De Angelis *Epistolæ:* Finck, *De concordatis,* (dissertatio inauguralis præstantissima.)

17. Müller, *De placito regio.* (diss. inaug.)

18. Inter innumeros Coppola, *Sul dritto della Chiesa in ordine ad publico insegnamento;* Jansen, *De facultate docendi seu de scholis institutiones juridicæ.*

19. *Les doctrines Romaines sur le libéralisme.* — 20. *Le vrai et le faux en matière d'autorité et de liberté.* — 21. *Les droits de Dieu et les idées modernes.*

22. *Le syllabus et les plaies de la société moderne.*

23. *L'encyclique et les principes de 1789.* — 24. *Le syllabus pontifical.*

25. *Die Encyclica Papst Pius IX vom 8 Dec. 1864.*

26. Ordinem decretalium secutus est de Angelis, item Granclaude: neutrius tamen opus commentarius dici potest.

27. *Kirchenrecht,* 7 vol.

28. *De principiis,* — *De Papa,* — *De curia Romana,* — *De capitulis,* — *De concilio provinciali,* — *De episcopo,* — *De parocho,* — *De judiciis ecclesiasticis,* — *De jure regularium,* — *De jure liturgico.*

Opera critica et historica ediderunt Pitra (1), Walter (2), Maassen (3), Schulte (4).

liturgicum. Liturgiam practicam explicarunt plures: Deherdt (5), Bourbon (6), Levavasseur (7), Falise (8), Martinucci (9), Adone (10), Thalhofer (11). — Liturgiæ leges supremas docuit Guéranger (12). — Opera liturgico-historica ediderunt Mone (13), Marchesi (14), Ranke (15), Schmid (16), Bickell (17), Kössing (18), Corblet (19).

195. *Historiæ theologiæ litteratura.* Documenta ad historiam scientiæ moralis, quoad ætatem Patrum superius indicata habentur (20); quoad ætatem vero theologorum, reperiuntur apud Possevinum (21), Bellarminum (22), Labbe (23), Ellies Du Pin (24), Michaelem a S. Joseph (25), Fabricium (26), Cave (27), Oudin (28), Hurter (29), Nat. Alexandrum (30), Graveson (31), Rivet ejusque Continuatores (32), Du Boulay (33), Nic. Antonium (34), Foppens (35), Tiraboschi (36), Ziegelbauer (37), Francois (38), De Visch (39),

1. *Jus ecclesiasticum Græcoruu.* — 2. *Fontes juris ecclesiastici.*
3. *Geschichte der Quellen und der Literatur des Kan. Rechts im Abendl. bis zum Ausgange des Mittelalters.*
4. *Die Geschichte der Quellen u. Literatur d. Canonischen Rechts.*
5. *Sacræ liturgiæ praxis ; — Praxis liturgica Ritualis Romani ; — Praxis Pontificalis seu Cæremonialis Episcoporum.*
6. *Introduction aux cérémonies romaines.* — 7. *Cérémonial — Pontifical.*
8. *Cérémonial Romain.* — 9. *Manuale sacrarum cæremoniarum.*
10. *Synopsis canonico-liturgica ex corpore Juris, conc. Trid., Rom. Pont. const. rationali methodo concinnata.* — 11. *Handbuch der Kathol. Liturgie.*
12. *Institutions liturgiques.* — 13. *Lateinische Hymnen des Mittelalters.*
14. *La liturgia Gallicana.* — 15. *Das Kirchliche Pericopensystem aus den Altesten Urkunden der Romeinischen Liturgie.*
16. *Die christliche Altar.*
17. *Messe und Pascha — Conspectus rei litterariæ Syrorum, etc.*
18. *Liturgische Erklärung der heiligen Messe.*
19. *Histoire du sacrement de Baptême.— Histoire du sacrement de l'Eucharistie.*
20. Cfr. n. 76. — 21. *Apparatus sacer.* — 22. *De scriptoribus ecclesiasticis.*
23. *De scriptoribus ecclesiasticis.* — 24. *Nouvelle Bibliothèque ecclésiastique.*
25. *Bibliotheca critica.* — 26. *Bibl. Greca.* — *Bibl. Latina.*
27. *Scriptorum Eccles. histor. litteraria.* — 28. *Comm. de scriptoribus ecclesiasticis.*
29. *Nomenclator litterarius recentioris theol. catholicæ.*
30. *Hist. Eccl.* — 31. *Hist. Eccl.* — 32. *Hist. litt. de la France.*
33. *Hist. universitatis Parisiensis.* — 34. *Bibl. Hispana vetus et nova.*
35. *Bibl. Belgica.* — 36. *Storia della litteratura Italiana.*
37. *Hist. rei litterariæ Ord. S. Benedicti.* — 38. *Bibl. génér. des écrivains de l'Ordre de St-Benoît.*
39. *Bibl. script. Ord. Cist.*

Bostium [1], Le Paige [2], De Villiers [3], Quétif et Echard [4], Waddingum [5], Ossinger [6], De Backer [7]. — Ipsa theologiæ speculativæ historia descripta est a Gener [8], Wiest [9], Knoll [10], Scheeben [11], Kuhn [12], Standenmaier [13], Perrone [14], Stöckl [15], Hauréau [16] et fusius a Werner [17]. Moralis vero ac practicæ theologiæ historia exposita est a Zaccaria [18], Standlin [19], Fuchs [20], Martin [21], Müller [22], Pruner [23].

1. *Bibl. Carthusiana.* — 2. *Bibl. Præm. Ord.* — 3. *Bibl. Carmelitana.*
4. *Scriptores O. P.*
5. *Scriptores O. M.:* supplementum *addidit Sbaralea.*
6. *Bibl. Augustiniana.* — 7. *Bibl. Scriptorum, S. J.* — 8. *Theol. prodr.*
9. *Int. in hist. litt. theol. revelatæ.* — 10. *Theol. intr.* c. 5.
11. *Dogm.* I, § 56-60. — 12. *Dogm. Einl.* § 20-23. — 13. Tom. I, § 15, p. 201-336. — 14. *Hist. theol. cum philosophia comparatæ,* prælectionum compendio præmissa. — 15. *Geschichte der Philosophie des Mittelalters.* — 16. *Histoire de la Scholastique.*
17. *Gesch. der Apologetik.* — *Thomas von Aquino.* — *Die Schol. des späteren Mittelalters.* — *Die nachscotistische Scholastik.* — *Der Augustinismus des späteren Mittelalters.* — *Franz Suarez.*
18. Diss. sæpius cit.
19. Vir e Protestantium secta cum sufficienti æquitate scripsit germanice historiam moralis christianæ, I a Christo ad sæc. XIII, 2 inde a sæculo XIV.
20. *Inst. theol. christ.* I, p. 189-268; et *Dict. encyclop. de théol. cath.,* (Wetzeret elte), v. *Morale chrétienne.*
21. *Moralth.* Einl. — 22. *Theol. mor.* Intr.
23. *Theol. mor.* Intr.

THEOLOGIA MORALIS FUNDAMENTALIS.

Proœmium.

1. *Theologiæ fundamentalis materia,*

THEOLOGIÆ fundamentalis *materia* non sunt scientiæ *supposita* et *præambula,* sed sunt ipsa scientiæ generalia *principia.*

non sunt scientiæ supposita et præambula,

Scientiæ *supposita* vocamus ea dogmata a quibus ipsa pendet: hujusmodi sunt Dei personalis existentia (1), creatio (2), naturæ humanæ constitutio ex anima et corpore, animæ immortalitas, actuum libertas, hominis elevatio, lapsus et redemptio. *Præambula* autem ad scientiam dicimus eas notiones psychologicas, quæ intelligentiæ rerum moralium inserviunt, cujusmodi sunt conceptus actionis, potentiæ et facultatis (3). Jam vero tam *præambula* quam *supposita* theologia moralis ab aliis disciplinis accipit, proindeque ea nec demonstrat nec explicat, sed ad summum, occasione data, ad peculiarem scopum, in memoriam ea revocat et inculcat.

sed ejus principia generalia.

Propria scientiæ *principia* vocamus generales eas veritates morales quæ solutioni quæstionum particularium necessariæ sunt, totamque materiam morum ita dominantur ut, iis non cognitis, in rerum explicatione tuto procedi non possit: tales sunt ideæ moralitatis, vitii et virtutis, peccati, obligationis, dispensationis, conscientiæ, etc.; theologiæ fundamentalis est ista principia exponere ac probare.

2. *Comprehendit tractatus*

Quis autem sit theologiæ fundamentalis ambitus, facile deducitur ex ipsa moralis theologiæ definitione: cum enim theologia moralis sit scientia mediorum et legum, quibus homo adjuvatur ac regitur ut ad suum finem supernaturalem perveniat, theologiæ fundamentalis erit generatim agere de

1. Cfr. Pasty, *L'idée de Dieu, son origine et son rôle dans la morale.*
2. Cfr. Schrader, *De Deo creante,* n. 219.
3. Cfr. cl. Theod. Meyer, *Institutiones juris naturalis,* sect. I., lib. I., c. I.

fine ipso, de mediis, de regulis, de actibus, de finis assecutione.

de fine assequendo, Igitur ante omnia tractandum est de *fine* ultimo, ad quem homo a Deo creatore et reparatore præordinatus est, quemque suis operationibus assequi tenetur: sane destinatio ad finem dici potest hominis *essentia moralis,* cum ab ea pendeant omnes relationes morales, sicut ab essentia metaphysica pendent omnes proprietates entis (1).

de mediis, Deinde tractandum est de *mediis ad finem:* Deus enim finem homini præscribendo, aptitudinem, facultates, media ad eum assequendum proportionata largitus est.

regulis, Mox tractandum est de *regulis ad finem;* nam destinatio ad finem importat ex parte Dei impulsum moralem et directionem efficacem.

actibus, Postea tractandum de *actibus in finem,* scilicet expendendæ veniunt humanæ operationes, quatenus fini consequendo juvant vel eidem obstant.

de finis assecutione. Tandem tractandum de finis *consecutione,* in qua est vitæ et activitatis humanæ consummatio et sanctio: sicut enim in possessione facultatum reponitur perfectio naturæ, et in tendentia ad finem perfectio operationum, ita in adeptione finis est agentis absoluta perfectio: e contra in defectu facultatum, in recessu a fine, in finis amissione, habetur naturæ, operationum, entis depravatio.

Schema S. Thomæ. Schema propositum aliqualiter differt a schemate S. Thomæ. Juxta Angelici schema primo loco agitur de fine hominis ultimo tum in communi tum in particulari (1-2, q. 1-5). — Deinde tractatur de actibus humanis, qui scilicet proprii sunt hominum (1-2, q. 6-21) et de iis qui communes sunt hominum et animalium, seu de passionibus (1-2, q. 22-48). — Postea quæritur de principiis intrinsecis actuum humanorum, sc. de potentiis, et de habitibus, in genere et in specie, bonis vel malis (1-2, q. 49-89). — Tandem agitur de principiis extrinsecis actuum humanorum, quæ sunt diabolus, et Deus, qui instruit per legem et juvat per gratiam (1-2, q. 90-114).

3. *Ordinis moralis idea.* Hæc sunt præcipua elementa ordinis moralis supernaturalis:

1. Cfr. Franzelin, *De Deo,* th. XXIX.

ordo enim, cum sit apta entium ad finem dispositio secundum eorum relationes, necessario comprehendit: entia quæ disponuntur, finem ad quem disponuntur, media per quæ disponuntur, relationes secundum quas disponuntur. Et quidem mirificus ille concentus, quo singulæ res creatæ ad ideam creationis complendam concurrunt, constituit ordinem *universum*, cujus duo sunt membra, ordo physicus et ordo moralis; ordinem *physicum* constituunt motus entium irrationalium; ordinem *moralem* motus entium rationalium et liberorum. Iste autem ordo moralis in præsenti divinæ providentiæ œconomia, non mere naturalis est sed supernaturalis, et definiri potest: hominis ad divinam filiationem elevati ad Deum patrem dispositio et reductio per media supernaturalia et secundum supernaturales relationes.

TRACTATUS PRIMUS.

DE ULTIMO HOMINIS FINE.

4. *Duplex problema originis et finis.*

DUPLEX est problema quod genus humanum, suis viribus relictum, torquere deberet, et constanter torsit: problema originum et problema finium. *Unde venit homo? Quo homo tendit?* Utrumque problema multi hodie vel, nomine scientiæ, profitentur se non posse solvere, vel solvunt ex falsis principiis. Veritas autem catholica primum problema solvit dogmate de processu hominis a Deo, primo principio; alterum eadem veritas solvit dogmate de reditu hominis ad Deum finem ultimum. Hinc postquam in prima parte Summæ S. Thomas egit de creaturarum productione, distinctione, conservatione et providentia, secundam partem aggreditur agendo de ultimo fine et de via ad eum perveniendi.

Finis: Finis est id ad quod (destinatio) vel propter quod (motivum) aliquid fit: ita vocatur quia tendentiam et actionem *finit* seu terminat; distinguitur in finem *operis* et finem *operantis*.

finis operis. Finis *operis* est id ad quod ipsum opus destinatur: *proximus* seu intermedius est id ad quod opus ita refertur ut illud ipsum alteri inserviat; *ultimus* est id ad quod opus ita refertur ut ad aliud non ordinetur, sive absolute sive saltem in aliqua serie rerum: in assecutione finis ultimi operis habetur *ordo*.

ordo;

finis operantis. Finis *operantis* est id quo agens movetur ad operandum: *proximus* seu intermedius est id quod ita intenditur ut per ipsum aliud quæratur; *ultimus* est id quod ita intenditur ut in ipso sistatur, sive absolute sive saltem in aliqua serie operationum. Atqui nihil ad operandum movere potest nisi quod apprehenditur ut aptum naturæ vel facultati perficiendæ; quod autem aptum est naturæ vel facultati perficiendæ vocatur ejus *bonum;* ergo finis et bonum, quamvis e suo conceptu formaliter distincta, materialiter tamen convertuntur.

bonum, Jam vero *bonum* illud vocatur *conveniens,* quatenus spectatur ut per se perficiens; *utile,* quatenus spectatur ut perficiens non per se sed ratione alterius; *delectabile,* quatenus spectatur ut sensum satisfactionis afferens per sui assecutionem. Præterea bonum dicitur *verum*, quatenus naturam ipsam ordinate

perficit ; *falsum* autem et *apparens,* quatenus perficit unam vel plures facultates singillatim et per se spectatas, non autem ut naturæ subordinatas. Tandem bonum *supremum* est illud quod naturam plene perficit : tale bonum necessario est operantis finis absolute ultimus, et in ejus assecutione reperitur entis *beatitudo:* beatitudo enim est status boni plenitudine perfectus; vel, ut loquitur S. Thomas, ultima perfectio rationalis seu intellectualis naturæ (1). *beatitudo.*

Finis ultimus operis dicitur etiam *externus,* finis ultimus operantis, *internus:* in præsenti agimus de utroque fine ultimo hominis, tum de eo ad quem Deus hominem destinavit, seu de humanæ vitæ debita ordinatione, tum de eo cujus assecutione homo plene perficiatur et compleatur, seu de hominis beatitudine.

Caput I.

De ultimo hominis fine externo. (2)

5. *Homo factus est ad Deum*

Doctrina *catholica est, omnia entia, adeoque et ipsum hominem, ad Deum creata esse.* Id diserte exprimunt sacræ litteræ, dum affirmant, Dominum universa propter semetipsum operatum

1. 1 p., q. 62, a. 1 ; cfr. Boetius, *De cons.* III, 2.

2. De ultimo fine externo seu de hominis destinatione consulendi sunt Scholastici, imprimis Lombardus *Sent.* lib. II, dist. 1 ; Al. Alensis, *Summa,* p. II, q. 4, m. 1, 2, 3 ; S. Bonaventura, *Sent.* lib. II, dist. 1, p. 2, a. 2 ; S. Thomas, *Cont. gentes,* III, 17 ; *Summa,* p. 1, q. 44, a. 4 ; q. 103, a. 2. Inter recentiores theologos, cfr. Kleutgen, *Die Theologie der Vorzeit,* vol. I ; Franzelin. *De Deo uno,* th. XXIX ; Palmieri, *De Deo creante,* th. X et XII ; Scheeben, *Dogm.* III, § 132 ; Stentrup, *De Deo uno,* th. XLII-XLVI ; Jungmann, *De Deo creatore,* n. 54 ; Christ. Pesch, *Præl. dogm., De Deo creante,* sect. I. Inter moralistas sive Philosophos sive Theologos, cfr. Ferretti, *Philosophia mor.* Pars prior, c. I, art. 1 ; Plassman, *Die moral gemäss der schule des hl. Thomas ;* Kaufmann, *La finalité dans l'ordre moral, Etude sur la Téléologie dans l'Ethique et la Politique d'Aristote et de S. Thomas d'Aquin* (Rev. Neo-Scolastique, 1899) ; Ern. Müller, *Theol. mor.* lib. I, tr. I, § 13. Inter modernos scriptores seu publicistas cfr. præ cæteris, W. Fl. Mallock, in notissimo libro : *Is live worth living,* gallice translato *La vie vaut elle la peine de vivre;* D'Hulst, *Conférences de Notre Dame, an. 1891,* pars specialis *retraite,* sub titulo *la conception chrétienne de la destinée humaine ;* Ollé-Laprune, *Le prix de la vie ;* Piat, *La destinée de l'homme ;* Frémont, *Essai sur le problème de la destinée de l'homme ;* Weiss, *Apologie,* p. I, *L'homme complet,* vol. I, pag. 311. Notum est quam potenter et profunde doctrinam ad vitam christianam et religiosam applicaverit S. Ignatius, *Exerc. spir.* 1.

esse ([1]); ex ipso et per ipsum et in ipso esse omnia ([2]); omnia propter ipsum et per ipsum ([3]); ipsum esse principium et finem ([4]). — Idem recta ratio facile evincit: divina enim excellentia dignissima est ad quam omnia bona participata referantur: ergo a Deo, qui nonnisi ordinatissime agere potest, ad eam necessario relata sunt.

glorificandum, *Ita autem entia ad Deum creata sunt ut eum suo modo glorificent, non ut ei beatitudinem afferant.* Et primum quidem, sc. omnia entia facta esse ad Deum suo modo glorificandum, inculcant Scripturæ non solum quoad rationalia sed etiam quoad irrationalia, agentes de creaturarum origine, de gubernatione, de sanctificatione, de consummatione: Cœli enarrant gloriam Dei ([5]), et stellæ lucent ei cum jucunditate ([6]); populi extolluntur in laudem, et nomen, et gloriam suam ([7]); in eamdem laudem salvatur Israel et perit Egyptus ([8]); prænuntiatur Dei nomen magnum fore in gentibus, ab ortu solis usque ad occasum ([9]); Christo nascente, canitur gloria in altissimis Deo ([10]); ipse autem Christus, appropinquante fine vitæ suæ mortalis, protestatur se clarificasse nomen Patris super terram ([11]); homines in terra replentur fructu justitiæ per Jesum Christum in gloriam et laudem Dei ([12]); jubentur omnia facere in gloriam Dei ([13]); in cœlo Dominus a Beatis accipit gloriam et honorem et virtutem ([14]), et ibi tandem erit omnia in omnibus ([15]). Non minus luculenter alterum inculcant, nempe entia creata non esse ad beatitudinem Deo afferendam: Deus enim bonorum nostrorum non eget ([16]): nihil ei prodest, si justi fuerimus, nec aliquid ei confertur si immaculata fuerit via nostra ([17]). — Utrumque SS. Patres asserunt et explicant unanimes; scribunt enim, Deum mundum condidisse in nul-

1. Prov. xvi, 4: quod autem in recepto textu hebraico legitur *in finem suum,* vel *ad testandum sibi,* eumdem sensum habet: cfr. Stentrup, *op. cit.,* th. 43. — 2. Rom. xi, 36. — 3. Heb. ii, 10.
4. Apoc. xxi, 6; xxii, 13.
5. Psalm xviii; cfr Psalm. cxlviii; Is. vi, 3; Dan. iii, 57, etc.
6. Bar. iii, 34, 35. — 7. Deut. xxvi, 18, 19; Eccli. xvii, 6; Is. xliii, 7, etc. — 8. Ps. cv, 8; Ex. xiv, 17, 18; Ez. xxviii, 22.
9. Mal. i, 11. — 10. Luc. ii, 14. — 11. Joan. xvii, 4.
12. Eph. i, 5, 6, 12; Philip. i, 11. — 13. I Cor. x, 31; I Petr. iv, 11.
14. Apoc. iv, 11; xix, 6.
15. I Cor. xv, 28.
16. Ps. xv, 2. — 17. Job xxii, 3.

lam sui utilitatem, sed in ornamentum majestatis suæ, ut per opera cognosceretur, et innotesceret magnitudo ejus; ut innocentiæ, et religionis, et fidei obsequium haberet; etc. (1). In liturgia autem oramus ut Deus det nobis « quietam et tranquillam vitam degentibus, glorificare Deum Patrem omnipotentem (2) ». Merito itaque concilium Vaticanum docet, « Deum bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona quæ creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam »; anathema autem dicit ei, « qui mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit (3). »

6. Hæc autem Dei glorificatio duplex distinguitur: altera *objectiva,* altera *formalis*. Glorificatio objectiva consistit in creaturarum *perfectione,* quibus est vestigium vel etiam imago divinæ pulchritudinis, in creaturarum *subordinatione* sub Deo supremo earum Domino, in creaturarum *aspiratione* ad Deum omnis bonitatis fontem et centrum. Glorificatio autem formalis consistit in Dei *agnitione, amore, laude, cultu.*

objective, *Jam vero destinatio ad glorificationem Dei objectivam homini communis est cum entibus irrationalibus.* Ad hoc scilicet factus est homo ut in suo esse, sua natura, suis potentiis et facultatibus, suis operationibus divinas perfectiones manifestet. Iste autem finis infallibiliter obtinetur: ubi enim divinarum perfectionum manifestatio sufficienter expressa non fuerit *ab homine,* locum habebit in *ipso homine;* si præstita non fuerit voluntaria obedientia, subsequetur necessaria subjectio; et qui in donis misericordiam Dei contempserunt, in suppliciis potestatem experientur (4).

et formaliter; *At propria est homini, seu creaturæ rationali, destinatio ad glorificationem formalem, quæ glorificationis objectivæ complementum est.*

1. Cfr. Athenagoras, *De resur. mort.* n. 12; Theophilus Ant. *Ad Antol.* I, 6; Athanasius, *Or. 2 cont. Arianos,* n. 20; Gregorius Nyss. *Or. 2* in verba: *Faciamus hominem* (Migne XLIV, 282); Chrysostomus, *Ad pop. Ant.* XI, 2; Lactantius *Inst.* VII, 6; Hilarius, *In Psalm.* II, n. 15; Hieronymus, *In epist. ad Eph.* I, 14; Augustinus, *De doct. christ.* lib. I, c. 31, 32.

2. In die Parasc.

3. Const. *Dei Filius,* cap. I, can. 5; cfr. Trid. Sess. VI, c. 7.

4. S. Augustinus, *De spiritu et littera,* XXXIII, 58.

Sane perfectionum suarum agnitionem, majestatis cultum, bonitatis amorem, revera Deum intendisse, facile intelligimus, « sive spectemus res effectas, quæ natura sua Dei perfectionem manifestant; sive hominem, qui ratione præditus est, ut Deum ex operibus agnoscat et amet; sive Deum ipsum qui, ut ex opere ipso agnosceretur, utpote sanctus, non velle non poterat (1). » Hinc in sacris litteris significatur, mundum esse beneficiorum Dei cumulum, quo homines excitentur ad amorem, laudem et cultum Deo tribuendum (2); significatur etiam, Deum velle agnosci, coli, laudari a creaturis rationalibus (3). Patres autem scribunt, Deum omnia fecisse ut ex operibus magnitudo ejus cognosceretur, ut homines adducerentur in Conditoris admirationem, etc. (4).

7. *minime autem ad inserviendum aliis.*

Est autem homo exclusive destinatus ad Deum objective et formaliter glorificandum, ita scilicet ut Deo serviens nulli enti creato servire jubeatur. Hoc jam pulchre expressit Athenagoras: « Deus nec frustra hominem fecit: est enim sapiens; nullum autem sapientiæ opus inutile; nec ad proprium suum usum; nulla enim re indiget; qui autem nulla omnino re indiget, sua ei opera nihil ad proprium usum attulerint. Sed nec ob aliquam rerum a se creatarum hominem condidit; nihil enim ex eis quæ ratione et judicio utuntur, ad alterius sive superioris sive inferioris usum creatum est aut creatur, sed ad propriam eorum, qui creantur, vitam et perpetuitatem (5). »

Ergo persona humana non est destinata ad servitium entium superiorum, v. g. angelorum; a fortiori destinata non est ad utilitatem et bonum hominum excellentioris ingenii vel melioris conditionis. Ad Deum, eumque solum, destinantur omnes et singuli homines, non autem tantum humanum genus collective sumptum; adeoque reponi nequit finis individuorum hominum in utilitate præsenti vel futura communitatis, in progressu materiali vel morali humanitatis, ut hodie pronuntiant

1. Conc. Coloniense anni 1860, p. 1, tit. 3, c. 13.
2. Psalm. CXXXV; Is. XLII, 5, 10, etc.
3. Deut. X, 12; Rom. I, 21, 24; Act. XIV, 14-16, etc.
4. Cfr. Theophilus Ant., Chrysostomus, aliique modo citati, et præter eos S. Aug. *In psalm.* 148, n. 15; S. Prosper, *De voc. gent.* II, 4.
5. *De resur. mort.* 12.

sectatores *scientiæ socialis positivæ* (1). Quæ autem isti ad placita sua confirmanda afferunt, v. g. proximorum amor, gaudium ex benefactis perceptum, parentum in posteros devotio: ea vel multum ab ipsis exaggerantur, vel male explicantur, vel non debentur soli principio naturali, vel ad summum probant hominem esse natura sua *socialem* (2). Nec destinantur homines individui ad bonum status, prout contendunt illi qui moderno liberalismo addicti, hominem ad hoc solum existere supponunt, ut legibus civilibus sine exceptione obsequendo, reipublicæ commodum promovere studeat.

Aliter igitur creaturæ irrationales, aliter homo ad Deum destinantur; creaturæ enim irrationales hominem juvant ad Deum formaliter glorificandum, eoque interprete indigent quo glorificatio completa evadat; ut enim loquitur S. Augustinus, voce hominis ad Deum clamant (3): homo autem immediate per seipsum Deum glorificat. — Præterea creaturæ irrationales ita sunt ad Deum ut simul aliæ aliis, omnes autem homini inserviant; at homo, licet proximi sui et communitatis bono cooperari debeat (4), soli tamen Deo est et sibi.

8. *Hinc hominis dignitas et jura,*

In hac autem immediata et exclusiva destinatione hominis ad Deum glorificandum habetur non solum ratio obligationum, sed etiam firmissimum fundamentum dignitatis, independentiæ, veræ libertatis et jurium ad vitam et bona ei necessaria (5). E contra ex theoriis, quæ dogmati catholico de fine hominis opponuntur, sequitur destructio personalitatis individualis,

1. Ita in Aglia Huxley, Clifford, Stuart-Mill; in Germania Hartmann, etc. Eorum sententiam brevi compendio exhibet James Forbes: Intr. ad versionem gallicam operis Anglici *Is life worth living*, pag. 7 : « L'homme est entraîné par deux instincts : l'instinct égoïste et l'instinct altruiste. La perfection de l'humanité amenée par l'évolution, sera la domination des instincts altruistes sur les instincts égoïstes : travailler au bonheur général de l'humanité, voilà la règle de la morale. La société, dit le Prof. Clifford, *est un vaste organisme, et de même que le bien de tout l'organisme est la raison de tous les mouvements qui s'y produisent, de même, la raison de toutes les actions des individus est le bien de la société.* »

2. Cfr. Theod. Meyer. *Inst. jur. nat.* sect. I, lib. I, c. 2, a. 2, n. 57 ; *Der Katholik*, 1881, II, p. 113 ; Forbes, *op. cit.*, etc.

3. In Ps. CXLVIII, n. 15.

4. Cfr. S. Thomas, I, q. 60, a. 5 ; 1-2, q. 90, a. 2.

5. Cfr. *De jure et justitia* ubi de juris fundamento, de rerum proprietate, de bono vitæ et membrorum, etc. ; item tr. *de Religione* I, n. 180.

illaque status seu communitatis omnipotentia, quam moderni pseudo-politici practice adstruere conantur (1).

et monasticæ vocationis sublimitas.

Inde etiam apparet sublimitas vocationis eorum, qui, omnibus impedimentis triplici voto remotis, primæ Veritatis cognitioni et summi Boni amori intenti, quotidiano virtutum exercitio divinum exemplar in se referre satagentes, Deum spiritu et *voce*, privatim et *publice*, singulatim et *collective* glorificant: vere eorum chori choris Angelorum respondent, et sicut homo est communis interpres creationis, ita populi christiani interpretes ii sunt ad Deum digne glorificandum (2).

Caput II.

De ultimo hominis fine interno. (3)

9. *Bonum supremum ex tendentiis ordinatis dignoscitur:*

Uniuscujusque *entis bonum supremum cognoscitur ex ejusdem natura, facultatibus, apprehensionibus, tendentiis ordinatis:* his enim Creator sapientissimus objectum proportionatum non potuit non attribuere; secus in ipsis rebus falsitatem posuisset, et agentibus inanes motus impressisset.

est solus Deus,

Jam vero homo ita factus est, ut, experientia teste, nec natura et facultates ejus compleri, nec appetitus satiari, nec tendentiæ quietari valeant bonis finitis, sive seorsim sive etiam collective sumptis: hinc in solo Deo suum habet supremum bonum; — quam veritatem expressit S. Augustinus notissimis verbis: « Fecisti nos ad te, Domine, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te (4). » Ac rursus: « Satis ostendis quam magnam creaturam

1. « Si l'utilité présente ou future de l'humanité est la mesure du bien et du devoir, elle est aussi la mesure du droit, et alors quelle garantie les droits de l'individu trouvent-ils contre l'Etat, contre la société?...

Très logiquement Stuart Mill définit le droit: *un pouvoir que la société est intéressée à accorder à l'individu.* C'est en deux mots le communisme le plus absolu. Tout est à la merci de l'Etat, et l'Etat qui a tout donné, peut également tout ôter. » Forbes, *op. cit.*, p. xi; cfr. Meyer, *op. cit.*, n. 57, 58.

2. Cfr. M. Wolter, *Præcipua ordinis monastici elementa*, ii, Opus Dei.

3. De ultimo fine interno seu de beatitudine, considerari debent Lombardus *Sent.* lib. i, dist.; lib. iv, dist. 49; S. Thomas, 1-2, q. 1-5; Suarez, in 1-2, de ultimo fine; Greg. de Valentia, in-1-2, disp. 1; Sylvius, in 1-2; Dionysius Carth. *Summa fidei orthodoxæ*, lib. i, c. 32; Lessius, *De summo bono; De perf. div.* lib. xiv; S. Franciscus Sal. *Traité de l'amour de Dieu*, lib. i, c. 15 et seqq.; Christ. Pesch, *op. cit.*, tr. *de fine ultimo et de actibus humanis;* inter moralistas sive philosophos, sive theologos, cfr. Plassman, *op. cit.*; Ferretti, *op. cit.*, c. i, a. 2; Müller, *op. cit.* — 4. *Confess.*, lib. i, c. i, n. 1.

rationalem feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem, quidquid te minus est (1). »

cognitione et amore possidendus.

At Deus, supremum bonum, attingi potest solis actibus intellectus et voluntatis; ultima ergo hominis perfectio et beatitudo formalis habetur vitali seu spirituali Dei possessione per cognitionem, contemplationem, amorem; nempe sita est beatitudo in activitate aliqua, non in qualitate aut mera potentia et habitudine, et quidem in activitate superiorum facultatum, quæ propriam humanæ naturæ apprehensionem et expansionem exhibent (2).

Hæc autem beatitudo a Deo intenta est, et homini assignata; in sacris enim litteris declaratur, Deum esse objectum cujus participatione, communicatione et fruitione omnes beati vivere debent et regnare et gaudere gaudio Domini; declaratur etiam, modum quo Deus objectum felicitatis attingitur ac possidetur, esse cognitionem, amorem; tandem dicitur, Deum omnia disposuisse, imo Filium suum unigenitum dedisse ut homines hanc felicitatem obtinere possint: « Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam (3); » docet autem concilium Tridentinum, justificationis causam finalem esse gloriam Dei et Christi ac vitam æternam (4).

His rursus apparet aliter ad Deum esse creaturas irrationales, aliter rationales et intellectuales: hæ enim, non illæ, ita ad Deum sunt ut Deus sit ipsarum perfectio et bonum summum (5).

Caput III.

De conjunctione finis ultimi externi et interni. (6)

10. *Gloria Dei et beatitudo hominis in una eademque re consistunt;*

Ex *dictis gloria Dei formalis et hominis beatitudo simul obtinentur:* homo enim Deum glorificando beatus est, et beatitudine sua Deum glorificat; iisdem actibus cognitionis et amoris

1. Ibid. lib. XIII, c. 8, n. 9. — 2. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 3.

3. Joan. III, 16; cfr. Franzelin, *De Deo uno,* th. XV, n. 1. — Ex SS. Patribus legi possunt, S. Irenæus, lib. IV, c. 14, n. 1; S. Hilarius, *In psalm.* II, n. 15; S. Gregorius Naz. *De laudibus S. Athanasii,* n. 1; S. Augustinus, *De moribus ecclesiæ,* III-VI; *Lib. 83 quæstionum,* q. 35, n. 2, etc.

4. Sess. VI, c. 7. — 5. Cfr. Franzelin, *De Deo uno,* th. XXIX.

6. Cfr. Lombardus, *Sent.* lib. II, dist. 1; Lessius, *De perf. divinis,* lib. XIV, Conc. Coloniense, tit. III et IV.

uterque finis ultimus (externus et internus) acquiritur, iisdem pariter completur uterque ordo (deontologicus et eudæmonologicus): in quo splendescit perfectissima divinarum dispositionum unitas et harmonia (1).

tamen gloria Dei est finis primarius, beatitudo finis secundarius;

Si unum finem cum altero comparemus, facile apparebit gloriam Dei esse finem ultimum primarium, hominis beatitudinem esse finem secundarium; ipsa enim hominis beatitudo ad Dei gloriam natura sua refertur (2). — Hæc autem primaria gloriæ intentio non impedit quin Deus hominem amet amore benevolentiæ; nam refert Deus hominem ad suam gloriam non ut bonum, quo eget, obtineat, sed ut bonum communicet (3). — Vicissim amor proprii boni, quo ad agendum impellimur, non impedit quin Dei gloriam primario quæramus: gloria enim Dei est bonum nostrum, seu bonum nobis est illudque supremum ita Deo adhærere; eadem fere ratione ac desiderium boni proprii non obstat quominus parentes usque ad mortem se devoveant pro filiis, siquidem illud præcise ipsis bonum est, sic se devovere. — Ex quibus ulterius etiam constat, intentionem gloriæ divinæ et beatitudinis intentionem, licet subordinatæ esse debeant, nunquam posse separari, adeoque in hac vita spem conjunctam semper remanere charitati etiam perfectissimæ.

II. *gloria Dei norma princeps operationum, beatitudo norma subordinata et principium impulsivum.*

Sicut gloria Dei est finis primarius hominis, ita etiam est norma princeps ejus operationum; beatitudo autem, utpote finis secundarius, non nisi est operationum norma subordinata et principium impulsivum. — Quum vero homo velit bonum suum, et quidem bonum suum plenum, adeoque suam perfectionem suamque beatitudinem, dici potest, eum in omnibus suis actibus aliquomodo agere propter finem ultimum, quatenus nempe quærit illud quod in fine tantum habetur (4); at non in omnibus agit prop-

1. Cfr. Lombardus, lib. II, *Dist.* I; Lessius, *De perf. div.*, lib. XIV, c. 3; Conc. Coloniense, l. c.

2. Cfr. Conc. Coloniense, l. c.

3. Ita SS. Thomas 2-2, q. CXXXII, a. 1, ad 1.: « Deus suam gloriam non quærit propter se, sed propter nos. »

4. Huc pertinent verba S. Augustini, *De Trin.*, XIII, c. 5, n. 8. « Verum est quod omnes homines esse beati velint, idque unum ardentissimo amore appetant, et propter hoc cætera quæcumque appetunt; » et prius c. 3, n. 6: « Si dixisset: omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid quod nullus in sua non cognesceret voluntate. Quidquid autem aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus et in omnibus homini-

ter ultimum finem particularem ex intentione particulari, ut patet ex fideli qui mortaliter vel etiam venialiter peccat: talis enim illud amplectitur quod novit fini consequendo obstare vel ab eo retardare. Distinguendum igitur inter intentionem boni in communi seu boni universalis, et intentionem boni supremi, quod est bonum aliquod particulare (1).

Caput IV.

De fine ultimo externo et interno in ordine ad finem præsentem et futurum.

12. *Perfecta Dei glorificatio et completa beatitudo non sunt hujus vitæ:*

Perfectam *finis externi adimpletionem et plenam finis interni assecutionem, non esse hujus vitæ,* patet tum *a priori*, ex consideratione naturæ humanæ, quæ cum anima immortali prædita sit, tamen nonnisi brevi vita corporali fruitur; — tum a *posteriori,* ex consideratione vitæ præsentis, in qua nec bona participata hominem satiare possunt, nec bonum imparticipatum ita attingi valet ut desideriis hominis satisfiat, nec Deus ita cognosci et amari ut digne glorificetur; — tum *ab auctoritate* scripturarum, in quibus vita æterna, beatitudo, bonorum plenitudo exhibentur tanquam hæreditas filiorum (2).

13. *in altera locum habebunt per modum præmii.*

Igitur status vitæ præsentis non est status perfectionis et beatitudinis, sed est status præparationis, viæ et tendentiæ ad perfectionem et beatitudinem. Et quidem est status tendentiæ liberæ ad terminum libere attingendum; nam in monumentis revelationis exhibetur ut tempus *luctæ, laboris* et *probationis,* dum terminus exhibetur ut *corona, merces* et *præmium* (3). Præclare Lactantius: « Idcirco mundus factus est ut nascamur; ideo nascimur ut agnoscamus factorem mundi ac nostri, Deum; ideo agno-

bus satis nota est, non recedit. » Et Boetius, *De consol.*, III. 2: « Omnis mortalium cura, quam multiplicium studiorum labor exercet diverso calle procedit, sed ad unum beatitudinis finem nititur pervenire. »

1. Cfr. S. Thomas, I-2, q. 1, a. 6, cujus tamen doctrina non eodem modo ab omnibus intelligitur, ut videre est apud Suarez, disp. III, s. 6, Gonet, disp. 1, a. 7, Salmanticenses, in 1-2. disp. 5, Billuart, disp. 1, a. 5, et alios.

2. Cfr. Franzelin, *De Deo uno,* cit. th. XV.

3. Matth. V. 12; XVI, 27; XIX, 17, 29; XXV, 9. 30, 46; I Cor. IX, 24; II Tim. IV, 8; Jac. I, 12; III, 4, etc. — S. Irenæus IV, 37, n. 7; S. Basilius, *De Spiritu Sancto,* XXIV, 55; S. Chrysostomus, *De Lazaro,* II, 3; S. Cyprianus, *De unit. Eccl.* 2, 26; S. Augustinus, *De mor. Eccl.* XXV, 46, 47.

scimus ut colamus; ideo colimus ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus, quoniam maximis laboribus cultus Dei constat; ideo præmio immortalitatis afficimur, ut, similes Angelis effecti, summo Patri ac Domino in perpetuum serviamus et simus æternum Dei regnum. Hæc summa rerum est, hoc arcanum Dei, hoc mysterium mundi; a quo sunt alieni, qui, sequentes præsentem voluptatem, terrestribus et fragilibus bonis se addixerunt, et animas ad cœlestia genitas suavitatibus mortiferis tanquam luto cœnove demerserunt (1). »

14. *Præsentis vitæ beatitudo inchoata.*

Nihilominus etiam in præsenti vita haberi potest aliqualis beatitudo, scilicet inchoata : hæc autem beatitudo consistit in actibus quibus ad finem tenditur, maxime in Dei cognitione, desiderio, amore; deinde in exercitio cæterarum virtutum; pendet vero etiam ex parte a præsentia bonorum temporalium sive internorum sive externorum, quibus satisfit ordinatis desideriis et necessitatibus hominis (2).

15. Doctrina catholica de fine hominis minime gignit otiosum contemptum hujus mundi, nec obstat ulli progressui scientifico, politico aut sociali, quin potius egregie juvat veritatum, qua late patent, considerationem, virium naturalium applicationem, bonorum usum ordinatum : in his enim omnibus media

1. *Inst.* VII, 6.

2. Cfr. S. Thomas, 1-2,.q. IV, a. 5-8. — Non raro contingit ut oratores Christiani, dum probare intendunt *perfectam* beatitudinem præsentis vitæ non esse, fere affirmare videntur *nullam* in hoc mundo obtineri posse beatitudinem. Quam verborum exaggerationem coarguit W. Faber : « Les moralistes dépassent le but quand ils exagèrent les misères du monde. Les gens du monde sentent le peu de fond qu'il y a dans ces déclamations : ils en rient et méprisent la religion qu'ils en font responsable. Par le fait, toutes ces lamentations sur les misères du monde ne sont que de la sentimentalité usée, bonne pour une pastorale de l'ancien temps. Elles ont passé de mode et n'impressionnent plus personne, si ce n'est ceux dont elles irritent le sens commun aux dépens de la religion, qui n'a cependant pas d'allié aussi précieux que le sens commun. Le fait est que le monde est plein de magnificence; et, toutes choses bien considérées, il a amplement ce qu'il faut pour notre bien-être. Ce qu'il y a de merveilleux, de déplorablement merveilleux, c'est même qu'il puisse y avoir tant de bien-être avec tant de péché. En attendant, le fait pratique, c'est que de nos jours personne ne croit à l'autre vie. On goûte le monde et on s'en lèche les lèvres, parce qu'on le trouve fort doux. Si le monde était si évidemment misérable, les moralistes pourraient s'épargner leurs exhortations. » *Conf. spir.* VI, *sur les illusions.*

habentur vel incitamenta ad Dei glorificationem, imo iis ipsa glorificatio continetur, saltem objectiva.

Caput V.

De fine ultimo naturali et supernaturali. (1)

16. *Supernaturalis Dei Patris glorificatio et beatitudo filiorum:*

Homo, *natura sua servus, immensa Dei bonitate elevatus est ad ordinem supernaturalem filiationis divinæ*. Ubi enim venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum.... ut adoptionem filiorum reciperemus (2), et quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus (3).

17. *in præsenti vita per fidem, spem et charitatem,*

Hinc in præsenti vita Deum inchoative glorificare eique inhærere debet non ut servus, sed ut filius: per fidem, spem, charitatem; per fidem enim Deus mentibus nostris exhibetur ut præsens, per spem illi innitimur, per charitatem intime ac filialiter ei conjungimur. Sane, quoniam sumus filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem: Abba, Pater (4); per fidem Christus habitat in cordibus nostris (5); qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo (6); si quis diligit Filium, Pater diliget eum, et ad eum venient, et mansionem apud eum facient (7).

in altera per visionem, unionem et fruitionem.

In altera autem vita consummative Deum glorificare eumque possidere debet ut bonorum divinorum hæres, similis Deo factus: nempe visione Dei per essentiam, amore Dei perfecto, gaudio plane immenso. Accepimus spiritum adoptionis filiorum. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei: si autem filii, et hæredes (8). Nunc ergo filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est (9). Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoscimus ex parte: tunc cognoscemus sicut et cogniti erimus (10). Hæc autem quantam gignant beatitudinem et perfectionem, consideratione humana attingi nequit: oculus enim non vidit, nec auris audivit, nec in

1. Cfr. Müller, *op. cit.*, § 16. — 2. Gal. IV, 4-5. — 3. Joann. I, 12. — 4. Gal. IV, 6. — 5. Eph. III, 17. — 6. I Joan. IV, 16. — 7. Joan. XIV, 23. — 8. Rom. VIII, 15-17. — 9. I Joan. III, 2. — 10. I Cor. XIII, 12.

cor hominis ascendit quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum (1).

Supernaturalis iste finis ultimus internus et externus a naturali non differt objecto, sed essentialiter differt modo : utrobique enim habetur Dei cognitio et amor, conjunctio cum Deo; at hinc cognitio per creaturas, inde fides et visio intuitiva; hinc amor naturalis, inde charitas; hinc dignissima servitus, inde hæreditas et regnum.

Doctrina de destinatione hominis ad Dei glorificationem, et de beatitudine hominis, vere christiana est; eam antiqui vel ignorarunt vel conjectura tantum et imperfecte attigerunt. Persuasio obligationis Deum glorificandi ducit ad zelum pro religione et pietate, favet studio et progressivæ applicationi scientiarum naturalium, promovere debet perfectam societatis ordinationem. Similiter persuasio obligationis tendendi ad beatitudinem et spes eam adipiscendi, non solum solatio plena est, non solum promovet exercitium facultatum superiorum, promovet etiam virtutem et moralitatem. Benefica ergo est doctrina tum hominibus individuis, tum humanitati ; est scilicet potentissimum civilitatis principium. Merito igitur contra liberalismi moderni asseclas, contra pantheisticos assertores progressus indefiniti, contra inania socialistarum somnia, affirmatur christianam theologiam et philosophiam esse unice veram, homine dignam, vere consolatoriam.

1. I Cor. II, 9.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE MEDIIS AD FINEM.

DEUS, qui finem homini assignavit, eidem aptitudinem, facultates, media attribuit, quibus ad hunc finem pervenire posset: huc pertinent natura et gratia, ratio et fides, voluntas et auxilia, sacramenta, societas ecclesiastica et civilis. Licet autem harum materiarum explicatio aliis locis proponatur, juverit tamen ad pleniorem et penitiorem ordinis moralis cognitionem, omnium synthesim, per summa capita, hic exhibere. 18.

CAPUT I.

De natura et gratia.

HOMO *natura sua est aptus ad finem naturalem.* Natura enim est ipsa creaturæ entitas quatenus in se principium habet motus, quo fini suo proprio complendo adaptatur; seu, aliis verbis, est principium motus substantiale rebus creatis insitum, quo ad finem sibi proprium singulæ dirigantur ac sollicitentur (1). 19. *Ad finem naturalem, aptus est homo: natura,*

Humanæ naturæ ad se movendum in finem instrumenta sunt potentiæ seu facultates. Facultates autem aliæ sunt *apprehensivæ* seu cognoscitivæ, nempe sensus et intellectus; aliæ *expansivæ*, quæ apprehensivis proportionatæ sunt, nempe appetitus sensitivus (concupiscibilis et irascibilis) et appetitus intellectivus; aliæ *executivæ,* nempe vires externæ: ad expansivas ordinantur apprehensivæ, ut eas dirigant; executivæ, ut eis subserviant; inter expansivas dominatur appetitus intellectivus, seu voluntas; adeoque dici potest humanam activitatem *voluntate* contineri (2). 20. *facultatibus,*

Operatione facultates acquirunt inclinationem, facilitatem, promptitudinem ad similiter operandum: talis inclinatio dicitur habitus. Et 21. *habitibus*

1. Cfr. Scheeben, *Dogm.* III, § 154, n. 511-537; Kleutgen, *Philos. der Vorzeit,* II, 7, n. 685-791; Meyer, *op. cit.*, n. 8, ubi notat *naturam* vario sensu opponi ad *artem,* ad *spiritum,* ad *gratiam.* — 2. Meyer, l. c. n. 12 et seqq.

quidem ex operatione conformi ad finem nascitur habitus facultatem perficiens, qui generali sensu vocatur *virtus;* ex operatione vero a fine deformi nascitur habitus facultatem depravans, qui vocatur *vitium.*

intellectualibus Jam vero habitus perficientes intellectum, *intellectuales* nuncupantur; sunt autem præsertim quinque: tres speculativi, nempe *intelligentia,* quæ perficit intellectum ad prima principia consideranda, *scientia,* quæ perficit intellectum ad cognoscendas et demonstrandas conclusiones, *sapientia,* quæ perficit intellectum ad supremam omnium causam penetrandam: duo practici, *prudentia* scilicet, quæ perficit intellectum ad agenda, *ars,* quæ perficit intellectum ad opera exequenda, sive liberalia sive mechanica.

et moralibus. Habitus perficientes appetitum, nuncupantur *morales;* multi distinguuntur, tres tamen præcipui sunt: *justitia,* quæ perficit voluntatem ad suum cuique tribuendum, *fortitudo,* quæ perficit voluntatem et appetitum irascibilem ad difficilia superanda, *temperantia*, quæ perficit voluntatem et appetitum concupiscibilem ad delectabilia moderanda.

Inter illos habitus, intellectualibus præstantiores sunt morales, qui soli nomine *virtutum* stricte sumpto insigniuntur, licet et ipsi aliquando, comparatione facta cum habitibus infusis, negentur esse virtutes proprie dictæ (1). Ex omnibus his virtutibus quatuor ab ipsis Ethnicis distinctæ sunt, quæ ideo *cardinales* fuerunt vocatæ, quia totam vitam moralem quasi sustinent et dominantur, *prudentia, justitia, fortitudo, temperantia* (2). (Sub

1. Cfr. S. Hieronymus, *In epist. ad Gal.* lib. II, c. 5 (v. 6); S. Augustinus *De Civ. Dei,* V, 19 ; XIX. 25; *Cont. Jul.* lib. IV, c. 3, n. 23; *Epist.* 155. etc.; S. Gregorius Magnus, *Mor.* II, 46; S. Bernardus, *In Cant. serm.* XXII, 10; S. Thomas, 1-2, q. 65, a. 2. — Vide Suarez, *De virt. in gen.* disp. III, s. 9, n. 1 et 2; Ripalda *De Ente sup.* tom. III, lib. II, disp. 20; Gotti, *Theol. schol. — dogm., tr. de virt.;* Benedictus XIV, *De Beat. et Can.* lib. III, c. 21.

2. Cfr. *Intr.* n. 128, pag. 74, not. 1. — De habitibus et virtutibus agunt Magistri Commentatores ad lib. III *Sent.* dist. 23, 33 et 36 (indicantur *Intr.* n. 159, 173, 182); fuse autem Angelicus de iisdem agit *qu. disp., de virt. in communi,* et 1-2, q. 49-61, ubi videantur tum ejus expositores, tum qui *Summæ* ordinem secuti sunt (*Intr.* n. 173, 182), præsertim Suarez, in 1-2, *De virt. in gen.;* Gregorius de Valentia, in 1-2, disp. V; inter recentiores cfr. Müller, *Theol. mor.,* tom. I, § 104 et seq.; Mazzella, *De virt. inf.* disp. I, a. 1; Gardair, *Les vertus naturelles.*

justitia ponebantur *religio* et ea quibus homo bene disponitur ad Deum finem suum ultimum) (1).

22. *Ad finem vero supernaturalem aptus fit :*

Ut ad finem supernaturalem aptus evadat homo, accipit novum esse supernaturale, nempe recreatur ad imaginem Christi (2), *redditur sanctus, justus, Deo gratus* (3), *e conditione servi in adoptionem filii transit, et personalem acquirit dignitatem qua ipsius actibus valor specialis accedat* (4).

Ita præclare Scripturarum et Patrum doctrinam scholastice illustrat S. Thomas : « Cum diversarum naturarum diversi sint fines, ad consecutionem alicujus finis in rebus naturalibus, tria præexiguntur : scilicet *natura proportionata* ad finem illum, et *inclinatio* ad finem quæ est naturalis appetitus finis, et *motus* in

gratia sanctificante,

1. « Sciendum est, in his etiam acquisitis, aliquas esse quodammodo proportionatas theologicis : nam fidei respondet in naturali ordine virtutum sapientia, quæ virtus intellectualis est ; charitati respondet amor Dei naturalis, quia, ut ego opinor, hic amor habitum generat, et inter virtutes acquisitas quæ in voluntate sunt, primum habet locum ; et fortasse etiam spei respondere potest in voluntate aliquis habitus, quo homo naturali sua virtute, si de divina sui providentia recte sentiret, felicitatem suam naturalem et aliquod virtutis præmium speraret. Nihilominus hi habitus deficiunt ab illa ratione virtutis theologicæ ; in suo tamen genere revera virtutes sunt, et generali voce morales dici possunt, eo modo quo omnes actus voluntatis ad mores hominum pertinent ; philosophi autem quia parum de Deo cognoverunt, eas tantum virtutes morales numerarunt, quæ ad vitam politicam spectant, atque eas virtutes quæ ad Deum pertinent, omnes comprehendunt sub una voce religionis. Patres etiam et theologi de his parum curant, quia de virtutibus supernaturalibus præcipue loquuntur. » Suarez, *De virt. in gen.* disp. III, s. 5, n. 4.

2. Joan. I, 12, 13 ; III, 3 ; VI, 58 ; X, 10 ; Rom. VI, 4 ; Gal. III, 27 ; Col. III, 9, 10 ; ad Tit. III, 5 ; Jac. I, 18 ; 2 Pet. I, 4 ; I Joan. V, 1. Cfr. Villada, *De effectibus formalibus gratiæ habitualis.*

3. Joan. XIV, 23 ; Rom. V. 5 ; cfr. Eph. V. 8 ; I Joan. III, 9.

4. Rom. VIII, 15, 17 ; Gal. IV, 5, 7 ; — Præclare S. Cyrillus Alex. *In Is.* lib. IV, or. 2, v. 21, 22. « Formatur homo simpliciter, nempe de terra, quemadmodum et primus parens Adam. Sumpsit enim Deus pulverem de terra et formavit hominem. Serpit deinde et post hunc modum creationis progreditur ad hanc, qua sumus præditi, formam. Etenim formatur unusquisque in utero matris suæ, et hæc via terræ incolas ducit eo, ut sint essentiæ participes. Formatur item in filium Dei, intelligibiliter informatus, divinarum legum scientia, ad speciem effigiemque excellentem, quæ virtutum ornatu in animis hominum inhæret ac insidet. Hæc autem pulchritudo intelligi potest spiritualis. Formantur etiam velut in Christo, per sancti Spiritus participationem, ad ipsius speciem. Scribit siquidem ad Galatas divinus Paulus : Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Formatur autem in nobis Christus, sancto Spiritu nobis divinam quamdam formam, per sanctificationem et justitiam indente. » Cf. plura testimonia apud Casini, *Quid est homo,* a. 6.

finem.... Homo autem secundum naturam suam proportionatus est ad quemdam finem, cujus habet naturalem appetitum, et secundum naturales vires operari potest ad consecutionem illius finis, qui finis est aliqua contemplatio divinorum, qualis est homini possibilis secundum facultatem naturæ... Sed est aliquis finis ad quem homo a Deo præparatur, naturæ humanæ proportionem excedens, scilicet vita æterna, quæ consistit in visione Dei per essentiam, quæ excedit proportionem cujuslibet naturæ creatæ, soli Deo connaturalis existens. Unde oportet quod homini detur aliquid, non solum per quod operetur ad finem, vel per quod inclinetur ejus appetitus in finem illum, sed per quod natura hominis elevetur ad quamdam dignitatem, secundum quam talis finis sit ei competens (1). » Alibi autem docet quod homo elevatus « per naturam animæ participat, secundum quamdam similitudinem, naturam divinam per quamdam regenerationem sive recreationem (2). »

Hoc novum esse, quo homo fit principium connaturale operationum supernaturalium, vocatur gratia sanctificans; consistit ergo gratia sanctificans non tantum in actibus transeuntibus aut in favore Dei extrinseco absque intrinseca transformatione, sed in dono permanente et inhærente animæ: hæc est doctrina catholica vel omnino jam definita vel ex definitis manifesto sequens (3); ita declaratur in *Catechismo ad Parochos:* « Est gratia, quemadmodum Tridentina synodus ab omnibus credendum, pœna anathematis proposita, decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam, et lux, quæ animarum

1. *De verit.*, q. 27, a. 2.

2. 1-2, q. CX, a. 4. — Cæterum de hac quæstione agunt Alensis p. III, q. 61. Magistri Commentatores ad lib. I, dist. 17, præsertim vero ad lib. II, dist. 26, ubi S. Bonaventura, B. Albertus M., Richardus de Media villa, Durandus etc.; Angelici vero Commentatores ad 1-2, q. CX et q. CXII; — ex iis qui *Summæ* ordinem secuti sunt, Valentia, in 1-2, disp. 8; Tanner, in 1-2, disp. 6; Granadus, in 1-2, cont. 8, tr. 8, disp. 2; Salmanticenses, tract. XIV, disp. 4; Gonet. *Clypeus*, tr. 8, disp. 2. — Dom. Soto, *De nat. et grat.*, lib. II, c. 17; Suarez, *De gratia*, lib. VI; Ripalda, *De ente sup.*, disp. CXXXII, — ex controversistis Stapleton, *De just.*, lib. V et VII; Bellarminus, *De justif.*, lib. II; — inter modernos Jungmann, *De grat.*, n. 250; Scheeben, *Dogm.*, III. § 168; Mazzella, *De gratia*, disp. V.

3. Cfr. Innocentii III, c. *Majores;* Conc. Vienn. seu Clem. unica *de Summa Trinitate;* Conc. Trid. sess. VI, cap. 7, 16 et can. II; Baii propositiones 42 et 43, etc.

nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores, et splendidiores reddit. » Et mox subjicitur, per eam qualitatem ad omnia christianæ pietatis officia justificatos habiles reddi (1).

23. *virtutibus infusis,*

Simul cum esse supernaturali homini infunduntur virtutes, quibus bene disponitur ad supernaturaliter operandum. Hujusmodi virtutum infusio innuitur in sacris Litteris (2), suadetur a SS. Patribus (3), probatur ex decretis Summorum Pontificum (4), confirmatur auctoritate Theologorum (5), præsertim doctrina *Catechismi ad Parochos* (6).

Quinam autem sint illi habitus infusi, non undequaque liquet. Certum quidem fide est vel saltem fidei proximum, infundi virtutes theologicas, quibus nempe homo immediate disponitur ad finem supernaturalem prosequendum; docet enim concilium Tridentinum, justificationem esse renovationem interioris hominis per susceptionem gratiæ et *donorum;* addit dona *infusa* accipi ab homine per Jesum Christum cui inseritur, eaque distincte enumerat *fidem, spem, charitatem* (7); concilium autem Vaticanum definit fidem esse *virtutem* supernaturalem (8). — At disputatur in scholis utrum infundantur

1. *Cat. ad Par.* de bapt. sacram. n. 41, 43. — Hujus loci non est ulterius inquirere an gratia sanctificans appellanda sit *habitus* vel *qualitas infusa,* an distinguatur a charitate, an adoptio filialis sit per gratiam sanctificantem, an vero per inhabitationem Spiritus sancti, in quo consistat illa Spiritus sancti inhabitatio, quid sit consortium divinæ naturæ, etc.: cfr. Dom. Soto, *De nat. et gratia,* lib. II, c. 19; Suarez, *De gratia,* lib. VI, c. 3, n. 5; Bellarminus, *De grat. et lib. arb.,* lib. I, c. 3; Franzelin, *De Trin.,* th. XLIII; Jungmann, *De gratia,* n. 251; Scheeben, *Dogm.,* III, n. 165.

2. Cfr. Ez. XI, 19; Jer. XXXI, 33.

3. Cfr. v. g. S. Augustinus, in ps. LXXXIII. n. 11.

4. Inn. III, c. *Majores;* Clem. V, in Conc. Vienn. *Clem. un. de Sum. Trin.;* Conc. Trid. sess. VI, c. 7.

5. De virtutibus, quatenus sunt dona infusa permanentia, pauci olim distincte egerunt; nonnulla habent Lombardus *Sent.* III, 23, 33; Petrus Pictaviensis, *Sent.* III; Gul. Parisiensis, *De virt.* c. 11; Alensis, p. III, q. 61; — fusius rem tractant tum Magistri Commentatores ad lib. III, dist. 23 et 33, tum Commentatores S. Thomæ in 1-2, q. 62-67; — præter quos, Suarez, *De gratia,* lib. VI, c. 4 et seq.; Æg. De Coninck, *De act. supern.,* disp. VI; Ripalda, *De ente supernat.,* lib. VI, disp. 118 et seq.; Salmanticenses in 1-2, tr XII; — inter modernos Scheeben, *op. cit.* § 167; Mazzella, *De virt. infusis,* disp. I.

6. Ita, l. c. n. 42. « Huic autem gratiæ additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur. »

7. Sess. VI, c. 7. — 8. Const. *Dei Filius,* c. 3.

virtutes morales, quibus nempe homo bene disponatur ad varias obligationes et functiones: negant passim Scotistæ; communius affirmant Thomistæ et conformius decretis Ecclesiæ; Innocentius enim III et Clemens V supponunt, ab omnibus admitti quod adultis cum gratia infundantur fides, charitas et *aliæ* virtutes (1); istæ autem *aliæ* virtutes evidenter sunt virtutes morales, non *sola* spes (2).

Ratio infusionis harum virtutum est, quia « ad suavem Dei providentiam pertinet, dare unicuique agenti et causæ secundæ principium intrinsecum suæ operationi proportionatum; homo autem in gratia constitutus, et elevatus ad superiorem ordinem agentium, non debuit minus perfecte disponi intrinsece ad actus illius ordinis eliciendos quam cætera agentia; ergo perficitur habitibus infusis ad superiores actus connaturaliter eliciendos. Et hac ratione utitur S. Thomas, ubicumque de his habitibus quæstionem movet (3). Et ob eamdem ponitur in Beatis lumen gloriæ, quod sit principium visionis, addens intellectui virtutem intelligendi. Et inde etiam servatur optima proportio inter finem supernaturalem et media. Nam sicut supernaturalis beatitudo consistit in excellentissima operatione divini ordinis, ita homo ad illum finem tendit per actus supernaturales ejusdem ordinis; et sicut in patria ad illum actum beatificum eliciendum datur habitus seu principium proximum

1. Cfr. c. *Majores*.

2. Cfr. S. Thomas 1-2, q. 63, a. 3; *De virt. in communi*, a. 10, q. unic.; in III, dist. 33, q. 1, a. 2, quæstiunc. 3 et 4; S. Bonaventura, in III, dist. 33, a. 1, q. 5; Suarez, *De gratia*, lib. VI, c. 9; Vasquez, in 1-2. disp. 86, c. 1 et seqq.; Ripalda, *De ente supern.* lib. VI, disp. 120, s. 6 etc. Inter hujus sententiæ propugnatores male a Suarezio et post ipsum a multis aliis annumeratur Vega, qui in loco indicato de præsenti quæstione non agit; alibi autem sc. lib. VII, c. 27 in opinionem contrariam aperte propendet.

3. Sic, v. g. 1-2, q. 110, a. 3. « Virtus uniuscujusque rei dicitur in ordine ad aliquam naturam præexistentem, quando scilicet unumquodque sic est dispositum, secundum quod congruit suæ naturæ. Manifestum est autem, quod virtutes acquisitæ per actus humanos, sunt dispositiones, quibus homo convenienter disponitur in ordine ad naturam qua homo est. Virtutes autem infusæ disponunt hominem altiori modo et ad altiorem finem; unde etiam oportet quod in ordine ad aliquam altiorem naturam, hoc est, in ordine ad naturam divinam participatam, quæ dicitur lumen gratiæ... Sicut enim virtutes acquisitæ perficiunt hominem ad ambulandum secundum quod cogruit lumini naturali rationis: ita virtutes infusæ perficiunt hominem ad ambulandum, secundum quod congruit lumini gratiæ. »

supernaturale et supremum in illo ordine, ita in via infunduntur habitus supernaturales actionibus in via exercendis proportionati (1). »

Quod vero ad earum indolem attinet, illæ virtutes infusæ « nec sunt puri habitus, nec puræ potentiæ, sed utramque rationem eminenti modo participant: sunt enim habitus, quatenus supponunt potentiam, quæ est proximum principium operationis et illam informant, et ad operandum adjuvant, nec possunt sine illius influxu operari: sunt vero potentiæ aliquomodo, quatenus non dant solam facilitatem operandi, sicut puri habitus, sed etiam dant vel complent potestatem. Non possunt autem dici simpliciter potentiæ, quia non sunt totum principium proximum agendi, quia necesse est ut ipsæ potentiæ animæ immediate influant in actum, alioquin actio non esset vitalis. Vocantur autem simpliciter habitus, ut distinguantur a propriis potentiis, quibus superadduntur, et quia sine potentiis nihil agere possunt: potentiæ autem absolute agere possunt sine tali habitu, si Deus per aliquod auxilium vicem ejus suppleat (2). »

24. *donis.*

Gratiæ et virtutibus superadduntur dona Spiritus Sancti. Dona enim, secundum sententiam satis receptam, sunt habitus infusi, quibus homo docilis redditur ad inspirationes divinas recipiendas, et promptus ad actus excellentiores exequendos; adeoque haberi possunt tanquam perfectiones et complementa virtutum. Cum autem septem sint virtutes principales, pariterque septem dona communiter enumerentur, theologi scholastici ingeniose unicuique virtuti donum correspondens assignaverunt, ita tamen ut alii alium ordinem proposuerint (3).

1. Suarez, *op. cit.*, lib. VI, c. 4, n. 8.
2. Suarez, *op. cit.*, lib. II, c. 9, n. 3.
3. De donis Spiritus Sancti legi possunt, inter antiquiores scriptores: Auctor *Expositionis in Apocalypsin* (inter opp. S. Ambrosii) c. IV, v. 5; Rupertus Tuitensis, *De div. off.*, lib. VIII, c. 7 et seq.; S. Anselmus Cant. *Hom.* 2; S. Bernardus, *Serm. de diversis*, XIV; Ernaldus, *Libellus de donis Spiritus Sancti;* — inter scholasticos: Lombardus, *Sent.* lib. III, dist. 34, ubi ejus Commentatores S. Bonaventura, B. Albertus M., S. Thomas, Richardus, Scotus, Estius; præterea S. Thomas 1-2, q. 68, ubi etiam ejus Commentatores passim; S. Bonaventura, *Breviloquium*, v. 5, et Auctor opusculi *De septem donis Spiritus Sancti*, eidem Bonaventuræ a quibusdam adscripti; — inter theologos: Gotti, *Theol. schol. dogm. tr. de virt. et donis;* Rocafull,

Caput II.

De ratione et fide.

25. *Ratione cognosci potest finis naturalis,*

Non *solum in possibili statu naturæ puræ, sed etiam in præsenti statu naturæ lapsæ, homo lumine rationis physice capax est cognoscendi finem naturalem et viam ad ipsum.* Sane cum ex divina ordinatione homo in finem tendere debeat, non cæco impulsu et instinctu, sed libera determinatione, necesse est ut tum finem ipsum, tum viam, quæ ad eum ducit, possit cognoscere. Et revera in sacris Litteris atque apud SS. Patres habetur: Deum ab hominibus facile cognosci posse, cognosci posse ex ipsius operibus, cognosci posse viribus naturæ, cognosci posse ut *dominum* cui serviendum et *legislatorem* cui parendum (1). Merito igitur concilium Vaticanum: « Eadem sancta mater Ecclesia tenet et docet, Deum rerum omnium *principium* et *finem* naturali humanæ rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur (2). »

26. *non tamen nisi imperfecte.*

Nihilominus in præsenti statu naturæ lapsæ, humanum genus solis viribus intellectus moraliter impotens est ad finem naturalem et viam cognoscendum cum debita amplitudine, facilitate, puritate. Hæc impotentia indicatur in sacris Litteris (3), asseritur ab Ecclesia (4);

Opus mor. App. II, ac præ cæteris Suarez, *De gratia,* lib. II, c. 17, lib. VI, c. 10, qui more suo docte, moderate et sapienter rem expendit; — inter recentiores: Müller, *Theol. mor.,* tom. I, § 120; Gaume, *Traité du St-Esprit,* II, 25 et seq.; Manning, *The internal Mission of the holy Ghost,* VII-XV; Friaque, *Le Saint-Esprit,* in fine; Barré, *Tract. de virt. necnon de donis Spiritus Sancti.*

1. Sap. XIII, 1; Rom. I, 18; II, 14; Act. XIV, 16, 17; XVII, 26. — Origenes, *In epist. ad Rom.* lib. II, n. 7, 8, 9; S. Chrysostomus, *Ad pop. Ant.* hom. XII, n. 3; S. Basilius, *In hexam.,* hom. IX, n. 3, 4; Tertullianus, *Adv. Marcionem,* V, 13; S. Ambrosius *Ep.* LXXXIII; S. Hieronymus, *Epist* CXXI; cfr. Bellarminus, *De grat. et lib. arb.,* V, 1-3, Franzelin, *De Deo uno,* th. II-V, Jungmann, *De grat.,* n. 101.

2. Const. *Dei Filius,* c. 3.

3. Huc pertinent Sap. IX, 14-19; Act. XIV, 15; XVII, 30; I Cor. I, 21: ibi scilicet distinguitur possibilitas cognitionis, et aliqualis cognitio imperfecta, a facto cognitionis sufficientis ad convenientem Dei glorificationem: possibilitas asseritur, sed simul docetur universim homines (sua utique culpa) ad talem sufficientem cognitionem non pervenisse: cfr. Franzelin, *De Deo uno,* th. VI.

4. Cfr. Conc. Vat. Const. *Dei Filius,* c. 2.

et clare apparet ex historia diversarum gentium (1). Causæ autem ejus verbis S. Thomæ exponi solent : ingenii ineptitudo, vitæ corporalis necessitates, animi passiones (2).

27. *Finis vero supernaturalis non ratione,*

Nullo autem modo solis viribus rationis cognosci potest realis destinatio ad finem supernaturalem et viam eum consequendi : hæc enim a positiva Dei voluntate pendent. Ita S. Thomas : « Est autem duplex hominis bonum ultimum... Quorum unum est proportionatum naturæ humanæ, quia ad ipsum obtinendum vires naturales sufficiunt... Aliud est hominis bonum naturæ humanæ proportionem excedens, quia ad ipsum obtinendum vires non sufficiunt, nec ad *cogitandum* vel *desiderandum ;* sed ex sola liberalitate homini repromittitur (3). » Diximus solis viribus rationis cognosci non posse *realem* destinationem ad finem supernaturalem ; destinationis enim possibilitas fortasse conjecturis apprehendi posset (4).

---

1. Cfr. Lupus, *Traditionalisme et Rationalisme,* tom. III, ubi sequentia facta late probantur : « Les premiers hommes ont connu clairement et professé longtemps les vérités *essentielles* de l'ordre moral naturel. — La raison humaine, pendant la civilisation ancienne, a été impuissante à récupérer la connaissance claire, exacte et complète des vérités essentielles de l'ordre moral naturel. — Tous les peuples chez qui la révélation chrétienne n'a point pénétré et ne s'est point établie, ou qui ne lui ont rien emprunté, sont encore, aujourd'hui comme il y a dix-huit siècles, assis à l'ombre des mêmes erreurs, ensevelies dans les mêmes ténèbres morales. — Tous les peuples et tous les individus, qui ont abandonné le christianisme, sont retombés dans les erreurs du paganisme ou de la philosophie païenne. — Les philosophes modernes appartenant aux différentes écoles de l'incrédulité qui ont tenté de constituer un système d'ordre moral en opposition à la doctrine chrétienne, ou abstraction faite de cette doctrine, sont tombés dans les grossières erreurs qui ont déshonoré la philosophie ancienne, ou bien, pour éviter l'abîme où les poussent leurs principes, ils ont dû déclarer la raison incompétente à résoudre les grands problèmes de l'ordre moral relatifs à l'origine de l'homme, à son état présent et à sa fin dernière. — Les peuples chrétiens, qui se soustraient à la direction de l'autorité spirituelle, gardienne du dépôt des vérités révélées, pour suivre, dans l'ordre moral, la direction d'une autorité humaine, soit politique, soit philosophique, aboutissent rapidement à l'incrédulité et aux plus monstrueuses erreurs. — La raison, abandonnée à elle-même, a été incapable de ramener les peuples à la vérité, par la prédication de la philosophie et par l'influence des pouvoirs humains. » — 2. Cfr. S. Thomas I. q. 1, a. 1 ; 2-2. q. 2, a. 4 ; *De ver.*, q. 14, a. 10 ; *Cont. gent.*, lib. I, c. 4.

3. *De verit.*, q. 14, a. 2 ; cfr. ibid. a. 10 et q. 22, a. 7 ; 1. q. 62, a 1 ; in 2 dist. 33, q. 2, a. 2 ; in 3 dist. 23, q. 1, a. 4, quæstiunc. 3 sol. 3 ; ex quibus explicantur quæ habentur I. q. 12, a. 1 ; 1-2, q. 3, a. 8 ; q. 5. a. 5 ; *Cont. Gent.*, lib. III, c. 50 et 51, etc. ; vide Mazzella, *De Deo creante,* disp. IV, a. 7, n. 877. — 4. Cfr. Suarez, *De ult. fin.*, disp. XVI, s. 3, n. 7.

28. *sed revelatione cognoscendus est.*

Igitur in præsenti statu naturæ lapsæ et reparatæ, homo a Deo accipit per revelationem, cui respondet fides, tum necessariam supernaturalis finis et viæ notitiam, tum convenientem finis et viæ naturalis cognitionem. Sane, *a*/ homo rationabiliter tendere non potest ad finem nisi ipsum cognoscat; finis vero supernaturalis existentiam cognoscere nequit nisi per manifestationem a Deo factam, cujusmodi est revelatio; revelationi autem seu locutioni ex parte Dei respondet fides ex parte hominis; adeoque finis supernaturalis cognoscitur supernaturaliter per fidem. — *b*/ Insuper congruit, non solum existentiam finis supernaturalis cognosci, sed etiam intimiorem ejus essentiam, ita ut cognitio in via respondeat cognitioni in termino; jam vero intimior illa essentia cognosci tantum potest per revelationem et fidem. — *c*/ Etiam per revelationem a Deo manifestari debent media ad finem supernaturalem ordinata, eique proportionata. — *d*/ Præterea, cum ordo supernaturalis non destructio, sed perfectio sit ordinis naturalis, ea quæ ordinem naturalem constituissent, jam ingrediuntur ordinem supernaturalem, ad eum pertinent, atque idcirco modo supernaturali cognosci debent, nempe per revelationem et fidem. — *e*/ Tandem in ordine supernaturali, revelatio est medium a Deo electum, quo suppletur impotentiæ morali humani generis ad cognoscendum ea quæ de fine et via ad ipsum supra vires physicas rationis non sunt (1).

Caput III.

De voluntate et auxiliis.

29. *Voluntas suis viribus tendere potest ad finem naturalem.*

Non *solum in possibili statu naturæ puræ, sed etiam in præsenti statu naturæ lapsæ, homo voluntate sua physice capax est tendendi ad finem naturalem et viam ad ipsum sequendi* (2). Patet tum ex sacris Litteris (3) et SS. Patrum scriptis (4), in quibus Dei cultus et glorificatio non minus quam ejus cognitio quasi

1. Cfr. Franzelin, *De habit. nat. hum. ad divinam fidem*, c. III, 3.

2. Cfr. Lombardus ejusque Commentatores, *Sent.* II, dist. 3, ac præsertim dist. 28; — S. Thomas, *De ver.*, q. 24, a. 14; et I, q. 60; 1-2, q. 109, a. 2, 3, 4, ubi vide ejus Commentatores; inter modernos Scheeben, *Dogm.* III, § 154.

3. Cfr. Rom. I, 21; II, 12-15.

4. Cfr. Bellarmius, *De grat. et lib. arb.*, v. 9; Jungmann, *De gratia*, n. 117.

spontanea asseritur ; tum ex Conciliorum et Pontificum decretis (1).

30. *non tamen sine gravi difficultate.*

At in præsenti statu naturæ lapsæ, voluntas solis suis viribus moraliter incapax est efficaciter tendendi ad finem naturalem et viam ad ipsum recte sequendi. Constat hæc veritas tum ex Scripturis (2), tum ex sanctis Patribus auxilii divini necessitatem propugnantibus ad actuum bonorum substantiam (3); tum ex decretis Ecclesiæ (4). Ita S. Thomas: « In statu naturæ corruptæ etiam deficit homo ad hoc, quod secundum suam naturam potest, ut non possit totum hujusmodi bonum implere per sua naturalia. Quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere,.. non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quod in nullo deficiat: sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere, non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani (5). »

31. *Ad finem vero supernaturalem tendere tantum potest*

Nullo autem modo potest homo viribus propriis finem supernaturalem obtinere. Etenim « actus perducentes ad finem oportet esse fini proportionatos. Nullus autem actus excedit proportionem principii activi. Et ideo videmus in rebus naturalibus, quod nulla res potest perficere effectum per suam operationem, qui excedat virtutem activam, sed solum potest producere per operationem suam effectum suæ virtuti proportionatum. Vita autem æterna est finis excedens proportionem naturæ humanæ. Et ideo homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ (6).

32. *cum auxilio divino.*

Ut igitur in præsenti statu naturæ lapsæ et reparatæ, homo convenienter ad finem suum supernaturalem operetur, a Deo accipit intrinsecum auxilium supernaturale, quod gratia actualis nuncupatur. Nempe

1. Cfr. Conc. Trid. Sess. VI, cap. 1; Baii propositiones, 25, 27, 28, 29, 30, 37, 38, 61, 62; Quesnelli, 2, 41, 44, 46; Pist. 24, etc.
2. Cfr. Sap. VIII, 21; Rom. VII et VIII.
3. Cfr. Bellarminus, *De gratia et lib. arb.*, V, 4-9; Jungmann, *De grat.* n. 131. — 4. Cfr. Conc. Trid. Sess. VI, c. 13.
5. 1-2, q. 109, a. 2.
6. S. Thomas 1-2, q. 109, a. 5; cfr. Lombardus, *Sent.* II, dist. 29, ubi etiam Angelicus, q. 1. et S. Bonav. a. 1.

a/ gratia actualis est influxus quidam divinus, motio aliqua transiens, auxilium, vel, ut Patres Græci loquuntur, vis, energia, robur (1). — *b*/ Influxus ille est tum in intellectum tum in voluntatem: in intellectum quidem per illustrationem, ut agenda perspiciat, in voluntatem vero per inspirationem, ut ad agendum impellatur (2). — *c*/ Eo influxu intellectus et voluntas adjuvantur simul et elevantur: adjuvantur contra impotentiam moralem recte agendi etiam naturaliter, sub quo respectu gratia actualis est moraliter necessaria, et vocatur *medicinalis;* elevantur contra impotentiam physicam supernaturaliter agendi, sub quo respectu gratia est absolute necessaria (saltem iis qui gratiam sanctificantem et virtutes nondum habent) (3), ac dicitur *elevans*. — *d*/ Idem influxus hominem ad operandum movet, et operantem sustentat: sub primo respectu dicitur gratia *excitans, præveniens* et *operans*, sub altero respectu gratia *adjuvans, concomitans, cooperans* (4). — *e*/ Ita autem prævenit et adjuvat, operatur et cooperatur divinus influxus, ut liberum hominis arbitrium minime lædatur, sed remaneat facultas eligendi (5), et obligatio adsit consentiendi (6) ne gratia Dei vacua fiat (7).

1. Cfr. Is. Habert, *Theol. græc. Pat.* I, 14.

2. Cfr. Psalm. CXVIII, 32, 34; Matth. XI, 25; Joann. VI, 44; Act. XVI, 14; I Cor. II, 14; III, 7; II Cor. III, 5; Eph. I, 17, etc. — S. Augustinus, *De pecc. mer. et rem.* II, c. 17, n. 26; *De civ. Dei,* XV, 6; — Conc. Milev. can. 4; Araus. II, can. 7.

3. Inter catholicos theologos disceptatur, utrum in justis ad omnes et singulos actus supernaturales necessaria sit excitans gratia actualis distincta a gratia permanente cum omnibus habitibus infusis, an vero in hac ipsa habituali gratia et infusis habitibus, sit adjutorium per se sufficiens ad actus supernaturales, nisi difficultates speciales necessariam reddant excitantem gratiam specialem. Cfr. Bellarminus, *De grat. et lib. arb.* VI, 15; Suarez, *De grat.* III, 8.

4. Cfr. S. Aug. *Cont. duas epist. Pelag.* lib. II, c. 8, lib. IV, c. 6; conc. Araus. II, can. 20; Trid. Sess. VI, c. 5.

5. Cfr. Deut. XXX, 19; Eccli. XV, 16-22; XXXI, 8-11; Matth. XIX, 17-21; I Cor. VII, 37, etc.

6. Phil. II, 12; Heb. XII, 12; II Pet. I, 10; Apoc. III, 18-20; XXII, 17.

7. Matth. XXIII, 37; Act. VII, 51; II Cor. VI, 1; Trid. Sess. VI, cap. 5, can. 4; Jansenii prop. 2, 3, 4. — Quomodo autem gratiæ efficacia cum arbitrii libertate concilietur, quæstio est omnibus solutu difficilis; « quærentem enim vehementer angustat, ait S. Aug. *De pecc. mer.* lib. II, c. 18, n. 28, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur, rursus, ne liberum sic asseramus arbitrium, ut superba impietate ingrati Dei gratiæ judicemur. » Hujus loci non est systema conciliationis proponere; satis sit remittere ad eos qui rem felicius confecisse reputantur.

Caput IV.

De Christo et Sacramentis.

33. *Supernaturalem vitam, virtutes et auxilia nobis communicat Christus,*

Vitam *supernaturalem, nempe gratiam et virtutes, mentis illuminationem et voluntatis auxilia, a Christo habemus* (1). Christus enim, qui venit ut vitam habeamus et abundantius habeamus (2), una oblatione consummavit in æternum sanctificatos (3). Hinc Christus est vitis, in qua nos palmites manere, a qua succum accipere debemus ut fructus feramus (4); est caput, quod in nos, sui corporis membra, sensum et motum influit (5). Ita S. Thomas: « Quia Christus in omnes creaturas rationales quodammodo effectus gratiarum influit, inde est quod ipse est principium quodammodo omnis gratiæ secundum humanitatem, sicut Deus est principium omnis esse: unde, sicut in Deo omnis essendi perfectio adunatur, ita in Christo omnis gratiæ plenitudo et virtutis invenitur, per quam non solum ipse possit in gratiæ opus, sed etiam alios in gratiam adducere; et per hoc habet capitis rationem (6). » — « Quia igitur homo Christus summam plenitudinem gratiæ obtinuit, quasi unigenitus a Patre, consequens fuit, ut ab ipso in alios redundaret, ita quod Filius Dei factus homo homines faceret deos et filios Dei.... Ex hoc autem quod a Christo ad alios gratia et veritas derivantur, convenit ei ut sit caput Ecclesiæ. Nam a capite ad alia membra, quæ sunt ei conformia in natura, quodammodo sensus et motus derivatur: sic a Christo et gratia et veritas ad alios homines derivatur (7). »

34. *per sua sacramenta,*

Nobis autem Christus vitam et activitatem supernaturalem communicat, principaliter et ordinarie, per sacramenta (8): Sunt enim sacra-

---

De mente S. Thomæ et Veterum legantur hinc Schneemann, *Contr. de div. grat. et lib. arb. concordia initia et progressus;* inde Dummermuth, *S. Thomas et Doctrina præmotionis physicæ;* ejusdem *Defensio doctrinæ divi Thomæ.*

1. De Christo agit Magister lib. III *Sententiarum,* ubi vide ejus Commentatores (*Intr.* n. 159, n. 173, n. 182); S. Thomas 3 p. *Summæ* ubi etiam ejus Commentatores (*Intr.* n. 173 et n. 182).

2. Joan. X, 10. — 3. Heb. X, 14. — 4. Joan. XV, 4, 5. — 5. Eph. IV, 15; Coloss. II, 19, etc. — 6. *De ver.*, q. 29, a 5. — 7. *Comp. Theol.*, c. 214.

8. De sacramentis agit Magister *Sent.* lib. quarto, ubi ejus Commentatores (*Intr.* n. 159, 173, 182); S. Thomas. 3 p. ubi etiam ejus Commentatores (*Intr.* n. 173, 182). Alia scripta indicantur, *Intr.* n. 128, 134, 150, 162, 174, 176, 183, 186, 193.

menta ritus symbolici, gratiæ operativi, qui non solum a Christo instituti sunt, verum etiam Christi nomine et auctoritate exhibentur, adeoque moraliter ab ipso perficiuntur. « Manifestum est, ait Angelicus, quod omnia ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficit : ipse enim est qui baptizat, ipse est qui peccata remittit, ipse est verus sacerdos qui se obtulit in ara crucis, et cujus virtute corpus ejus in altari quotidie consecratur (1). » Et rursus : « Humana natura in Christo erat velut quoddam organon divinitatis, et ideo humana natura aliquid communicabat in operatione virtutis divinæ, sicut quod Christus tangendo leprosum mundavit; sic enim ipse tactus Christi causabat instrumentaliter salutem leprosi. Sicut autem humana natura in Christo communicabat ad effectus divinæ virtutis instrumentaliter in corporalibus effectibus, ita in spiritualibus; unde sanguis Christi pro nobis effusus habuit vim ablutivam peccatorum... ; et sic humanitas Christi est instrumentalis causa justificationis ; quæ quidem causa nobis applicatur spiritualiter per fidem, et corporaliter per sacramenta ; quia humanitas Christi et spiritus et corpus est ; ad hoc scilicet ut effectum sanctificationis, quæ est Christi, in nobis percipiamus. Unde illud est perfectissimum sacramentum, in quo corpus Christi realiter continetur, scilicet Eucharistia ; et est omnium aliorum consummativum... Alia vero sacramenta participant aliquid de virtute illa, qua humanitas Christi instrumentaliter ad justificationem operatur, ratione cujus sanctificatus baptismo sanctificatus sanguine Christi dicitur ab Apostolo... Unde passio Christi in sacramentis novæ legis dicitur operari ; et sic sacramenta novæ legis sunt causa gratiæ quasi instrumentaliter operantia ad gratiam... Instrumentum movet in quantum movetur... Et similiter sacramenta operantur ad gratiam, prout sunt quasi mota a Deo ad hunc effectum ; qui quidem motus attenditur secundum *institutionem, sanctificationem* et *applicationem* ad eum qui accedit ad sacramenta (2). »

1. *Contra Gentes*, IV, 76 ; cfr. S. Augustinus *in Joann.* V, 9, 11, 13, 18 etc. ; VI, 6-8 ; S. Ambrosius *Epist.* 63, n. 38 ; Auct. lib. *De sacram.* IV, 4, etc.

2. *De verit.* q. 27, a. 4 ; cfr. 3 p_1, q. 62 ; in 4 dist. 1, q. 1, a. 4 ; Franzelin. *De sacram. in gen.*, th. X.

35. *quorum elementa*

Sacramentales illi ritus ex sua institutione constant rebus et verbis ut conformitatem habeant ad Christi personam, ad hominis naturam, ad novæ œconomiæ indolem, ad vitæ supernaturalis evolutionem. « Sacramenta adhibentur ad hominum sanctificationem, sicut quædam signa. Tripliciter ergo considerari possunt, et quolibet modo congruit eis, quod verba rebus sensibilibus adjungantur. Primo enim possunt considerari ex parte causæ sanctificantis, quæ est Verbum incarnatum, cui sacramentum quodammodo conformatur in hoc quod rei sensibili verbum adhibetur, sicut in mysterio Incarnationis carni sensibili est Verbum Dei unitum. Secundo, possunt considerari sacramenta ex parte hominis qui sanctificatur, qui componitur ex anima et corpore, cui proportionatur sacramentalis medicina, quæ per rem visibilem corpus tangit et per verbum ab anima creditur... Tertio possunt considerari ex parte ipsius significationis sacramentalis. Dicit enim Augustinus... quod verba inter homines obtinuerunt principatum significandi, quia verba diversimode formari possunt ad significandos diversos conceptus mentis, et propter hoc per verba magis distincte possumus exprimere quod mente concepimus. Et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest et ablutionem propter suam humiditatem, et refrigerium propter suam frigiditatem; sed cum dicitur: *Ego te baptizo,* manifestatur quod aqua utimur in baptismo ad significandam emundationem spiritualem ([1]). »

36. *et numerus aptissime determinata sunt.*

Eo autem numero instituti sunt ritus sacramentales ut omnibus vitæ supernaturalis necessitatibus respondeant: valent scilicet ad eam generandam, confirmandam, nutriendam, restituendam, in supremo agone defendendam; ad societatis religiosæ gubernationem, ad sobolem christianorum propagandam. « Homini enim ad vivendum, vitamque conservandam, et ex sua, reique publicæ utilitate traducendam, hæc septem necessaria videntur; ut videlicet in lucem edatur, augeatur, alatur; si in morbum incidat, sanetur; imbecillitas virium reficiatur; deinde

1. S. Thomas, 3 p., q. 60 a. 6; cfr. Franzelin, *De Sacram. in gen.* th. IV et th. V.

quod ad rem publicam attinet, ut magistratus nunquam desint, quorum auctoritate et imperio regatur; ac postremo legitima sobolis propagatione seipsum et humanum genus conservet. Quæ omnia, quoniam vitæ illi, qua anima Deo vivit, respondere satis apparet, ex iis facile sacramentorum numerus, colligetur. Primus enim est Baptismus, veluti cæterorum janua, quo Christo renascimur; deinde confirmatio, cujus virtute fit, ut divina gratia augeamur, et roboremur.... Tum Eucharistia, qua, tanquam cibo vere cœlesti, spiritus noster alitur, ac sustinetur.... Sequitur quarto loco pœnitentia, cujus ope sanitas amissa restituitur, postquam peccati vulnera accepimus. Postea vero Extrema Unctio, qua peccatorum reliquiæ tolluntur, et animi virtutes recreantur.... Sequitur Ordo, quo publica sacramentorum ministeria perpetuo in Ecclesia exercendi, sacrasque omnes functiones exequendi potestas traditur. Postremo additur Matrimonium, ut ex maris et feminæ legitima et sancta conjunctione filii ad Dei cultum, et humani generis conservationem procreentur, et religiose educentur (1). »

37. *Præterea sacramentis recte ordinamur ad Deum colendum.*

Non solum per omnia sacramenta vita spiritualis communicatur, sed præterea per quædam eorum homo specialiter Christo consecratur, spirituali potestate donatur, et charactere indelebili insignitur. Nempe sunt tria sacramenta quibus ad Deum colendum et glorificandum deputamur, potestatem obtinemus ad sacra vel suscipienda vel perficienda, ac signaculum Christi accipimus: his autem ad finem perfectius ordinamur. « Character proprie est signaculum quoddam, quo aliquid insignitur, ut ordinatum in aliquem finem: sicut charactere insignitur denarius ad usum commutationum; et milites charactere insigniuntur, quasi ad militiam deputati. Homo autem fidelis ad duo deputatur: primo quidem et principaliter ad fruitionem gloriæ, et ad hoc insignitur signaculo gratiæ.... Secundo autem deputatur quisque fidelis ad recipiendum vel tradendum aliis ea quæ pertinent ad cultum Dei, et ad hoc proprie deputatur character sacramentalis. Totus autem ritus christianæ religionis derivatur a sacerdotio Christi, et ideo manifestum est quod character sacramen-

1. Cat. ad. Par. *De Sacram. in gen.* 17, 18: cfr. S. Thomas 3 p. q. 65; *Cont. Gentes* IV, 58; in 4, dist. 1; Franzelin, *De sacram.*, th. XVIII-XX.

talis specialiter est character Christi, cujus sacerdotio configurantur fideles, secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quædam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivatæ (1). »

Caput V.

De societate religiosa et civili.

38. *Societatis notio.*

Societas, sensu lato, est hominum conjunctio et mutuum commercium; sensu autem proprio, est hominum multitudo collatis viribus et communi directione ad finem communem tendentium.

elementa,

Præcipua societatis elementa sunt: *causa* seu *finis* assequendus; *materia* seu *multitudo* individuorum; *forma* seu individuorum moralis *conjunctio* et virium *collatio;* unionis et activitatis *conditio,* sc. *auctoritas;* associationis *principium*, sc. boni obtinendi conscientia.

variæ species,

Pro varia ratione, qua se habent diversa illa elementa, variæ distinguuntur societates: *religiosa* vel *civilis, universalis* vel *particularis, voluntaria* vel *necessaria, æqualis* vel *inæqualis*. Quævis autem earum *perfecta* dicitur, si finem proprium et completum, simulque media sufficientia ad hunc finem obtinendum habeat; secus plus minus *imperfecta* est.

vita.

Apte comparatur societas corpori humano, et inde vocatur corpus *morale* seu *mysticum,* cui sunt *caput, et membra* harmonice disposita (2). Corpus illud morale est animatum, scilicet *præditum vitali activitate propria,* quæ proin cum activitate individuorum societatem componentium confundi non potest. Præterea, quatenus suppositum collectivum *rationale,* dignitatem habet *personæ moralis,* quæ est subjectum jurium et officiorum (3).

1. S. Thomas 3 p., q. 63, a. 3; cfr. Franzelin, *op. cit.*, th. XII, XIII.

2. Eph. IV, 44, 4; Col. I. 18. etc.

3. Veterem hanc comparationem Recentiores felicíter expoliverunt; cfr. Meyer, *Inst. jur. nat.* §. II, lib. I, c. I, n. 349 et seq. Eam tamen ultra justos limites urgent, qui *pantheismi* et *positivismi* principiis innixi his diebus scientias sociales reformare contendunt. Exinde nata est nova scientia vel potius nova veteris scientiæ appellatio, quæ ab Augusto Comte dicta est *sociologia,* cui jam cathedræ in universitatibus, ephemerides multæ, congressus frequentes, litteratura fere infinita. Interim in sociologia disputatur sine fine et sine vero fructu, utrum societas seu corpus morale sit et *quo*

39. *Homini natura sua sociali*

Homo natura sua socialis est: non ita quidem ut ad societatem ordinetur tanquam ad finem, sed ita ut ad finem suum obtinendum societate indigeat: quod demonstrant « et maxima societatis conciliatrix loquendi facultas, et innatæ appetitiones animi plures, et res necessariæ multæ ac magni momenti quas solitarii homines assequi non possunt, juncti et consociati cum alteris assequuntur (1). » Est enim societas velut causa secunda, qua Deus utitur relate ad hominem, ut eum ad vitam adducat, necessariis instruat, doceat, ad bonum impellat, a malo legitimis pœnis retrahat.

duæ paratæ societates principales.

Jam vero, præter familiam, duplex societas principalis homini parata est a Deo: una in ordine ad vitam religiosam, ad Dei servitium et glorificationem, ad consummatam perfectionem et beatitudinem; altera in ordine ad vitam temporalem eorumque procurationem quæ Dei servitio et glorificationi præsupponuntur: prima dicitur *religiosa*, secunda *civilis* vocatur. « Duæ sunt in terris societates maximæ, altera civilis, cujus proximus finis est humano generi bonum comparare temporale et mundanum, altera religiosa, cujus est homines ad veram illam felicitatem perducere, ad quam facti sumus, cœlestem ac sempiternam (2). »

jure divino distinctæ.

Distinctio societatis religiosæ et societatis civilis certo est juris divini positivi: an etiam sit juris naturalis, non omnino constat. Sententiam affirmativam plerique vel expresse docent vel supponunt; at eorum argumenta non aliud evincunt nisi quod *functiones* religiosæ semper specialibus personis Deo sacratis commissæ fuerint. Aliunde patroni sententiæ negativæ non aliud ostendunt nisi quod *potestas* circa temporalia et *potestas* circa religiosa sæpe fuerint in uno eodemque subjecto. Solutio hujus quæstionis generalis inservit solutioni quarumdam quæstionum particularium: v. g. utrum infidelium princeps valeat potestate propria statuere matrimonii impedimenta (3).

sensu sit *organismus;* utrum prædicto organismo applicari possint vocabula anatomia, physiologia, psychologia, etc.; quæ sint sociologiæ species, et quæ societatum classificationes legitimæ.

1. Leo XIII, Encycl. *Diuturnum;* cfr. Encycl. *Immortale Dei.* — 2. Leo XIII, Encycl. *Nobilissima Gallorum gens;* cfr. Encycl. *Immortale Dei.* — 3. Cfr. Salmeron (ed. Andries), *De origine jurisdictionis,* s. 1, c. 3; Molina, *De just. et jure,* tr. II, disp. 21; Suarez, *De leg.* lib. IV, c. 2; Bianchi, *Dell' esteriore polizia della Chiesa,* lib. I, c. 1, n. 2; Palmieri, *De matrim.* thes. XXXII, pag. 270.

Jam de singulis nonnulla in specie considerabimus (1).

A. — Idea societatis ecclesiasticæ.

40. *Ecclesia est societas proprie dicta*

Fideles Christo capiti tamquam membra unius corporis mystici adhærentes, veram et proprie dictam societatem inter se constituunt, quæ vocatur Ecclesia (2). Ecclesia enim non est qualiscumque collectio evocatorum ad Deum colendum et glorificandum, sed est cœtus ordinatus, in quo homines non solum cum Deo sed cum invicem conjunguntur, ut sint gens sancta, populus acceptabilis, sectator bonorum operum, atque ita salutem animarum sempiternam consequantur (3). Redemptor autem noster sic religionem suam societati a se institutæ inhærentem voluit, ut cum ea penitus conserta et veluti concreta esset, et extra illam vera Christi religio nulla esset.

41. *ab ipso Christo constituta,*

Societas ista indefinita vel informis a Deo relicta non est, sed, quemadmodum ab ipso suam existentiam habet, ita ejusdem voluntate ac lege suam existendi formam suamque constitutionem accepit. Falsissime ergo asseritur, Ecclesiam esse instar *collegii,* quod libera membrorum coitione et confœderatione nascitur; vel formam ipsi ab Apostolis inditam esse, eamque, pro rerum evolutione, perpetuis et necessariis transformationibus subjici.

Jam vero Ecclesia societas est *a| supernaturalis* et *spiritualis,* propter finem sibi constitutum et instrumenta quibus ad eum contendit; — *b| universalis* et *necessaria,* porrigens se ad totius complexum gentis humanæ, nullis nec temporum nec locorum limitibus circumscripta; — *c| perfecta* et *independens,* talis nempe quæ uti pars aut membrum nulli alii societati insit vel subsit, sed finem completum habeat, et adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria omnia in se et per se ipsa possideat; — *d| inæqualis,* quia non omnes in ea fideles iisdem juribus fruuntur, sed alii *consecratione* et *superna missione* seu *delegatione,* potestatem habent alios authentice *docendi, sanctificandi,*

supernaturalis,

universalis,

perfecta.

inæqualis.

1. Auctores, qui diversis sæculis hanc materiam tractarunt, indicantur in *Intr.* n. 131, pag. 76; n. 148, pag. 86, 87; n. 165, pag. 106, 107; n. 176, pag. 123; n. 186, pag. 144, 145; n. 188, pag. 152; n. 194, pag. 163, 164.

2. Cfr. I Cor. xii, 12-14; Eph. iv, 4-25; Coloss. i, 18; conc. Trid. sess. xiii, c. 2; S. Thomas 3 p. q. 8, a. 1.

3. Tit. ii, 14.

et efficaciter *regendi* tum legibus conscientiam obligantibus, tum decretoriis judiciis, tum salutaribus pœnis.

42. *Est salutis medium generale.*

Ecclesia est glorificationis divinæ et humanæ salutis instrumentum generale, omnia media particularia in se complectens: ei Christus credidit *verbum* suum, *sacramenta* et *sacrificium*, *auctoritatem;* eam participem fecit *magisterii* sui, *sacerdotii* et *ministerii;* in ea homines *regenerantur* seu vitam supernaturalem accipiunt, perficiunt, recuperant, ope sacramentorum et sacrificii, ac per jugem influxum Christi capitis in membra; in ea *illuminantur* per veritatis revelatæ explicationem et defensionem; in ea *reguntur* per applicationem legis naturalis ac divinæ, et per præceptorum additionem. — Quæ cum ita se habeant, facile intelligitur, in Ecclesia salutem esse, extra Ecclesiam non esse, ut SS. Patres unanimes docent (1), et concilia ac Pontifices pluries definierunt (2).

Societatis religiosæ inferiores: diœceses et ordines regulares.

Ad faciliorem utriusque finis procurationem, voluntate Christi conditoris, exstant in Ecclesia universali ecclesiæ particulares, seu diœceses (3); *ad securiorem vero et pleniorem ejusdem finis acquisitionem, instituti sunt, secundum Christi doctrinam, ordines religiosi:* istæ societates, licet absolute non sint perfectæ, tamen relative ad parochias, congregationes et sodalitates inferiores, perfectæ dicuntur : et quidem merito, quum nonnulla habeant societatis perfectæ attributa habitualiter sibi communicata.

43. *Ecclesia in ordine etiam temporali maximas parit utilitates.*

Licet Ecclesia « per se et natura sua salutem spectet animorum adipiscendamque in cœlis felicitatem, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere, tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures majoresve non posset, si in primis et

1. Cfr. Tertullianus, *De baptismo,* c. 8 ; S. Cyprianus, *De un. Eccl.* n. 14 ; S. Hieronymus, *Epist.* 15 (ad Dam.); S. Gaudentius Brixianus, *Serm.* VIII, *de Evang. lect.* 1; S. Gregorius M. *Mor.* lib. XIV, 5; S. Fulgentius, *De fide* c. III, n. 42, et Reg. XXXV, n. 79, etc. Ita Augustinus, *De un. Eccl.* c. 19 : « Ad ipsam scilicet salutem et vitam æternam, nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit. quod est Ecclesia. »

2. Cfr. conc. Later. IV. *Def. cont. Alb.;* Innocentius III, *Prof. fidei præsc. Waldensibus;* Eugenius IV, *Dec. pro Jacobitis ;* Bonifacius VIII, bulla *Unam sanctam ;* Pius IX, syll. prop. 15, 16, 17.

3. Ecclesiarum particularium earumque Pastorum dignitatem inculcat Leo XIII, Litt. Apost. *Ex supremo Apostolatus apice,* Const. *Romanos Pontifices,* Epist. *Cognita nobis,* Encycl. *Cum multa sint,* etc.

maxime esset ad tuendam hujus vitæ, quæ in terris agitur, prosperitatem instituta (1). » Ita profecto esse facile convincetur, quisquis vel animum adverterit ad harmoniam quæ necessario reperitur in divinis operibus, vel Ecclesiæ doctrinam consideraverit, vel testem temporum historiam consuluerit.

B. — Idea societatis civilis.

44. *A natura et a Deo auctore naturæ sunt :*

Societas civilis generatim sumpta est cœtus plurimarum familiarum organice adunatus ad commune bonum temporale consequendum. Vario gradu perfectionis existere potest, a tribu instabili vel municipio independenti usque ad proprie dictam Rempublicam et Statum (2).

ipsa societas civilis in abstracto *sumpta,*

Est societas civilis, in aliquo saltem perfectionis gradu, omnino naturalis, humano generi necessaria, et consequenter a Deo auctore naturæ volita. « Insitum homini natura est ut in civili societate vivat: is enim necessarium vitæ cultum et paratum, itemque ingenii atque animi perfectionem cum in solitudine adipisci non possit, provisum divinitus est, ut ad conjunctionem congregationemque hominum nasceretur cum domesticam, tum etiam civilem, quæ suppeditare *vitæ sufficientiam perfectam* sola potest (3). »

socialis auctoritas,

Eo ipso quod a Deo auctore naturæ est societas civilis, a Deo etiam est unionis et activitatis socialis principium, scilicet auctoritas. « Quoniam non potest societas ulla consistere, nisi si aliquis omnibus præsit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem qua regatur: quæ, non secus ac societas, a natura proptereaque a Deo ipso oriatur auctore. — Ex quo illud consequitur, potestatem publicam per se ipsam

1. Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei;* cfr. Encycl. *Inscrutabili, Quod Apostolici muneris, Arcanum, Diuturnum, Auspicato concessum, Nobilissima Gallorum gens,* etc.

2. Cfr. Meyer, *Inst. jur. nat.*, s. II, lib. I, c. 2, n. 415-417. — De societatis civilis evolutione apud Hebræos, lege Vigouroux, *La Bible et les découvertes modernes,* tom. III, *Les Juges.*

3. Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei;* cfr. Encycl. *Diuturnum, Quod Apostolici muneris;* — S. Thomas, *De reg. princ.*, lib. I, c. I; Suarez, *De leg.*, lib. III, c. I; Th. Meyer, *Inst. jur. nat.*, sect. 2, lib. I, c, 2; Costa-Rosetti, *Inst. Eth. et Jur. nat.*, th. 158 et seq. — De societate in statu innocentiæ, lege S. Thomam I. q. 96, a. 4; Suarez, *De op. sex dier.*, lib. V, c. 7.

non esse nisi a Deo. Solus enim Deus est verissimus maximusque rerum dominus, cui subesse et servire omnia, quæcumque sunt, necesse est: ita ut quicumque jus imperandi habent, non id aliunde accipiant, nisi ab illo summo omnium principe Deo. *Non est potestas nisi a Deo* (1). » — « Inde præterea intelligitur, » « imperium in quo sit, quicumque is est, ministrum esse Dei (2). » « Deus enim, sicut in rebus quæ sunt quæque cernuntur, causas genuit secundarias, in quibus perspici aliqua ratione posset natura actioque divina, quæque ad eum finem, quo hæc rerum spectat universitas, conducerent: ita in societate civili voluit esse principatum, quem qui gererent, ii imaginem quamdam divinæ in genus humanum potestatis divinæque providentiæ referrent (3). »

auctoritatis attributa essentialia.

Sicut a Deo est auctoritas civilis, ita a Deo sunt essentialia hujus auctoritatis attributa. Nempe talis esse debat auctoritas quæ utilitatis bonique communis reapse sit efficiens; duplex autem est in hunc finem ejus functio: res *administrare,* personas *gubernare;* utrumque fit *jubendo, judicando* et *cogendo.* — Non magis ergo ab hominum voluntate pendet auctoritas in sua extensione, quam in sua existentia; attamen absoluta et indefinita non est: commensuratur enim fini societatis, et limitatur juribus individuorum, familiarum, Ecclesiæ (4).

Prædicta auctoritas concipi debet tanquam elementum a multitudine distinctum eique superius, toti tamen corpori morali, qua tali, essentialiter proprium, ipsi intrinsece inhærens ac vitam præbens. Sicut autem in persona physica est mutua actio animæ in corpus, voluntatis in facultates: ita in persona morali societatis est mutuus influxus capitis in membra et membrorum in caput; hinc operationes sociales non solius auctoritatis sunt, sed cum proportione membris etiam attribui debent. — Præterea, sicut persona physica recte se habet, quando corpus et anima, facultates et voluntas harmonice contemperantur: ita persona socialis perfecta est, quando membra plene subordinantur

1. Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei;* cfr. Encycl. *Quod Apostolici muneris, Humanum genus, Diuturnum.* — Alensis, *Summ.* III, q. 48; Scholastici passim in II dist. 44, et præ cæteris S. Bonaventura, a. 2, q. 1; S. Thomas, q. 1, a. 2; Auctor opusc. *De reg. princ.* III, 1-3, etc.

2. Encycl. *Humanum genus.* — 3. Encycl. *Immortale Dei.*

4. Cfr. Pii IX, *Syll.* 39; All. 9 Junii 1862; Encycl. *Quanta cura.*

capiti, et una quasi existit voluntas collectiva ; e contra si talis subordinatio et unio cessent, cito corpus sociale dissolvitur (1).

45. *In concreto spectata societas civilis humana actione efformatur,*

Quamvis societas civilis sit naturalis et a Deo volita, tamen, prout in concreto existit, non constituitur immediate a Deo vel a natura, sed vario modo efformatur humana actione: nempe vel ex familiarum evolutione, vel ex individuorum consensu et conventione, vel ex causis naturalibus et factis historicis, vel (communius) ex his omnibus simul (2).

eademque actione definitur societatis regimen,

Non magis a Deo vel a natura immediate definitur societatis regimen speciale, sed illud oritur ex humana cooperatione, ex factis historicis, ex causis naturalibus, verbo, ex vi multiplicium circumstantiarum. Potest autem regimen reipublicæ humanæ triplex esse ; « monarchicum unius principis supremi, qui est una singularis persona; aristocraticum unius supremi concilii seu tribunalis ex pluribus optimatibus coacti ; et democraticum per totius populi suffragia : qui tres modi simplices sunt ; ex iis autem possunt alii componi, qui vel duos illorum vel etiam omnes participent, quæ gubernationes solent mixta appellari (3). » — Docet S. Thomas, ad bonam reipublicæ ordinationem requiri ut « omnes aliquam partem habeant in principatu », modo tamen hierarchico, ita ut plurium voluntates tandem voluntati unius subordinentur ; ex quo deducit Angelicus, optimam politiam esse commixtam ex monarchia, aristocratia et democratia (4). Cæterum adverti potest, in ipso etiam regimine democratico, *de facto* directionem efficacem plerumque esse penes unum : inter varias enim factiones una dominari solet, hæc autem suum habet *caput,* cui obedit. Ita S. Thomas : « Socialis vita multorum esse non posset, nisi aliquis præsideret, qui ad

1. Cfr. Meyer, *op. cit.*, n. 360 et seq.

2. Cfr. Taparelli, *Essai théorique de droit naturel,* liv. III ; Meyer, *op. cit.*, n. 361-363, 415-429. — Cæterum confundi nequit *societas civilis perfecta* seu *status,* cum *natione* et *patria.* Potest enim una societas civilis coalescere ex pluribus nationibus, et vicissim una natio distingui in plures societates. Ad *nationem* efformandam concurrunt varia elementa, v. g. origo, lingua, religio, diuturna vitæ communitas, etc. *Patria* autem est terra patrum, natale solum, et familia in civitatem, provinciam, regionem dilatata. Cfr. *Civilta cattolica,* ser. I, tom. 7, *Lo stato e la patria.* — Illæ ideæ sunt in scientia morali accuratæ analysi subjiciendæ, ne erretur quando determinanda sunt *jura nationum, officia erga patriam,* etc.

3. Suarez, *Def. fidei,* lib. III, c. 2, n. 4. — 4. S. Thomas, 1-2, q. 105, a. 1.

bonum commune intenderet. Multi enim per se intendunt ad multa, unus vero ad unum. Et ideo Philosophus dicit quod, quandocumque multa ordinantur ad unum, semper invenitur unum ut principale et dirigens (1).

designatur auctoritatis subjectum,

Similiter organon auctoritatis, seu persona (singularis vel collectiva) eam exercens, non determinatur immediate a Deo aut a natura, sed vel imponitur factis cogentibus, vel adjunctis indicatur, vel suffragio designatur. Generatim dici potest, penes eos esse debere auctoritatem, qui cæteris præstant *cognitione* boni communis, et *voluntate* illud procurandi, et *viribus* ad exequendum. Unde S. Thomas: « Si unus homo (in statu innocentiæ) habuisset super alios supereminentiam scientiæ et justitiæ, inconveniens fuisset nisi hoc exequeretur in utilitatem aliorum, (sc. imperando) (2).

media gubernationis proponuntur.

Tandem nec a Deo, nec a natura immediate proponuntur gubernationis media, sed in concreto debent proportionari capacitati physicæ et morali membrorum societatis, et, pro varia eorum perfectione, benigniora vel duriora adhiberi (3). Scilicet quo magis membra societatis ad idealem humanæ naturæ perfectionem, præsertim moralem, accedunt, id est, quo universalius in iis recta ratio inferioris naturæ impulsus imperio continere solet, eo magis ipse modus, quo per auctoritatem socialem motus moralis iis communicatur, huic rationali dignitati conformari potest ac debet. Contra vero, quo longiore intervallo corpus sociale aut maxima ejus pars ab ideali illo rationabilitatis habitu distare cognoscitur, eo minus moraliter capax censendum est, cui nobilior ille gubernandi modus convenienter et cum fructu applicetur (4).

46. *Quo sensu auctoritas dicatur a Deo,*

Ex dictis intelligitur quo sensu auctoritas sit a Deo, et quo sensu non sit a Deo: auctoritas ipsa abstracte sumpta, est a Deo naturæ auctore, non autem a Deo per communicationem a creatione distinctam; — auctoritas in concreto sumpta, seu ejus forma

1. S. Thomas, I, q. 96, a. 4.

2. S. Thomas, I, q. 96, a. 4; cfr. *In Arist. Prolit.* III, lect. 12.

3. Hoc sensu non pauci ex Patribus, v. g. S. Irenæus, V, 24, asserunt *imperium* fundari non in ipsa natura sed in natura lapsa: intelligunt scilicet imperium secundum suam formam historicam, *gladio et terrore* armatum; cfr. Alensis *Summ.* II, q. 93; S. Bonaventura, in II, dist. 44, q. 2, a. 2; S. Thomas, in II, dist. 44, q. 1, a. 3; I p., q. 96, a. 4; Meyer, *op. cit.*, n. 428.

4. Meyer, *op. cit.*, n. 386.

et subjectum, non est immediate a Deo instituente (1), sed est a Deo permittente, providente, donante (2).

quo sensu a communitate.

Intelligitur etiam quo sensu auctoritas sit a communitate, et quo sensu non sit a communitate: vere affirmatur esse a communitate, quatenus est elementum ejus constitutivum, ipsi inhærens, apud eam et ex ea necessario exsurgens; — at non est a communitate auctoritas abstracte sumpta, quasi ab ipsa penderet ut sit vel non sit (3); vel quasi esset mera summa jurium singulis membris competentium (4), aut summa numeri et materialium virium (5); — nec est a communitate auctoritas

1. Ita S. Chrysostomus, *In epist. ad Rom.*, hom. XXIII: « *Non est potestas nisi a Deo.* Quid dicis? Unusquisque princeps a Deo ordinatus est? Non hoc dico, inquit (Paulus). Non enim de singulis mihi principibus sermo est, sed de re ipsa. Nam quod principatus sint, et quod alii imperent, alii subjecti sint, nec omnia casu aut temere ferantur, populis quasi fluctibus hinc inde circumactis, divinæ esse sapientiæ dico. Ideo non dixit: *Non est enim princeps nisi a Deo*, sed de re ipsa loquitur dicens: *Non enim est potestas nisi a Deo.* » Cfr. S. Isidorus Pel. *Epist.* lib. II, 216.

2. Ita Tertullianus, *Apol.* 30: « Inde est imperator, unde et homo antequam imperator; inde potestas illi, unde et spiritus; » cap. autem 34: « Sed quid ego amplius de religione atque pietate christiana in imperatorem? quem necesse est suspiciamus ut eum quem Dominus noster elegerit. Et merito dixerim, noster est magis Cæsar, ut a Deo nostro constitutus. » Eadem inculcat S. Augustinus, *De civ. Dei*, lib. V, c. 1: « Prorsus divina providentia regna constituuntur humana; » rursus c. 11: « Nullo modo est credendus (Deus) regna hominum eorumque dominationes et servitutes a suæ providentiæ legibus alienas esse voluisse; » et cap. 21: « Quæ cum ita sint, non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum solis piis; regnum vero terrenum et piis et impiis, sicut ei placet, cui nihil injuste placet. » Cfr. S. Epiphanius, *Hær.* 40, n. 4; S. Leo, *Epist.* 43, c. 2, etc. Receptam a Patribus doctrinam enuntiavit conc. Paris. ann. 829, lib. II, 5: « Nemo regum a progenitoribus regnum sibi administrari, sed a Deo veraciter atque humiliter credere debet dari. » — Agnoscit S. Gregorius VII, ipsam auctoritatem esse a Deo, agnoscit etiam auctoritatis possessionem a Deo dispensari: cfr. *Epist.* lib. II, 31; III, 7; VII, 21, 23, 25; at simul considerans *regnorum originem historicam* et *regnandi modum*, præsertim apud Ethnicos, vere affirmat *regiam potestatem* violentiæ, furtis, rapinis deberi; hanc vero historicam originem urget, quando auctoritatis ecclesiasticæ præ regia excellentiam inculcat; cfr. *Epist.* lib. IV, 2, VIII, 21. Si qua est in hac re, apud Gregorium et alios scriptores, verborum exaggeratio, ea facile explicatur ex temporum et rerum circumstantiis. Attamen dicta Gregorii reprehendit Hugo Floriacensis, *De regia potestate et ecclesiastica dignitate*, lib. I, c. 1, ubi ipse in verum errorem labitur.

3. Ita Bellarminus, *De laicis*, 6: « Hæc potestas est de jure naturæ, non enim pendet ex consensu hominum; nam velint, nolint, debent regi ab aliquo, nisi velint perire humanum genus, quod est contra naturæ inclinationem. » — 4. Cfr. Leo XIII, Encycl. *Diuturnum*.

5. Pii IX *Syll.* 60.

in concreto sumpta, quasi necessario in multitudine habitualiter resideret, et ab ea per *commissionem* transiret in unum vel plures *ministros* revocabiles (1); — imo, ut nobis quidem videtur, nec ita est a communitate, quasi necessario in multitudine primario et radicaliter resideret, et ab ea in unum vel plures *possessores* transiret per *communicationem* plus minus integram, absolutam et irrevocabilem (2). — Dicimus non *necessario* auctoritatem in multitudine habitualiter aut radicaliter residere, et consequenter a multitudine vel committi exercendam vel communicari possidendam: non enim negamus eam residere *posse* in multitudine (3): ubinam autem de facto sit, pendere arbitramur a circumstantiis, nempe a modo quo societas efformata est (evolutione familiæ vel extraneorum conventione),

1. Hujusmodi sententiam jam videtur proposuisse Almainus, *Quæst. resumpt. de dom. nat. civ. et eccl.* « Non potest renuntiare communitas potestati quam habet super suum principem ab eo constitutum, qua sc. potestate... eum potest deponere, cum talis potestas sit naturalis. » Nostris autem temporibus « perplures, eorum vestigiis ingredientes, qui sibi superiore sæculo philosophorum nomen inscripserunt, omnem inquiunt potestatem a populo esse; quare qui eam in civitate gerunt, ab iis non uti suam geri, sed ut a populo sibi mandatam, et hac quidem lege ut populi ipsius voluntate, a quo mandata est, revocari possit. Ab his vero dissentiunt catholici homines. » Leo XIII, Encycl. *Diuturnum.*

2. Ita docuerunt sæculo XVI et deinceps multi magni Magistri: Bellarminus *De laicis*, c. 6; Suarez *Def. Fidei*, lib. III, c. 2; *De legibus*, lib. III, c. 2, 3, 4; Molina, *De just. et jure*, tr. II, disp. 22; Lessius, *De perf. div.*, lib. X, c. 2, n. 8, quos sequitur S. Alphonsus, lib. I, n. 104. — Utrum hanc sententiam ab Angelico Præceptore didicerint prædicti Theologi, dubitare licet: cfr. 1, q. 96, a. 4; 1-2, q. 90, a. 3; q. 97, a. 3 ad 4; q. 105, a. 1; 2-2, q. 61, a. 2; *De reg. princ.* lib. I, c. 1-6. — Nimium etiam asseverantes sunt qui absolute pronuntiant, eamdem fuisse doctrinam totius antiquitatis christianæ: sane ex Patribus sex priorum sæculorum, pauca eaque parum rei utilia proferunt; vix aliquid sive ex scriptoribus posterioribus, Sedulio, Smaragdo, Hincmaro, Jona Aurelianensi, sive ex variis, quæ in usu fuerunt, liturgicis formulis coronationis et unctionis regum. — Quidquid sit, hæc sententia hodie minus arridere solet, quamvis destituta non sit egregiis defensoribus; Pontifices autem ita locuti sunt ut eam quidem non reprobaverint, ipsi tamen minime faverint; cfr. Leonis XIII, Encycl. *Quod apostolici muneris, Diuturnum, Humanum genus, Immortale Dei*, in quibus instanter docetur, inæqualitatem juris et potestatis inter cives esse ab auctore naturæ, — a civibus non mandari imperium, sed statui a quo sit gerendum, etc.

3. Ut de quibusdam populis modernis sileamus, ad populum Romanum spectant textus juris, L. 2, § 9 et § 11. *ff. de orig. juris;* item L. 1, *ff. de const. Princ.:* « Quod principi placuit, legis habet vigorem: utpote quum, lege regia, quæ de imperio ejus lata est, populus ei et in eum suum imperium et potestatem conferat. »

a respectiva perfectione elementorum quibus constituta est, a factis historicis naturalibus vel etiam supernaturalibus (1).

47. *Mutationes in corpore sociali, forma regiminis, subjecto auctoritatis, modo gubernationis,*

Societatis materia, seu membra eam componentia, forma regiminis, organon auctoritatis, modus gubernationis, nihil habent absoluti, sed de jure mutabilia sunt, et de facto passim mutantur : contingit enim ut plures societates in unam coalescant, vel e contra una in plures dispertiatur ; — ut regimen monarchicum in democraticum vertatur, aut e contra ; — ut potestas ab una familia in aliam transferatur, etc.

quando legitimæ,

Jam vero legitimæ sunt hujusmodi mutationes, si, servata lege divina et naturali, fiant de consensu omnium quorum interest, vel imponantur per auctoritatem competentem, vel oriantur necessario ex rerum circumstantiis. Advertendum autem, mutationem, quæ oritur ex rerum circumstantiis, posse esse legitimam, etiam si factum, quod eam necessariam reddiderit, fuerit illicitum : satis est quod, posito tali facto, prior rerum status evaserit inutilis, impossibilis, vel nocivus.

quando illegitimæ.

Deficientibus prædictis conditionibus et causis, mutationes sunt illegitimæ (2). In supposito autem quod aliqua mutatio fuerit et maneat illegitima, non possunt membra societatis directe cooperari ad eam perpetuandam ; possunt tamen eam tolerare seu subire : an vero, quousque et quibus mediis possint aut teneantur priorem statum reducere, non facile determinatur (3).

Quod in specie pertinet ad auctoritatis detentorem, ille erit vel detentor nomine alieno et modo provisorio, vel detentor nomine proprio et modo absoluto : in prima hypothesi non solum valide, sed etiam licite gubernabit, quoadusque verus auctoritatis possessor sit impeditus ; in altera hypothesi, quæ est usurpatoris, illicite gubernabit, siquidem potestatem dimittere obligatur ; at gubernabit valide, quoniam aliquod auctoritatis exercitium societati necessarium est.

1. Cfr. *Civilta cattolica*, ser. I, tom. 2, *Il suffragio universale ;* tom. 3, *Del possesso dell' autorità ;* ser. II, tom. 11 et 12, *L'autorità spiegata dagli scolastici ;* Taparelli, *Droit nat.* n. 464 et seq.

2. Cfr. Leo XIII, Encycl. *Diuturnum* et Encycl. *Immortale Dei*, ubi inter ea quæ « ex Pontificum præscriptis omnino intelligi necesse est », ponit illud : « seditionum licentiam cum ratione pugnare. »

3. Cfr. Alensis, *Sum.* III, q. 48 ; S. Bonaventura, in II, dist. 44, a. 3, q. 1 ; S. Thomas, in II, dist. 44, q. 2, a. 2 ; 2-2, q. 104, a. 6, ad 3.

Quemadmodum tamen contingere potest ut auctoritatis possessor, qui prius legitimus erat, postea evadat illegitimus, nempe ratione privationis, indignitatis, incapacitatis et impotentiæ, ita vicissim contingere potest ut detentor illegitimus decursu temporis evadat possessor legitimus: hoc autem fit, non per viam proprie dictæ prescriptionis, sed per viam cujusdam amissionis (déchéance) ex una parte, et collationis in favorem alterius partis. — Ubi notandum est, *per se* facilius amitti *auctoritatis* possessionem quam rerum *dominium;* cujus ratio est, quia rerum dominium est in utilitatem *domini,* auctoritas autem est in bonum *communitatis.* Dicimus *per se,* nam aliter loquendum est de casu quo auctoritas alicui exercenda tradita fuerit in finem sublimiorem: exemplum est in principatu temporali S. Sedis (1).

48. *Societas civilis medium generale ad temporalem perfectionem:*

Societas civilis est medium generale homini a Deo præstitum ad triplicem temporalem perfectionem: materialem, intellectualem, moralem; in ea enim et per eam homo bona externa vitæ necessaria vel utilia comparat, — naturalibus scientiis instruitur, — ad justitiam et publicam honestatem dirigitur. Triplex autem illa perfectio ita se habet ut materiali præcellat intellectualis, utramque superet moralis: materialis et intellectualis vocantur *cultura,* moralis dicitur *civilitas.*

societates inferiores:

Ad expeditiorem triplicis perfectionis consecutionem exstant in societate civili inferiores societates plus minus completæ, v. g. provinciæ et municipia. — *Ad consecutionem vero particularis perfectionis voluntarie a civibus constituuntur societates negotiationis, litterarum, beneficentiæ,* etc. Hujusmodi societates jure efformantur, si *a)* in fine intento, mediis, modo cooptandi socios, pactis, doctrinis, nihil reprehensibile habeant; et *b)* si civili societati, in qua florescunt, subordinatæ maneant: secus damnabiles sunt. — Ex quibus apparet quare S. Sedes non solum, gravissimis edictis pœnis, sectas massonicas proscripserit (2), verum etiam illicitas habeat illas omnes sectas « quæ a sectatoribus *secretum* nemini pandendum, et omnimodam obedientiam *occultis* ducibus præstandam jurejurando exigunt (3). »

1. Cfr. Pii IX *Litt. Apost.* 26 Mart. 1860, *Cum Catholica Ecclesia;* Leonis XIII, *Epist.* ad Card. Rampolla, 15 Jun. 1887; Card. Caterini *Epist. confidentialis,* ap. *Acta S. Sedis,* IV, 22. — 2. Cfr. Const. *Apost. Sedis,* II, 4; Encycl. *Humanum genus.* — 3. Instructio S. Off. 10 maii 1884; cfr. *Acta S. Sedis* I, 292, not.

Ad securiorem generis humani vitam et pleniorem ejus evolutionem, societati civili superaddi debet internationalis societas gentium. Naturalis enim generis humani unio non sufficit, quum nimis vaga sit, imperfecta ac debilis, et auctoritate humana destituta sit. Internationali autem societati constituendæ et conservandæ obstant quidem hominum cupiditates, eam tamen mirifice juvant tum propria religionis christianæ *charitas,* tum Ecclesiæ *catholicitas;* de facto autem aliquod ejus specimen extitit medio ævo, opera Pontificum Romanorum (1). *superior societas internationalis.*

49. *Finis ultimus societatis civilis.*

Est quidem temporalis felicitas finis proprius et proximus societatis civilis; æterna tamen felicitas est ejusdem finis remotus et principalis. « Nati enim susceptique omnes homines sumus ad summum quoddam et ultimum bonorum, quo sunt omnia consilia referenda, extra hanc fragilitatem brevitatemque vitæ in cœlis collocatum. Quoniam autem hinc pendet hominum undique expleta ac perfecta felicitas, idcirco assequi eum, qui commemoratus est, finem, tanti interest singulorum, ut pluris interesse non possit. Civilem igitur societatem, communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicæ necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes, quascumque possit, opportunitates afferat. Quarum præcipua est ut detur opera religioni sancte inviolateque servandæ, cujus officia hominem Deo conjungunt (2). »

C. — Comparatio utriusque societatis.

50. *Utriusque societatis respectiva dignitas.*

Societas ecclesiastica civili præstat ratione *finis* et *mediorum,* ratione *originis* et *constitutionis,* ratione *durationis* et *extensionis.*

Hinc societas civilis ad ecclesiasticam ordinatur, eique subordinatur. Etenim ad finem ultimum homo tendere debet per supernatu-

1. Cfr. De Maistre, *Du Pape,* liv. III; Hergenröther, *Kirche und Staat,* I, 15; Stöckl, in per. *Der Katholik,* 1877, II, 42; Jungmann, *Diss. in Hist. Eccl.* XV, XIX; Meyer. *op. cit.,* n. 429. — Ex protestantibus Grotius, *Pro pace Eccl.* II, 659; Leibnitzius, *Œuv.* V, 65; Urquhart, *Appel d'un protestant au Pape pour le rétablissement du droit public des nations;* Guizot, *L'Eglise et la société chrétienne,* c. 14.

2. Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei.*

ralem Dei cognitionem, amorem et cultum : in his est præcipua hujus vitæ perfectio et felicitas, hæc intendit societas et auctoritas ecclesiastica. Verum religionis exercitium multa bona prærequirit tum ex parte corporis, tum ex parte animi : in his est secundaria hujus vitæ felicitas, et hæc intendit societas et auctoritas civilis (1).

et harmonica coordinatio.

Itaque nec confusæ, nec separatæ aut mere collaterales, sed harmonice coordinatæ sunt societas ecclesiastica et societas civilis. « Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis alteram humanis rebus præpositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cujusque natura causaque proxima definitos: unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cujusque actio jure proprio versetur. Sed quia utriusque imperium est in eosdem, cum usuvenire possit, ut res una atque eadem, quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res ad utriusque jus judiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo

1. Pulchre doctrinam expressit Hugo a S. Victore, *De sacr.* lib. II, p. 2, c. 4 : « Duæ quippe vitæ sunt : una terrena, altera cœlestis ; altera corporea, altera spiritualis ; una qua corpus vivit ex anima, altera qua anima vivit ex Deo.

« Utraque bonum suum habet, quo vegetatur et nutritur ut possit subsistere : vita terrena bonis terrenis alitur ; vita spiritualis bonis spiritualibus nutritur ; ad vitam terrenam pertinent omnia quæ terrena sunt, ad vitam spiritualem quæ spiritualia sunt omnia bona.

« Ut autem in utraque vita justitia servetur, et utilitas proveniat, primum utrinque distributi sunt, qui utriusque bona secundum necessitatem vel rationem studio et labore acquirant: deinde alii qui ea, potestate officii commissi, secundum æquitatem dispensent; ut nemo fratrem suum supergrediatur, sed justitia inviolata servetur. Propterea in utroque populo secundum utramque vitam distributo, potestates sunt constitutæ. In laicis quippe, ad quorum studium et providentiam ea quæ terrenæ vitæ necessaria sunt, pertinent, potestas est terrena; in clericis autem, ad quorum officium spectant ea quæ spiritualis vitæ sunt bona, potestas est divina. Illa igitur potestas sæcularis dicitur, ista spiritualis nominatur.

« Quanto autem vita spiritualis dignior est quam terrena, et spiritus quam corpus, tanto spiritualis potestas terrenam sive sæcularem potestatem honore ac dignitate præcedit. Nam spiritualis potestas terrenam potestatem et instituere habet, ut sit, et judicare habet, si bona non fuerit : ipsa vero a Deo primum instituta est, et, cum deviat, a solo Deo judicari potest. »

Brevius Rob. Pullus, *Sent.* VII, 7. « Potestas una habet providere corpori, altera menti. Utraque a Deo constituta est, ut totus homo integram sibi servet salutem : præcipue tamen exterioris hominis pax et salus inquiritur ut interiori homini quies comparetur. Ergo potestas una alteri constituitur suffraganea. »

sunt ambæ constitutæ, utriusque itinera recte atque ordine composuisse... Itaque inter utramque potestatem quædam intercedat necesse est ordinata colligatio: quæ quidem conjunctioni non immerito comparatur per quam anima et corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit, aliter judicari non potest nisi respiciendo ad utriusque naturam, habendaque ratione excellentiæ et nobilitatis causarum; cum alteri proxime maximeque propositum sit rerum mortalium curare commoda, alteri cœlestia ac sempiterna bona comparare. — Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiæ: cætera vero, quæ civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subjecta (1). » — « Verum quoties quidquam constitui de eo genere oportet, de quo utramque potestatem, diversis quidem de causis diversoque modo, sed tamen utramque constituere rectum sit, necessaria est et utilitati publicæ consentanea utriusque concordia; qua sublata, omnino consecutura est anceps quædam mutabilisque conditio, quacum nec Ecclesiæ, nec civitatis potest tranquillitas consistere. Cum igitur pactis conventis inter sacram civilemque potestatem publice aliquid constitutum est, tunc profecto quod justitiæ interest, interest idem reipublicæ, concordiam manere integram; propterea quod sicut alteri ab altera præstantur officia mutua, ita certus utilitatis fructus ultro citroque accipitur et redditur (2). »

51. *Omnis societatis principium est conjugium, quod supernaturali auctoritati concreditum est.*

Utriusque societatis civilis et religiosæ principium est societas conjugalis, qua populus tum ad civitatis incrementum et durationem, tum maxime ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procreatur atque educatur. Idcirco conjugium ad supernaturalem sacramenti dignitatem evexit Christus, illudque pendere voluit principaliter et quoad essentiam a superiore auctoritate religiosa, secundario et quoad effectus externos a subordinata societate civili.

1. Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei.* — Optima de utriusque potestatis distinctione et relatione collegit Jamin, *Pensées sur les erreurs du temps*, VIII.
2. Leo XIII, Encycl. *Nobilissima Gallorum gens.*

TRACTATUS TERTIUS.

DE REGULIS IN FINEM.

52. *Creatura rationalis in finem movetur motione morali.*

ENTIA universa in finem suum a Deo moventur motione uniuscujusque naturæ conformi: irrationalia enim ita moventur ut a fine suo nulla ratione deficere valeant; e contra rationalia ita moventur ut, licet ad supremum creationis finem simpliciter adstringantur, tamen potestatem retineant a fine divinæ glorificationis et propriæ beatitudinis deficiendi. Dum autem hujusmodi libertatem Deus entibus rationalibus concedit, ipsis voluntate supremi Domini et Ordinatoris prædictam glorificationem et beatitudinem imponit, ad eam ipsos impellit, dirigitque *regulis* efficacibus: « Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui; adjecit mandata et præcepta: si volueris mandata servare, conservabunt te (1). »

Duplex regula: lex et conscientia.

Jam vero illæ regulæ, quæ sunt quasi libertatis complementum et remedium, considerari possunt *in se* et *objective,* vel *in sua applicatione* et *subjective:* in se consideratæ nomine *legis* designantur, consideratæ in sua applicatione vocantur *conscientia;* lex regula est operationum *remota,* conscientia regula *proxima* (2). Duæ igitur erunt hujus tractatus partes.

1. Eccli. xv, 14-16.

2. Huic distinctioni affinis est, non tamen identica, sæpe repetita distinctio S. Thomæ, duplicis regulæ actuum humanorum, sc. rationis humanæ et legis æternæ. Ita v. g. 1-2, q. 21, a. 1: « Debitus ordo ad finem secundum aliquam regulam mensuratur. Quæ quidem regula in his, quæ secundum naturam agunt, est ipsa virtus naturæ, quæ inclinat in talem finem... In his vero quæ aguntur per voluntatem, regula proxima est ratio humana, regula autem suprema est lex æterna. » Item 1-2, q. 71, a. 6: Regula voluntatis humanæ est duplex. Una propinqua et homogenea, scilicet ipsa humana ratio. Alia vero est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei ».

PARS PRIMA.

DE LEGE. (1)

LIBER PRIMUS.

DE NOTIONE ET SPECIEBUS LEGIS MORALIS.

53. *Notio legis moralis,*

LEX generatim est « regula et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum vel ab agendo retrahitur » (2). Est ergo lex vis aliqua inducens ad agendum, vel retrahens ab actu. Inducitur autem agens ad agendum, vel ab agendo retrahitur, appetitu sensibili, aut materia, aut ratione et voluntate; vis inducens appetitu vocatur *inclinatio* seu *passio;* vis inducens materia vocatur *necessitas* seu *determinatio;* utroque autem casu lex dicitur physica; vis inducens ratione et voluntate vocatur *obligatio*, et lex dicitur moralis (3).

54. *et obligationis,*

LEGIS moralis elementum, quo a lege physica differt essentialiter, est *obligatio;* conceptus autem obligationis est quod sit debitum rationale absolutum. *Subjectum* ejus est voluntas creata; *effectus* est libertatis physice existentis seu facultatis eligendi restrictio. *Ratio* obligationis non est agentis delectatio, nec utilitas, nec dignitas, nec relatio ad alios homines aut ad naturam. Ultimum *fundamentum* est imperium Dei Creatoris et Domini, finem ultimum et media ad finem ordinantis. Ergo obligationis definitio est: debitum rationale absolutum ex necessaria connexione mediorum cum fine necessario resultans (4).

1. Pauca eaque diversis in locis de legibus habent Magister ejusque Commentatores. — Tractatum quasi creavit Alensis, *Summ.* III q. 26-60, absolvit Angelicus, 1-2, q. 90-108, ad omnimodam perfectionem perduxit Suarez. — Præter Moralistas antiquiores ac recentiores (*Intr.* n. 163, 175, 184, 191, 192), S. Thomæ Commentatores (*Intr.* n. 173, 182) et Jurisperitos, nonnulli materiam specialibus operibus tractarunt (*Intr.* n. 161, 176, 186). — Ex Polemistis peculiari mentione dignus est Driedo, qui teste Suarezio, in libro *De libertate christiana,* « erudite de omni genere legum disseruit ».

2. S. Thomas, 1-2, q. 90, a. 1.

3. Appellatio legis physicæ in oppositione ad legem moralem est relative recens. Analogias inter unam et alteram explicant dux Argyll, *The regn of law;* Pianciani in opere *Saggi Filosofici,* in diss. *Analogia tra le leggi Fisiche et le leggi morali;* Ausonio Franchi, *Ultimo critica*, p. II, pag. 361.

4. Cfr. Taparelli, *Diritto nat.* I, 93.

55. *vix nota antiquis,*

Notio obligationis et correspondentis legis moralis, quæ apud christianos vulgaris est, vix nota fuit a philosophis antiquis, nominatim a Græcis (1). Advertunt tamen philologi ex nominibus, quibus designatur, duo esse *(jus* et *fas)* quæ aliquid sacrum denotare videntur (2).

56. *Definitio legis a S. Thoma proposita:*

Classica est legis moralis definitio proposita a S. Thoma « Ordinatio rationis ad bonum commune et ab eo qui curam habet communitatis promulgata » (3). Hæc definitio, ex præcedentibus quæstionibus collecta, derivata non videtur ex fontibus revelatis nec ex patrum explicationibus, ab Angelico elaborata est, maxime intuitu legum humanarum et positivarum.

Singula definitionis verba expendenda veniunt.

ordinatio

Dicitur *a/* « *Ordinatio* » : dispositio ad finem per media proportionata (4). Fit autem ordinatio diverso modo, per orationem, per promissionem, per imperium (5).

rationis

Dicitur *b/* « *ordinatio rationis* ». Ad rationem enim pertinet media disponere ad finem (6). Intelligitur autem ratio practica rerum causativa, quatenus ope voluntatis conjunctæ necessitatem inducit (7). Est ergo lex, prout est in legislatore, non tantum actus intellectus, sed etiam actus voluntatis (8).

ad bonum commune

c/ Dicitur « *ad bonum commune.* » Lex scilicet datur communitati et intendit bonum omnium societatis membrorum. Omnium autem bonum spectare possunt etiam illæ ordinationes quæ immediate fiunt pro parte societatis, aut pro specialibus sociorum conditionibus (9). Bonum illud est tum spirituale et finale, tum hujus intuitu etiam temporale, ut enim docet S. Thomas, « per legem dirigitur homo ad actus proprios in ordine ad ultimum finem » (10).

ab eo qui curam habet communitatis

d/ Dicitur lex procedere « *ab eo qui curam habet communitatis* ».

1. Cfr. articuli in *Revue philosophique,* 1901 editi a D. Brochard et a P. Sertillanges, sub titulo: *La morale ancienne et la morale moderne;* de eodem argumento in *Revue de métaphysique et de morale.*

2. Cfr. scriptum Mich. Bréal, de vocibus *jus, fas, lex.*

3. S. Thomas, 1-2, q. 90, a. 4. — 4. S. Thomas, 1-2, q. 102, a. 1. — 5. S. Thomas, 1-2, q. 88, a. 1. — 6. S. Thomas, *Contra Gentes,* lib. II, c. 24. — 7. S. Thomas, 1-2, q 17, a. 1; q. 90, a. 1, ad 3; q. 97, a 3. — 8. Suarez, De legibus, c. 5.

9. Suarez, lib. I, c. 7, n. 6. — 10. S. Thomas, 1-2, q. 91, a. 4.

Curam autem communitatis habet tum Deus ipse relate ad universalitatem generis humani, tum, ex Dei commissione, legitima auctoritas socialis ; jam vero sola ordinatio illius qui curam habet communtatis perfectæ, legis dignitatem sortitur (1).

e/ Dicitur tandem ordinatio « *promulgata* », id est, intimata, ita ut ex divulgatione applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent (2). *promulgata.*

Licet magistralis S. Thomæ definitio a principiis prius expositis fuerit collecta, tamen quædam in ea habentur quæ plus minus deficiunt, quædam vero sunt, quæ explicatione egent. *Definitio explicatione eget.*

Et primo quidem defectus est in eo quod non satis insistatur in ideam obligationis ; consequenter non appareat differentia inter legem et consilium ; nec etiam inter legem proprie dictam et præceptum temporarium.

Secundo autem obscuritas habetur relate ad subjectum legis, relate ad legis auctorem, relate ad formam legis seu promulgationem (3).

Facile defectus suppleri possunt et obscuritates enucleari ex aliis Angelici locis, in quibus asserit, legem proficisci debere a principe qui gubernat aliquam communitatem perfectam (4) ; de ratione legis esse ut sit actuum regula, et ut habeat vim coactivam (5).

57. *Præcipui legis actus.*

Ordinatio ad bonum commune fit præcipiendo, prohibendo, permittendo, puniendo, irritando, et si qua est alia legis moralis efficacia. Præcipere respicit actionis positionem, prohibere ejus omissionem ; permittere est positive statuere, ut actus poni vel omitti possit ; punire est transgressori malum imponere ; irritare est actus valorem impedire. Quatenus præcipit, prohibet, permittit, lex dicitur habere vim directivam ; quatenus punit, irritat, vim coactivam. Leges præcipientes seu *affirmativæ,* obligant *semper*, sed non *pro semper* id est non

1. Cfr. S. Thomas 1-2, q. 90, a. 3 ; q. 92, a. 2 ; q. 95, a. 4 ; q. 96, a. 1, a. 4.

2. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 90, a. 4 ; Suarez, lib. I, c. XI, lib II, c. 1.

3. Cfr. Gonet, diss. 1, a. 3 et 4. — 4. Cfr. S. Thomas 1-2, q. 91, a. 1 ; q. 92, a. 1. — 5. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 96, a. 5.

pro singulis momentis; leges prohibentes seu negativæ obligant semper et pro semper, id est, nullo tempore fas est eas non observare.

58. *Diversæ leges.*

Procedit lex moralis a Deo vel *immediate,* idque jussione necessaria et naturali, aut ordinatione libera et supernaturali; vel *mediate*, vi nempe communicatæ potestatis religiosæ, civilis, domesticæ. Hic autem animadversione digna est perfecta harmonia seu convenientia mediorum et regularum ad finem. Singulis enim mediis supra indicatis propria aliqua lex correspondet. Nempe naturæ humanæ, rationi, voluntatis, respondet lex divina necessaria naturalis; gratiæ, auxiliis, virtutibus, sacramentis, respondet lex divina libera supernaturalis; societati religiosæ respondet lex ecclesiastica; societati politicæ respondet lex civilis; societati domesticæ respondet præceptum paternum. Tanta est divinarum dispositionum, quibus homo ad finem ordinatur, unitas et harmonia.

LIBER SECUNDUS.

DE LEGE ÆTERNA. (1)

Caput I.

De conceptu legis æternæ.

59. *Legis æternæ conceptus.*

Legis æternæ conceptus explicari potest sequentibus propositionibus:

Propositio I. *Supposita creatione, admittenda est creaturarum omnium a Deo directio in suum finem.*

Propositio II. *A Deo in finem suum diriguntur non solum creaturæ rationales et liberæ, sed etiam inanimatæ et sensibiles.*

1. Cfr. Licet de lege æterna pulchra quædam et eloquentia scripserunt philosophi ethnici, nominatim Tullius, notio tamen legis æternæ est christiana. Præcipuus ipsius doctor est S. Augustinus. Eam docuit et expolivit innumeris in locis, toto fere vitæ tempore, sc. *De ordine,* lib. II, c. 4, n. 11; *De libero arbitrio,* lib. I, c. 6, n. 15; *Lib. quæstionum 83,* q. 27; *De vera rel.,* c. 31, n. 57; *Contra Faustum,* lib. XXII, c. 27; *De civ. Dei,* lib. XIX, c. 12 et c. 13. Eamdem notionem illustravit S. Thomas, 1-2, q. 91, et ex ipso Suarez, *De leg.* lib. II, c. 1-5; Valentia, disp. VII, q. 3; Gerdil, *De lege generatim,* disp. I, c. 1; ex modernis autem theologis et philosophis christianis, Er. Muller, *Theol. mor.,* lib. I, tit. 3; Th. Meyer, *Grundsätze der sittlichkeit und des Rechts;* Dupont, *La philosophie de S. Augustin.*

Propositio III. *Diriguntur autem creaturæ in finem secundum suam naturam : inanimatæ per vires et proprietates impressas ; sensibiles per instinctus, tendentias appetitus ; rationales per intellectum et voluntatem, sc. per illuminationem intellectus et motionem voluntatis.*

Propositio IV. *Creaturarum directio in finem est secundum Dei conceptum ; conceptus autem ille non est actus intellectus discursivus, sed est simul actus intellectus et voluntatis, sc. conceptio et ordinatio directiva.*

Propositio V. *Prædicta ordinatio, prout est in interna dispositione divina, vocatur lex æterna.* Recte ergo theologice definitur lex æterna : « ratio divina, seu voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans » (1). Et ea lex, « qua justum est ut omnia sint ordinatissima » (2). Etiam « summa ratio, cui semper obtemperandum est » (3). Simili modo ad mentem S. Augustini legem æternam explicat Angelicus : « Nihil est aliud lex, quam dictamen practicæ rationis in principe qui gubernat aliquam communitatem perfectam. Manifestum est autem... quod tota communitas universi gubernatur ratione divina. Et ideo ipsa ratio gubernationis rerum in Deo sicut in principe universitatis existens, legis habet rationem. Et quia divina ratio nihil concipit in tempore, sed habet æternum conceptum, inde est, quod hujusmodi legem oportet dicere æternam... Sic igitur æternus divinæ legis conceptus habet rationem legis æternæ, secundum quod a Deo ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso præcognitarum. » (4) Iterum : « Deus est gubernator omnium actuum et motionum quæ inveniuntur in singulis creaturis... Unde sicut ratio divinæ sapientiæ, in quantum per eam cuncta sunt creata, rationem habet artis vel exemplaris, ita ratio divinæ sapientiæ moventis omnia ad debitum finem obtinet rationem legis. Et secundum hoc lex æterna nihil aliud est, quam ratio divinæ sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum (5). »

60. *Cur ratio divinæ sapientiæ lex æterna dicatur.*

Cum talis sit conceptus legis æternæ, quæstio statim occurrit theologis, cur ratio divinæ sapientiæ nomine legis, et quidem nomine legis æternæ, designari potuerit, cum in ea essen-

1. S. Augustinus, *Contra Faustum*, lib. XXII, c. 27. — 2. S. Augustinus, *De civitate Dei*, lib. XIX, c. 15. — 3. S. Augustinus, *De libero arbitrio*, lib. I, c. 6. 4. S. Thomas, 1-2, q. 91, a. 1. — 5. S. Thomas, 1-2, q. 93, a. 1.

tialia legis elementa deesse videantur. Deest scilicet *a*/ communitas, cui ab æterno lex illa imponatur; *b*/ deest finis ad quem ab æterno lex illa ordinem habeat; *c*/ deest promulgatio, quæ ab æterno communitati fiat. Quas difficultates sine nimia subtilitate explicant S. Thomas ejusque discipuli (1).

61. *Quomodo differt a divina idea et providentia.*

Iterum quæstio occurrit, quo modo lex æterna differat ab idea divina et a divina providentia. *a*/ Differt ab idea divina, quæ est ratio divinæ sapientiæ, in quantum per eam cuncta sunt creata. *b*/ Differt a providentia divina, quæ est ratio divinæ sapientiæ, in quantum per eam media ad finem applicantur. Unde hæc tria ad invicem se habent ita ut legi æternæ divina idea præsupponatur, providentia vero ad eamdem legem æternam consequatur quasi ex principio (2).

Caput II.

De realitate legis æternæ.

62. *Conceptus legis æternæ apud antiquos vagus.*

Licet apud Antiquos, præsertim apud Tullium (3), de lege æterna eloquenter dicta occurrant, tamen eorum conceptus non videtur fuisse nisi aliquo modo vagus, defectu sufficientis cognitionis Dei et attributorum divinorum.

principaliter vel exclusive est christianus

Est ergo legis æternæ conceptus vel principaliter, vel etiam exclusive christianus. Continetur scilicet in dogmatibus revelatis *creationis, providentiæ, gubernationis*. Excultus autem fuit et successive evolutus in libris sapientialibus, nominatim Job, XXXVIII, Proverb. VIII, Sap. VIII, Ps. CXVIII; tandem expressus vocibus *sapientia, sermo*.

Caput III.

De subjecto legis æternæ.

63. *Legi æternæ non subjiciuntur divinæ operationes liberæ,*

Legi æternæ subduntur omnia quidem contingentia, sed proprie loquendo ei non subjiciuntur divinæ operationes liberæ (4).

1. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 93. — 2. S. Thomas, 1-2, q. 93; *De verit.*, q. v, a. 1, ad 6; Suarez, lib. II, c. 3, n. 10 et 11. — 3. Cfr. Corluy, *La sagesse dans l'ancien Testament*, apud acta congressus doctorum, Parisiis, 1888. — 4. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 93, a. 4; Suarez, lib. II, c. 2, n. 5 et 6.

PROPRIE loquendo legi æternæ non subjiciuntur creaturæ vita et ratione expertes. Lex scilicet qua Deus dicitur gubernare, metaphorice lex seu præceptum appellatur; etiam subordinatio irrationalium creaturarum ad Deum, nonnisi metaphorice dicitur obedientia (1). *creaturæ vita et ratione expertes;*

LEGI æternæ subjiciuntur omnes actiones et motiones creaturarum rationalium (2). *subjiciuntur actiones rationalium creaturarum.*

CAPUT IV.

De relatione cæterarum legum ad legem æternam.

64. *Cæteræ leges referuntur ad legem æternam.*

CÆTERÆ leges ad legem æternam referuntur tanquam derivationes a fonte vel tanquam participationes a toto (3). Lex naturalis participat intellectualiter et rationaliter legis æternæ rationem (4).

Legem æternam participat lex divina positiva, quatenus ratio divinæ sapientiæ est veluti lex justitiæ, secundum quam voluntas divina positivas leges constituens, justa et recta est (5).

Legem æternam participant omnes leges humanæ. Triplici vero ratione docent theologi leges humanas ab æterna derivari: *a*/ tanquam a causa exemplari; sanctio enim illa æternæ legis, qua justum est ut omnia sint ordinatissima, speculum est veluti et exemplar legum omnium per homines ferendarum; quippe in id spectare debet omnis legis constitutio ut congruens in rebus humanis ordo constabiliatur; *b*/ tanquam a causa efficiente, quatenus Dei ordinatione constituta est potestas legum inter homines ferendarum; et *c*/ quatenus eadem lex æterna, medio lumine rationis aut fidei, probat fieri leges locorum ac temporum conditioni accommodatas (6).

1. Cfr. Suarez, lib. II, c. 2, n. 10-13.
2. Cfr. Suarez, lib. II, c. 2, n. 14, 15.
3. S. Thomas, *Met.* lect. 10.
4. S. Thomas, 1-2, q. 91, a. 2.
5. S. Thomas, 1-2, q. 93, a. 4. — 6. S. Thomas 1-2, q. 93, art. 3; Gerdil, *De legibus*, disp. 2.

LIBER TERTIUS.

DE LEGE DEI NATURALI. (1)

PLENA legis naturalis expositio postulat ut distincte agatur de ejus conceptu, existentia, dictaminibus, proprietatibus, promulgatione, interpretatione et cognitione; quibus subjicietur appendix de *jure gentium:* de his igitur totidem capitibus successive sermo erit.

CAPUT I.

De conceptu legis naturalis.

TRIPLEX in lege naturali distingui debet norma: norma discriminans actiones bonas a malis (natura humana), norma obligans (divinum imperium), norma denuntians obligationem (lumen rationis) (2).

65. *Legis naturalis elementa:*

JAM vero lex naturalis definiri potest: *divina creaturæ rationalis in finem suum ultimum naturalem ordinatio, necessaria, in ipsa natura expressa, a naturali lumine rationis percepta.* Ad cujus definitionis expositionem sequentia attendantur:

norma actiones discriminans tum proxima, nempe natura rationalis,

A/ *Imprimis norma proxima discriminans actiones humanas rectas a pravis est ipsa humana natura rationalis.* Natura enim cujuscumque entis est norma proxima rectitudinis pro omni ejus actione

1. Cfr. de lege naturali Alensis, *Summ.* III, q. 27; S. Thomas cum suis Commentatoribus, 1-2, 91, a. 2; q. 94; Suarez, lib. II, c. 5-16; Gonet, *Clyp. theol. thom.*, tr. VI, disp. 3; Wirceburgenses, *De leg.*, c. 1, a. 3-7; Kleutgen, *Theol. der Vorzeit*, 1, n. 387, seq.; Müller, *Theol. mor.*, lib. I, § 30-34. — Pauca de hac materia habent Moralistæ; pauca etiam Canonistæ, e quibus tamen utiliter legentur Schmalzgrüber, *Jus eccl. univ.*, diss. proœm. § 2; Bouix, *De princ. jur. can.*, p. I, s. 1, c, 3. — Inter Apologetas, Frayssinous, *Déf. du Christ.*, tom. I. — Optima tradunt philosophi: Dmowski, *Phil. mor.*, n. 36-63; Liberatore, *Eth.*, 77-102; Th. Meyer, *Inst. juris nat.*, tom. I, n. 242-286. — Opera specialia scripserunt Antonius Genuensis, *De principiis legis naturalis*; Ansaldi, *De traditione princ. legis nat.*; De la Luzerne, *Dissert. sur la loi naturelle* (opp. tom. I, 307).

2. Cfr. de essentia legis naturalis, Suarez, lib. II, c. 4, 5; Gonet, *Clyp. theol. thom.*, l. c., disp. 3, a. 1; Sylvius, in 1-2, q. 94, a. 1; Wirceburgenses, *op. cit.*, art. 3-4, n. 12-20; Platel, tom. II, n. 391-394; Schmalzgrüber, *Diss. proœm.*, n. 49-55; Bouix, *op. cit.*, § 1; Costa-Rosetti, *op. cit.*, th. 45-47; Th. Meyer, *op. cit.*, n. 252-255.

naturali; id est, recta aut non recta quævis actio illius reputatur, prout naturæ conformis est aut ab ea difformis (1).

Intelligitur autem natura humana *complete* et *adæquate* spectata, in sua *constitutione*, in suis *relationibus*, in suo *fine:* prout est creatura, prout duplici elemento, alio inferiori, superiori alio composita est, prout sexibus distincta, prout socialis, prout ad Deum destinata. Hinc actio recta est, qua tenditur in bonum naturæ humanæ completæ conveniens, ad eam scilicet conservandam, evolvendam, perficiendam; e contra actio, qua tenditur in bonum conveniens naturæ humanæ inadæquatæ, prava est. Exempla, quæ rem illustrent, vix necessaria sunt: v. g. recte agit, qui per cultum Deo se subjicit, qui corpus rationabiliter nutrit, animum excolit, vitam cum moderamine tuetur, etc.; prave tamen qui corpus ita nutrit ut spiritui noceat, qui vitam tuetur cum periculo totius societatis, etc.: prioris enim speciei actiones homini conveniunt adæquate sumpto, posterioris, homini spectato inadæquate, quatenus est animalis, non quatenus est spiritualis, quatenus est individualis, non quatenus est socialis.

Ad normam proximam actiones humanas discriminantem, pertinent etiam *inclinationes* essentiales, quæ toti naturæ respondent et pars ejus sunt. Ita expresse docet Angelicus: « Omnia illa ad quæ homo habet naturalem inclinationem, ratio naturalis apprehendit ut bona, et per consequens ut opere prosequenda, et contraria eorum ut mala et vitanda (2). » Ac rursus: « Ad legem naturæ pertinet omne illud ad quod homo inclinatur secundum suam naturam. Inclinatur autem unumquodque naturaliter ad operationem sibi convenientem secundum formam.... Unde cum anima rationalis sit propria forma hominis, naturalis inclinatio inest cuilibet homini ad hoc quod agat secundum rationem; et hoc est agere secundum virtutem. » — Dicimus inclinationes *essentiales*, quæ totam naturam exhibent, et ordinatæ sunt: sane inclinationes inordinatæ seu concupiscentiæ, qua tales, haberi nequeunt ut regula moralitatis (3).

1. Cfr. Vasquez in 1-2, disp. 150, c. 3; Costa-Rosetti, *op. cit.*, th. 21-23; Meyer, *op. cit.*, n. 8, 32, 144. — 2. S. Thomas, 1-2, q. 94, a. 2; a. 4, ad 3; in 4, dist. 33, q. 1, a. 1, etc. — 3. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 91, a. 6.

Eo ipso quod affirmatur rectam esse actionem quæ est naturæ conformis, simul affirmatur rectam eam esse quæ ad *finem* vere dirigitur: natura enim est fini proportionata, et formaliter consideratur cum suo fine, tanquam elemento principali. Sane non potest esse actio naturæ conformis, quæ nontendat in bonum ipsius proprium, imprimis in bonum summum; aliunde omnis actio naturæ conformis fini apta est; continet enim aliquam Dei glorificationem, saltem materialem; aliquam affert perfectionem et beatitudinem, saltem inchoatam.

Hinc apparet quomodo ex errore circa naturæ humanæ constitutionem, essentiales relationes, finem, statim oriatur error circa objectivam moralitatis normam. Ita qui negarunt vel ipsam animæ *existentiam*, vel animæ *immortalitatem*, vel hominis *destinationem* ad Deum, iidem regulam moralitatis assignaverunt aut *voluptatem*, aut *utilitatem* sive *individualem* sive *socialem*, aut naturæ humanæ *dignitatem* a Deo independentem (1). Adeo verum est quod scripsit Tullius: « Fine in philosophia constituto, constituta sunt omnia. Nam cæteris in rebus, sive prætermissum, sive ignoratum est quidpiam, non plus incommodi est, quam quantiquæque earum est, in quibus neglectum est aliquid. Summum autem bonum, si ignoratur, vivendi rationem ignorari necesse est. Ex quo tantus error consequitur, ut quem in portum se recipiant, scire non possint. Cognitis autem rerum finibus, cum intelligatur quid sit et bonorum extremum et malorum, inventa vitæ via est, conformatioque omnium officiorum (2).

tum remota, sc. essentia divina: *Remota autem norma actiones rectas a pravis discriminans, est divina essentia.* Divina enim essentia est fons et origo omnium possibilium: ab ipsa pendent rerum essentiæ et essentiales entium relationes; — est ordo absolutus, fundamentum omnis ordinis; absoluta rectitudo, mensura omnis rectitudinis (3).

norma obligans, sc. voluntas divina: b) *Norma obligans est divinum imperium ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Nam Deus, sicut necessario amat rectitudinem suam essentialem, ita, supposita creatione, necessario amat et efficaciter vult rectitudinem naturæ rationalis;

1. Falsa de moralitate systemata accurate refert, logice distribuit, clare exponit et solide refellit Th. Meyer, *Inst. jur. nat.*, lib. II.
2. *De fin.* V, 6. — 3. Cfr. Franzelin, *De Deo uno*, th. XXIX.

hinc omnes actiones ordini et rectitudini oppositas necessario prohibet, quæ vero sunt ordini conformes non omnes quidem præcipit, eas tamen jubet quæ requiruntur ad ordinis conservationem, et quarum omissio prava esset. Jam vero imperium illud supremi Auctoris et Domini absolute ligat, seu creaturæ moralem inducit *obligationem perfectam* (1).

Nihilominus antecedenter ad ordinationem divini intellectus et divinæ voluntatis agnoscenda est aliqua naturalis obligatio imperfecta, exurgens proxime ex intrinseca convenientia vel disconvenientia actionis cum ordine naturali, remote vero ex natura divina. Hujusmodi obligationem divina voluntas approbat ac vult, et sic novam et veram inducit obligationem, ita ut si antecedens hæc obligatio non daretur, ex divina tamen voluntate exurgeret vera obligatio ponendi vel omittendi illas actiones. Ita Vasquez: « Quædam ita ex se mala sunt, ut ex nulla voluntate, etiam Dei, eorum prohibitio pendeat... Immo ita sunt ex se mala, ut eorum malitia præcedat secundum rationem omne judicium divini intellectus, hoc est, non ideo sunt mala quia mala judicantur a Deo, quin potius ideo talia judicantur a Deo, quia ex se talia sunt; ex quo illud efficitur ut ante omnem Dei voluntatem et imperium, imo ante omne judicium, aliqua ex se sint bona opera » (2).

c/ *Norma actionum discrimen ostendens et obligationem denuntians, est recta ratio naturalis,* quatenus ordinem operabilium evidenter percipit; seu, ut dici solet, est dictamen rationis practicæ discernentis quid, vi superioris mandati, sit agendum, quid omittendum. Naturæ enim rationali proprium est, finaliter dirigi rationali cognitione, nempe per id quod ratione cognoscitur. « Lex naturalis, ait S. Thomas, nihil est aliud quam conceptio homini naturaliter indita, qua dirigitur ad convenienter agendum in actionibus propriis; (3) » « Hæc (lex naturalis) nihil aliud est quam lumen intellectus insitum nobis a Deo per quod cognoscimus, quid agendum et quid vitandum. (4) » Eodem modo Suarez (5): « Non dubito quin in actuali judicio mentis propriissime existat lex naturalis. » (6)

norma denuntians, seu recta ratio.

1. Cfr. supra, n. 54; Liberatore, *op. cit.*, n. 95. — 2. Vasquez, 1-2, q. 150, c. 3. — 3. In 4, dist. 33, q. 1, a. 1. — 4. Opusc. IV, c. 1. — 5. Lib. II, c. 5, n. 9-14.

6. Cfr. etiam Sylvius, in 1-2, q. 94, a. 2; Gonet, l. c.

66. *Lex naturalis non est sola voluntas Dei libera,*

Hinc *a*/ lex naturalis non est *sola Dei voluntas libera,* ut passim asserebant Nominalistæ (1): equidem Dei voluntas est regula obligans, non est tamen, qua talis, regula discriminans; obligans autem est necessario, non libere. Profecto non ideo actiones bonæ vel malæ sunt, quia a Deo præcipiuntur vel prohibentur, sed ideo præcipiuntur vel prohibentur, quia bonæ vel malæ sunt; quæ autem bonæ sunt et ordini necessariæ, non possunt non præcipi; et quæ malæ, non possunt non prohiberi (2).

neque lumen rationis aut dictamen rationis practicæ,

b/ Neque est ipsum *lumen rationis*, quemadmodum arbitratus est Alensis (3), aut *dictamen rationis practicæ,* ut multi scholastici loquuntur (4): lumen enim rationis non est regula obligans,

1. Cfr. Ockam, in 2, q. 19, ad 3 et 4; Alliacensis, in 1, q. 14; Gerson, *De vita spir.* lect. 1. — Eadem fuit sententia Cartesii, *Med. de prim. philos.*, resp. 6, n. 6 et 8; Puffendorfii, *De jure nat. et Gent.* lib. 1, c. 2, § 6.

2. Cfr. Suarez, lib. II, c. 6, n. 11.

3. *Summ.* p. III, q. 27.

4. Ita v. g. Hugo a S. Victore, *De sacr.* lib. 1, p. 6, c. 7: « Præceptum naturæ nos nihil aliud intelligimus quam ipsam discretionem naturalem quæ intrinsecus inspirata est ut per eam homo erudiretur de his quæ sibi vel appetenda vel fugienda fuerunt. » Hanc sententiam explicat et probare conatur Platel. tom. III, n. 391-395, ita tamen ut ex ipsiusmet explicationibus ac probationibus appareat quid ei obstet: « Quoad rem, consistit (lex naturalis) in dictaminibus rationis practice dictantibus quid faciendum fugiendumve sit tamquam conforme aut difforme naturæ rationali qua tali... Prob. 1. Quia ista dictamina sunt proprie signa practica expressiva divinæ voluntatis obligativæ; et quamvis physice eliciantur ab intellectu creato, sunt tamen sufficienter a Deo, ut censeantur ejus imperia, quia Deus ideo naturæ intellectuali indidit vim illa eliciendi, eaque in ipsa excitat, aut saltem coefficit, ut eam per illa dirigat ad suum finem, et proinde sunt veri actus legislatoris suam voluntatem obligativam practice intimantis, et consequenter sunt proprie lex. 2. Quia cum plerumque ista dictamina sint actus necessarii producti in nobis sine nobis, potius referri debent in auctorem naturæ, quam in ipsam naturam, quæ non est eorum causam moralis; adeoque recte dicuntur lex ab auctore naturæ agenti intellectuali insita... Sunt autem ista dictamina, licet non physice, moraliter tamen quid permanens; cum enim, data occasione agendi, summa facilitate, et quidem plerumque non libere sed necessario eliciantur, sunt æquivalenter quid permanens naturæ concreatum, seu ipsi per productionem luminis naturalis insitum... Quamvis ista dictamina sint sæpe erronea speculative, practice tamen... nunquam sunt erronea, sed infallibiliter vera: cum in praxi non possit non esse honestum facere aut omittere quod invicibiliter judicatur esse faciendum tanquam naturæ rationali conveniens, aut fugiendum tanquam disconveniens.... Sunt itaque hæc dictamina lex et legis cognitio, non quidem in sensu signato, sed in sensu exercito, sicut actus definiens est cognitio definitionis... Hinc lex naturæ non applicatur subdito quem dirigit per cognitionem a se distinctam.... sed seipsa immediate... »

sed est medium quo hæc cognosci possit; dictamen autem rectæ rationis obligationem non facit, sed eam exhibet et denuntiat (1); unde dici nequit lex nisi cum addito: *prout est in regulato.*

neque imperativum categoricum voluntatis autonomæ.

c/ A fortiori non est *rationis practicæ dictamen formale et universale,* seu *imperativum categoricum voluntatis autonomæ,* prout docet Kantius (2); imprimis asserta hæc autonomia voluntatis conciliari nequit cum idea veræ obligationis moralis (3); præterea nititur falso huic fundamento, hominem, qua ens rationale liberum, esse sibi ipsi finem, seu finem in se (4).

67. *Differentiæ legis naturalis a lege æterna.*

Ex dictis apparet, quomodo a lege æterna differat lex naturalis: videlicet *a/* lex æterna est ordinatio omnium creaturarum in finem supremum, lex naturalis est ordinatio creaturæ rationalis; — *b/* lex æterna est ordinatio in Deo ipso manens, lex naturalis est ordinatio in creatura rationali expressa; — *c/* lex æterna, qua talis, a solo Deo cognosci potest, lex naturalis lumine rationis percipitur (5): unde lex naturalis non est aliquid diversum a lege æterna, sed est ejus participatio in rationali creatura (6).

synderesi et conscientia.

Apparet etiam quomodo lex naturalis differat a synderesi et a conscientia: etenim lex naturalis est ipsa ordinatio, synderesis est habitus naturalis primorum principiorum moralium (7), conscientia est judicium de agendis in particulari.

Caput II.

De reali existentia legis naturalis. (8)

68. *Existentia legis naturalis probatur:*

Ex *doctrina catholica agnoscenda est lex moralis, quæ idcirco naturalis vocatur quia et naturæ indita est a summo ejus Auctore, et ab ipsa natura docetur.*

1. Cfr. Wirceburgenses, l. c., n. 12.
2. Cfr. Th. Meyer, *op. cit.*, n. 253-256; Liberatore, *op. cit.*, n. 22.
3. Cfr. supra n. 54.
4. Cfr. Meyer, *op. cit.*, n. 256-258.
5. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 93, a. 2. 4.
6. S. Thomas, 1-2, q. 91, a. 2 ad 1.
7. Cfr. S. Thomas, 1, q. 79, a. 12; 1-2, q. 94, a. 1. ad. 2, etc.
8. Existentiam legis naturalis vindicant De la Luzerne, *op. cit.*, c. 2; Bergier, *Traité de la vraie religion,* 1re part., c. 8, a. 1; Bouix, *De princ. jur. can.*, p. 1, § 1, c. 3; Ern. Müller, *Theol. mor.*, tom. I, § 30; Theod. Meyer, *op. cit.*, n. 246-251.

intima experientia. Hanc legem testatur *intima hominis ratione præditi experientia:* sponte enim et invincibiliter sentit unusquisque, *a/* actiones alias esse bonas, alias esse malas; — *b/* actiones malas omnes eo ipso esse prohibitas, ex bonis vero nonnullas ad integritatem ordinis moralis esse necessarias et ideo præceptas; — *c/* et quidem præceptas, vel prohibitas esse absolute, universaliter, ab aliqua majestate reverenda; — *d/* hinc qui præceptas adimplet, prohibitas omittit, animi pacem et fiduciam servat; secus conscientiæ stimulis agitatur, ac timet vindicem.

consensu generis humani, Eamdem legem proclamat *omnium populorum unanimis consensus:* scribunt enim ipsi Ethnici, *a/* legem aliquam esse ex ipsa natura haustam, acceptam, expressam, ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus (1); — *b/* hanc legem nihil aliud esse nisi rectam et a numine Deorum tractam rationem (2); — *c/* ejus violatores sollicitudinibus vexari, etiam sublato suppliciorum metu (3); — *d/* ad ipsam omnes alias leges esse exprimendas (4). Ista autem sensa vigent non solum apud nationes cultiores, verum etiam apud barbaras, et quidem ita profunde animis hærent ut obscurari possint, penitus deleri non possint (5).

sacra Scriptura, In *Scripturis* autem lex naturalis stricte obligans affirmatur, imo et describitur. Apostolus enim docet: *a/* gentiles, lege revelata destitutos, esse sibi legem; — *b/* naturaliter facere ea quæ legis sunt; — *c/* opus legis scriptum habere in cordibus; *d/* pro legis observatione vel violatione, propriæ conscientiæ testimonio accusari vel defendi; — *e/* secundum hanc legem ipsos fore judicandos; — *f.* talem autem legem esse legem Dei (6).

1. Tullius, *Pro Mil.* IV, 10; *De leg.* I, 6; Seneca, *De ben.* IV, 17, etc.

2. Tullius, *Philipp.* XI, c. 12, n. 28; *De leg.* II, 4; *De republ.* III (ap. Lact. *Inst.* VI, 8); Seneca, *Epist.* 65, ad Lucilium; Sophocles, In *Oedip. Reg.* v. 863-171, in *Antigone* v. 446-460.

3. Tullius, *De leg.*, I, 14, etc. — 4. Tullius, *De leg.*, I, 15-16; II, 5.

5. Cfr. de Quatrefages, in opere *L'unité de l'espèce humaine,* et in alio *Histoire des Races humaines;* Carbonnelle, *L'aveuglement scientifique,* (in op. *Rev. des quest. scient.*, VII, 193). — Minus tamen placet quorumdam modus loquendi de *facultate* morali homini essentiali et propria.

6. Rom. II, 12-16, coll. I, 32. Mentem Apostoli egregie interpretatur Franzelin, *De Deo uno,* th. III. — Allegant etiam Theologi verba ps. IV, 7: *Signatum est super nos lumen vultus tui;* cfr. S. Thomas 1-2, q. 91, a. 2. At hujus textus alium esse sensum arbitramur.

Scripturæ doctrinam instanter inculcant atque illustrant *sancti Patres*. Aiunt scilicet, *a*/ communiter omnibus inesse legem naturalem (1); — *b*/ eam inhærentem esse, innatam, insertam, intimam, implantatam (2); — *c*/ inscriptam esse in cordibus digito Dei, manu formatoris (3); — *d*/ naturam esse boni operis magistram, eam esse virtute propria divitem cognitione omnis boni (4). Juverit unius vel alterius verba retulisse; ita v. g. Tertullianus: « Quæris Dei legem? habes communem istam in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas et Apostolus solet provocare... ut cum ad Romanos natura facere dicens nationes ea quæ sunt legis, et legem naturalem suggerit et naturam legalem (5); » et S. Ambrosius: « Est igitur lex quæ non scribitur, sed innascitur; non aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, et humanis ingeniis hauritur; quam debuimus vel futuri judicii metu servare; cujus testis conscientia nostris tacitis cogitationibus apud Deum ipsa se prodit; quibus vel redarguitur improbitas vel defenditur innocentia (6). » S. Basilius autem asserit, sicut aversari malum physicum, ita etiam cognoscere bonum et malum morale, illud probare, hoc improbare, in promptu nobis esse ex ipsa natura, non ex doctrina et institutione ab hominibus tradita; ex lege naturæ, quam non opus est discere; citra disciplinam et doctrinam (7). *auctoritate SS. Patrum*

Inutile profecto esset in re evidenti appellare ad doctrinam *theologorum;* pro omnibus sufficiant verba *Cat. ad parochos:* « Nemo est quin sibi, a Deo legem in animo insitam esse sentiat, qua bonum a malo, honestum a turpi, justum ab injusto possit secernere (8). » Recentioris autem temporis concilia provincialia sensum christianum de veri et recti principiis *et Ecclesiæ,*

1. Cfr. S. Justinus, *Dial. cum Tryph.* c. 93; Origenes, *In Rom.*, lib. II, n. 7, 8, 9; Tertullianus, *Adv. Marc.* V, 13; S. Hieronymus, *Epist.* 121 ad Algasiam, quæst. 8, etc.

2. Cfr. S. Joannes Chrys. *Hom.* XII, XIII, *Ad. pop. Ant.;* S. Gregorius Naz. *Or.* 28, n. 16; S. Augustinus. *Enarr. in psalm.* 57, n. 1; *in ps.* 118, *serm.* 25, n. 5; S. Gregorius M. *In Evang.* hom. 31, n. 3, etc.

3. Origenes, *In Num.* hom. X, n. 3; S. Augustinus, *De serm. Dom. in monte,* lib. II. c. 9, n. 32; *Conf.* lib. 2, c. 4.

4. Cfr. S. Ambrosius, *De fuga sæc.*, c. 3, n. 15; S. Cyrillus Alex. *Cont. Jul.* lib. III, etc. — 5. *De corona* VI. — 6. *Epist.* 73, n. 5. — 7. *In hexam.* hom. IX, n. 3, 4.

8. Pars III, n. 3.

naturæ humanæ insitis sedulo exposuerunt (1); et ipse Pontifex docuit legem naturalem ejusque principia esse in omnium cordibus insculpta (2).

ratione. Tandem legis naturalis existentia facile demonstratur *a priori:* Deus enim, sapientissimus omnium creator et ordinator, universis entibus imprimere debuit principia elicitiva et directiva operationum in finem; entibus autem libertate præditis non aliud congruit principium directivum operationum, nisi regula moralis; ita S. Thomas: « Cum omnia, quæ divinæ providentiæ subduntur, a lege æterna regulentur et mensurentur, manifestum est quod omnia participant aliqualiter legem æternam, in quantum scilicet ex impressione ejus habent inclinationes in proprios actus et fines. Inter cætera autem rationalis creatura excellentiori quodam modo divinæ providentiæ subjacet, in quantum et ipsa fit providentiæ particeps, sibi et aliis providens. Unde et in ipsa participatur ratio æterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum et finem; et talis participatio legis æternæ in rationali creatura lex naturalis dicitur (3). »

69. Legem moralem naturalem, quam ita explicite docet revelatio christiana, vix notam habuerunt philosophi græci etiam præstantissimi, nominatim Aristoteles et Plato (4). Notionis ejus obliti videntur non solum passim ii qui positivismo, pantheismo, utilitarismo adhæserunt, sed etiam illi qui *ultimum* fundamentum obligationis et moralitatis posuerunt in opinione publica, in traditione populorum (5); imo non desunt qui, theismum profitentes, proprie dicta præcepta legis naturalis non agnoscunt, solis moralibus principiis admissis (6).

1. Conc. prov. Vienn. tit. I, c. 5; Pict. c. IV, etc.
2. Pius IX, Encycl. *Quanto conficiamur mœrore,* 10 aug. 1863.
3. S. Thomas, 1-2, q. 91, a. 2.
4. Cfr. *Revue philosophique,* 1901, art. Brochard et Sertillanges; *Revue de Métaph. et de morale,* 1901.
5. Cfr. Th. Meyer, *Inst. Juris nat.,* vol. I, p. 102 et seqq., 197 et seqq. De Vareilles. *Les principes du droit,* p. 20.
6. Cfr. Meyer, op. cit. pag. 198; De Haulleville, *La définition du droit.*

Caput III.

De dictaminibus legis naturalis.

Lex naturalis constat supremo aliquo principio universali in quo continentur et a quo derivantur variæ obligationes: hæ autem legis naturalis dictamina, præcepta, seu articuli nuncupantur (1).

70. *Supremum legis naturalis principium.*

Jam vero supremum legis naturalis principium variis formulis a variis auctoribus exprimi solet, quæ tamen omnes ex data ejusdem legis essentia facile intelliguntur. Juxta S. Thomam, qui generale voluntatis objectum respicit, summum legis principium est: *fac bonum, vita malum* (2); juxta alios autem, qui boni normam proximam vel remotam respiciunt, est: *naturæ humanæ secundum omnes suos essentiales respectus consideratæ, conformiter vive;* vel: *imaginem Dei absolute sancti per modum naturæ rationalis tibi impressam liberis quoque actionibus exhibe* (3); juxta alios, qui rationem finis magis attendunt, est: *ama Deum ut finem et cætera propter ipsum* (4): juxta alios, qui respiciendum putant simul ad rationem obligationis et ad fundamentum moralitatis, est: *rectum naturæ rationalis ordinem a Deo sancitum serva:* præplacet illis hæc formula, quia principium exhibet reductive ultimum, comprehensione universalissimum, per se notum (5).

71. *Dictamina particularia:*

Particularia autem legis naturalis dictamina vario modo distinguuntur: ratione *connexionis* eorum cum principio supre-

1. Cfr. de præceptis legis naturalis S. Thomas, 1-2, q. 94, a. 2 ad 3; Sylvius, in h. l.; Suarez, lib. II, c. 7; Schmalzgrüber, *op. cit.*, n. 56-66; Wirceburgenses, *op. cit.*, a. 6, etc.

2. S. Thomas 1-2, q. 94, a. 2; «Sicut ens est primum quod cadit in apprehensione simpliciter, ita bonum est primum quod cadit in apprehensione rationis practicæ, quæ ordinatur ad opus. Omne autem agens agit propter finem, qui habet rationem boni. Et ideo primum principium in ratione practica est, quod fundatur supra rationem boni... Hoc est ergo primum præceptum legis, quod bonum est faciendum et malum vitandum; et super hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturæ».

3. Ita Biner, apud Wirceburgenses, n. 15; Car. Aeger, apud Meyer, n. 280.

4. Berti, *Theol. disc.*, lib. XX, c. 4, prop. 3; cfr. S. Augustinus, *De disc. christ.*, 3, 5, 6.

5. Cfr. Th. Meyer, *op. cit.*, n. 277-286.

mo, ratione *obligationis* quam pariunt, *inclinationum* quas perficiunt, *naturæ* cui respondent.

immediata et mediata;

Et quidem si spectetur *connexio cum principio supremo,* occurrunt imprimis dictamina quædam *immediate ex hoc principio efformata,* v. g. Deum esse adorandum; deinde alia sunt quæ *mediate* quidem *per discursum* efformantur, *evidentia* tamen sunt aut saltem certa; tandem alia sunt quæ subtiliori ratiocinio et *probabiliter* tantum deducuntur ex principiis. Jam vero dictamina primæ speciei, juxta omnes, pertinent ad legem naturalem. Idem dicendum est de dictaminibus secundæ speciei, siquidem ad obligationem indifferens est quod intellectus per discursum vel sine discursu apprehendat aliquid esse honestum et necessarium, vel turpe et fugiendum; fateri tamen debemus non paucos esse ex antiquioribus jurisperitis et scholasticis, qui sola dictamina immediata ad legem naturalem referre videntur (1). Tertiæ autem speciei dictamina non pertinent ad legem naturalem nisi *secundum quid, aliqualiter* (2), et potius legi positivæ fundamentum præbent, quam per se regulam constituant (3).

primaria et secundaria;

Si vero spectetur *vis* seu *efficacia,* primum dictamina illud exprimentia, quod natura absolute *exigit,* distingui debent a dictaminibus illud exprimentibus, ad quod natura multum *inclinat:* hæc aliquando vocantur præcepta legis naturalis *secundaria*, illa præcepta *primaria* (4). — Præcepta proprie dicta

affirmativa, negativa, concessiva, irritantia;

sunt *affirmativa, negativa, concessiva, irritantia:* de affirmativis et negativis nihil addendum videtur iis, quæ supra generatim de lege dicta sunt; concessiva vocamus ea, quibus facultas habetur actiones tali vel tali ratione ponendi, quin tamen jubeatur

1. Ita loquuntur v. g. Gratianus. *Dec.* dist. 1, n. 3: Alensis, *Summ.* III, q. 26, m. 3; q. 28, m. 1; q. 29, m. 5; Gerson, *De pot. eccl.* cons. 13; Alphonsus a Castro, *De pot. leg. pœn.*, lib. I, c. 2; lib. II, c. 14. — Quod spectat ad S. Thomam, arbitramur eum sententiæ a nobis propositæ adhæsisse, licet apud ipsum obscura quædam habeantur; cfr. 1-2. q. 91, a. 3; q. 94, a. 2 et a. 4; q. 95, a. 2; q. 99. a. 2, ad 2; q. 100, a. 1; opusc. IV; in IV, dist. 33, q. 1, a. 1. etc. — Cæterum constat Veteres illos non valde propensos fuisse ad legem naturalem extendendam; notum enim, præcepta secundæ tabulæ a Scoto, in 3, dist. 37, non censeri naturalia; cfr. Suarez, lib. II. c. 15, n. 6, 7.

2. Ita S. Thomas, 1-2, q. 100, a. 1. — 3. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 91, a. 3.

4. Cfr. S. Thomas, in IV, dist. 33, q. 1, a. 1; Perrone, *De matr. christ.*, lib. III, s. 1, c. 1, a. 2; s. 2, c. 1, a. 1; Taparelli, VII, 1526, 1529.

eas hac ratione positas semper esse debere validas aut licitas: sic de lege naturali validum est matrimonium sine testibus, etc. (1); irritantia sunt, quando actus iis oppositi vel deficiunt in valoris principio substantiali, vel habent malitiam intrinsecam perpetuam, et turpitudinem semper durantem (2): exemplum habetur in præcepto naturali prohibente et irritante polyandriam simultaneam (3). — Insuper alia præcepta sunt *pura, absoluta, formalia*, v. g. Deum esse adorandum, alia sunt quæ respiciunt *factum, materiam, conditionem*, v. g. votum esse adimplendum, juramentum servandum: hujusmodi autem factum, materia, conditio possunt esse vel mere naturalia vel etiam supernaturalia, adeoque non repugnat ut actus supernaturales naturali præcepto attingantur: sic v. g. lex naturalis præscribit actum fidei, etc.

pura et formalia;

Si spectentur *inclinationes* naturales, distinguuntur a S. Thoma præcepta secundum naturam *substantiæ*, secundum naturam *animalis*, secundum naturam *hominis:* « Secundum ordinem inclinationum naturalium est ordo præceptorum legis naturæ. Inest enim primo inclinatio homini ad bonum secundum naturam, *in qua communicat cum omnibus substantiis*, prout scilicet quælibet substantia appetit conservationem sui esse secundum suam naturam; et secundum hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea per quæ vita hominis conservatur, et contrarium impeditur. Secundo inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia secundum naturam, *in qua communicat cum cæteris animalibus*, et secundum hoc dicuntur ea esse de lege naturali, quæ natura omnia animalia docuit, ut est commixtio maris et fœminæ, educatio liberorum et similia. Tertio modo inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam rationis, *quæ est sibi propria;* sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc quod veritatem cognoscat de Deo, et ad hoc quod in societate vivat: et secundum hoc ad legem naturalem pertinent ea, quæ ad hujusmodi inclinationem spectant, utpote quod homo ignorantiam vitet, quod alios non

perfectiva inclinationum

secundum naturam substantiæ,

secundum naturam animalis,

secundum naturam hominis;

1. Cfr. Suarez, lib. II, c. 14, n. 14-19.
2. Cfr. Suarez, lib. II, c. 12; Schmalzgrüber, *op. cit.*, n. 67-72; Wirceburgenses, l. c., n. 27.
3. Cfr. Palmieri, *De matr.*, th. XII.

offendat, cum quibus debet conversari, et cætera hujusmodi quæ ad hoc spectant (1). » Ad quæ egregie notat Suarez: « Lex ergo naturalis perficit hominem secundum omnem inclinationem suam, et, ut sic, continet varia præcepta: temperantiæ et fortitudinis secundum primam inclinationem; castitatis et prudentiæ quoad secundam; religionis, justitiæ quoad tertiam; nam hæ omnes propensiones in homine spectandæ sunt quatenus aliquo modo determinatæ et elevatæ per gradum rationalem (2). »

directiva actuum hominis quoad se, quoad proximum, quoad Deum.

Tandem si spectetur *natura rationalis*, alia sunt præcepta quibus creatura dirigitur *in sua vita individuali*, quatenus consideratur in se; alia quibus dirigitur *in suis relationibus*, quatenus consideratur ut socialis; alia quibus dirigitur *in ordine ad Deum* (3).

Caput IV.

De proprietatibus legis naturalis.

Fundamentalis proprietas legis naturalis est ejus *necessitas*, supposita creatione: ab hac cæteræ derivantur, *universalitas*, *perpetuitas*, *indispensabilitas*. De necessitate supra actum est; de aliis in specie nunc agendum.

72. *Lex naturalis est universalis*

Imprimis lex naturalis adstringit omnes illos qui naturam rationalem habent, et eadem est apud omnes. Controversia aliqua extitit relate ad pueros et amentes; « quæ tamen controversia tolli posse videtur dicendo, quod ea lex omnes omnino aliqualiter obliget, scilicet obligatione saltem imperfecta et in actu primo, quamvis non omnes obliget obligatione perfecta et in actu secundo. — Prius probatur, quia lex naturalis omnibus est impressa, et omnibus (etiam pueris et amentibus) habitualiter inest... Accedit quod violatio præceptorum legis naturæ est omnibus, etiam pueris et amentibus, turpis et dissentanea, continetque quamdam inordinationem illi naturæ quam habent repugnantem, tametsi ipsi a culpa excusentur, propter defectum usus rationis. Quod enim ipsi quempiam interficiant,

1. S. Thomas, 1-2, q. 94, a. 2; cfr. supra n. 65.
2. Suarez, lib. II, c. 8, n. 4. — 3. Suarez, l. c., n. 3.

quod fornicentur, quod blasphemias in Deum jactent, turpe est ac inhonestum : signum ergo est quod lex naturæ talia ipsis prohibeat, saltem habitualiter et in actu primo. — Probatur posterius: pueri et amentes non sic obligantur lege naturali, ac, si de facto contra illam operentur, peccent, et alicujus pœnæ reatum incurrant : illa autem est obligatio perfecta, qua quis non solum lege comprehenditur, sed etiam ea sic obstringitur ut peccaturus sit, et pœnæ reatum incursurus, si contra eam faciat : ergo lex naturalis pueros et amentes non obligat obligatione perfecta ([1]). »

73. *et immutabilis, tum ab intrinseco,*

Nullimode potest lex naturalis mutari ab intrinseco, neque ex toto neque ex parte, neque in communi neque in particulari, neque in perpetuum neque ad tempus. Fundatur enim in natura rerum et in essentia divina ; ea quæ prohibet essentialiter mala sunt, quæ præcipit essentialiter necessaria ad ordinem : sicut igitur repugnat quævis mutatio in legis naturalis materia et ratione finali, ita etiam repugnat intrinseca mutatio ipsius legis ([2]).

Quando autem antiquiores Scholastici scribunt, legem naturalem posse ab intrinseco mutari *quoad conclusiones remotiores,* non agunt de ipsis præceptis, sed de eorum expressione et applicatione ([3]). Videlicet præcepta naturalia exprimi non solent formulis explicativis, quæ applicationes multiplici ratione contingentes comprehendant, sed concipiuntur ut absoluta, et plerumque exprimuntur formulis magis abstractis et generalibus ; v. g. pronuntiatur *non esse occidendum :* non adduntur restrictiones, *privata auctoritate, extra casum necessariæ defensionis,* etc. Quando igitur occurrunt circumstantiæ in

1. Sylvius, in 1-2, q. 94, a. 4.

2. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 94, a. 5, ubi ejus Commentatores ; Suarez, lib. II, c. 13 ; Wirceburgenses, *op. cit.*, c. 1, a. 5.

3. Ita loquitur ipse S. Thomas, 1-2, q. 94, a. 4 et 5 ; similiter in III, dist. 37, q. 1, a. 3 : « Quædam sunt leges quæ ipsi rationi sunt inditæ, quæ sunt prima mensura et regula omnium humanorum actuum ; et hæ nullo modo deficiunt, sicut nec regimen rationis deficere potest, ut aliquando esse non debeat, et hæ leges jus naturale dicuntur. Quædam vero leges sunt quæ, secundum id quod sunt, habent rationem ut observari debeant, quamvis aliquibus concurrentibus earum observatio impediatur ; sicut quod depositum reddatur deponenti, impeditur quando gladius furioso deponenti reddendus esset ; et hæ leges similantur his, quæ frequenter in natura accidunt ; et ideo directe et immediate ad jus naturale reducuntur. » Cfr. etiam in IV, dist. 33, q. 1, a. 2, ad. 1.

quibus prohibitiones vel jussiones indefinita formula expressæ suam applicationem non habent, dicitur lex ipsa desinere vel deficere, vel exceptionem pati (1).

3. Optime Suarez, lib. II, c. 13, n. 6: « Considerandum est legem naturalem, cum per se non sit scripta in tabulis vel membranis, sed in mentibus, non semper dictari in mente illis verbis generalibus vel indefinitis, quibus a nobis ore profertur vel scribitur; ut v. g. lex de reddendo deposito, quatenus naturalis, non ita simpliciter et absolute in mente judicatur, sed cum limitatione et circomspectione : dictat enim ratio reddendum esse depositum *jure et rationabiliter* petenti, vel nisi ratio defensionis justæ vel reipublicæ, vel propriæ vel innocentis obstet. Communiter autem solet illa lex illis tantum verbis proferri, *reddendum est depositum,* quia cætera subintelliguntur, nec in forma legis humano modo positæ omnia declarari possunt... Quædam (præcepta) versantur in materia quæ non recipit mutationem vel limitationem, ut est, vel generale principium, *non sunt facienda mala,* vel interdum particulare præceptum, ut, *non est mentiendum :* alia vero sunt quæ ex parte materiæ mutationes recipere possunt, et ideo limitationem vel quasi-exceptionem admittunt : unde sæpe loquimur de his præceptis ac si essent proposita per absoluta verba, sub quibus patiuntur exceptionem, quia non satis declarant ipsum præceptum naturale prout in se est. Sic enim præceptum in se spectatum nullam exceptionem patitur, quia ratio ipsa naturalis dictat hoc debere fieri tali vel tali modo, et non aliter, vel, concurrentibus talibus circumstantiis et non absque illis. Imo interdum, mutatis circumstantiis, non solum non obligat naturale præceptum ad faciendum aliquid, v. g. ad reddendum depositum sed etiam obligat ad non faciendum. Et ita facile declaratur exemplum de deposito : nam licet in hoc casu reddendum non sit, non propterea naturale præceptum mutatur : nam a principio non fuit positum pro illo casu, sed pro aliis, quos recta ratio dictat : sicut qui non implet promissionem, quia res notabiliter mutatæ sunt, non mutatur ipse, nec lex fidelitatis servandæ mutatur, sed mutata est materia : tamen a principio illa mutatio fuit virtute excepta per conditionem in ipsa promissione subintellectam, et ita non est vera vel intrinseca mutatio, sed apparens et per extrinsecam denominationem. Idem ergo est de deposito, etiamsi deposito adjungatur promissio reddendi illud... idemque est cum proportione de præcepto naturali servandi secretum : nam secretum est quasi depositum, quod custodiendum datur, et accipitur sub promissione servandi sine damno et injuria tertii : nam hæc conditio necessario subintelligitur, ut promissio licita sit... Denique idem est de quinto præcepto decalogi *non occides,* quod, ut naturale est, includit plures conditiones, sc. non occides *propria auctoritate* et *aggrediendo* etc... » — Egregie etiam de lege naturali matrimonia inter consanguineos in primo gradu prohibente disserit Taparelli, *op. cit.,* lib. 7, c. 2, n. 1543. « Supposons une seule famille tout à fait isolée dans le monde : la famille d'Adam, par exemple. Le droit qu'a cette famille à sa propagation, surpasse de beaucoup et pour plusieurs raisons les inconvénients qui peuvent résulter des alliances entre frères et sœurs; la cause d'empêchement ne se trouve donc plus ici, et ces unions qui dans une société développée seraient contraire à la nature, lui sont conformes dans le cas particulier qui nous occupe... On le voit, le changement ici ne s'effectue pas dans le droit, dans la loi naturelle, mais dans les faits qui sont pour ainsi dire la matière du droit, et auxquels la loi naturelle doit être appliquée. »

74. *tum ab extrinseco.*

Non magis potest lex naturalis mutari ab extrinseco per abrogationem vel dispensationem : voluntas enim Dei hypothetice necessaria, per quam lex lata est, deficere nequit, hypothesi manente : ergo tantum abest ut ab inferiori auctoritate mutari queat lex naturalis, ut ne a Deo quidem valeat revocari. Sane « boni verique ratio mutari ad hominis arbitrium non potest, sed manet semper eadem, neque minus est, quam ipsa rerum natura incommutabilis. » (1)

Non desunt tamen, præsertim inter antiquiores, qui aliquam legis naturalis mutationem ab extrinseco admittere videntur. Verum, si consideremus exempla quibus utuntur et explicationes quas præbent, facile deprehendemus eos non agere de proprie dicta mutatione ipsius legis per abrogationem aut per dispensationem, sed agere vel de *additione* legi facta, vel de mutatione *conditionum* quæ ad legis applicationem supponuntur, vel, ad summum, de mutatione eorum quæ lex naturalis postulat ut *convenientiora,* quin tamen ea stricte exigat. Et sane *a/* ubi determinantur lege humana ea quæ lege naturali indeterminata manent, vel præcipiuntur aut prohibentur ea quæ de lege naturali libera sunt, vel irritantur ea quæ lege naturali valida sunt, non mutatur lex, sed aliquid ipsi consentaneum additur; eo solum casu mutaretur lex naturalis quo determinarentur, prohiberentur et præciperentur, irritarentur ea quæ lex naturalis juberet respective manere indeterminata, libera, valida (2). — *b/* Similiter quando abrogantur acta vel remittuntur debita, quæ fundant obligationem legis affirmativæ, aut quando conceduntur jura, quæ excludunt obligationem legis negativæ, non fit mutatio in lege, sed tantum in conditionibus ad legis applicationem suppositis : ita relaxatio voti, juramenti, non est dispensatio in lege naturali exigente voti et juramenti adimpletionem, sed est inductio circumstantiæ sub qua illa lex non urget (3); item jussio facta Abrahæ de filio immolando, aut licentia asportandi res Egyptiorum facta Hebræis, non erat dispensatio in lege vetante homicidium et furtum, sed erat inductio circumstantiæ sub

1. Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei.*
2. Cfr. Suarez, lib. II, c. 14, n. 14-19.
3. Cfr. tractatus noster *De Religione,* n. 449 et 622 ; Suarez, lib. II, c. 15.

qua rerum ablatio et mortis illatio non amplius lege comprehendebantur ; scilicet Deus supremus vitæ et rerum Dominus disponere poterat tum de vita Isaac, ejus immolationem Abrahæ præcipiendo, tum de rebus Ægyptiorum, eas Hebræis concedendo : quo casu non amplius habebatur homicidium aut furtum (1). An autem non solum de bonis externis sed etiam de corpore disponi possit, ita ut vi divinæ concessionis jam licitus sit actus qui secus esset fornicatio, non omnino liquet ; quæstionem expendunt theologi occasione facti Oseæ, quod tamen aliam interpretationem expeditiorem patitur (2). — *c*/ Non magis habetur mutatio legis naturalis, quando, ratione specialium circumstantiarum, permittitur vel toleratur illud quod juri naturali minus conforme est, quin tamen sit stricte vetitum : cujusmodi forte fuerunt polygamia simultanea et divortium apud Hebræos, servitus apud universas fere gentes, etiam christianas (3).

Nonnulli tamen revera docuerunt locum esse in lege naturali proprie dictæ dispensationi : illi nempe, qui arbitrati sunt legem naturalem pendere a libera Dei voluntate (4). — Advertendum hic est, quando agitur de interpretanda mente Theologorum, confundi non posse quæstionem de dispensatione in lege naturali cum quæstione de dispensatione in decalogo : sunt enim qui Scoto consenserunt non omnia decalogi præcepta ad jus naturale pertinere (5).

1. Explicationes aliis formulis proponunt Veteres, quæ tamen in idem recidunt : cfr. S. Bernardus, *de præc. et disp.* 3 ; S. Bonaventura, in I, dist. 47, a. unic., q. 4 ; S. Thomas, in I, dist. 47, q. I, a. 4 ; etc. Liceat tamen fateri ipsorum distinctionibus *boni in se* et *boni secundum se, ordinis in universo* et *ordinis in finem, ordinis rei ad rem* et *ordinis rerum ad Deum,* non multum lucis afferri, ad præsentem difficultatem illustrandam. Cfr. Suarez, lib. II, c. 15.

2. Cfr. Knabenbauer, in h. l. Ita Suarez. lib. II, c. 15, n. 20 : « Potest Deus transferre in virum dominium mulieris sine consensu ejus, et ita efficere vinculum inter illos, ratione cujus copula jam fornicaria non sit. »

3. De polygamia et divortio in ordine ad jus naturale, alii aliter loquuntur, et consequenter Mosaicam legislationem vario modo exponunt ; cfr. S. Thomas, in IV, dist. XXXIII, q. I. a. 1 et 2 ; *Suppl.* q. 65, a. 1 ; Suarez, lib. II, c 15, n. 28 ; Perrone, *De matr. christ.*, II. cc.; Palmieri, *De matrim.*, th. XIV, XVI ; Lehmküll, *Theol. mor.*, II, 697 et seq.

4. Cfr. supra, n. 66 ; Suarez, lib. II, c. 15, n. 3-5.

5. Scotus, in III, dist. 37.

Caput V.

De promulgatione, interpretatione, cognitione legis naturalis.

75. *Legis naturalis promulgatio*

Promulgatio, *seu ordinationis intimatio et notificatio facta subditis, absolute exigitur ad obligationem:* talis autem esse debet promulgatio ut vi ejus communitas sine nimia difficultate substantiam ordinationis percipere valeat, non tamen esse debet adeo perfecta ut vi ejus omnes ordinationis partes, etiam secundariæ, sint explicatæ, applicationes multiplices determinatæ, conclusiones deductæ (1).

per hoc quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam;

Jam vero « promulgatio legis naturæ est ex hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam (2). » Videlicet Deus legem naturalem promulgat, eam in ipsa natura imprimendo et lumen naturale concedendo, quo perspici possit : inde enim ab eo, qui rationis usum habet, primæ ideæ morales ita sponte et necessario efformantur, ut quodammodo non acquisitæ sed *innatæ* videantur (3); ex his autem per media naturalia, interna et externa, individualia et socialia, nempe per ratiocinationem, derivari possunt eæ notiones quæ essentialiter necessariæ sunt ad agendam vitam rationi congruam (4).

Ista promulgatio physice quidem sufficiens est ; tamen in præsenti statu naturæ lapsæ moraliter est insufficiens ; huic autem insufficientiæ supernaturaliter suppletum est per revelationem, ut supra explicavimus (5).

76. *interpretatio doctrinalis, authentica, infallibilis;*

Interpretatio legis naturalis fit *mere doctrinaliter* a privatis, ope studii et meditationis ; *authentice*, ab iis qui munus habent docendi, ut sunt Episcopi singulariter sumpti, Concilia pro-

1. Cfr. Costa-Rosetti, *op. cit.*. th. 47, sch. 1 ; Meyer, *op. cit.*, n. 268, nec non ea quæ scripsimus in diss. *De l'ignorance invincible des conclusions éloignées de la loi naturelle*, c. IV, n. 4, pag. 42.

2. S. Thomas, 1-2, q. 90, a. 4, ad 1 ; alii tamen aliter loquuntur pro diverso modo explicandi essentiam legis naturalis ; cfr. v. g. Suarez, lib. I, c. II, n. 4.

3. Cfr. S. Thomas, 1, q. 79, a. 12 ; q. 84, a. 3 ; *De mente*, a 6. — Quo autem sensu SS. Patres religiosas et morales ideas *innatas* admittant, explicatur apud Kleutgen, *Philos.* V, et Franzelin, *De Deo uno*, th. VII.

4. Cfr. cit. diss. nostra *De l'ign. inv. des concl. éloigné s de la loi naturelle.*

5. Cfr. n. 25-28 ; Meyer, *op. cit* , n. 268.

vincialia aut nationalia, Congregationes Romanæ ; *infallibiliter* a Summis Pontificibus et a Conciliis œcumenicis (1). Ecclesiæ infallibilitas in interpretanda lege naturali non solum sequitur ex munere totum fidei depositum custodiendi, sed etiam continetur in prærogativa sanctitatis : sane sancta non esset Ecclesia, si posset illud docere quod honestum non est (2). — Advertatur autem, legis naturalis declarationem ab Ecclesia factam, non esse novam promulgationem vel promulgationis supplementum, sed tantum esse, sicut dici solet, veritatis *propositionem*.

77. *divulgatio et cognitio.*

Sequitur promulgationem legis divulgatio in communitate, ejusque cognitio ex parte subditorum ; quæ divulgatio et cognitio aliquando etiam dicitur promulgatio *passiva*. Contingere tamen potest, variis de causis, ut, facta promulgatione sufficienti, lex nihilominus ignoretur.

Videndum igitur est, an et qualis, in præsenti statu naturæ humanæ, revelatione supposita, existente etiam Ecclesiæ magisterio, haberi possit legis naturalis ignorantia : prius tamen nonnulla notanda sunt de veritatis inquisitione, et de præcipuis ignorantiæ speciebus.

78. *Cognitionis media.*

Itaque in ordine supernaturali *morali* et *religioso*, ad veritatem inveniendam media adhiberi debent et impedimenta removeri ; media, quæ adhibeantur, sunt : studium proprium, recursus ad sapientiores, oratio ad Deum (3) ; impedimenta, quæ removeantur, sunt, ut loquitur S. Thomas : malæ persuasiones, pravæ consuetudines, habitus corrupti (4).

Jam vero si, mediis adhibitis et impedimentis remotis, cognitio acquiri non potuit, ignorantia est *invincibilis ;* secus est *vincibilis*. — Et quidem si nullo modo cognitio potuit

1. Cfr. *Intr.* n. 92-123.

2. Cfr. Bellarminus, *De Rom. Pont.* lib. IV, c. 1 ; Suarez, *De fide*, disp. V, s. 8, n. 7 ; Billuart, *De fide*, disp. 3, a. 5 ; Murray, *De Eccl.*, disp. XVII, sect. 3, n. 81 ; Franzelin, *De trad.*, th. XII, sch. 1, princ. 2, cor. 1 ; Scheeben, I, n. 43.

3. Cfr. Antonius Cordubensis, lib. II, q. 2 ; necnon cit. diss. nostra, in qua egimus etiam de mente S. Alphonsi.

4. S. Thomas, 1-2, q. 15, a. 3 ; q. 56, a. 3 ; q. 94, a. 6 ; *De malo*, q. 3, a. 8 ; cfr. Adrianus. *Quodl.* IV, (ubi cum aliqua exaggeratione loquitur) ; Lessius, *De perf. div.*, lib. XIII, c. 14.

acquiri, ignorantia est *absolute invincibilis ;* si autem aliquo modo obtineri potuit, non tamen nisi ægre ac difficulter, ignorantia est *moraliter invincibilis :* unde ignorantia *moraliter invincibilis* est *stricte vincibilis* (1). — Advertendum vero, vincibilem non esse ignorantiam, nisi præsto fuerint media sciendi, et cogitatio aliqua subierit de iis adhibendis : ut enim scribit Vasquez, « superat humanam diligentiam expellere ignorantiam illius rei, cujus nulla prorsus incidit cogitatio (2). » — Hinc distingui debet ignorantia invincibilis in eam quæ est *ex culpa propria,* et in eam quæ *sine culpa propria* est : ignorantia enim, quæ ex culpa est, et eatenus vincibilis dici potest quatenus culpa vitari potuisset, non est proprio sensu vincibilis nisi nota fuerit necessitas vitandi culpam ne ignorantia sequeretur (3). — Tandem addenda venit distinctio in ignorantiam invincibilem *theoretice* et *quoad dissolutionem* (sc. per scientiæ acquisitionem) et in ignorantiam invincibilem *practice* et *quoad evasionem* (sc. per transgressionis vitationem) (4).

Ignorantia vario modo vincibilis et invincibilis.

79. Hisce præmissis, asserimus, *legis naturalis principia prima, communia, universalissima (quæ ad unum tandem revocantur variis formulis expressum) ab homine rationis usum habente nec invincibiliter, nec vincibiliter ignorari posse.* Illa namque principia « hoc modo

1. Cfr. Suarez, in 1-2, tr. 2, disp. 4, s. 1, n. 18, 19.

2. Vasquez in 1-2, disp. 123, c. 2, n. 6, ubi, postquam hoc principium optime explicavit, notat : « Id primum docuimus in nostro collegio Complutensi anno Domini 1581, quod, quamvis aliquibus viris doctis paulo post primo aspectu visum fuerit difficile, tandem, re bene perspecta et rationibus expensis, non solum probarunt, sed etiam scripto docuerunt, et tanquam propriam doctrinam tradiderunt ; ut vel inde discant, nonnisi maturo judicio aliorum opiniones notare. »

3. Hæc distinctio, quæ summi momenti est, clara in luce posita est primum a Francisco de Victoria, *Rel. de Indis.* c. 33, deinde a Vasquez, 1-2, disp. 120, c. 4 ; Sanchez, *In Dec.,* lib. 1, c. 16, n. 35 ; Suarez, l. c. n. 12 ; eam tamen non videntur præ oculis habuisse veteres Scholastici : Robertus Pullus, *Sent.,* lib. VI, c. 5 ; Hugo a S. Victore, *Summ. sacr.,* lib. II, p. 6, c. 5 ; Altissiodorensis, *Sum.,* p. III, (utrum fidei possit subesse falsum) ; Gul. Parisiensis, *De fide et leg.,* c. 21 ; Gerson, *De vita spir.,* lect. 4 ; Adrianus, *Quodl.* 4 ; imo ipse S. Thomas nonnulla habet *Ad Rom.,* c. 1, lect. 7, quæ difficultate non carent.

4. Distinctio ista, quæ apud Alensem et Altissiodorensem jam supponitur, explicata est ab Adriano, *Quodl.* IV ; eadem usi sunt Lovanienses sæculi XVII : cfr. v. g. Steyaert, *Aphor.,* 1 p., disp. 2, n. 7 ; 3ª app. q. 2, etc. — De his distinctionibus egimus in cit. diss. *De l'ignorance invincible des conclusions éloignées de la loi naturelle,* § 1.

Legis naturalis prima principia nullo modo ignorari possunt;

se habent ad rationem practicam, sicut prima principia demonstrationum se habent ad rationem speculativam : utraque enim sunt principia per se nota (1). » Quemadmodum igitur prima principia speculativa a nemine, qui ratione utatur, ignorari, ne vincibiliter quidem, possunt, ita et prima principia legis moralis cunctis essentialiter innotescant necesse est : utraque nempe similiter rationis naturam constituunt, et ideo ejus functionibus præsident. Unde manifeste consequitur, « legem, quantum ad præcepta communia, nullo modo posse a cordibus hominum deleri in universali, quamvis deleri possit in particulari operabili (2). »

dictamina immediata, non nisi vincibiliter;

Asserimus deinde, *legis naturalis dictamina particularia ex primis principiis immediate efformata, ab eo, qui ratione convenienter evoluta utitur, non nisi vincibiliter ignorari posse.* Et quidem horum dictaminum ignorantiam ex culpa saltem ignorantis semper provenire, manifestum est ; cum enim prima illa principia sint per se nota, et hæc dictamina ex iis immediate, obvia et facili illatione fluant, ignorantia, si contingat, profecto tribui nequit defectui virtutis intellectivæ, quæ supponitur convenienter evoluta ; ergo tribui debet pravitati voluntatis. At non tantum ex culpa est talis ignorantia, sed etiam culpabilis seu vincibilis : prælucentibus enim primis principiis, fieri non potest quin homo identidem in eorum applicatione testem rectam rationem sentiat, et si quidem eam fideliter sequi velit, Deo providente, ulterius etiam in legis cognitione proficiat (3). — Quod tamen hic dicitur de legis cognitione, non statim pronuntiari potest de ejusdem applicatione.

Asserimus tertio, *legis naturalis conclusiones mediatas, seu remo-*

1. S. Thomas, 1-2, q. 94, a. 2.

2. S. Thomas, 1-2, q. 94, a. 6. Similia habet Angelicus, 1 p., q. 79, a. 12 : « Sicut ratio speculativa ratiocinatur de speculativis, ita ratio practica ratiocinatur de operabilibus. Oportet igitur naturaliter nobis esse indita sicut principia speculabilium, ita et principia operabilium. Prima autem principia speculabilium, nobis naturaliter indita, non pertinent ad aliquam specialem potentiam, sed ad quemdam specialem habitum, qui dicitur *intellectus principiorum*... Unde et principia operabilium, nobis naturaliter indita, non pertinent ad specialem potentiam, sed ad specialem habitum naturalem, quem dicimus *synderesim*. Unde et synderesis dicitur instigare ad bonum, et murmurare de malo, in quantum per prima principia procedimus ad inveniendum, et judicamus inventa. »

3. Cfr. Th. Meyer, n. 271.

tiores, invincibiliter ignorari posse ab eo etiam, qui ratione convenienter evoluta utitur.

conclusiones non solum vincibiliter sed etiam invincibiliter.

Imprimis possibilitas ignorantiæ theoretice et quoad dissolutionem invincibilis omnino certa apparet: tum *a priori,* attenta conditione naturali humani intellectus; tum *a posteriori,* ipsa docente quotidiana experientia. Nec ullus esse videtur theologus catholicus, qui eam negaverit : quando enim veteres nonnulli scholastici generali sententia pronuntiant, dari non posse ignorantiam invincibilem juris naturalis, nomine juris naturalis non intelligunt nisi prima principia et immediata dictamina (1).

Quorumdam doctrina, ignorantiam juris naturalis invincibilem non admittens:

At possibilitas ignorantiæ practice et quoad evasionem invincibilis in dubium revocata vel etiam negata est, tum a quibusdam antiquis scriptoribus (2), tum a non paucis theologis sæculi XVII et XVIII, præsertim e schola Lovaniensi (3) et e castris Rigoristarum (4).

eorum argumenta,

Arguebant illi ex axiomate apud scholasticos recepto, *facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam,* nec non ex dogmate catholico, *præcepta Dei impossibilia non esse* (5); item ex sufficienti promulgatione legis naturalis (6), et ex comparatione ignorantiæ cum concupiscentia, quæ nunquam est invincibilis (7).

argumentorum inefficacia,

Verum axioma, *facienti quod in se est,* non habet hic applicationem, nisi (falso) supponatur, cognitionem et realem observationem conclusionum legis naturalis esse media ad salutem necessaria ; et quidem hoc etiam gratis concesso, sequeretur tantum, ignorantiam esse semper ex culpa, minime tamen sequeretur, eam esse culpabilem seu vincibilem (8). — Dogma

1. Ita v. g. loquuntur Gratianus, *Decr.*, 1, q. 4, c. 12 *Turbatur;* Alensis, *Sum.* II, q. 112, m. 8; q. 153, m. 83; S. Bonaventura, Albertus M.; Durandus, in III, dist. 25, q. 1; Gerson, *De spir. vita,* lect. 4; cfr. supra, n. 66, necnon cit. opusc., § 2. — 2. Gul. Parisiensis, *de fide et leg.*, c. 21.

3. Hesselius, *De dec.*, c. 22; Molanus, *Theol. comp.*, tr. V, c. 6, n. 12 et 13; Estius, in II, dist. 22, § 14; Christ. Lupus, *De opin. prob.*, c. 9; Steyaert, *App. ad 1 part. aphor. cont.* 3, q. 2; Macarius Havermans, *Epist. Apol ad Inn.* XI, p. 72; Pauwels, *Theol. pract. de leg.*, § 3, n. 47; Claes, *Eth* , p. 1, c. 50, etc.

4. Patuzzi et auctor anonymus *Regulæ morum,* quos S. Alphonsus, lib. 1, n. 173, suos *acerrimos contradictores* vocat; cfr. cit. diss. nostra, § 2.

5. Cfr. Thyrsus Gonzalez, *Fund. theol. mor.*, dis. XI, c. 5.

6. Cfr. Concina, *De consc.*, lib. II, diss. 2, c. 3, § 3, n. 26.

7. Cfr. Périn, *De act. hum.*, q. 2, a. 10, § 5.

8. Cfr. cit. diss. nostra, § 4, n. 2, pag. 37-40.

catholicum, *præcepta Dei impossibilia non esse*, respicit legis materiam, non ejus cognitionem (1); et si dicatur respicere legis cognitionem, ex eo deducetur, non quod nulla dari possit ignorantia, sed quod ignorantia, si adsit, excuset et legis ignoratæ violatio non imputetur ad culpam (2). — Quoad sufficientiam promulgationis, jam supra vidimus, ea non necessario includi perfectam legis notitiam quoad omnes ipsius partes et conclusiones (3). — Demum comparatio cum concupiscentia potius obest illi sententiæ quam ipsi faveat: sicut enim datur concupiscentia antecedens, ita dari potest ignorantia invincibilis; et sicut concupiscentia antecedens non imputatur ad peccatum, quia voluntaria non est, ita ignorantia invincibilis excusat a culpa, quia etiam involuntaria est (4). — Nihil ergo valent ista argumenta: si autem quid valerent, demonstrarent etiam impossibilem ignorantiam legis divinæ, imo et facti.

gravissimæ rationes oppositæ.

Aliunde prædictorum theologorum opinio impetitur gravissimis, imo apodicticis rationibus. Conclusiones morales e principiis non deducuntur nisi ope subtilioris considerationis, quæ paucorum est: occasiones agendi sunt multiplices: respectus operationum varii: circumstantiæ implicatæ: specialis autem promissio divina vel illustrationis mentis vel remotionis periculi nulla habetur. — Et re quidem vera viri docti æque ac sancti, quos suspicari non licet aliquid omisisse ad veritatem cognoscendam vel errorem vitandum, docuerunt contradictoria de quibusdam legis naturalis conclusionibus, adeoque saltem nonnulli eorum errore lapsi sunt. — Præterea, si nulla datur legis naturalis ignorantia practice invincibilis, non licebit sequi opinionem etiam probabilissimam, quod ab Alexandro VIII damnatum est (5); similiter, si ignorantia legis naturalis est semper practice vincibilis, dicendum erit, semper etiam vincibilem esse ignorantiam legis supernaturalis, quod in Baio damnatum est (6): Deus enim non minus paratus est hominem

1. Cfr. Matth. xi, 30; 1 Cor. x, 13; S. Hilarius, *In psalm.* cxviii, 96; S. Hieronymus, *In Matth.*, c. v; S. Augustinus, *In Joann.*, tr. liii; Conc. Araus. c. 25; conc. Trid. sess. vi, cap. 11. — 2. Cfr. cit. diss., § iv, n. 3, pag. 40-42. — 3. Cfr. supra, n. 75, et cit. diss., pag. 42-45.

4. Ibid., p. 45-47. — 5. Prop. 3: « Non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam. » Cfr. cit. diss., § 3, n. 4, pag. 33.

6. Prop. 68: « Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. » Cfr. ibid., p. 11 et 31.

adjuvare ad concipiendam fidem necessariam necessitate medii quam ad vitandam transgressionem legis naturalis: si ergo legis violatio est semper culpabilis, infidelitas etiam culpabilis erit.

Sensus Ecclesiæ.

Merito igitur jamdiu ab omnibus hæc doctrina rejicitur ut minus cohærens cum tota veritate catholica: dici tamen nequit in se damnata. Solet contra ipsam allegari, tanquam damnata, propositio : *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris naturalis in ullo homine dum hic et nunc contra jus naturale agit* (1) : at revera hæc propositio damnata non est, sed tantum proscriptus est libellus, in quo cum aliis enuntiabatur ; libellus autem ille proscriptus non fuit intuitu ipsius, siquidem eadem propositio paulo ante a Lovaniensibus judicio S. Sedis submissa, intacta remanserat (2).

Itaque ignorantia conclusionum legis naturalis nec semper est vincibilis, nec semper provenit ex culpa propria ignorantis; quomodo autem sit ex culpa primi parentis, et quousque existere potuisset in statu naturæ puræ, alibi exponitur (3). — Libuit hæc paulo accuratius tradere, quia agitur de re vere fundamentali in theologia morali, quæ, licet intrinsece difficilis non sit, tamen controversiis non parum implicata fuit : præterea materia est in cujus intelligentia magnum et legitimum progressum admittere cogetur quisquis dicta veterum scholasticorum cum recentiorum explicationibus contulerit.

Ignorantiæ invincibilis exempla.

Quod si quæratur quousque apud Christianos practice præsumi vel rationabiliter admitti possit ignorantia invincibilis, primum respondemus nullam occurrere regulam generalem, secundum quam res definiatur, sed attendendum esse ad circumstantias temporum, locorum, personarum. Addimus tamen, a gravibus theologis admitti possibilitatem ignorantiæ invincibilis quoad malitiam tum actuum internorum, v. g.

---

1. Ad hanc propositionem, aliis frustra reclamantibus, appellabant Lacroix, lib. I, n. 726; Antoine, *De pecc.*, c. 4, q. 6; S. Alphonsus, lib I. n. 171 ; ad eamdem provocant Müller, *Theol. mor.*, tr. III, § 32; Pruner, *Theol. mor.*, p. I, c. 4, § 3.

2. Cfr. cit. diss., pag. 27-31, ubi etiam ostendimus secundam e propositionibus ab Alexandro VIII damnatis nullimode cum præsenti quæstione connecti.

3. Cfr. Ripalda, *De ente supern.*, tom. III, disp. 10, sect. 7 : Bellarminus, *De amiss. grat.*, lib. VI. c. 9 et c. 15; Casinius, *Quid est homo,* a. 5; Jungmann, *De Deo-creat.*, n. 279; Mazzella, *De Deo creante,* disp. IV, a. 6.

bravarum cogitationum, desideriorum inefficacium, etc. (1); tum etiam quorumdam actuum externorum, v. g. *furti ad eleemosynam, mendacii officiosi, perjurii ad vitam tuendam* (2); imo supponit S. Thomas contingere posse ut quis ignoret invincibiliter prohibitionem fornicationis (3).

Caput VI.

De legis naturalis charactere sociali et politico.

80. Lege naturali regulatur non solum activitas individualis, sed etiam activitas socialis. Societas enim est persona moralis, cui insunt sua officia, sua jura, sua operatio, sua responsabilitas, eaque distincta ab officiis, juribus, operationibus, responsabilitate individuorum membrorum, quæ ipsam constituunt (4).

81. *Juris gentium notio;*

Legi naturali sociali proxime accedit lex seu *jus gentium*, de cujus vocabuli sensu nonnulla advertenda veniunt (5).

apud Romanos,

a/ Jurisperiti Romani *jus gentium* dicebant eam partem legis naturalis quæ dirigit *inclinationes et actiones homini proprias*, ut sunt religio in Deum, obedientia ad parentes; juris vero naturalis appellationem iidem restringebant ad illam legis

1. Cfr. Lacroix, lib. I, n. 135; S. Alphonsus, *De consc.* n. 9.
2. Cfr. Sanchez, *De præc. dec.*, lib. I, c. 16, n. 33.
3. Cfr. *De malo*, q. III, a. 8. — Cæterum, Durandus censuit fornicationem jure naturali prohibitam non esse.
4. Cfr. Th. Meyer, op. cit., pag. 297-304.
5. Præter auctores indicatos, *Intr.* pag. 153 et pag. 163, de jure gentium recentius specialiter egerunt, vario sensu et merito, apud Germanos: Martens, Kluber, Heffter, Bluntschli; apud Americanos et Anglos: Wheaton, Lawrence, Ocke-Manning, Kent, Halleck, Traves-Twiss, Phillimore; apud Gallos: de Rayneval, Funck-Brentano et Sorel, Durut-Lasalle, Morin, Hautefeuille, Pradier-Fodéré; apud Italos: Romagnosi, Fiore, Cassanova, Carnazza-Amari; apud Hispanos et Lusitanos: Calvo, Pinheiro Ferreira, etc. — A tempore quo societas civilis magis magisque sæculariżata fuit, theologi catholici non quidem prætermiserunt quæstiones juris gentium, eas tamen videntur minus sollicite tractasse; interim ipsa, quibus gentes christianæ inter se diriguntur, principia non minima ex parte perversa sunt et frequentius, utilitatis causa, cum omnium detrimento violata; ita ut tandem multi etiam ex acatholicis aperte pronuntient, a summa Ecclesiæ et Pontificum Romanorum auctoritate petendas esse et sanas doctrinæ declarationes et æquas difficultatum solutiones: cfr. variorum *postulata* ad concilium Vaticanum; Leonis XIII, All. *Etsi res.* — Satis ampla juris gentium *Bibliographia* exhibetur apud *Liter. Handw.* n. 241, 242, (1879).

naturalis partem quæ dirigit *actiones et inclinationes homini cum cæteris animalibus communes,* ut sunt maris et fœminæ conjunctio, filiorum procreatio (1).

b/ Theologi scholastici nomine *juris gentium* designabant aliquando legis naturalis dictamina *remotiora;* aliquando dictamina quæ hominem respiciunt in *societate* viventem ; aliquando dictamina *concessiva* seu *permissiva;* communius autem *regulas consuetudine et moribus hominum constitutas, ac fundatas non quidem in absoluta necessitate naturæ, sed tamen in utilitate, congruitate, et morali etiam necessitate* (2). — Hoc ultimo sensu sumptum jus gentium *formaliter* et *executive* est positivum, dici tamen potest naturale *originaliter, indicative* et *imperative;* est etiam generale et vix mutabile. Eo autem reguntur tum internæ relationes membrorum uniuscujusque societatis particularis, tum maxime et propriissime relationes societatum ad invicem : prout vim habet inter ipsas societates, non obligat nisi per modum pacti, conventionis : societatibus enim non est superior qui in ipsas imperium proprie dictum exerceat. *apud Scholasticos,*

c/ Recentiores *jus gentium* vocant *complexum obligationum et officiorum quibus nationes seu societates ad invicem adstringuntur.* Jus illud constat tum principiis necessariis legis naturalis, tum moribus et diuturnis consuetudinibus in natura proxime fundatis ac universaliter receptis, tum positivis ac liberis conventionibus : adeoque partim immutabile est, partim mutabile, et successivæ evolutioni obnoxium. — Jam vero jure gentium *apud Recentiores.*

1. Ita *Inst.*, lib. I, tit. 1 et 2, et *Digest.*, lib. I, t. 1, l. 1, § 4 et l. 5, jus privatum dicitur « collectum ex *naturalibus* præceptis, aut *gentium,* aut *civilibus.* » Jam vero jus naturale definitur « quod natura omnia animalia docuit; » jus gentium, « quod naturalis ratio inter omnes homines constituit ; » civile, « quod quisque populus ipse sibi constituit, et ipsius proprium civitatis est. » Cfr. Suarez, lib. II, c. 17.

2. S. Isidorus, *Etym.* V, 6 : « Jus gentium est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, postliminia, fœdera, paces, induciæ, legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita; et inde jus gentium, quod eo jure omnes fere gentes utuntur. » Quam descriptionem refert Gratianus, *Decr.* c. 1. — Cfr. de notione juris gentium S. Thomas, 1-2, q. 95, a. 4; 2-2, q. 57, a. 3; *Suppl.* q. 65, a. 1, ad 4; in IV, dist. 33; *Ethic.* V, lect. 12; Suarez, lib. II, c. 17-20; Schmalzgrüber, *Diss. proœm.*, n. 116-145; Schmier, *Jurisprud. can.-civ.*, lib. I, tr. 1, c. 4. — Speciales autem quæstiones exposuerunt Joannes de Lignano, *De bello ;* Henricus Gorcomius, *De bello justo ;* Franciscus de Victoria, *De Indis ;* Molina, *De just. et jure,* tr. II, disp. 98-120; Suarez, *De char.*, disp. 13, etc.

definitur : qua ratione unaquæque gens seu natio se gerere debeat cum alia relate ad hujus formationem, existentiæ conditionem, vitam internam (constitutionem, gubernationem, administrationem), actionem externam (commercium, regionum possessionem et colonias, maris et fluviorum usum, conditionem membrorum unius societatis quando in alia versantur), etc. Huc pertinent missio et receptio legatorum, pactorum conclusio, associationes plus minusve intimæ, (unione personali vel etiam reali, confœderatione), immixtio seu interventus, defensio et impugnatio per bellum.

Caput VII.

De sanctione legis naturalis. (1)

82. *Notio sanctionis.*

Lex *moralis, obligatio, recompensatio, punitio, sanctio* sunt notiones intime connexæ. Est autem sanctio, ex vi etymologica vocis, legis consecratio (sancire, sanctum), confirmatio seu coactio ; definitur medium ordinatum ad procurandam normæ observationem, ad vitandam ejus violationem. Notio sanctionis est æque primitiva ac notiones moralitatis ac religionis ; implicat in mentibus hominum ideam intimæ et necessariæ connexionis inter bonum et felicitatem, inter malum et miseriam.

Cum talis sit natura hominum ut spe boni impellantur ad virtutem, et timore mali deterreantur a vitio, facile apparet falsam esse eorum theoriam, qui, cum Stoicis et recentius cum Kant, docent, moralem non esse legis observationem, nisi fiat sola legis reverentia, immoralem vero esse, si fiat aliquo intuitu præmii.

Varii modi observandi legem sub respectu sanctionis.

Si varii modi observandi legem sub respectu sanctionis analyzentur et comparentur, sequentes sunt distinguendi :

a/ Observatio legis ex solo timore pœnæ et ex sola spe præmii ;

b/ Observatio legis cum timore pœnæ et cum spe præmii ;

c/ Observatio legis sine consideratione præmii vel pœnæ.

1. Cfr. Th. Meyer, *Inst. Juris natur.*, vol. I, pag. 214 ; Feretti, *Inst. phil. mor.*, vol. I, pag. 341 ; De Pascal, *Phil. mor. et soc.*, vol. I, pag. 165 ; Guyau, *Esquisse d'une morale sans oblig. ni sanction*, p. 179.

d| Observatio legis ex reverentia ejus et simul intuitu sanctionis.

Ex his quatuor modis observandi, quartus est perfectior.

83. *Ex essentia rerum oritur legis naturalis sanctio, quæ varia distinguitur.*

Cum lex naturalis oriatur ex essentia rerum, etiam ex eadem essentia oritur legis naturalis sanctio ; prior est causa, posterior est effectus. Distinguenda autem est in *internam* et *externam; essentialem* et *accidentalem ;* in *sufficientem* et *insufficientem ;* in *perfectam* et *imperfectam*. Debet autem sanctio esse talis quæ sit *universalis, proportionata, efficax*. Potest esse vel *interna* et *in conscientia,* vel *naturalis,* vel *socialis,* vel *publica*.

Perfecta sanctione Deus communivit legem naturalem.

Hisce præmissis, in confesso est, Deum legem naturalem perfecta sanctione communivisse. Probatur ex infinita Dei sapientia et justitia; ex infinita Dei sanctitate ; ex infinita Dei majestate. Etsi in mortali hac vita detur aliqua sanctio, ea tamen nec plene respondet operibus, nec par est ad humanam voluntatem in legis naturalis custodia continendam. Perfecta igitur sanctio q̃ua certe Deus naturalem legem communivit, futuram respicit vitam.

LIBER QUARTUS.

DE LEGE DEI SUPERNATURALI.

84. *Lex Dei supernaturalis triplici nomine designatur.*

Lex divina supernaturalis, pro triplici suo stadio, triplici nomine designatur; dicitur enim primitiva seu patriarcharum, vetus seu Mosaïca, nova seu evangelica. Pro primo et maxime pro secundo stadio, dicitur *veteris testamenti*, pro tertio dicitur *testamenti novi*.

« In toto veteri testamento distingui debet *œconomia spiritualis,* permanens scilicet etiam post lapsum humani generis destinatio ad finem supernaturalem æternæ beatitudinis, promissio et collatio gratiæ necessariæ ad hujus assecutionem; et distingui debet *fœdus particulare* promissum patriarchis et cum iis inchoatum, absolutum vero et initum distinctius atque expressius cum universo populo Israel per Moysen ministrum Dei, quatenus hoc constat superadditis præceptis, cæremoniis, promissionibus temporalibus aptis ad formandum et continendum populum Dei particularem, ut per hunc ipsa œconomia spiritualis facilius et perfectius conservaretur et in dies amplius

explicaretur. Illa prior œconomia instituta jam erat in paradiso, erat universalis, pertinens ad totum genus humanum, æterna et in plenitudine temporis perficienda quidem, numquam vero abroganda, spiritualis tam quoad finem bonorum æternorum quam quoad media gratiæ adjuvantis et sanctificantis; fœdus autem alterum Mosaicum, formaliter spectatum et quatenus distinguitur a pacto universali et spirituali, ut ipsemet S. Paulus legem et opera legis et cæremonias considerare solet, exhibetur nobis ut temporarium, externum, cujus promissio et hæreditas testamentaria erant bona temporalia, terra fluens lacte et melle, cujus sanctificatio legalis tantum, et ut Paulus loquitur, Heb. IX, 13, emundatio carnis: utraque tamen, tum scilicet hæreditas, tum sanctificatio, typus erat ac figura hæreditatis et sanctificationis spiritualis conferendæ in novo testamento per Christum. » (1)

Jam vero in præsenti nobis est agendum de divina lege stricte dicta, nimirum de præceptis supernaturalibus, et quidem directe et præcipue de præceptis universo generi humano impositis, non autem de præceptis particularibus populo Hebræorum datis. Inquiremus autem de hujus legis existentia, indole, præceptis, consiliis, proprietatibus, promulgatione et cognitione (2).

Caput I.

De existentia legis supernaturalis.

85. *Lex Dei supernaturalis*

Legi naturæ superadditur lex gratiæ, divina nempe generis humani in finem supernaturalem ordinatio: hæc autem lex, primitiva revelatione intimata, deinde ministerio Moysis renovata et externe promulgata, postmodum a prophetis explicata, ab ipso Dei Filio tandem confirmata et perfecta est.

primitiva revelatione accepta,

Et quidem Deus, hoc ipso quod hominem ad ordinem super-

1. Franzelin, *De sacram in gen.*, th II.

2 Cfr. *De lege divina*, Hugo a S. Victore, *De sacram.*, lib. I, p. II et 12; Gulielmus Parisiensis, *De fide et legibus*; Alensis, *Summa*, III, 19-38, 44-48, 56-60; Lombardus, III, dist. 37, ubi ejus Expositores; S. Thomas 1-2, q. 91, a. 4 et 5, q. 99-108, ubi ejus Commentatores; item *Cont. gent.* III, c. III et seq.; Suarez, *De leg.*, lib. IX et X; De Voisin, *De lege divina secundum statum omnium temporum*; Wirceburgenses. *op. cit.*, c. II, etc. — Pauca de lege divina habere solent Jurisperiti et Moralistæ; vide tamen ex his Müller, *op. cit.*, a. 2, § 36 et seq., ex illis Schmalzgrüber, l. c., n. 90-111.

naturalem elevaverit, eumque ad finem destinaverit supernaturalem, ipsi regulas agendi fini assequendo convenientes præscribere debuit; quod præclare explicat Angelicus: « Præter legem naturalem, necessarium fuit ad directionem humanæ vitæ habere legem divinam... Quia per legem dirigitur homo ad actus proprios in ordine ad ultimum finem. Et si quidem homo ordinaretur tantum ad finem qui non excederet proportionem naturalis facultatis hominis, non oporteret quod homo haberet aliquid directivum ex parte rationis supra legem naturalem... Sed quia homo ordinatur ad finem beatitudinis æternæ, quæ excedit proportionem naturalem facultatis humanæ... ideo necessarium fuit ut supra legem naturalem dirigeretur etiam ad suum finem lege divinitus data (1). »

per ministerium Moysis iterum promulgata.

Cum autem hanc legem primitiva revelatione acceptam homines oblivioni tradidissent, Deus eam renovavit, illustriorem reddidit, ac per Moysen externe proponi voluit (2). Apposite S. Bonaventura: « Quoniam scriptura cordis interior propter peccatum erat obnubilata, et homo, qui fuerat spirituali mente præditus, effectus erat sensibilis et carnalis: opportunum erat ut exterius legeret et audiret per sensus corporis ea per quæ posset in rectitudinem justitiæ regulari (3). »

a Christo perfecta.

Ejusdem legis sensum prophetæ populis explicarunt, observationem inculcarunt; confirmationem autem et ultimam perfectionem Christus Dominus ei adjecit: multifariam enim multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime locutus est nobis in Filio (4). Filius videlicet, qui a Prophetis prænuntiatus fuerat ut rex et legislator (5), legislatoris personam assumens, antiqua mandata a falsa Pharisæorum

1. S. Thomas, 1-2, q. 91, a. 4.

2. Cfr. Ex. XX, 1-17; Deut. V, 6-21; Psalm. XVIII, 8-11; CXVIII; Math. XV, 3, 4; Marc. VII, 8, etc. — Legem autem Moyses non immediate a Deo sed ab Angelis accepit, ut habetur Act. VII, 53, Gal. III, 19; cfr. Suarez, lib. IX, c. 2; Zschokke, *Hist. ant. test.*, § 22.

3. In III, dist. 37, a. 1, q. 3; cfr. S. Ambrosius, *Epist.* LXXIII, n. 9; S. Augustinus, *In psalm.* LVII, n. 1; *Serm.* LXXXI, n. 2; *Cat. ad Parochos*, p. III, n. 3, etc.

4. Heb. I, 1. Cfr. Zschokke, *op. cit.*, § 57, *De prophetismo;* Cornely, *Intr. in lib. Vet. Test.*, diss. 3, c. 1.

5. Cfr. Psalm. II, LXXI, Is. XXXIII, 22, Jer. XXXI, 33; Heb. VIII, 8. Hinc conc. Trid., Sess VI, c. 2; « Si quis dixerit Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant, anathema sit. »

interpretatione vindicavit, nova dedit, modum observandi nobiliorem docuit (1).

86. Exstant igitur, etiam in œconomia evangelica, præcepta vere obligatoria (2). Inepte autem nonnulli ex reformatoribus sæculi XVI, veterum hæreticorum insanias secuti, contenderunt præcepta stricte obligatoria, præter fidem, repugnare tum indoli œconomiæ christianæ, (quæ opera non postulat (3) et vocatur gratia et libertas) (4), tum conditioni justificatorum, (qui de maledicto legis redempti, spiritu ducuntur). (5) At vero œconomiæ christianæ non repugnant nisi obligatio legis *mosaicæ,* qua talis, præceptorum observatio mere *externa* ac *materialis,* servitus *timoris*, *peccati* et *diaboli*, justificatio *extra Christi evangelium :* hæc et non alia locis ad quæ provocabant significantur. Unde concilium Tridentinum : « Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem ; cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera ; aut decem præcepta nihil pertinere ad christianos : anathema sit. — Si quis hominem justificatum et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, quasi vero Evangelium sit nuda et absoluta promissio vitæ sine conditione observationis mandatorum : anathema sit (6). »

Error Antinomistarum.

Caput II.

De indole legis supernaturalis.

87. *Lex divina est supernaturalis,* Notandum imprimis, legem divinam, cujus existentiam probavimus, non mere *positivam* esse, sed, prout inscribitur, esse vere *supernaturalem :* etenim a Deo *auctore gratiæ* provenit,

1. Matth. v, 17-vii ; ix, 15-17 ; xxviii, 18-20 ; Joan. iii, 3 ; vi, 54 ; xiii, 34 ; xiv, 21 ; xv, 10, 17 ; xx, 23 ; cfr. Suarez lib. x, c. 2 et c. 8.

2. Rom. ii, 13, 16 ; Jac. ii, 10. — 3. Rom. iv ; Gal. iii.

4. Joan. i, 17 ; II Cor. iii, 17 ; Gal. iv, 31 ; v, 13 ; Jac. ii, 12.

5. Gal. iii, 13 ; v, 18.

6. Conc. Trid. Sess. vi, can. 29 et 20. — Cfr. Driedo, *De libert. Christ.* ; Lensæus, *De libert. Christ.* ; Andreas Vega, *De justif.* lib. ii ; Dom. Soto, *De nat. et grat.*, lib. iii, c. 1 ; Stapleton, *Ant. Apost.*, c. 3 ad Rom. ; Suarez, lib. x, c. 1 ; Bellarminus, *De justif.*, lib. iv, c. 1 et seq. ; Becanus, *Man. Contr.*, lib. i, c. 17 ; *Summ. theol.* de leg. c. 5, q. 1 et 2 ; Franzelin, *De sacram. in gen.*, th. viii ; Riess. in *Kirchenlexicon*, v° *Antinomismus.*

revelatione cognoscitur, homini *ad filiationem divinam elevato* datur, *actus supernaturales* præscribit, *viribus supernaturalibus* adimpletur, *finem supernaturalem* intendit.

88. *interna.*

Jam vero supernaturalis hæc morum regula, quamvis sit externe promulgata et proposita, tamen merito dicitur interna, in corde signata et scripta : indita enim est menti, quia fide suscipitur, Spiritus Sancti illuminatione docetur ; indita etiam est voluntati, quia abundantia amoris et gratia suaviter inclinante adimpletur. Sane in sacris litteris dicitur, fideles esse doctos a Deo (1), unctionem habere a Sancto et nosse omnia (2), scriptam esse legem in eorum visceribus (3). Patres etiam uno ore proclamant, legem Christi scriptam non *atramento* sed *spiritu Dei vivi,* non in *carta* aut in *lapidibus,* sed in *sensibus* hominum et in *cordibus* eorum (4). Scholastici autem ulterius explicant *quare* lex Christi intra nos scribi debuerit, et *quomodo* sit scripta (5). Ita, v. g. Suarez : « Præcepta hujus legis debuerunt interius scribi per specialem Dei gratiam et providentiam. Scripta sunt in intellectu, per abundantiam fidei et supernaturalis doctrinæ ; et in voluntate, per abundantiam spiritus et amoris. Præcepta hujusmodi proprie et formaliter scribuntur in intellectu : vel in *actu primo,* per species et lumen ; vel in *actu secundo,* per judicia et dictamina ad hanc legem pertinentia ; in voluntate suo modo scribuntur, non solum per impulsum, sed etiam quatenus voluntas ad illa bene affecta est (6). » Similiter Gregorius de Valentia : « Lex divina ut irradiatione quadam divinæ sapientiæ in mentibus hominum imprimitur, tum per *dona divina,* ut fidei vel etiam gratiæ, quatenus his illustrata mens certissime judicat, quid sit propter supernaturalem finem necessario faciendum ; tum per *hoc ipsum certum judicium,* in quo divinæ legis ratio magis adhuc quam in donis ipsis fidei aut gratiæ elucet (7). » — Iste

1. Is. LIV, 13 ; Joan. VI, 45. — 2. I Joan. II, 20-27.
3. Jer. XXXI, 31-34.
4. Cfr. S. Ambrosius, *In ps.* CXVIII, serm. 18, n. 37 ; S. Augustinus, *De spir. et litt.*, c. 17, n. 29 ; c. 21, n. 36 ; c. 28, n. 48 ; S. Prosper, *Contr. Coll.*, c. X, n. 2.
5. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 106, a. 1, ubi ejus Commentatores ; Bellarminus, *De justif.*, lib. IV, c. 4 ; Suarez, lib. X, c. 3.
6. Suarez, lib. X, c. 3, n. 8.
7. Gregorius de Valentia, *De vera et falsa differentia veteris et novæ legis,* p. 1, c. 2.

character legi morum supernaturali in omni suo statu proprius est, specialiter autem et maxime ei convenit spectatæ in sua perfectione evangelica; unde sub hoc respectu lex evangelica non solum opponi solet externo fœderi Mosaico, sed etiam aliquando opponitur cuivis legi Christo anteriori (1).

89. *spiritualis,*

Deinde supernaturalis morum regula est spiritualis, tum quia, licet etiam externos actus præcipiat, tamen circa internos maxime versatur; tum quia ad animæ sanctificationem dirigit; tum quia bona cœlestia intendit (2). Si quæ autem temporalia commoda affert, et quidem affert plurima (3), ea subjiciuntur iis qui primum quærunt regnum Dei et justitiam ejus (4). — Rursus iste character maxime proprius est legi divinæ in sua perfectione evangelica spectatæ, ei tamen etiam convenit prout ante Christum observari debebat. Etenim etiam ante Christum præcipiebantur actus interni fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ: interna peccata prohibebantur: animæ sanctificatio obtinebatur: sempiterna exspectabatur hæreditas (5). Quod significat S. Augustinus: « Non itaque spes nostra in temporalium rerum promissione defixa est; quandoquidem nec ipsos illius tem-

1. Jerem. XXXI, 31-34; cfr. Franzelin, *De trad.*, th. XII.

2. Joan. IV, 23, 24; cfr. tract. noster *De religione*, I, 48.

3. Hujusmodi utilitates e lege Evangelica derivatas solet Leo XIII, in memoriam hominum nostræ ætatis revocare quoties opportunitas adest; ita v. g. in Encycl. *Arcanum*: « Quamquam vero divina (per Christum) instauratio præcipue et directo homines attigit in ordine gratiæ supernaturali constitutos, tamen pretiosi ac salutares ejusdem fructus in ordinem quoque naturalem largiter permanarunt; quamobrem non mediocrem perfectionem in omnes partes acceperunt cum singuli homines, tum humani generis societas universa. Etenim, christiano rerum ordine semel condito, hominibus singulis feliciter contigit ut ediscerent atque adsuescerent in paterna Dei providentia conquiescere, et spem alere, quæ non confundit, cœlestium auxiliorum; quibus ex rebus fortitudo, moderatio, constantia, æquabilitas pacati animi, plures denique præclaræ virtutes et egregia facta consequuntur. — Societati vero domesticæ et civili mirum est quantum dignitatis, quantum firmitudinis et honestatis accesserit. Æquior et sanctior effecta principum auctoritas; propensior et facilior populorum obtemperatio; arctior civium conjunctio; tutiora jura dominii. Omnino rebus omnibus, quæ in civitate habentur utiles, religio christiana consuluit et providit; ita quidem ut, auctore S. Augustino, plus ipsa afferre momenti ad bene beateque vivendum non potuisse videatur, si esset parandis vel augendis mortalis vitæ commodis et utilitatibus unice nata. » Cfr. etiam Encycl. *Immortale Dei.*

4. Matth. VI, 33.

5. Cfr. Ex. XX, 2-17; Deut. VI, 5; X, 12; XI, 13; Tob. II, 18; Sap. II-V Psalm. CXVIII, 2; II Machab. VI. VII; Hebr. XI, etc.

poris sanctos et spirituales viros, Patriarchas et Prophetas, his terrenis rebus fuisse deditos credimus (1). » Et S. Leo : Gratia Dei, qua semper est universitas justificata sanctorum, aucta est Christo nascente, non cœpta (2). » Unde S. Bonaventura : « Lex vetus secundum intellectum spiritualem quodammodo concordat cum lege Evangelica : et qui spiritualiter legem observabant, viri Evangelici erant, quia lex prægnans erat Evangelio (3). » — Immerito igitur moderni quidam, etiam ex catholicis, asseruerunt, Mosaïsmum a Prophetis dotatum esse charactere spirituali et proprie ethico, quo prius carebat (4).

90. *paterna et observatu facilis.*

Præterea supernaturalis morum regula, in quocumque suo statu spectata, præsertim in sua perfectione evangelica, est paterna, data scilicet filiis : adeoque suavis, et amore non timore implenda, observatu possibilis, imo facilis cum gratia Dei quæ nemini negatur (5). Ita S. Augustinus : « Tenere te volo, Dominum nostrum Jesum Christum leni jugo nos subdidisse, et sarcinæ levi : unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit (6). » Idem inculcari mandat *Cat. ad Parochos :* « Legis jussa difficultatem non habere, ostendat Parochus, quod vel una hac ratione ex sancto Augustino docere poterit, cum dicit : Quid, quæso, dicitur impossibile esse homini amare; amare, inquam, creatorem beneficum, patrem amantissimum, deinde etiam et carnem suam in fratibus suis? At vero qui diligit, legem implevit (7). Quare Joannes Apostolus, præcepta Dei gravia non esse, aperte testatur (8); nihil enim justius, nihil cum majori dignitate, nihil majori cum fructu ab homine, teste B. Bernardo, exigi potuisset (9). Quamobrem summam Dei benignitatem admiratus est Augustinus, sic ipsum Deum affatus : Quid est homo, quod amari te ab eo vis? et si non facias, ingentes minaris pœnas? an non satis magna hæc est, si non

1. S. Augustinus, *Contr. Faustum,* lib. IV. — 2. S. Leo. *Serm.* XXI (de nat. Dom. 3), n. 4. — 3. S. Bonaventura, in III, *dist.* 40, a. 1, q. 2.
4. Ita Hirscher et Linsenmann, ap. Müller, *op. cit.*, tom. I, § 38, n. 11.
5. Cfr. Deut. XXX. 11; Psalm. XVIII, 8, 9, LXXXIII, 8, CXVIII, 32; Ez. XXXVII, 24; Matth. XI, 30; I Joan. V, 3, etc. — 6. *Epist.* LIV, c. 1.
7. *De mor. Eccl.* XXV; *In epist. I Joann.* VII, 7, VIII, 1, IX, 3.
8. I Joan. V, 3. — 9. *De dilig. Deo.* c. 1.

diligam te (1)? Quod si quis eam afferat excusationem, impediri se, quominus Deum amet infirmitate naturæ, docendum est, Deum, qui amorem requisivit, amoris vim inserere cordibus per Spiritum sanctum : hic autem Spiritus bonus petentibus a Patre cœlesti datur (2) : ut merito Sanctus Augustinus precatus sit : da quod jubes, et jube quod vis (3). Quia igitur Dei auxilium præsto nobis est, maxime post Christi Domini mortem, per quam princeps hujus mundi ejectus est foras, non est quod quisquam rei difficultate deterreatur » (4).

Caput III.

De præceptis legis supernaturalis.

In lege supernaturali comprehenduntur

Lex Dei supernaturalis hominem ad Deum ordinat ut ei totaliter subditus sit (5), amicitiam et communicationem cum ipso habeat (6), et beatitudinem æternam assequatur (7) : hinc generatim præcepta proponit de actibus omnium virtutum (8), omnia peccata prohibet (9), ad actus tum exteriores tum interiores se extendit (10).

91. *ipsa præcepta naturalia.*

In specie autem lege supernaturali primum comprehenduntur ipsa legis naturalis principia. Sicut enim gratia præsupponit et implicat naturam, ita lex gratiæ præsupponit et implicat legem naturæ (11) ; præterea, cum finis supernaturalis a naturali non differat objecto, sed unice modo eum attingendi (12), sequitur regulas, fini naturali assequendo necessarias, observandas etiam esse ad finem supernaturalem obtinendum. Quia igitur in lege supernaturali naturalis lex sic assumitur, confirmatur, explicatur, lex divina dicitur data in auxilium legis naturalis, ad supplendum ipsius defectus (13).

1. *Conf.* lib. I, c. 5.
2. Luc. XI, 13. — 3. *Conf.* lib. X, c. 29, 31, 37 ; *De bono persev.* XX, 53.
4. *Cat. ad. Par.* III, 5 ; cfr. conc. Trid. sess. VI, cap. 11 et can. 18 ; huc etiam pertinent Jansenii prop. 1 ; Quesnelli pp. 6, 7, 64, 65 ; Pistoriensium pp. 18, 19. — 5. S. Thomas, *Cont. Gentes*, III, 118, 128.
6. S. Thomas, I-2. q. 99, a. 2 et 3 ; q. 100, a. 2 et 5.
7. S. Thomas, I-2, q. 98, a. 1. — 8. S. Thomas, I-2, q. 100, a. 2.
9. S. Thomas, I-2, q. 91, a. 4 ; q. 96, a. 2.
10. S. Thomas, I-2 q. 91, a. 4 ; q. 98, a. 1 ; q. 100, a. 2 et 9, etc.
11. S. Thomas, I-2, q. 99, a. 2, ad 1.
12. Cfr. supra, n. 17, p. 183. — 13. S. Thomas, *Cont. Gent.* III, 117, 123.

Deinde in lege supernaturali continentur præcepta quæ, posito aliquo facto, ex natura rerum oriuntur : cujusmodi sunt præcepta fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, reverentiæ sacrorum etc.; non sunt enim ista mere positiva, sed *connaturalia* interiori gratiæ et divinæ illuminationi seu revelationi (1). *præcepta connaturalia.*

Præterea in lege supernaturali sunt præcepta plus minusve positiva, quibus nempe determinatur illud quod lege naturali indeterminatum erat, vel necessarium statuitur quod lege naturali ut conveniens proponebatur, vel imponitur illud quod ex se indifferens erat. Et quidem *a/* ab initio, præter mandatum non comedendi de ligno scientiæ (2), præcepta humano generi divinitus data videntur de uno ex septem diebus sanctificando (3), de sacrificiis offerendis (4), de usu alicujus sacramenti ad peccati originalis remissionem (5), de matrimonii unitate et indissolubilitate (6). — *b/* Postea electis patriarchis peculiaria quædam præcepta successive tradita sunt (7), ac tandem integrum jus speciale, tum religiosum seu *cæremoniale,* tum politicum seu *judiciale,* Israelitis communicatum est, ut sancta ejus observatione illi ad Christum præpararentur (8). — *c/* In plenitudine autem temporum, Christus Dominus, abolitis Israelitarum præceptis cæremonialibus et judicialibus, moralia confirmavit (9), institutiones condidit quarum usum præscripsit (10), atque ita *præcepta positiva.*

1. Cfr. Suarez, lib. x, c. 2, n. 5-12. — 2. Gen. II, 17.

3. Gen. II, 3.

4. Gen. III, 2-5; VII, 2; VIII, 20, etc. : cfr. tractatus noster *De relig.,* II, 130. — 5. Cfr. Franzelin, *De sacram.,* th. III.

6. Cfr. Gen. II, 24; Matth. XIX, 5; Leo XIII, Encycl. *Arcanum;* Palmieri, *De matr.,* th. XV.

7. Cfr. Gen. VI, 2, 3; IX, 4; XVII, 10; Goldhagen, *De religione Hebræorum sub lege naturali :* Natalis Alexander, *De Noachidarum præceptis.*

8. Docet S. Thomas, 1-2, q. 99, a. 3 et 4; q. 100, a. 11, ad 2; 2-2, q. 122, a. 1, ad 2, etc. præcepta *cæremonialia et judicialia* fuisse *determinationes* legis naturalis. — De juris hebraici auctore, materia, partibus, indole, efficacia, duratione, multæ instituuntur quæstiones, quarum solutio a criticis, historicis, exegetis et apologetis petenda est; eas tamen hoc loco expendere solebant Scholastici; cfr. Gulielmus Parisiensis, *De fide et legibus;* Alensis, *Summ.* III, q. 46, 49, 54, 55; S. Thomas, 1-2, q. 98-105; Suarez, *De leg.,* lib. IX; Becanus, *Anal. vet. et nov. test.;* Danko, *Hist. revel. div.,* § 37 et seq.; Zschokke, *Hist. sac. ant. test.,* § 16-30.

9. Cfr. Suarez, lib. x, c. 2, n. 3-15

10. Cfr. Suarez, lib. x, c. II, n. 16, ubi agnoscit præcepta novæ legis esse « valde consentanea rationi, et fere necessaria ex institutione. » Optime autem, lib. x, c. VI, n. 10: « Distinguendum est inter *institutiones* a Christo factas, præcise spectatas, et inter *præcepta* positiva de usu rerum sic institu-

legem supernaturalem complevit et in æternum perfecit (1).

Lex divina quoad substantiam semper eadem:

Itaque lex supernaturalis, quoad substantiam, eadem fuit in omni statu generis humani, et fere convenit cum lege naturali. Ita S. Augustinus: « Discussa præcepta aut omnia eadem inveniuntur, aut vix aliqua in Evangelio quæ non sint dicta a prophetis (2). » Et S. Leo: « Ea quæ vel ad regulas morum vel ad simplicem Dei cultum ratio pietatis instituit, in eadem apud nos forma, in qua sunt condita, perseverant (3). » Item S. Thomas: « Ad opera virtutum dirigimur per rationem naturalem, quæ est regula quædam operationis humanæ, et ideo in his non oportuit aliqua præcepta dari ultra moralia legis præcepta (4). »

92. *in Decalogo exprimitur:*

Hæc legis divinæ substantia expressa reperitur in Decalogo (5). Decalogi vero rationem sic exposuit S. Thomas: « Sicut præcepta legis humanæ ordinant hominem ad quandam communitatem humanam, ita præcepta legis divinæ ordinant

tarum. Priores sunt *monarchia Ecclesiæ spiritualis* cum suo ordine hierarchico, et cum talibus *sacramentis* et *sacrificio;* posteriora sunt *præcepta* obligantia ad *usum* aliquem vel *observantiam* talium rerum. »

1. Cfr. Alensis, *Summ.* III, q. 56-60; S. Thomas, 1-2, q. 106-108; Suarez, lib. X; Schmalzgrüber, l. c. 104-109.

2. *Enarr.* in Psalm. LXXIII, n. 2; cfr. *Contra Faustum*, lib. XIX, 26, 28.

3. *Serm.* XVII, c. 1; cfr. S. Ambrosius, *In psalm.* LXI, 33; S. Hieronymus, *In* c. v. *Matth.*; S. Gregorius M., *In Ez.* lib. II, hom. 4, etc.

4. S. Thomas, 1-2, q. 108, a. 2; cfr. Petavius, *De Deo*, X, 24.

5. Cfr. Ex. XX, 2-17, Deut. V, 6-21; S. Augustinus, *In hept.* II, 140. — Decem esse Decalogi præcepta eaque ad duplicem seriem seu tabulam pertinere, omnes admittunt; non omnes tamen eodem modo ea distinguunt. Alii enim prohibitionem idololatriæ separant a prohibitione sculptilium (Ex. XX, 3, 4), prohibitionem vero concupiscendi uxorem conjungunt cum prohibitione concupiscendi domum (Ex. XX, 17); hi igitur quatuor præcepta reponunt in prima serie, quæ ad Deum spectat, et sex in secunda, quæ ad proximum: ita ex Judæis Josephus et Philo, et ex Christianis Origenes, *In Ex.*, hom. 8; S. Gregorius Naz. *Carm.* sect. I, n. XV; Sulpitius Severus, *Hist.* I, 17; Cassianus, *Coll.* VIII, 23; Rupertus, *In Ex.* 30-32, quos secuti sunt Calvinistæ. Alii e contra prohibitionem sculptilium revocant ad prohibitionem idololatriæ, et concupiscentiam uxoris separant a concupiscentia domus: hi tria præcepta in prima serie reponunt, septem in secunda: ita S. Augustinus, *In heptat.* lib. II, q. 71, *Serm.* IX; *De decem chordis*, c. 5, 6, 7; *Epist.* LV, *ad Jan.* c. 11, quem sequuntur passim Catholici; cfr. *Cat. ad Par.* III, *de prim. præc.* 10. Omittimus eos qui duplex præceptorum quinarium statuunt, utque illud obtineant, hinc addere, inde demere pro arbitrio præsumunt. Plura videri possunt apud Petavium, *De Inc.* XV, 6; Danko, *op. cit.*, § 37, not. 1; Zschokke, § 32, not. 1; Welte, in *Kirchenlexicon*, v° *Decalogus*, apud quos alii allegantur etiam ex recentioribus, qui quæstionem tractaverunt.

hominem ad quamdam communitatem seu rempublicam hominum sub Deo. Ad hoc autem quod aliquis in aliqua communitate bene commoretur, duo requiruntur : quorum primum est, ut bene se habeat ad eum, qui præest communitati ; aliud autem est, ut homo bene se habeat ad alios communitatis consocios et comparticipes. Oportet igitur quod in lege divina primo ferantur quædam præcepta ordinantia hominem ad alios proximos simul convenientes sub Deo. — Principi autem communitatis tria debet homo : primo, fidelitatem ; secundo, reverentiam ; tertio, famulatum. Fidelitas autem ad dominum in hoc consistit, ut honorem principatus ad alium non deferat, et quantum ad hoc accipitur primum præceptum, cum dicitur : *Non habebis deos alienos.* Reverentia autem ad dominum requiritur, ut nihil injuriosum in eum committatur, et quantum ad hoc accipitur secundum præceptum, quod est : *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Famulatus autem debetur domino in recompensationem beneficiorum, quæ ab ipso percipiunt subditi, et ad hoc pertinet tertium præceptum de sanctificatione sabbati in memoriam creationis rerum. — Ad proximos autem aliquis bene se habet, et specialiter et generaliter. Specialiter quidem quantum ad illos, quorum est debitor, ut eis debitum reddat, et quantum ad hoc accipitur præceptum de honoratione parentum. Generaliter autem quantum ad omnes, ut nulli nocumentum inferatur, neque opere, neque ore, neque corde. Opere quidem infertur nocumentum proximo, quandoque quidem in propriam personam, quantum ad consistentiam personæ, et hoc prohibetur per hoc quod dicitur : *Non occides ;* quandoque autem in personam conjunctam, quantum ad propagationem prolis, et hoc prohibetur, cum dicitur : *Non mœchaberis ;* quandoque autem in rem possessam, quæ ordinatur ad utrumque, et quantum ad hoc dicitur : *Non furtum facies.* Nocumentum autem oris prohibetur cum dicitur : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Nocumentum autem cordis prohibetur cum dicitur : *Non concupisces* (1). »

1. S. Thomas, 1-2, q. 100, a. 5. — Decalogum præ cæteris exposuerunt S. Augustinus, *Serm.* 8, *De decem plagis ; Serm.* 9, *De decem chordis ;* S. Petrus Dam., *De decem Egypti plagis.* — Conc. Claromontense, ann. 1218, Lam-

93. *reducitur ad præceptum amoris Dei et proximi.*

Ipsa etiam Decalogi præcepta ad primum et magnum amoris mandatum reducuntur: in hoc enim universa lex pendet, et prophetæ (1). Et sane cætera præcepta *a/ in illo quasi comprehenduntur :* siquidem importat explicitam et formalem ordinationem hominis in finem suum ultimum (2): — *b/ ex illo deducuntur,* quasi conclusiones ex principio : est enim, ut ait S. Thomas, per se notum rationi humanæ vel per naturam vel per fidem (3) ; — *c/ ab illo implentur:* nam si quis diligit Deum, sermonem ejus servat (4), et dilectio proximi malum non operatur (5); — *d/ ad illud referuntur :* « ad hoc enim omnis lex tendit ut amicitiam constituat vel hominum ad invicem vel hominis ad

bethense, ann. 1281, Vaurense, ann. 1308 ; — Hugo a S. Victore, *Inst. in decal. legis dom. ;* et *Summa sentent.* p. IV ; Lombardus, *Sent.* III, dist. 37, ubi ejus Commentatores ; Alensis, *Summ.* III, q. 19-38 ; S. Thomas, 1-2, q. 100 ; 2-2, q. 122, ubi etiam ejus Expositores ; item *Opusc.* III ; S. Bonaventura (si ipsius sunt) *Sermones de decem præceptis,* et alii indicati *Intr.* n. 160, pag. 101, quibus omnibus eminet *Cat. ad Par.* p. III. — Theologi plures doctrinam moralem tradiderunt secundum ordinem Decalogi : cfr. *Intr.* n. 163, n. 175, n. 184. — Optime Card. Pie *jus divinum* Decalogi opponit sic dictis *juribus hominis :* « Sans doute l'Eglise maintient l'ordre essentiel des êtres et se fait un devoir d'attribuer à chacun ce qui lui appartient. A Dieu la place de maître, à l'homme celle de serviteur. Mais ce soin qu'apporte l'Eglise à maintenir l'homme dans une subordination salutaire et d'ailleurs nécessaire, ne l'empêche pas de reconnaître en lui des droits d'autant plus vrais et plus sacrés, que c'est Dieu lui-même qui les lui donne. Elle présente le décalogue comme le principal code de morale. Or parmi les dix préceptes du décalogue, les trois premiers seulement nous rappellent les droits de Dieu ; les sept autres proclament les droits de l'homme. Droit des parents au respect et à l'amour de leurs enfants : *Père et mère honoreras afin de vivre longuement ;* — droit de l'homme au premier de tous les biens, à la vie : *Homicide point ne seras de fait ni volontairement ;* — droit du corps et de l'âme à ne pas subir les hontes et les dégradations du vice : *Luxurieux point ne seras de corps ni de consentement ;* — droit de propriété : *Le bien d'autrui tu ne prendras ni retiendras à ton escient ;* — droit au respect dans sa réputation, dans son honneur, dans sa vie de famille et de citoyen : *Faux témoignage ne diras ni mentiras aucunement ; — Biens d'autrui ne convoiteras pour les avoir injustement.* Telle est la véritable charte de l'humanité. Il est vrai, elle formule ces droits sous forme de devoirs ; mais ces devoirs supposent évidemment des droits. Dans cette charte, la plus ancienne et la plus vénérable du monde, l'homme n'est donc pas oublié ; il n'est pas opprimé et annihilé sous la grandeur de Dieu ; il est traité avec respect et occupe une place d'honneur. » *Œuv.* VII, 351. — Cæterum, in præceptis decalogi non tam onera quam beneficia spectanda esse, sedulo et egregie suis locis monet *Cat. ad Par.* in principio explicationis 5^{i}, 6^{i}, 7^{i}, 8^{i}, 9^{i} et 10^{i} præcepti.

1. Deut. VI, 5 ; XI, 13 ; Matth. XXII, 37-40 ; Marc. XII. 30 ; Luc. X, 27.

2. S. Thomas 2-2, q. 26, a. 1, ad 1 : « Charitas tendit in ultimum finem sub ratione finis ultimi. »

3. S. Thomas, 1-2, q. 100, a. 3, ad. 1, a. 11.

4. Joan. XIV, 23. — 5. Rom. XIII, 10 ; I Cor. XIII, 4-7.

Deum [1] » ; unde finis præcepti est charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta [2]. Est igitur mandatum vere maximum et primum, ratione *objecti, dignitatis, comprehensionis, efficaciæ, finis*. Sicut autem charitatis mandatum est plenitudo legis [3], ita virtus ad illud observandum inclinans est cæterarum virtutum mater et regina, ejusque exercitium in præsenti vita perfectionem constituit christianam, in altera consummationem et beatitudinem [4].

Caput IV.

De consiliis evangelicis.

Ad plenam divinæ ordinationis et completam moralis christianæ expositionem, requiritur ut, post explicatam legis notionem, tradatur doctrina catholica de consiliis [5].

1. S. Thomas, 1-2, q. 99, a. 1, ad 2 ; q. 105, a. 2, ad 1.

2. I Tim. 1, 5. — Ita S. Augustinus, *De perf. Just.* c. v, ratioc. 11 : Dominus, qui verbum consummans et brevians fecit super terram, in duobus præceptis dixit legem Prophetasque pendere : ut intelligeremus, quidquid aliud divinitus præceptum est, in his duobus habere finem, et ad hæc duo esse referendum... Quidquid ergo Dei lege prohibemur, et quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur et jubemur, ut duo ista compleamus. Et forte generalis prohibitio est, *Non concupisces ;* et generalis jussio, *Diliges.* » — 3. Rom. xiii, 1, 10.

4. Pulchre S. Franciscus Salesius, *Traité de l'amour de Dieu,* lib. x, c. 1 : « L'homme est la perfection de l'univers : l'esprit est la perfection de l'homme ; l'amour, celle de l'esprit ; et la charité, celle de l'amour. C'est pourquoi l'amour de Dieu, est la fin, la perfection et l'excellence de l'univers. En cela, Théotime, consiste la grandeur et la primauté du commandement de l'amour divin, que le Sauveur nomme *le premier et le très grand commandement.* Ce commandement est comme un soleil qui donne le lustre et la dignité à toutes les lois sacrées, à toutes les ordonnances divines, et à toutes les saintes écritures. Tout est fait pour ce céleste amour et tout se rapporte à iceluy. De l'arbre sacré de ce commandement dépendent tous les conseils, exhortations, inspirations, et les autres commandements, comme ses fleurs, et la vie éternelle, comme son fruit ; et tout ce qui ne tend point à l'amour éternel, tend à la mort éternelle. Grand commandement, duquel la parfaite pratique dure en la vie éternelle, ains n'est autre chose que la vie éternelle. » Cfr. S. Thomas *Opusc.* iii, *In duo præcepta charitatis et in decem legis præcepta expositio.* — Non eum *Lex* in liturgia locum habuit, quem obtinuerunt *Symbolum* fidei et *Oratio Dominica ;* nihilominus ingressuris Ecclesiam statim commendatur observatio mandatorum (Rit. *de bapt.*) et alicubi *Ordo* Ecclesiæ consecrandæ ferebat ut in omni altari verba legis reconderentur cum quatuor evangeliorum capitulis ; cfr. Martène, *De ant. rit.* ii, 263-268.

5. Cfr. de consiliis S. Thomas, *Cont. Gent.* iii, 130 ; et 1-2, q. 108, a. 4, ubi ejus Commentatores ; Thomas Waldensis, *Doct. ant. fidei cath. ;* Bellar-

94. *Notio consilii et ejus differentia a lege.*

Consilium proprie dictum est regula moralis hominibus generatim commendata ad perfectius vivendum ac finem ultimum plenius et expeditius consequendum. In hoc igitur convenit consilium cum lege, quod sit regula ad finem ultimum; differt autem a lege consilium: *a/* quia lex est regula *imposita* et obligatoria, consilium autem regula *commendata* et libera; ut enim loquitur S. Augustinus, quæ legis sunt exiguntur, quæ consilii offeruntur: « in illis Dominus debitum imperat vobis; in his autem si quid amplius supererogaveritis, in redeundo reddet vobis [1] »; — *b/* quia lex est regula imposita *omnibus et singulis,* consilium regula *omnibus* quidem *generatim* commendata, non tamen singulis [2]; — *c/* quia lex est de actu *bono,* consilium vero de actu *meliori,* qui nempe actui opposito, seu alii sibi incompossibili, præstet; per hoc tamen non significatur observationem consilii semper excellentiorem esse adimpletione legis sive in diversa materia, sive etiam in eadem [3]; — *d/* quia lex est de *necessariis,* consilium de *convenientibus;* advertatur tamen, illud quod communiter est conveniens, quibusdam, ratione

minus, *De monachis.* II, 7-13; Suarez, *De Religione,* tom. III, lib. I, c. 6-9; Liberius a Jesu, *Controv. dogm.,* tom. 7; S. Franciscus Salesius, *Traité de l'amour de Dieu,* VIII, 6-9; J. B. Noghera, *Riflessioni su i consigli evangelici* (inter opp. X); Bouix, *De jure regul.,* p. I, s. I, c. 7; Schwane, *De operibus supererogatoriis et de consiliis evangelicis in genere;* Müller, *Theol. mor.,* I, § 44.

1. S. Augustinus, *De sancta virgin.,* c. 30; cfr. S. Hieronymus, *Ep. ad Eust.* XXII, n. 30, etc. — Qui igitur cum Scoto, in II, dist. 21, q. I, Gab. Biel, in II, dist. 22, q. I, a. 3, in IV, dist. 16, q. 5, a. I, etc. dicunt peccatum veniale esse transgressionem *consilii,* ii vel a traditione recedunt, vel nomine consilii intelligunt omnem regulam non graviter obligantem. — Cave tamen ne S. Thomam male interpreteris, quando 1-2, q. 88, a. 1, ait peccatum veniale non esse contra præceptum: per hoc enim non significat illud esse contra consilium, sed significat esse « contra modum rationis quem lex intendit. » Cæterum ipse Angelicus hanc differentiam ponit inter consilium et præceptum, quod præceptum importat necessitatem, consilium autem in optione ponitur ejus cui datur: 1-2, q. 108, a. 4. Cfr. Suarez, *De religione,* III, l. I, c. 9, n. 22 et seq.; Sylvius, in 1-2, q. 88, a. 1, etc.

2. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 108, a. 1, ad 1; ita S. Franciscus Salesius, *Traité de l'amour de Dieu,* VIII, 6: « Les conseils sont donnés pour la perfection du peuple chrestien, mays non pas pour celle de chaque chrestien en particulier. Il y a des circonstances qui les rendent quelquefois impossibles, quelquefois inutiles, quelquefois périlleux, quelquefois nuisibles à quelques-uns... Tous donques ne peuvent pas, c'est-à-dire, il n'est pas expédient à tous d'observer tousjours les conseilz, lesquels étant donnés en faveur de la charité, elle sert de règle et de mesure à l'exécution d'iceux. »

3. Cfr. Suarez, l. c., c. 7, n. 7, 8, 9.

circumstantiarum, fieri posse in particulari vel minus bonum (1), vel e contra necessarium (2); — *et* quia lex dirigit ad *finem simpliciter,* et ejus transgressio a fine consequendo impedit (3), consilium dirigit ad *finem melius* et *expeditius* consequendum (4).

95. *Consiliorum existentia demonstratur:*

Jam vero realis consiliorum a præceptis distinctio fide adeo certa est ut sine manifesta hæresi negari non possit (5). Etenim tum auctoritate, tum recta ratione demonstratur, non omnia bona opera præscripta esse, sed quædam præstantiora dari quæ libero cujusque arbitrio relinquuntur.

tum auctoritate

Et quidem quod pertinet ad revelationem, Christus Dominus, iis, qui volunt ad vitam ingredi, servanda esse mandata edixit; iis vero, qui volunt esse perfecti, bona propria abdicanda: primum omnibus impositum, alterum propositum, ut, qui potest capere, capiat (6). Apostolus autem, præceptum Domini de virginibus non habens, consilium dedit, nempe: qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, et qui non jungit, melius facit (7). — SS. Patres unanimes inculcant, alia debita esse, alia supra debitum; illa sine periculo prætermitti non posse, hæc posita esse in arbitrio et potestate; priora qui non adimplent, puniri, qui adimplent, specialem laudem non mereri; posteriora qui omittunt, non damnari, qui perficiunt, coronari (8). — Id ipsum summi Pontifices in suis decretis

Scripturæ,

Patrum

et Pontificum,

1. Cfr. Suarez, l. c., n. 9, et tractatus noster *De religione,* I, 373.

2. Cfr. S. Alphonsus, lib. 4, n. 78.

3. Hoc valere etiam pro lege leviter obligante, explicat Suarez, l. c., c. 9, n. 27 : « Licet peccatum veniale non auferat jus ad vitam æternam, et ea ratione dicatur, evitare illud non esse medium necessarium, sed utilius ad salutem ; nihilominus ita impedit consecutionem salutis, ut, nisi evitetur, vel, postquam commissum est, plene remittatur, nemo cum illo intrabit in regnum cœlorum ; et sub hac ratione carentia peccati venialis potest dici necessaria ad salutem... At trangressio consilii nullo modo impedit beatitudinem, nec aliqua ejus remissio necessaria est. »

4 Differentias præcepti et consilii late adversus Bohemos coram Basileensibus prosecutus est Henricus Kalteisen, (ap. Harduin, VIII, 1438-1440.)

5. Ita Suarez, l. c., c. 6, n. 6. — 6. Matth. XIX, 16. — 7. I Cor. VII, 37.

8. Cfr. antiquissima *Doctrina duodecim Apostolorum,* VI, 1 ; Origenes, *In epist. ad Rom.,* lib. X, c. 15, v. 14 (Migne P. G. XIV, 1275) ; Eusebius, *Dem. Evang.* I, 8 ; S. Joannes Chrys. *In Matth.,* hom. 90, n. 3 ; *De pœn.,* hom VI, 3 ; S. Basilius, *De Virg.,* n. 55 ; S. Gregorius Naz. *In Jul.,* or. 1 ; S. Cyprianus, *De hab. Virg.,* n. 33 ; S. Ambrosius, *De vid.* c. 12 ; S. Hieronymus, *Epist.* 22, *ad Eustochium; Adv. Jov.* lib. I, n. 3, 12, 13, 34 ; S. Augustinus, *De sancta virg.,* c. 30, c. 31 ; *Enchir.* c. 127 ; *De moribus Eccl. Cath.,* lib. I, c. 35, n. 78-80 ; *De gestis Pelagii,* c. 35, n. 65 ; *Epist.* 157, n. 23-39. Cfr. Bellarminus, l. c.

supponunt: ita Nicolaus III determinat, promissionem observandi Evangelii « ad alium intellectum, absque intentione promittentis non debere perstringi, nisi ut observantia evangelii sit, sicut tradita reperitur a Christo, videlicet, quod præcepta ut præcepta et consilia ut consilia a promittentibus observentur (1). » Clemens V, in concilio Viennensi, ad quasdam hæsitationes Franciscanorum respondet, quod « vovens regulam non potest dici teneri ex vi voti hujusmodi ad ea consilia evangelica, quæ in regula non ponuntur (2). »

tum ratione.

Quod vero pertinet ad rectam rationem, facile intelligitur non omnia opera bona lege naturali aut evangelica præscripta esse; non quidem lege naturali: quia lex naturalis ea sola præscribit quæ sunt ad conservationem ordinis necessariâ; nec lege evangelica: quia œconomia gratiæ et libertatis multiplicia onera afferre non potuit, et de facto pauca legi naturali addidit (3). Congruit tamen tum naturæ rei tum evangelii perfectioni, ut ea meliora, quæ nemini imponuntur, omnibus generatim commendentur (4). Ita S. Thomas: « Lex divina præcepta proponit de omnibus illis per quæ homines bene ordinentur ad communicationem cum Deo... ita tamen quod, quædam, sine quibus ordo virtutis, qui est ordo rationis, observari non potest, cadunt sub obligatione præcepti: quædam vero, quæ pertinent ad bene esse virtutis perfectæ, cadunt sub admonitione consilii (5). » Iterum: « Hæc est differentia inter consilium et præceptum, quod præceptum importat necessitatem, consilium autem in optione ponitur ejus, cui datur: et ideo convenienter in lege nova, *quæ est lex libertatis,* supra præcepta addita sunt consilia. Oportet igitur quod præcepta novæ legis intelligantur esse data de his, quæ sunt necessaria ad consequendum finem æternæ beatitudinis, in quem lex nova immediate introducit. Consilia vero oportet esse de illis, per quæ melius et expeditius potest homo consequi finem prædictum (6). »

Immerito itaque pseudo-reformatores sæculi XVI conten-

1. *C. Exiit,* de verb. sign. in-6.
2. C. *Exivi de paradiso,* de verb. sign., in Clement.
3. Cfr. supra, n. 91.
4. Cfr. Suarez, l. c., c. 7. — 5. S. Thomas, 1-2, q. 100, a. 2.
6. S. Thomas, 1-2, q. 108, a. 4.

debant, in ordine supernaturali non dari consilia, sed quæcumque bona a Christo Domino præcepta fuisse; frustra autem ad suam assertionem confirmandam allegabant textus illos in quibus vel continetur generalis adhortatio ad virtutem et perfectionem christianam, vel inculcatur necessitas charitatis super omnia (1). — Immerito etiam recentiores pseudophilosophi consilia rejiciunt, affirmantes omnia bona præscripta esse, scilicet iis in circumstantiis in quibus rationabiliter fieri possunt (2): sequitur hujusmodi sententia ex falso conceptu legis et ordinis moralis, et non innititur nisi ratiunculis, v. g. difficultati discernendi casus in quibus urget obligatio, a casibus in quibus locus est consilio (3).

Error Reformatorum et Rationalistarum.

96. *Consiliorum distinctio in universalia et particularia.*

Consilia vario modo distinguuntur, præsertim vero in universalia et particularia. « Universale consilium vocatur, non quia non versatur circa materiam particularem et determinatam : id enim impossibile est, cum actiones sint circa singularia ; sed quia non datur solum propter suam honestatem, sed etiam propter utilitatem ad alienas virtutes, præsertim ad perfectionem charitatis obtinendam ; ratione cujus dici potest tale consilium universale in causando, non in essendo (4). » — Particulare autem consilium vocatur « illud quod de aliquo opere solum propter suam ipsius honestatem datur et aliis minus bonis præfertur (5). »

Consilia universalia ex parte materiæ tria tantum numerantur, paupertatis, castitatis, obedientiæ, quæ per antonomasiam *evangelica* consilia dicuntur (6). — Particularia plurima sunt : locus enim datur consilio circa materiam cujuslibet præcepti positivi, nempe ratione temporis, modi, quantitatis, etc. (7).

universalia tria, particularia multa.

Unumquodque consilium duplici via impugnari potest, etiam ab iis qui generatim consilia agnoscunt, nempe contendendo materiam esse omnibus necessariam, vel e contra eam esse malam aut minus bonam. — Et quidem utraque via im-

Variæ hæreses.

1. Matth. v, 48, xxii, 37; Philipp. iv, 8, etc. ; cfr. Suarez, l. c., c. 9.
2. Ita Kant, ejusque asseclæ, qui principium generale statuunt: *Sic agito, ut tua agendi ratio lex universalis esse possit.*
3. Cfr. v. g. Paul Janet, *La morale* l. ii, c. 2.
4. Suarez, *op. cit.*, c. 8. n. 2.
5. Suarez, ibid. — 6. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 108, a. 4; 2-2, q. 186.
7. Cfr. Bouix, l. c., prop. 3.

pugnata fuerunt consilia universalia : alii enim contenderunt eorum materiam omnibus esse necessariam : ita Apostolici (1), Encratitæ (2), Manichæi (3), Pelagiani (4) ; alii e contra contenderunt materiam prædictorum consiliorum esse malum : ita Jovinianus (5), Helvidius (6), Vigilantius (7), Wicleff (8), Reformatores sæculi XVI (9), moderni Rationalistæ (10).

97. *Comparatio consiliorum cum præceptis.*

Coronidis loco referre liceat egregiam consiliorum cum præceptis comparationem, quam instituit Bellarminus : « Nemo est catholicorum qui simpliciter præponat consilia præceptis... Possumus tamen anteponere consilia præceptis tribus modis. Primo, comparando singula consilia non cuicumque præcepto, sed præceptis illis quæ versantur circa eamdem materiam : v. g. circa materiam externorum operum versatur præceptum, *non furaberis,* circa eadem versatur consilium, *vende omnia, et da pauperibus :* certum est consilium hoc esse perfectius præcepto, *non furaberis ;* similiter consilium virginitatis perfectius est præcepto, *non mœchaberis,* et sic de aliis. — Secundo, non comparando consiliacum præceptis, sed statum hominum servantium præcepta et consilia cum statu eorum qui solum observant præcepta : neque enim dubitari potest quin sit res longe melior et perfectior status prior posteriore ; quandoquidem ille istum includit, non contra. — Tertio, comparando consilia cum quolibet præcepto, etiam cum illo, *diliges Dominum Deum tuum :* sed considerando in consiliis non opera externa consiliorum, sed charitatem quam præsupponunt et ad quam ducunt. Illo enim præcepto, *diliges Dominum Deum tuum,* non præcipitur charitas infinita, sed certus quidam gradus, nimirum tanta charitas, ut per eam nihil Deo æques vel anteponas ; at major gradus charitatis requiritur ut propter Deum renunties omnibus opibus et voluptatibus alioquin licitis (11). »

1. Cfr. S. Epiphanius, *Hær.* 61. — 2. Cfr. S. Irenæus, 1, 30.
3. Cfr. S. Augustinus, *De mor. Eccl. Cath.*, lib. 1, c. 35, n. 78-80.
4. Cfr. S. Augustinus, *De gestis Pelagii,* c 35, n. 65 ; *Epist.* 157, n. 23.
5. Cfr. S. Augustinus, *De hær.*, n. 82 ; S. Ambrosius, *Epist.* 42 ; S. Hieronymus, *Adv. Jovin.*, lib. 1.
6. Cfr. S. Hieronymus, *Adv. Helv.*, n. 20.
7. Cfr. S. Hieronymus, *Adv. Vig.*, n. 1.
8. Cfr. Bulla *Inter cunctas,* prop. 20-24, 34, 35.
9. Cfr. Bellarminus, l. c. 14. — 10. Cfr. Pii IX Encycl. *Quanta cura.*
11. *De mon.* c. 6.

Caput V.

De proprietatibus legis supernaturalis.

Lex divina

Legis supernaturalis proprietates expendimus pro ipsius parte positiva, et prout consideratur in perfectione evangelica : eæ autem proprietates sunt *universalitas, perpetuitas, indispensabilitas*, quæ tamen legi supernaturali non eadem ratione conveniunt ac legi naturali.

98. *universalis*

Lex supernaturalis semper universalis fuit quoad suam substantiam, inde autem a Christo universalis est etiam quoad totum suum objectum (1). Deus enim, qui vult *omnes* homines finem suum assequi, sicut semper contulit omnibus media necessaria, ita semper vias absolute sequendas *omnibus* præscripsit. Christus autem, prænuntiatus a Prophetis ut qui omnes gentes doceret vias suas (2), vi potestatis suæ supremæ misit Apostolos qui *omnes gentes* docerent servare *quæcumque* mandavit (3). — Advertendum autem est ex præceptis Christi alia universis hominibus obligatoria esse *immediate*, v. g. præceptum suscipiendi fidem et recipiendi baptismum ; alia ex natura sua obligatoria esse *mediate*, nimirum supposito baptismo, siquidem a solis baptizatis adimpleri possint, v. g. præceptum communionis et confessionis.

99.

Lex supernaturalis, in sua evangelica perfectione spectata, nullo modo mutari potest ab intrinseco, sive per correctionem, sive per desitionem. Per *correctionem* mutaretur, si, vi progressus theologici, divina præcepta, ab Ecclesia semel authentice proposita, possent aliquando, ope philosophiæ magis excultæ, in sensu novo et,

immutabilis, tum ab intrinseco,

1. Dicimus *quoad substantiam*, ut excludamus ea quæ *fœderi Mosaico* propria erant ; cfr. supra, n. 91. Ita S. Thomas 1-2, q. 98, a. 5 ; « Quantum ad illa quæ lex vetus continebat de lege naturæ, omnes tenebantur ad observantiam veteris legis, non quia erant de veteri lege, sed quia erant de lege naturæ ; sed quantum ad illa, quæ lex vetus superaddebat, non tenebantur aliqui ad observantiam veteris legis, nisi solus populus Judæorum. Cujus ratio est, quia lex vetus data est populo Judæorum ut quandam prærogativam sanctitatis obtineret propter reverentiam Christi, qui ex illo populo nasciturus erat. Quæcumque autem statuuntur ad specialem aliquorum sanctificationem, non obligant nisi illos. »

2. Is. II, 3.

3. Matth. XXVIII, 18-20.

ut aiunt, sublimiori explicari. Atqui fieri non potest « ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiæ sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia. » « Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi sponsæ tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda (1). » — Per *desitionem* mutaretur, si præcepta evaderent inutilia aut nociva. At, cum œconomia evangelica sit ultima et immediata præparatio ad *visionem*, fieri non potest ut vel ipsæ Christi institutiones evadant inutiles et nocivæ, vel inutilis ac nocivus sit earum usus. Si quibusdam in circumstantiis præceptorum adimpletio physice vel moraliter impossibilis sit, in iis quidem obligatio forte non urgebit, dici tamen non poterit præceptum desinere (2). — Huc pertinet damnata Quesnelli propositio: « Homo ob sui conservationem potest se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem (3). »

100. *tum ab extrinseco.*

Nec mutari lex supernaturalis potest ab extrinseco, sive per abrogationem, sive per additionem. Nam œconomia evangelica a divino suo auctore instituta est ut *omnem* veritatem salutarem complectens, perfecta, duratura usque ad consummationem sæculi (4). — Insana igitur est opinio eorum qui non solum medio ævo sed etiam nostris diebus somniati sunt, Evangelio et Ecclesiæ catholicæ substituendam aliquando esse œconomiam Spiritus Sancti et Ecclesiam Joannis (5).

101. *indispensabilis.*

Tandem in lege supernaturali evangelica locus non datur dispensationi. Equidem non repugnat ut Deus in sua lege dispenset; et de facto ante Christum dispensavit, non solum cum Hebræis, verum probabiliter etiam cum cæteris gentibus in lege vetante

1. Conc. Vat., const. *Dei Filius*, cap. IV, et can. 3; cfr. Franzelin, *De trad.*, th. XXV, n. 3. — Cæterum hæc melius forte referrentur ad legis divinæ *interpretationem*.

2. Cfr. Suarez, lib. X, c. 6, n. 12; supra n. 73.

3. Quesnelli prop. 71: cfr. Viva, in h. p.

4. Vide hæc docte demonstrata apud Franzelin, *De trad.*, th. XXII; Suarez, lib. X, c. 7.

5. Cfr. Müller, *op. cit.*, § 45.

polygamiam (1). — At in œconomia evangelica, Christus Deus nec *per se* ipsum dispensat, saltem juxta providentiam ordinariam (2), nec dispensat *per suum Vicarium* (3). Imprimis enim certum videtur, quidquid in contrarium affirmaverint veteres jurisperiti, Christi Vicario concessam non fuisse facultatem mutandi seu suspendendi ipsas *institutiones* divinas, v. g. sacramentorum formam (4). Deinde minime demonstratur, Christi Vicario concessam fuisse facultatem proprie dispensandi seu relaxandi obligationem *præceptorum* divinorum. Et sane hoc non demonstratur *a*/ ex ipso munere *Vicarii* et supremi Rectoris; nedum enim facultas dispensandi in tali munere necessario et connaturaliter contineatur, potius ab eo excluditur; siquidem omnino decet ut quæ princeps tanquam præcipua et fundamentalia per se statuit, a Vicario non attingantur, sed absolute firma maneant (5). — *b*/ Non magis idem demonstratur ex sensu et praxi Ecclesiæ; nam facta, quæ ad demonstrandum allegantur, vel non exhibent dispensationem *proprie dictam,* vel non exhibent dispensationem *in lege divina,* vel non sunt *vera.* Sic dissolutio matrimonii rati et non consummati, non est

1. Cfr. Palmieri, *De matr.*, th. xv. — Quoad divortium, non constat utrum lege Deut. xxiv fuerit *licitum,* an tantum *permissum:* licitum fuisse communius existimatur; non defuerunt tamen qui arbitrati sint *permissum* solummodo fuisse: ita ex patribus S. Hieronymus, *In Matth.*, lib. i, c. 5; lib. iii, c. 19; ex scholasticis antiquioribus S. Bonaventura, in iv, dist. 33, a. 3, q. 1; ex recentioribus Estius, in iv, dist. 33, par. 9; Sylvius in *Suppl.* q. 67, a. 3, etc. Cfr. Sanchez, lib. x, disp. 1; Suarez, lib. ix, c. vi, n. 11; Schmalzgrüber, lib. iv, p. 4, tit. 19, n. 8; Tournely, *De matr.*, q. 5. — Hic autem, occasione recentis controversiæ, advertere liceat: qui legem mosaicam ita interpretati sunt de permissione externa rei illicitæ, sane non affirmassent divortii civilis sententiam esse intrinsece et absolute malam!

2. Cfr. Benedictus XIV, *De Beat. et Can.*, lib. iii, c. 42, n. 20.

3. Ita sentiunt theologorum principes: S. Thomas, in iv, dist. 27, q. 3, a. 3, ad 2; *Quodl.* iv, a. 13; ix, a. 15; 1-2, q. 97, a. 4, ad 3; 2-2, q. 88, a. 10, ubi ejus Expositores; Suarez, lib. x, c. 6; Reding, *De leg.*, q. 15, a. 3, contr. 6, n. 3; S. Alphonsus, lib. i, n. 189; lib. iv, n. 104, 121; lib. vi, n. 1119, etc.; quibus consentiunt canonistæ recentiores: Covarruvias, in 4 *Decretal.* p. 2, c. 6, § 9, n. 4; Barbosa, *Jus eccl. univ.*, lib. i, c. 11, n. 119; Schmier, *Jur. can. civ.*, lib. i, tr. 1, c. 3, § 3, etc. — Oppositum tenuerunt inter theologos: M. Canus, *Relect. de pœn.*, p. 5; Sanchez, *De matr.*, lib. viii, disp. 6; Bonacina, *De leg.*, disp. 1, q. 1, p. 2; inter jurisperitos vero: Panormitanus, Felinus. Decius et alii antiquiores, ap. Suarez, l. c., n. 3. Novissime hæret Palmieri, *De matr.*, thes. 35, qui tamen non videtur rem penitus introspexisse.

4. Cfr. Suarez, l. c., n. 3-16. — 5. Cfr. Suarez, l. c., n. 20; Gréa, *De l'Eglise et de sa divine constitution,* lib. ii, c. 1 et 2.

proprie dicta dispensatio seu relaxatio obligationis, sed est *annullatio* actus, quæ annullatio pariter fit, citra ullam speciem dispensationis, per solemnem professionem religiosam (1). A fortiori solutio vinculi existentis inter episcopum et suam Ecclesiam, non est dispensatio in lege divina universaliter prohibente translationem, sed dicenda est aut *licentia* secundum legem data (2), aut *remissio debiti* ex voto contracti (3). Item commissio simplici sacerdoti facta ad confirmationem administrandum, non est dispensatio in lege divina; hæc enim solum episcopo reservat *ordinariam* hujus sacramenti administrationem; sed est constitutio ministri *extraordinarii*, secundum divinam dispositionem (4). Dispensatio in voto solemni partim non est proprie dicta dispensatio, sed potius debiti remissio, quatenus nempe *votum ipsum* attingit (5); partim non est dispensatio in lege divina, sed solum in lege ecclesiastica, quatenus nempe attingit voti *solemnitatem* (6). Tandem dispensatio facta ad consecrandum in una tantum specie, historice non constat (7).

Caput VI.

De promulgatione et cognitione legis supernaturalis.

102. *Status quæstionis de promulgatione legis divinæ;*

De promulgatione legis evangelicæ vario modo sentiunt et loquuntur theologi (8). Ut autem diversæ opiniones distinguantur, et res ipsa clara fiat, imprimis *promulgatio*

1. Cfr. v. g. Palmieri, th. xxv. — 2. Cfr. Schmalzgrüber, lib. I, p. II, tit. 7, n. 2; Bouix, *De episc.*, p. III, s. 2, c. 2.

3. Ita S. Alphonsus, lib. IV, n. 104. — Majorem difficultatem præbet dispensatio quoad *residentiam* episcoporum, cujus tamen difficultatis solutio ad hunc locum non pertinet; communiter enim admittitur *residentiam* imponi non solo jure *positivo*, sed jure divino *naturali;* auctores autem qui hinc tenent in jure naturali dispensari non posse, inde residentiam esse jure naturali impositam, explicant concessiones seu licentias recurrendo *interpretationem* casuum dubiorum, vel ad *determinationem* juris indeterminati, vel ad *mutationem materiæ;* cfr. Suarez, lib. II, c. 14, n. 21; Schmalzgrüber, lib. III, p. I, tit. IV, § 2, n. 29; Bockhn, lib. III, tit. 4, § 1; S. Alphonsus, lib. IV, n. 121; Bouix, *De episc.*, p. V, c. 1.

4. Cfr. *Cat. ad Par.*, de confirm. 10; Suarez, in III p., disp. 36, s. 2.

5. Cfr. supra, n. 74. — 6. Cfr. tract. noster *De virt. religionis*, I, n. 398, 459. — 7. Cfr. tract. *De virt. relig.*, II, 224.

8. Rem tangunt tum in tractatu *de legibus*, tum in tractatu *de fide*, ubi agunt de necessaria cognitione Incarnationis et Trinitatis, tum in tractatu *de baptismo*, ubi ejus necessitatem explicant, tum in tractatu *de matrimonio*, ubi expenditur quousque infideles teneantur lege divina unitatis et indisso-

proprie dicta, quæ ad vim legis requiritur, distingui debet ab ejusdem *divulgatione* per scripturam, prædicationem, etc.; deinde quæstio *de tempore factæ promulgationis* distingui debet a quæstione *de tempore incipientis obligationis:* potest enim hodie v. g. promulgari lex post annum observanda ; imo quando promulgatur lex statim observanda, juxta graves auctores, vis ejus non attingit subditos nisi successive, post tempus necessarium ad generalem aliquam divulgationem (1).

variæ sententiæ;

Hisce positis, multi ex Scholasticis tenent, legis evangelicæ promulgatorem proprie dictum fuisse ipsum Christum, consequenter Apostolos non fuisse nisi ejus divulgatores, prædicatores authenticos et infallibiles. — Hi autem in duplicem sententiam abeunt : alii enim existimant legem promulgatam fuisse a Christo ante mortem, tum per partes in tribus vitæ publicæ annis, tum simul in cruce, verbis *consummatum est,* non nisi tamen Christi morte eam obligatoriam evasisse (2) ; alii censent promulgatam fuisse post resurrectionem verbis, *Euntes docete... docentes servare omnia quæcumque mandavi vobis* (3).

Plures arbitrantur, Apostolos constitutos fuisse legis evangelicæ promulgatores proprie dictos, qui nempe regulam a Christo determinatam humano generi intimarent. — Illi etiam in duplicem aciem scinduntur : alii enim docent legem promulgatam fuisse die Pentecostes universo mundo, et exinde incœpisse vim suam exerere (4) ; alii vero existimant, die Pentecostes,

lubilitatis. — Cfr. S. Bernardus, opusc *De bapt.* (seu *Epist.* 77 ad Hugonem a S. Victore) c. 1 et 2 ; Hugo a S. Victore, *De Sacr.* lib. 2, p. 6, c. 5 ; Alensis, *Summ.* IV, 9, 13, m. 3 ; Lombardus, *Sent.* IV, dist. 3, ubi ejus Commentatores ; S. Thomas, in IV, dist. 3, q. 1, a. 5 ; 1-2, q. 103 et q. 106, a. 3 ; 3 p. q. 66, a. 2, ubi etiam ejus Expositores ; Suarez, *De leg.*, lib. X, c. 4 ; Arriaga, *De leg.*, disp. XII, s. 5 ; Wirceburgenses, c. 2, a. 7.

1. Cfr. Suarez, lib. III, c. 17, n. 4 et lib. X, c. 4. — 2. Cfr. Gonet, *De bapt.*, disp 1, a. 1 et 4 ; Billuart, *De baptismo,* diss. 1, a. 2, § 2.

3. Hæc videtur fuisse sententia Hugonis a S. Victore, *De sacram.*, lib. II, p. 6, c. 5 (quamvis nonnulla ipsius verba difficultate non careant) ; Alensis, l. c. ; S. Thomæ, IV, dist, 3, a. 5, coll. 3 p., q. 66, a. 2 ; S. Bonaventuræ, in IV, dist. 3, p. 2, a. 1, q. 1, ad 5 ; cfr. Toletus, in 3, q. 66, a. 2, q. 2, etc., quorum opinioni magnum robur affert auctoritas *Cat. ad par.*, de bapt. n. 20.

4. Cfr. Sotus in IV, dist. 3, q. 4 ; Bellarminus, *De bapt.*, lib 1, c. 5 ; De Coninck. *De sacram.*, q. 68, a. 2, dub. 2 ; Silvius, in 3, q. 66, a. 2 ; horum sententiæ favere videntur S Augustinus, *Epist.* LV (ad Januarium), n. 29, et S. Leo, *Hom in Pent.* 1, c. 1. — Exinde plures comparationem evolverunt inter promulgationem legis veteris et promulgationem legis novæ, quoad tempus, locum, modum.

legem fuisse promulgatam solis Judæis, gentilibus tantum post Petri *visionem,* ita tamen ut pro universo mundo vim suam, saltem in actu primo, habuerit ante Jerosolymæ excidium (1).

Tandem recentiores non pauci censent legis evangelicæ promulgationem completam non fuisse ab ipsis Apostolis, sed per sæculorum decursum continuatam, et vix nostro tempore dici posse absolutam (2). Unde, juxta ipsos, moderni verbi Dei nuntii et prædicones vocari possunt, proprio sensu, legis divinæ promulgatores, nempe apud illos populos quos adeunt. Hæc sententia videtur innixa duplici confusioni : scilicet confusioni divulgationis cum promulgatione, et confusioni obligationis specialis seu in actu secundo cum obligatione generali et in actu primo (3); præterea forte minus conformis est menti concilii Tridentini (4).

controversiæ momentum.

Exposita controversia vix non mere theoretica dici deberet si unice ageretur de obligationibus : parum enim refert ad ordinem moralem quod homines habeantur ut non obligati (in hypothesi promulgationis non peractæ) vel ut excusati (in

1. Ita Suarez, lib. x, c. 4, n. 13-25; *De bapt.*, disp. 27, s. 4 ; Bonacina, *De bapt.*, disp. 2, q. 2, p. 2, n. 13 ; Wirceburgences, l. c.

2. Cfr. Perrone, *De baptismo*, c. 5 ; Martinet, *Theol. sacram.*, tom. 4, lib. 2, a. 4, § 3 ; Hurter, tom. 3, n. 333 ; Gousset, 11, 647 ; Scavini, *De bapt.*, c. 1, q. 2. Huic opinioni favere videtur S. Bernardus, *op. cit.*

3. Ita Suarez, lib. x, c. 4, n. 25, distinguit « promulgationem a divulgatione seu notitia promulgationis. Nam promulgatio sufficienter facta est *ab Apostolis* in die Pentecostes et deinceps, cum in omnem terram exivit sonus eorum... Fieri tamen potuit ut hæc notitia Evangelii per multum tempus vel omnino non pervenerit ad multas mundi provincias, vel saltem non sufficienter. Hoc vero non obstat quominus totum mundum obligaverit post transactum tempus sufficiens ad perfectam diffamationem et notitiam. Unde etiam distinguendum est id quod est per se, ab eo quod est per accidens, et distinguenda est excusatio a carentia obligationis. Per se enim promulgatio publica cum tempore sufficiente ad integram divulgationem est necessaria ad integram obligationem ; per accidens autem potest illa divulgatio aut notitia impediri ; inde tamen non impedietur obligatio, quamvis oriri possit excusatio. Et ita concedo potuisse plures gentes excusari multo tempore a transgressione hujus legis, quia licet lex de se jam eos obligaret, ignorantia poterat a culpa excusare. Non tamen potuit ignorantia impedire necessitatem baptismi, nec irritationem alterius remedii ; nam hunc effectum lex per se ipsam operatur independenter a notitia subditorum Quod non est inconveniens, nec contra divinam providentiam, quando solum per accidens contingit, et sufficiens promulgatio cum necessaria temporis amplitudine præcessit, quia omnibus legibus hoc commune est. »

4. Conc. Trid. sess. v, cap. 4 : « Quæ translatio (a statu peccati originalis ad filiationem divinam) *post evangelium promulgatum,* sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest. »

hypothesi divulgationis ex promulgatione non secutæ); verum aliter loquendum est, si sermo sit de institutis necessariis necessitate medii, vel de legibus irritantibus (1). Unde illi theologi qui ultimæ opinioni adhærent, non solum concludunt « infideles negativos non prius teneri baptismi præcepto quam veritas evangelica eis sufficienter innotuerit »; sed etiam pronuntiant, ipsos « eousque in eadem conditione versari, quam gentiles ante prædicationem Evangelii (2). »

103. *Interpretatio.*

Nulla potest esse difficultas de legis evangelicæ interpretatione authentica; manifestum enim est eam spectare ad Ecclesiam; advertendum tamen etiam hic est, interpretationem haberi non posse ut novam promulgationem (3).

Cognitio necessaria:

Quoad ejus notitiam, distinguendum est. Sane omnis lex importat obligationem aliqualis suæ cognitionis, nempe juxta uniuscujusque subditi statum et conditionem; insuper superior quandoque exigere potest ut lex majoris momenti speciali modo et explicite cognoscatur, imo ut ejus formula memoria teneatur: sic in viro christiano probabilius exigitur fides explicita decalogi, non tamen, saltem ita stricte, requiritur formulæ memoria (4); absolute autem requiritur cognitio eorum quorum adimpletio et usus necessaria sunt necessitate medii. — Jam vero de quavis parte positiva legis evangelicæ haberi potest ignorantia invincibilis (5); at, si agatur de necessariis necessitate medii, ignorantia non potest esse nisi ex culpa propria ignorantis (6).

possibilis ignorantia invincibilis.

1. Cfr. Schmalzgrüber, lib. IV, p. 4, tit. 19, n. 15 et 16; Sanchez, *De matr.*, lib. X, disp. 1, c. 9.
2. Cfr. Martinet, l. c.
3. Cfr. supra, n. 75, 76.
4. Cfr. tract. noster *De fide*, n. 180; Lehmküll, 1, n. 282. — De hac re actum est in conc. Basileensi: « Per hoc tempus a quodam Petro Reginaldo, ex observantibus theologo insigni, patribus propositum est, videri sibi declarandum, omnes homines adultos sub pœna damnationis æternæ obligari scire explicite decem præcepta decalogi. Diu super ea re disceptatum est: sed cum ardua nimis videretur, et non necessaria, indefinita demissa est. » Hard. IX, 1177.
5. Cfr. prop. 68 ex Baianis.
6. Cfr. tract. noster *De fide*, n. 164.

LIBER QUINTUS.

DE LEGE DOMESTICA.

Lex domestica est ordinatio particularis et temporaria, vi auctoritatis *œconomicæ* facta, qua familia ejusque membra diriguntur in suum bonum physicum, intellectuale, morale et religiosum; derivatur a lege divina et subordinatur legi ecclesiasticæ et civili; proprio autem nomine vocatur *præceptum* (1).

Caput I.

De elementis societatis domesticæ.

104. *Societas domestica:*

Societas *domestica* triplici elemento, seu potius triplici societate simpliciori organice coalescit, nimirum societate *conjugali*, quæ componitur marito et uxore, societate *parentali*, quæ componitur genitoribus et filiis, societate *herili*, quæ componitur dominis et servis seu famulis: sane « recta societatis domesticæ ratio, secundum naturalis juris necessitatem, in indissolubili viri ac mulieris unione primo innititur, et mutuis parentes inter et filios, dominos ac servos officiis juribusque completur (2). »

ejus fundamentum societas conjugalis,

Itaque societatis domesticæ fundamentum est ipsa societas *conjugalis:* — hæc societas non tantum est naturalis, ex rerum essentiis orta, verum etiam est a Deo creatore positive instituta et supernaturali caractere donata, a Christo autem ad primævæ originis nobilitatem revocata, purgatis ethnicis corruptelis sublatisque hebraicis imperfectionibus: — finis ejus primarius

1. Cfr. de familia naturali et de præcepto paterno Taparelli, *Essai théor. de droit nat.*, lib. VII, c. 2; Th. Meyer, *Inst. Jur. nat.*, I, 392 et 405; Costa-Rosetti, *op. cit.*, p. III; Zigliara, *Phil. mor.*, lib. II, c. 1; Périn, *Les lois de la société chrétienne*, lib. III, c. 2. — Theologi solent variis locis tradere principia ad hanc materiam spectantia, præsertim in expositione *Quarti præcepti*, in declaratione virtutis *Obedientiæ* (2-2, q. 104), in tractatu *De jure et justitia*, ubi de filiisfamilias, de uxore, de servis, et in tractatu *De matrimonio*. — Opera specialia theologica vel historica de eodem argumento scripserunt C. Roncaglia, *Familia christiana instituta in suis officiis;* Gaume, *Histoire de la société domestique:* Matignon, *La paternité chrétienne*, etc. — Huc maxime pertinent Leonis XIII encyclicæ *Quod apostolici*, *Arcanum*, *Humanum genus*, *Immortale Dei*, *In plurimis* et epist. *Ci siamo grandemente piaciuti*.

2. Leo XIII, encycl. *Quod apostolici*.

est prolis propagatio, secundarius mutuum viri et uxoris adjutorium : — efformatur libero consensu, qui religiosus est, imo et sacramentalis; — regitur duplici lege divina unitatis et indissolubilitatis, subordinatur principaliter auctoritati ecclesiasticæ, accessorie auctoritati civili (1).

incrementum societas parentalis,

Societatis domesticæ perfectio est societas *parentalis,* ad quam velut ad suum immediatum incrementum conjugalis ordinatur : — etiam hæc societas naturalis est : efformatur enim ipso facto generationis et nativitatis ; — finis ejus primarius est filiorum educatio, secundarius parentum levamen; unde stabilis est et perpetua, licet, obtento fine primario, vincula ejus multum relaxentur (2); — regitur lege Dei et Christi, subordinatur Ecclesiæ et Statui (3).

complementum societas herilis,

Ad societatis domesticæ *complementum* et *integritatem* pertinet societas *herilis:* hæc, licet absolute necessaria non sit, tamen quasi sponte oritur ex indigentia tum ipsius familiæ naturalis quæ, sibi non sufficiens, ab extraneis adjuvari debet, tum ex parte extraneorum, qui multiplici de causa familiam propriam constituere non valentes, alteri familiæ, adhærere coguntur (4); existere autem potest sub duplici forma, nimirum sub forma *servitutis* et sub forma *famulatus.*

vel sub forma perfectiore famulatus.

Famulatus, ut etiam nomen indicat, est societas *famuli* cum *hero,* vi cujus extraneus laborem suum pro æqua retributione ita locat ut in familiam aliquomodo admittatur, ejusque capiti subjiciatur : hinc inter famulum et herum non tantum habetur relatio justitiæ, sed etiam aliqua relatio subordinationis, nempe auctoritatis et obedientiæ (5). — Advertendum autem, nostro tempore, late propagatis individualismi principiis, famulatum in quibusdam regionibus fere totaliter desiisse, non sine aliquo

1. Hæc mirifice evoluta reperiuntur in Leonis XIII, Encycl. *Arcanum.* — Cfr. theologi passim, v g. Scheeben, *op. cit.,* III, § 150, n. 419-445.

2. Nobis nimis absoluta videntur quæ, cum aliis haud paucis, scribit Costa-Rosetti, *op. cit.,* th. 144 : « Desinit (societas filialis) sicut etiam auctoritas parentum et officium respondens obedientiæ in liberis, si liberi ad adultam ætatem pervenerint; si enim finis socialis non amplius locum habet, nec societas perdurare potest. »

3. Cfr. Leonis XIII encycl. *Quod apostolici Arcanum, Humanum genus. Officio sanctissimo ;* theologi passim, in specie Scheeben, *op. cit.,* III, § 151, n. 446-490. — 4. Cfr. Theod. Meyer, *Inst. jur. nat.,* I, n. 410.

5. Cfr. Costa-Rosetti, *op. cit.,* th. 147.

detrimento sive societatis, cujus pax turbata est, sive divitum, qui patronatum suum non amplius exercent, sive operariorum, qui sibi relicti in *pauperismum* aliaque mala delapsi sunt (1).

vel sub inferiori forma servitutis.

Servitus, ut nomen ipsum indicat, est societas *servi* cum *domino,* in qua prior, salvis juribus ad vitam, fidem, religionem et virtutem, famam et statum, sub *dominio* posterioris ponitur, eique *servire,* id est, omnem suum laborem in ejus utilitatem referre in perpetuum cogitur : posterior vero priorem protegere eique honestam sustentationem præbere tenetur (2). Talis societas nihil in se habere videbatur quod juri naturali absolute repugnaret (3) ; atque legitime efformari judicabatur vel jure *privato,* per liberum contractum (4) ; vel *jure civili,* per condemnationem (5) ; vel probabiliter *jure sociali* et *politico,* per nativitatem, quatenus pars communitatis inferior propter suam incapacitatem in alterius tutelam committitur (6) ; vel forte

1. Cfr. Theod. Meyer, *op. cit.,* n. 414.

2. Cfr. Molina, *De just. et jure,* tr. II, disp. 32-40 : inter recentiores : Taparelli, *Essai théor. de droit nat.,* lib. VII, c. 2, n. 1511 ; Costa-Rosetti, *op. cit., thes.* 148, præsertim *Civiltà catt.,* ser. 6, vol. 1, p. 427, *Il concetto morale della schiavitù.*

3. Cfr. *Civiltà catt.* et Costa-Rosetti, ll. cc.

4. Huc pertinet Lev. XXV, 39, 47 ; cfr. *Civiltà catt.* l. c. ; Costa-Rosetti, l. c. — Sane per se non repugnat ut, sine ullius officii læsione et salvis aliis juribus essentialibus, unus se dominio utili alterius in perpetuum subjiciat sive gratuito et ex charitate, sive pro pretio soluto per liberam venditionem utilitatis quam opera sua externa alteri præstare possit, sive ad æs alienum labore suo redimendum.

5. Huc pertinent Ex. XXII, 3 ; *Decreti* p. I, dist. XXXII, c. 10, *Eos qui ;* p. II, c. 15, q. 8, c. 3, *Cum multæ ; Decretal.* lib. V, tit. 6, c. 6, *Ita quorumdam.* Cfr. Molina, tr. II, disp. 33, n. 4.

6. Huc pertinet Gen. XVII, 23 ; cfr. Costa-Rosetti, l. c. — Fatemur nos vix intelligere quomodo *nativitas* in servitute sit per se sola legitimus titulus servitutis, nisi supponatur filios pertinere ad parentes, adeoque filios servorum, qui nihil sibi possidere valent, ad dominos pertinere ; nihilominus, admitti forte poterit titulus *nativitatis,* si accedat auctoritatis socialis determinatio, quatenus illi, qui propter ruditatem et barbariem omni vitæ civili refragantur, in aliorum potestatem et tutelam tradantur : raro tamen id licitum erit. Hinc, cum Hispani, *distributionum* aut *commendarum* specie, variis artibus Americæ Indos in suam potestatem redigere conarentur, Paulus III, Brev. *Veritas ipsa,* 2 jun. 1537, edixit « prædictos Indos et omnes alias gentes ad notitiam christianorum in posterum deventuros, licet extra fidem christianam existant, sua libertate ac rerum suarum dominio hujusmodi uti et potiri et gaudere : ac quidquid secus fieri contigerit, irritum et inane. » Cfr. Leonis XIII, Encycl. *In plurimis ;* Avendano, *Thes. Ind.;* Solorzano, *De indiarum jure ; Civiltà catt.* ser. 6, vol. 2 ; pag. 147, *La schiavitù degli Indiani combattuta dalla Chiesa, etc.*

etiam *jure gentium seu internationali,* per captivitatem in bello justo (1) : nihilominus sive in se consideretur, sive consideretur in causis ex quibus oritur, valde imperfecta est, et haberi debet tanquam una ex præcipuis naturæ lapsæ miseriis (2) ; adeoque constans Ecclesiæ cura fuit ut apud populos Christi fide imbutos paulatim aboleretur vel impediretur (3). — Ethnica autem servitus, quæ institutionis non bonæ pessima erat corruptio, naturæ et religioni prorsus opponebatur, cum in se humanæ personalitatis negationem implicaret, et non nisi criminibus et violentiis originem ac durationem deberet (4).

1. Huc pertinent Deut. XXI, 10; II Paral. XXVIII, 8: cfr. Molina, tr. II, disp. 121 ; De Lugo, disp. VI, s. 2, n. 11. — Ut tamen jus illud gentium juri naturali conforme sit, tales arbitramur requiri conditiones quæ raro verificantur.

2. Ita Leo XIII Encycl. *In plurimis,* ubi ad rem referuntur verba S. Augustini, *De civ. Dei,* lib. XIX, c. 15: « Rationalem factum ad imaginem suam noluit nisi irrationabilibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori... Conditio quippe servitutis jure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquam scripturarum legimus servum, antequam hoc vocabulo Noe justus peccatum filii vindicaret. Nomen itaque istud culpa meruit, non natura. »

3. Quid servis præstiterit Ecclesia declaratur Encycl. *In plurimis;* cfr. Balmès, *Le protestantisme comparé avec le catholicisme,* tom. I, c. 15-19 ; Hettinger, *Apol. du Christ.* V, p. 279 (vers. gall.); *Civiltà catt.* ser. 6, vol. I, *Il concetto morale della schiavitù ;* vol. 2, *La schiavitù degl' Indiani combattuta dalla chiesa;* vol. 7, *Lo schiavo negro nell' America; La rivoluzione e l'abolizione della tratta e della schiavitù ; Etudes religieuses,* 1863 ; *Le catholicisme et l'esclave noir ; Les nègres et la traite ; Les nègres et l'esclavage.*

4. Cfr. de servitute apud ethnicos Wallon, *L'esclavage dans l'antiquité ;* Döllinger, *Paganisme et Judaïsme,* tom. IV, p. 20, 66, (vers. gallica) ; Champagny, *Les Césars,* tom. IV, p. 17 ; — De servitute vero apud Hebræos, Döllinger, *op. cit.,* pag. 175 ; Danko, *Historia revel. Vet. Test.,* pag. 171 ; Zschokke, *Hist. sac. Ant. Test.,* pag. 135.

Caput II.

De auctoritate in societate domestica.

105. *Potestatis domesticæ indoles.*

Societati domesticæ sua inest propria potestas, quæ *domestica* dici debet, atque natura sua privata est, *dominativa* seu *œconomica* [1].

Licet autem hæc potestas sit in se una et eadem, est tamen virtute multiplex: pro diverso enim societatis domesticæ elemento cui respondet, diversum induit characterem, et distinguitur in *maritalem, patriam, herilem*. Et quidem *maritalis,* utpote socii in sociam, paris in parem [2], satis restricta est et potius directiva quam coactiva; — *patria* autem, quum sit principii et auctoris « in aliquid ipsius », in « aliquam sui partem ab eo separatam [3] », magis ampla est et vere in ordine suo imperativa [4]; — tandem *herilis* strictiori sensu dominativa est, quum in ea dominium auctoritatis conjunctum sit cum dominio pro-

1. Differentias inter potestatem politicam, seu jurisdictionis, et potestatem dominativam, tres præcipuas explicat Suarez, lib. I, c. 8, n. 5 : « Una est quod potestas dominativa regulariter est circa privatas personas, seu inter partes imperfectæ communitatis: et interdum est ex jure naturæ per naturalem originem tantum, et ex vi illius, ut est patris potestas in filium ; interdum est etiam a natura, supposito tamen pacto humano, ut est potestas viri in uxorem in ordine ad gubernationem domus et personæ ; aliquando est ex jure gentium vel civili, ut potestas domini in servum bello captum ; interdum ex humano contractu, ut dominium in servum qui se vendidit ; at vero potestas juridictionis per se primo respicit communitatem perfectam ; nam pertinet ad politicam gubernationem, quæ in tali communitate est necessaria. — Atque hinc sequitur secunda differentia, quia in potestate jurisdictionis multo major vis ad coercendum et cogendum invenitur quam in potestate dominativa: tum quia major est potestas communis quam privata ; tum etiam quia ad communitatem perfectam tuendam, et omnes ejus partes in officio continendas, major coercitio necessaria est quam in privata domo vel inter privatas personas ; et ita non licet domino sævire in servum, ut dicunt jura civilia, expeditque reipublicæ ut severior correctio nonnisi auctoritate publica fiat. — Unde est etiam notanda tertia differentia, quia dominativa potestas ordinarie (?) magis est in commodum habentis illam, quam ejus in quem habetur, licet aliquando possit contrarium inveniri, maxime quando confertur ex pacto voluntario in eum finem ordinato, ut in obedientia ex voto debita frequentius servatur ; posterior autem potestas per se et ex primæva institutione sua est propter bonum communitatis in quam datur. »

2. Mulier « quia caro est de carne et os de ossibus ejus, subjiciatur pareatque viro, in morem non ancillæ, sed sociæ ; ut scilicet obedientiæ præstitæ nec honestas, nec dignitas absit. » Leo XIII, encycl. *Arcanum.*

3. S. Thomas. *Ethic.*, lib. VIII, lect. 12.

4. Cfr. Lugo, *De just.*, disp. I, s. 1, n. 7-8 ; disp. V, s. 1.

prietatis: prima et secunda exercentur principaliter in bonum eorum super quos potestas habetur, tertia exercetur etiam in bonum et utilitatem illius qui potestate præditus est.

origo. Potestas domestica nullo modo derivata est a potestate publica seu jurisdictione, civili aut ecclesiastica, nec ab ea pendet in sua existentia suisque attributis; sed est sui generis, civili potestati anterior, et a Deo ipso communicata; « secundum namque catholica documenta, in parentes et dominos cœlestis Patris ac Domini dimanat auctoritas, quæ idcirco ab ipso non solum originem ac vim sumit, sed etiam naturam et indolem necesse est mutuetur (1) ».

subjectum. Residet autem domestica potestas in parentibus, et præcipue in viro, qui est familiæ princeps et caput mulieris (2); parentum autem defectu in tutore; in quantum autem capiti familiæ potestas attribuitur, in tantum facultates in membris restringuntur: ita in uxore, filiis, servis plus minus limitatur facultas agendi, acquirendi, contrahendi (3).

objectum, Versatur domestica potestas circa bonum hominis *completum:* videlicet capitis familiæ est, ejus membra, pro uniuscujusque conditione, instruere (4) et gubernare (5), eorumdemque fortunam administrare (6).

extensio. Domestica potestas non est absoluta, sed familiæ fini commensurata, potestati civili et ecclesiasticæ subordinata (7); cum autem apud ethnicos fuisset nimis extensa (8), intra justos limites ab Ecclesia revocata fuit: nimirum « auctoritas viri ad

1. Leo XIII, encycl. *Quod Apostolici.*
2. Leo XII, encycl. *Arcanum.*
3. Huc pertinet *Cod. civ.* art. 215 et seq.; 384 et seq.
4. Cfr. Leonis XIII encycl. *Officio sanctissimo;* Janssen, *De facultate docendi,* p. II, s. 2; Sauvé, *Questions religieuses et sociales,* c. 10, a. 1, n. 2.
5. Paterfamilias omnia familiæ membra gubernat quoad mores et ordinem domesticum; — filios vero infantes complete gubernat quoad omnia, etiam quoad baptismum: cfr. S. Thomas, 2-2, q. 10, a. 12; — impuberes gubernat quoad personam; cfr. S. Thomas, in IV, dist. 38, q. 1, a. 1, sol. 3; *Quodl.* IV, a. 23; Hugo Menardus, in *Conc. Regul.* c. 66, (ap. Migne CIII, 1306): Benedictus XIV, epist. *Probe te,* 15 dec. 1751.
6. Jus civile patrifamilias attribuens administrationem bonorum uxoris, filiorum non est nisi determinatio et applicatio juris naturalis. Cfr. Molina, *De Just.,* tr. II. disp. 227, 228.
7. Cfr. Leonis XIII epist. *In mezzo alle ragioni di letizia,* 26 jun. 1878; *Civiltà catt.,* ser. 3, vol. 12; supra, n. 50, n. 213, etc.
8. Cfr. de potestatis domesticæ extensione apud Romanos, Sigonius, *De ant. jur. civ. Rom.,* lib. I, c. 9, § 10.

exemplum est auctoritatis Dei conformata ; temperata patria potestas convenienter dignitati uxoris prolisque (1). »

Caput III.

De ordinationibus societatis domesticæ.

106. *Domesticarum ordinationum vis obligatoria.*

Potestatis domesticæ ordinationes seu *præcepta* in conscientia obligant sub gravi vel sub levi, juxta materiæ qualitatem et præcipientis voluntatem (2). Sane in documentis sacris, mulieribus jubetur ut viris suis in omnibus in Domino subditæ sint, sicut Ecclesia subjecta est Christo (3). — Filiis commendatur ut per omnia parentibus obediant in Domino, quia hoc justum est et placitum Deo et mandatum primum in promissione (4) : inobedientes autem gravissimi sceleris arguuntur (5). — Similiter servis inculcatur ut per omnia obediant dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis, facientes voluntatem Dei ex animo (6).

107.

Sicut ecclesiastica auctoritas Ecclesiam et civilis civitatem, ita domestica domum ordinat jubendo, permittendo, puniendo, irritando ; unde ejus ordinationes distinguuntur in directivas, permissivas, pœnales, irritantes ; singulæ autem, pro propria sua indole, variam obligationem inducunt (7). Et quidem *directiva.* ordinationibus *directivis,* præscribuntur ea quæ lege naturali, divina, ecclesiastica, civili, ad bonum temporale et spirituale jam præscripta sunt, vel determinantur ea quæ indeterminata sunt, vel imponuntur ea quæ, licet in se indifferentia, utilia

1. Leo XIII, encycl. *Immortale Dei :* in encycl. autem *Arcanum* ita pronuntiat idem Pontifex : « Atque illud etiam magnum est, quod de potestate patrum familias Ecclesia, quantum oportuit, limitaverit, ne filiis et filiabus conjugii cupidis quidquam de justa libertate minueretur. » — Aliunde patriam potestatem modernis legibus civilibus nimium restrictam, tum quoad personarum gubernationem, tum quoad bonorum administrationem, multi queruntur. Cfr. *Codicis civilis* art. 212-226 ; art. 371-387.

2. Cfr. infra ubi de obligatione legis ecclesiasticæ et legis civilis. — 3. Cfr. Gen. III, 16 ; I Cor. XIV, 34 ; Eph. V, 22 ; Coloss. III, 18 ; I Pet. III, 1.

4. Ex. XX, 12 ; Deut. V, 16 ; Eccli. III, 1 ; Matth. XV, 4 ; Marc. VII, 10 ; Eph. VI, 1 ; Coloss. III, 20, etc.

5. Rom. I, 30 ; II Tim. III, 2.

6. Cfr. Eph. VI, 5 ; I Tim. VI, 1, 2 ; Tit. II, 9, 10 ; I Pet. II, 18.

7. Applicentur hic principia inferius exponenda ubi de lege ecclesiastica et civili.

tamen judicantur sive integræ familiæ sive singularibus ejus membris (1). — Ordinationibus *permissivis,* libertates et facultates juxta uniuscujusque aptitudinem conceduntur (2). — Ordinationibus *pœnalibus* urgetur obligationum observatio; nisi autem domestica potestas fuerit legitime restricta (3), possunt in hunc finem, pueris præsertim et servis, infligi pœnæ tum reales (4), tum etiam corporales (5), exceptis tamen gravioribus. — Tandem ordinationibus *irritantibus* afficiuntur quidam actus obligationum inductivi, videlicet vota et juramenta: etenim maritus irritare potest saltem indirecte vota et juramenta uxoris (6); parentes filiorum impuberum vota irritare possunt tum directe tum indirecte, puberum indirecte; juramenta vero saltem indirecte (7); domini irritare possunt indirecte vota et juramenta servorum (8).

permissiva,

pœnalis,

irritativa.

LIBER SEXTUS.

DE LEGE ECCLESIASTICA.

Nomine legis *ecclesiasticæ* designatur viri christiani ordinatio ad animæ sanctificationem, Dei glorificationem, finis ultimi consecutionem facta per auctoritatem a Deo supernaturaliter homini communicatam (9): est igitur lex ecclesiastica derivatio, imitatio, et quoddam supplementum legis divinæ. Tractabimus autem triplici sectione de ejus causa, vi obligatoria et cessatione (10).

1. Cfr. Sporer, tr. III, in IV Decal. præc. n. 17; P. Marchantius, *Tribun.* tr. V, tit. I etc.

2. Hic cum proportione applicari possunt quæ de lege ecclesiastica et civili infra tradentur.

3. Cfr. Molina, tr. III, disp 3. — 4. Huc pertinet hæreditatis privatio.

5. Tales sunt *verberatio,* de qua, Prov. XXIII, 13 et 14; XXIX, 15; Eccli. XXX, 1 et 12: cfr. S. Thomas, 2-2, q. 65. a. 2, ubi etiam ejus Commentatores; Dom. Soto, *De just. et jure,* lib. V, q. 1, a. 2; Molina, tr. III, disp. 2, n. 15; — *incarceratio,* de qua cfr. S. Thomas, 2-2, q. 65, a. 3; et Dom. Soto, *l. c.*; — *jejunium.*

6. Cfr. tract. noster *De virt. relig.*, I, n. 440, 443, 620.

7. Cfr. ibid., n. 431, 442, 620. — 8. Cfr. ibid., n. 445.

9. Cfr. supra, n. 40-43: tractatus iste *moralis* de lege *ecclesiastica* omnino pendet a tractatu *dogmatico* de *Ecclesia.*

10. De lege ecclesiastica vix aliquid habet Lombardus. — S. Thomas agit de lege humana in genere, non in specie de lege ecclesiastica, 1-2, q. 95-97, quem morem sequuntur passim Angelici Commentatores: cfr. *Intr.*, n. 173, 182. — Etiam Moralistæ legem humanam generatim expendere solent, ita tamen ut legi ecclesiasticæ potiorem suam curam impendant: cfr. *Intr.*,

Sectio I.

De causa legis ecclesiasticæ.

Agendum nobis est distinctis capitibus de legis ecclesiasticæ causa *efficiente*, seu de ejus *auctore*; de causa *materiali*, seu de ejus *objecto*; de causa *formali*, seu de ejus *efformatione, promulgatione, acceptatione, interpretatione*.

Caput I.

De causa efficiente legis ecclesiasticæ.

108. *Potestas legislativa in ordine ad finem supernaturalem Ecclesiæ concessa*

Pauca *quidem eaque fundamentalia Christus Dominus per se positive sancivit: at fideles suos in societatem perfectam coadunari voluit, cui plenam auctoritatem commisit illa omnia statuendi quæ per decursum ætatum, pro variis adjunctis, ad commune bonum spirituale necessaria essent.* « Revera Jesus Christus Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adjuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quæ hinc consequitur, judicandi puniendique potestate. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (1). Et alibi: *Si non audierit eos, dic Ecclesiæ* (2). Atque iterum: *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam* (3). Rursus: *Durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem et non in destructionem* (4). »

n. 175, 184. — Canonistæ vero, pro sua professione, fere exclusive respiciunt legem ecclesiasticam: cfr. Fagnanus, Reiffenstuel, Schmalzgrüber, in tit. *De constitutionibus*. — Nobis insistendum videtur vestigiis summi in hac materia doctoris, Suarez, qui duplici distincto libro de lege humana ecclesiastica et civili tractavit: quamvis enim non pauca sint utrique legi communia, tamen tot de singularum auctore, materia, subjecto, promulgatione, dispensatione, etc. propria sunt, ut hæ leges difficile possint sine aliqua confusione simul considerari. — Præter opera specialia indicata *Intr.*, n. 176, p. 123 et n. 186, p. 145, legatur Bouix, *De principiis juris canonici*, et præsertim Zaccaria, diss. *Sull' origine ed eccellenza della ecclesiastica disciplina; Sulla potestà regolatrice della disciplina; Sulla forza obligatoria della ecclesiastica disciplina; Sulla mutabilità della disciplina ecclesiastica*.

1. Matth. XXVIII, 18-20. — 2. Matth. XVIII, 17.

3. II Cor. X, 6.

4. II Cor. XIII, 10. — Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei*; Encycl. *Jam pridem nobis*. — Cfr. Stapleton, *Principiorum fidei doctrinalium Relectio*, contr. V, q. 6 et 7; Suarez, *De legibus*, lib. IV, c. 1; Petavius. *De hier. eccl.*; Wirceburgenses, *De leg.*, c. III, a. 3; Bouix, *De princ. juris can.*, p. 2, s. 1, c. 1; Tarquini, *Jus Eccl. publ.*, lib. I, c. 1; De Brouwer, *De Ecclesia*, s. 2, c. 3.

Hæc legislativa potestas, qua Christi minister ei cooperatur in reducendis animis ad Deum, ita exclusive Ecclesiæ commissa est, ut civitati vel statui proprio jure minime competat. Patet ex distinctione utriusque societatis et ex diversis finibus utrique assignatis (1). Nempe « dux hominibus esse ad cœlestia, non civitas, sed Ecclesia debet : eidemque hoc est munus assignatum a Deo ut de iis, quæ religionem attingunt, videat ipsa et statuat : ut doceat omnes gentes : ut christiani nominis fines, quoad potest, late proferat ; brevi, ut rem christianam libere, expediteque judicio suo administret (2). » — Licet autem civitas proprio jure nihil determinare possit circa sacra, potest tamen nonnulla statuere cum subordinatione ad Ecclesiam ; scilicet potest, imo debet legum divinarum et ecclesiasticarum observationem civilibus sanctionibus tueri (3) : potest etiam crimina contra religionem prohibere in quantum sunt nociva temporali paci (4) ; præterea, cum societas civilis, qua talis, Deum colere teneatur, potest sane socialis auctoritas ea præscribere civibus quæ ad hanc obligationem adimplendam necessaria sunt (5). — Cavendum tamen ne hujusmodi auctoritatis civilis de rebus religiosis præscriptiones in censu legum ecclesiasticarum ponantur (6). *exclusive,*

Eadem potestas Ecclesiæ commissa est exercenda independenter a civitate : est enim Ecclesia societas perfecta et suprema ; et « sicut finis, quo tendit, longe nobilissimus est, ita ejus potestas est omnium præstantissima, neque imperio civili potest haberi *et independenter :*

1. Cfr. supra, n. 39, 40, 42, 49, 50.

2. Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei ;* similia habent Nicolaus I, *Epist. ad Michaelem imper.;* Syn. œcum. VIII, c. 17 ; Conc. Lateran. I, can. 4 ; Joannes XXII, adv. Marsilium, I, 3, 5 ; Gregorius XVI, Encycl. ad Helvetos, *de articulis Badensis conventus ;* cfr. Wirceburgenses, c. III, a. 6.

3. Ita Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei :* « Sanctum oportet apud principes esse Dei nomen ; ponendumque in præcipuis illorum officiis, religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quippiam instituere aut decernere, quod sit ejus incolumitati contrarium. Id et civibus debent, quibus præsunt. »

4. Cfr. tractatus noster. *De virt. theol.*, n. 290.

5. Ita rursus Leo XIII, l. c. « Natura et ratio, quæ jubet singulos sancte religioseque Deum colere, quod in ejus potestate sumus, et quod ab eo profecti ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate conjuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli : neque minorem quam singuli gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cujus nutu conservatur, cujus beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit. »

6. Cfr. Suarez, lib. IV, c. II, n. 13-16.

inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia [1]. » — Advertatur tamen, « in negotiis mixti juris, maxime esse secundum naturam, itemque secundum Dei consilia, non secessionem alterius potestatis ab altera, multo minus contentionem, sed plane concordiam, eamque cum causis proximis congruentem, quæ causæ utramque potestatem genuerunt [2]. »

109. *non resident in corpore fidelium, sed est penes Pastores,*

Jam vero potestas legislativa non residet in corpore fidelium vel sacerdotum inferiorum, ut hæretici plures contenderunt [3], *sed est penes pastores.* Scilicet a Christo Principe pastorum pastoribus communicatur per *consecrationem* et per *missionem :* per consecrationem communicatur aptitudo moralis, fœcunditas quædam spiritualis, potestas radicalis; per missionem vero communicatur auctoritas actualis homines docendi ut fidem suscipiant, credentes sanctificandi per baptismum aliaque sacramenta, baptizatos regendi [4]: hæc autem auctoritas actualis vocatur

---

1. Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei ;* cfr. supra, n. 41, n. 50 ; Suarez, lib. IV, c. 8, 9; huc pertinent Martini V et conc. Const. proscriptio prop. 12 Wicleffi ; Pii VI damnatio prop. 60 Pistor. ; Pii IX *Syll.*, prop. 20, 28, 44, 52 ; Encycl. *Quanta cura ;* conc. Vat. const. *Pastor æternus,* c. 3, etc.

2. Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei ;* cfr. Encyclica *Nobillissima Gallorum gens.*

3. Ita scilicet docuerunt: Marsilius, in *Defensorio pacis ;* Lutherus, *De sacram. Ord. ;* Jurieu, *Tract. de Eccl.* c. 21 ; Richerius, *Prop.* II ; Launoi. *Epist. ad Adrianum Vallant ;* Ellies Du Pin, *De ant. Ecclesiæ disc.,* diss. VI, § 1 ; Quesnellus, prop. 90 ; Pistorienses, pp. 2. 3, 9, 10, 11, etc.

4. His innuitur qua ratione potestas *ordinis* se habeat ad potestatem *jurisdictionis ;* item qua ratione ad invicem se habeant tres actus potestatis ecclesiasticæ, *magisterium, ministerium, imperium :* hæc enim, licet sint distincta, separari tamen nequeunt. — *a/* Imprimis videlicet *ordo* est connaturale fundamentum *jurisdictionis :* « L'ordre, inquit Gréa, *De l'Eglise et de sa div. const.,* liv. I, c. 7, l'ordre, dégagé de tout ce qui n'est pas lui, est le fondement inamissible de la puissance ecclésiastique à tous ses degrés, Il contient comme en germe et peut recevoir, comme son épanouissement normal et légitime, toutes les actualités et activités diverses qui répondent à sa vertu déterminée en chaque degré. » Cfr. Bouix, *De Episc.,* p. I, s. I, c. 9. Dicimus *connaturale,* non *essentiale :* potest enim per accidens jurisdictio absque ordine existere : cfr. Bouix. *De princ. jur. can.,* p. V., c. 3 ; *De Episc.,* p. I, s. I, c. 3. — *b/* Præterea *magisterii* exercitium præsupponitur ad exercitium *ministerii,* utrumque vero ad exercitium *imperii.* Quod optime jam S. Hieronymus notavit, *In Matth.* XXVIII : « Ordo præcipuus : jussit (Dominus) apostolis, ut primum docerent omnes gentes, deinde fidei intingerent sacramento, et post fidem ac baptisma, quæ essent observanda præciperent. » Ita rursus Gréa, *op. cit.,* lib. I, c. VII : « Ces éléments (magisterium, ministerium, imperium), ne sont pas trois pouvoirs distincts dans leur origine et indépendants dans leur essence les uns des autres... Il n'y a pas un ordre de docteurs, un ordre de sanctificateurs, et un ordre de

jurisdictio : et quidem si referatur primario et directe ad privatam uniuscujusque fidelis utilitatem, dicitur jurisdictio *fori interni;* si vero primario et directe referatur ad publicam corporis fidelium utilitatem, dicitur jurisdictio *fori externi,* et vi hujus leges feruntur (1).

Hæc jurisdictio a Christo immediate communicatur tota et integra Vicario suo, a quo in cæteros pastores derivatur, sive per muneris ordinarii collationem, sive per simplicem delegationem. Voluit enim Christus, a Petro quasi quodam capite dona sua in corpus omne manare (2), adeoque « numquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit (3) : » Petrus « claves regni cœlorum communicandas cæteris solus accepit (4) : » Petri sedes universali Ecclesiæ jura sua transmittit (5) : « igitur a Petro episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit (6) ; » Petrus est nominis et honoris episcoporum auctor (7). — Quam SS. Patrum doctrinam præclare illustravit S. Bonaventura : « Quum excellentia, quanto plus descendit, tanto plus dilatatur, et quo magis ascendit, eo magis unitur : hinc est, quod plures sunt episcopi, pauciores archiepiscopi, paucissimi patriarchæ, et unus Pater Patrum, qui Papa merito appellatur, tanquam

et quidem tota immediate a Christo communicatur vicario suo, a quo in episcopos derivatur.

princes spirituels séparément constitués, et dont le hasard, une disposition arbitraire, ou, tout au plus, une simple convenance a réuni les fonctions par une sorte de cumul sur la tête des mêmes hommes ; mais il y a entre ces trois éléments une connexion logique et un lien essentiel. — Par lui-même et par ses hiérarques, le Christ qui doit sanctifier l'homme, l'appelle d'abord par la prédication de la doctrine. Il évoque la nouvelle créature non plus des abîmes du néant mais des ténèbres de l'incrédulité, et il l'invite à l'admirable lumière de sa parole. Et lorsque le vieil homme a répondu à cet appel et reçu cette parole, le même Christ, en ces mêmes hiérarques, lui donne la vie nouvelle par l'opération sacramentelle, et le fait vivre de sa substance. Aussitôt celui qui lui était étranger, selon l'ordre de cette vie nouvelle, lui appartient désormais dans cet ordre ; il le possède et étend sur lui son sceptre. — Il y a donc entre ces trois pouvoirs du *magistère,* du *ministerium* et de *l'imperium* un lien logique qui ne permet pas de les séparer. — Le *magistère* apparaît d'abord ; le *ministerium* le suit ; et l'empire ou l'autorité du gouvernement est la conséquence de l'un et de l'autre. »

1. Suarez, *Defens. fidei,* lib. III, c. 6 ; Bouix. *De princ. jur. can.,* p. V, c. 3, § 3.
2. S. Leo, *Epist.* X, *ad Episc. prov. Vien.,* n. 1.
3. S. Leo, *Serm.* IV in *nat. suo,* n. 2.
4. S. Optatus, *De schism. Don.* VII, 3 ; S. Greg. Nyssenus, *De castigatione,* (ap. Migne, P. G. XLVI, 311).
5. Joannes Ravennatensis, (*Int. epist. S. Greg., M.* III, 57.)
6. S. Innocentius I, *Epist.* 29, *ad conc. Carth.,* n. 1.
7. S. Innocentius I, *Epist.* 30, *ad conc. Milev.,* n. 2.

unus primus et summus Pater spiritualis omnium patrum, imo pastor omnium fidelium, hierarcha præcipuus, sponsus unicus, caput indivisum, Pontifex summus, Christi Vicarius, fons et origo, regula cunctorum principatuum ecclesiasticorum, a quo tanquam a summo derivatur ordinata potestas usque ad infima Ecclesiæ membra, secundum quod exigit præcellens dignitas in ecclesiastica hierarchia (1). » Et rursus : « Triplex est hujus potestatis (Petro collatæ) plenitudo : scilicet quod ipse summus Pontifex solus habet totam plenitudinem auctoritatis, quam Christus Ecclesiæ contulit ; et quod ubique in omnibus ecclesiis habet illam, sicut in sua speciali sede Romana ; et quod ab ipso manat in omnes inferiores per universam Ecclesiam omnis auctoritas, prout singulis competit eam participari (2). »

110. *Possunt ergo leges ecclesiasticas ferre : summus Pontifex, Concilia generalia.*

Itaque *a/ Romanus Pontifex leges ferre potest tum pro universa Ecclesia, tum pro quavis ejus parte* (3) : hujusmodi autem leges ferre valet Pontifex, sive *solus*, propria et personali auctoritate Vicarii Christi, sive *sacro approbante concilio*, quo casu Episcopi sunt cum ipso conlegislatores (4) ; an vero leges *universales* ferre valeat Pontifex *per alium*, auctoritatem scilicet ei delegando, nobis non liquet (5) ; certo tales leges ferre non valet

1. *Brev.* VI, 12.

2. Opusc. *Quare fratres Minores prædicent et confessiones audiant.* in princ.: cfr. etiam S. Thomas, in II, dist. 44 ; in IV, dist. 24, q. 3, a. 2 ; *Cont. Gentes* IV, c. 72, 76 ; Salmeron, *De jurisdictionis episcopalis origine et ratione,* (quæ dissertatio insignis est) ; Bellarminus, *De Rom. Pont.*, lib. IV, c. 24 et 25 ; Suarez, *De leg.*, lib. IV, c. 4 ; Benedictus XIV, *De Syn.*, I, 4 ; Bouix, *De Episc.*, p. I, s. I, c. 6 ; De Brouwer, *De Eccl.*, sect. V, c. 3 ; Gréa, *op. cit.*, lib. II, c. 12. — Nonnulli tamen docuerunt Episcopos immediate a Christo suam jurisdictionem accipere : ita v. g. Henr. Gandavensis, quodl. IX, q. 22 ; Franc. de Victoria, *De pot. Eccl.*, rel. 2, q. 2 ; Alphonsus a Castro, *De justa hær. punit.*, lib. II, c. 24 ; Vasquez, 1-2, disp. 152, c. 3, n. 28 ; Tournely, *De ord.*, q. 6 — Cæterum admitti nequit sine restrictione quod ait S. Alphonsus, lib. I, n. 104, hanc quæstionem esse *de nomine :* cfr. Bouix, l. c.

3. Cfr. Conc. Vat. const. *Pastor æternus,* c. III.

4. Cfr. Suarez, lib. IV, c. 6 ; Bouix, *op. cit.*, p. I, s. 2, c. 3 ; Gréa, *op. cit.*, lib. II, c. 7.

5. Negat Suarez, lib. IV, c. 6, n. 22 : « Quoad absolutam legislationem, per quam lex accipiat vim obligandi totam Ecclesiam absque *speciali* approbatione Pontificis, non videtur talis potestas posse delegari ; imo nec ullo modo alteri committi : ratio est, quia leges canonicæ obligantes totam Ecclesiam proficisci debent a potestate, quæ in rebus ad mores pertinentibus errare non possit : hæc autem potestas, cum pendeat ab speciali directione Spiritus Sancti Pontifici promissa, delegabilis non est, sicut nec

collegium Episcoporum, si supponatur a Pontifice separatum, nec collegium Cardinalium seu Ecclesia romana, sede Pontificali vacante (1). — *b/ Patriarcha, Primas, Metropolitanus potest quidem ex se solus ferre leges pro propria sua diœcesi; pro regione tamen et provincia cui præest, leges ferre non valet nisi in synodo nationali aut provinciali,* concurrentibus scilicet episcopis suffraganeis (2). — *c/ Episcopus leges ferre valet pro sua diœcesi:* eas autem fert solus sive extra synodum, sive etiam in synodo (3) : idem possunt illi qui jurisdictionem episcopalem exercent, ut Cardinales pro ecclesia sui tituli, et prælati *nullius* pro territorio sibi subjecto (4) : an autem similis potestas sit capitulo, sede episcopali vacante, non constat ; communius affirmatur (5). — *d/ Superiores generales ordinum religiosorum leges ferre valent pro suis subditis* vel in capitulo, vel extra capitulum pro variis concessionibus pontificiis (6). — *e/ Sedis apostolicæ legatus, nuntius, vicarius apostolicus* pro regione ad quam respective mittitur,

Concilia nationalia et provincialia,

Episcopi,

Prælati regulares,

Legati ;

potestas definiendi.... et ideo nec potestas legislativa pro tota Ecclesia est illo modo delegabilis, vel certe saltem non est illo modo deleganda, ne tota Ecclesia periculo alicujus erroris in re tam gravi exponatur. » Hæc ratio suum sane momentum habet ; tamen contra eam objici posset doctrina de necessitate obediendi decretis congregationum, licet hæc decreta non emanent ab auctoritate infallibili, et ideo irreformabilia non sint. Cfr. *Intr.*, n. 114 et 115.

1. Cfr. Suarez, lib. IV, c. 6, n. 3-7 ; Bouix, *op. cit.*, p. I, s. 2, c. 3, pp. 2 et 3. — Rationem cur Cardinalium collegium leges ferre non possit, hanc multi Canonistæ assignant, « ne forsan Romani Pontificis electionem diutius differri vel prolongari contingeret, si cœtus cardinalium, sede vacante, posset exercere jurisdictionem papalem » : Reiffenstuel, lib. I, tit. 2, § 4, n. 91. At hæc ratio nec congrua nobis videtur, nec petita e rei visceribus, nec insinuata in textibus juris a Reiffenstuel allegatis, sc. c. *Ubi periculum,* § *Idem quoque, De Elect.* in 6, et Clem. *Ne Romani,* § 1. Vera ratio sumi debet ex relatione quæ est inter episcopum et suum presbyterium ; Episcopus Romanus est Christi vicarius, vicaria non est immediate Ecclesia Romana ; hæc enim non nisi per Episcopum suum est mater et magistra cæterarum Ecclesiarum. Cfr. Gréa, *op. cit.*, lib. II, c. 4.

2. Cfr. Suarez, lib IV, c. 5, n. 3 ; Schmalzgrüber, p. I, tit. 2, n. 10 ; Bouix, *De Episc.*, p. IV ; Gréa, *op. cit.*, lib. II, c. 5, 6 et 8.

3. Cfr. Suarez, lib. IV, c. 5, n. 1-3 ; Reiffenstuel, lib. I, tit. 2, § 4, n. 69 ; Wirceburgenses, c. III, a. 5 ; Bouix, *op. cit.*, p. V, c. 5 ; Gréa, lib. III, c. 2.

4. Cfr. Suarez, lib. IV, c. 5, n. 4 ; Bouix, *op. cit.*, p. IV, s. 3, c. 5.

5. Cfr. Suarez, lib. IV, c. 6, n. 14-18 ; Reiffenstuel, l. c., n. 89-93 ; Bouix, *De capit.*, p. V, s. 3, c. 4, § 2.

6. Cfr. supra, n. 42 ; Suarez, lib. IV, c. 6, n. 21 ; ac præsertim *De Religione,* tr. VIII, lib. 2, c. 1, 2, 7 ; Schmier, *Jurisp. can. civ.*, lib. I, tr. I, c. 1, n. 342 et c. 5, n. 105 ; Bouix, *De Reg.*, p. VI, s. 1 ; Gréa, *op. cit.*, lib. III, c. 9 et 12.

potest vel non potest leges ferre secundum variam Ecclesiæ disciplinam (1). — *f| At leges ferre non possunt qui curam habent communitatum inferiorum,* v. g. parochiarum, ecclesiarum collegialium, monasteriorum, sodalitatum, universitatum : idcirco statuta has communitates ordinantia vim habent non ex jurisdictione superiorum, sed ex pacto et conventione membrorum, ex auctoritate dominativa, ex voto subditorum, vel ex voluntate Pontificis, Episcopi aut alterius jurisdictionem in has communitates habentis (2). — *g| Multo minus leges proprie dictas ferre valent abbatissæ aut monialium superiorissæ,* licet auctoritate dominativa præcipere possint (3).

non possunt rectores communitatum inferiorum,

nec monialium superiorissæ.

Ordinatio facta ab eo cui jurisdictio communicata non fuit, vim non habet, nisi defectus jurisdictionis suppleatur. Et quidem si agatur de Episcopis aliisque prælatis inferioribus, defectus jurisdictionis suppleri potest per Pontificem, et de facto aliquando suppletur. At si agatur de Romano Pontifice, defectus suppleri nequit, siquidem ipse est omnis jurisdictionis principium eamque immediate a Christo accipit. Nihilominus quoad ipsum sanari poterit, consensu Ecclesiæ, electio de jure humano invalida ; ad divinam autem Providentiam circa Ecclesiam pertinet ut electio de jure divino aut naturali invalida non maneat occulta (4). — Aliunde jurisdictionis conservatio et validum ejus exercitium non pendent a probitate superioris (5).

Caput II.

De causa materiali legis ecclesiasticæ.

111. *Legis ecclesiasticæ materia sunt res sacræ:*

Lex, quæ ratione auctoris vocatur *ecclesiastica*, ratione objecti vocari posset *religiosa* et *sacra :* per eam enim regulantur quæ spectant ad hominum supernaturalem sanctificationem, ad Dei cultum et servitium, ad finis ultimi consecutionem. « Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter

1. Cfr. Suarez, lib. IV, c. 5, n. 4 ; Laymann, *De leg.*, c. VII, § 4.
2. Cfr. Suarez, *De relig.*, tr. VIII, lib. I, c. 1-13. — 3. Cfr. Tamburini, *De jure abbatissarum*, disp. 32 ; Bouix, *De Reg.*, l. c. — 4. Cfr. Schmalzgrüber, lib. I, tit. 6, n. 97-100. — 5. Cfr. Suarez, lib. II, c. 7.

causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiæ (1). »

Si propriam hanc legis ecclesiasticæ materiam distinctiori analysi subjiciamus, videbimus eam sequentibus elementis constare : *a*/ Vitæ supernaturalis fundamentum est *fides :* hinc ad Ecclesiam pertinet determinare quæ respiciunt fidei prædicationem et explicationem (in scholis), susceptionem per catechumenos, exercitium et professionem externam, defensionem et vindicationem (2). — *b*/ Regenerationis et sanctificationis causæ sunt *sacramenta :* hinc etiam ad Ecclesiam pertinet determinare quæ respiciunt sacramentorum administrationem, susceptionem, reverentiam (3). — *c*/ Vita supernaturalis, semel recepta, agitur *virtutes exercendo,* præsertim vero *Deum colendo :* hinc ad Ecclesiam pertinet determinare quæ respiciunt virtutum christianarum exercitium et Dei cultum internum et externum, privatum et publicum : *sacrificium, orationes, vota et juramenta, processiones, et peregrinationes, dies festos,* etc. Cum autem peccatum a fine ultimo avertat, Ecclesia, cui commissa est cura homines ad finem hunc perducendi, jus habet obligationes ab aliis auctoritatibus legitime impositas sanciendi, et quævis peccata puniendi. — *d*/ Præterea fidei prædicatio, sacramentorum administratio, cultus celebratio postulant *personas Deo sacratas :* hinc ad Ecclesiam pertinet determinare quæ respiciunt harum personarum electionem, munera, privilegia, conditionem (4). — *e*/ Tandem virtutum, nominatim charitatis christianæ, exercitium, cultus celebratio, personarum sacrarum

fides, *sacramenta,* *cultus,* *virtutes* *et peccata.* *personæ,*

1. Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei ;* cfr. Encycl. *Arcanum.*

2. Cfr. tractatus noster *De virt. theol.*, passim, præsertim n. 274 et seq. — Gravissima legitur ea de re Leonis XIII admonitio in Encycl. *Quod multum,* ad Episc. Hungariæ.

3. Leo XIII, Encycl. *Arcanum :* « De sacramentis statuere et præcipere, ita ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam. »

4. Ita rursus Leo XIII, Encycl. *Jam pridem,* ad Borussiæ Episcopos : « Ad solam Ecclesiam pertinet statuere de iis quæ interiorem ejus vitam spectant, cujus ratio a Christo Domino restitutore salutis nostræ fuit constituta. Hanc potestatem liberam et nemini obnoxiam unum penes esse Petrum et successores ejus Christus jussit, ac sub auctoritate et magisterio Petri penes esse episcopos in suis cujusque Ecclesiis : quæ episcoporum potestas natura sua disciplinam cleri tum in iis quæ ad sacra munera, tum in iis quæ ad sacerdotalis vitæ rationem pertinent, præcipue complectitur. »

bona. sustentatio, requirunt *bona materialia :* hinc ad Ecclesiam pertinet determinare quæ respiciunt horum bonorum acquisitionem, administrationem, usum (1). — Adverte autem, personas, actus, res, quæ Ecclesiæ subsunt sub uno respectu, posse civitati subesse sub alio ; sic homo *qua christianus* ecclesiastica auctoritate regitur, *qua civis* auctoritate sæculari ; usura, adulterium aliaque crimina *qua bono spirituali opposita* attinguntur lege ecclesiastica, *qua læsiva boni temporalis* lege civili, etc. : hujusmodi dicuntur *mixti juris*. Cave igitur ne mixti juris reputes quidquid externum est et influxum habere potest in temporalem felicitatem (2).

112. *Leges fert Ecclesia præcipientes aut prohibentes quæ jam præcepta aut prohibita erant,* In descripta hac materia vario modo exercetur potestas legislativa ecclesiastica. *a*/ Aliquando enim *præcipitur* vel *prohibetur* illud quod *jam præceptum* vel *prohibitum* erat lege naturali et divina : hoc autem fit duplici modo, nempe *obligationem inculcando,* vel ejus *adimpletionem urgendo,* addita speciali sanctione pœnali. — *b*/ Aliquando *determinatur* illud quod lex naturalis vel divina *indeterminatum* relinquit : v. g. lege divina præscribitur confessio reis peccati mortalis ; lege ecclesiastica præscribitur confessio *annua ;* lege divina præscribitur communio iis qui capaces sunt : lege ecclesiastica præscribitur communio *paschalis ;* lege naturali et divina præscribitur mortificatio carnis ; lege ecclesiastica præscribitur abstinentia *quadragesimalis,* etc. — *c*/ Aliquando *imponitur* illud quod vel solum *conformius* est legi divinæ, vel ex ea *remotius* et *conjecturaliter* deducitur (3) ; — *d*/ Aliquando, pro temporum et locorum

determinantes quæ erant indeterminata.

statuentes quæ hucusque libera erant,

1. Cfr. Marsilii prop. 1, item Wicleffi pp. 10, 32, 36, 39, 44. — Huc pertinet recens Epistola E^mi Pœnitentiarii ad Episcopos Italiæ, de lege decimarum.

2. Cfr. Suarez, *De legibus,* lib. IV, c. 11, n. 7-8 ; multa etiam ad præsentem quæstionem sumi possunt ex iis quæ doctor eximius habet in tom. I *de religione,* lib. IV, ubi agens de simonia, notionem *rei sacræ* explicat ; Benedictus XIV, *De syn.,* lib. IX, c. 9.

3. Huc referri possunt quæ habet S. Thomas, 1-2, q. 5, a. 2 : « Derivantur quædam a principiis communibus legis naturæ *per modum conclusionum*.... Quædam vero *per modum determinationis :* sicut lex naturæ habet quod ille qui peccat, puniatur ; sed quod tali pœna vel tali puniatur, hoc est quædam determinatio legis naturæ. Utraque igitur inveniuntur in lege humana posita. Sed ea quæ sunt primi modi continentur in lege humana, non tanquam sint solum lege posita, sed habent etiam aliquid vigoris ex lege naturali ; sed ea quæ sunt secundi modi, ex sola lege humana vigorem habent. »

necessitatibus, *præcipiuntur* vel *prohibentur* ea, quæ lege naturali et divina *libera* erant. — *e*/ Tandem aliquando *conditiones adjiciuntur* iis, quæ lege naturali et divina ad valorem actuum requiruntur.

irritantes quæ valida.

Sequentia tamen adverte : *a*/ Licet Ecclesia *omnium* præceptorum divinorum observationem fidelibus *inculcet,* non omnium sed tantum graviorum observationem *pœnis* urgere potest : plus enim non patitur humana fragilitas (1). — *b*/ Quæ lege naturali vel divina *prohibentur,* non possunt sane lege ecclesiastica *præcipi,* possunt tamen *permitti,* non quidem permissione qua licita fiant, sed permissione qua fiant libere et non impediantur. Aliunde licet non possint prohiberi lege ecclesiastica quæ lege divina *præcipiuntur,* possunt tamen *prohiberi* quæ de se *bona* sunt (2). — *c*/ Non omnia indeterminata aut libera possunt lege ecclesiastica determinari et præcipi aut prohiberi, sed ea solum *absolute* et *ordinarie* statui possunt quæ *universalitati* fidelium *possibilia* sunt, et vere *utilia* ad commune bonum spirituale : hujusmodi restrictionem postulat et infirmitas humana (3), et indoles œconomiæ christianæ, quæ est œconomia libertatis (4), et voluntas Christi Domini, qui omnibus imponit perfectionem essentialem, gradum vero perfectionis sublimiorem consilio proponit (5) : de facto autem Ecclesia nonnisi pauca et facilia fidelibus communiter et absolute præcipit (6). — *d*/ Nihilominus facta suppositione *voluntaria,* potest Ecclesia præcipere *difficiliora,* et de facto ea præcipit iis qui vitam regularem agunt, vel clericalem statum amplectuntur, vel munera ecclesiastica suscipiunt : idcirco superius diximus difficilia non

Non omnia mala prohiberi possunt, sed solum graviora, cætera permittuntur ;

non omnia bona possunt præcipi, sed tantum utilia et non nimis difficilia.

saltem absolute

1. Ita S. Thomas, 1-2, q. 96, a. 2 : « Lex humana ponitur multitudini hominum, in qua major pars est hominum non perfectorum virtute : et ideo lege humana non prohibentur omnia vitia, a quibus virtuosi abstinent : sed solum graviora, a quibus possibile est majorem partem multitudinis abstinere, et præcipue quæ sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset. »

2. Cfr. Schmalzgrüber, lib. I, tit. 2, n. 19.

3. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 96, a. 3. — 4. Matth. XI, 30 ; Luc. XI, 46 ; Act. XV, 28, 29 ; cfr. supra, n. 90. — 5. Cfr. supra, n. 94-95.

6. Ita Suarez, lib. IV, c. 1, n. 10 : « Hæc (præcepta) pro universali Ecclesia solum sunt quatuor vel quinque ; quæ solum sunt determinationes quædam juris divini, moraliter necessariæ hominibus, ut patet de præcepto annuæ confessionis et communionis, de jejuniis et festis diebus, ac solvendis decimis. Reliqua autem omnia vel pertinent ad particulares status, qui voluntarie ab hominibus sumuntur, vel ad ordinem judicialem. »

et ordinarie.

posse statui *absolute*. — *f*/ Immo in casu extraordinariæ necessitatis publicæ possent difficilia statui etiam absolute: potest enim societas ea omnia a membris exigere quæ ad sui conservationem necessaria sunt (1). — *g*/ Advertatur, non cujusvis auctoritatis ecclesiasticæ esse de rebus sacris varia illa ratione statuere : quædam enim sunt quæ, utpote majoris momenti, reservantur potestati supremæ, nec inferioribus permittuntur (2).

113. *In specie potest Ecclesia statuere circa res externas,*

Hisce generatim præmissis, in specie notandum est, *Ecclesiæ potestatem versari non solum circa ea quæ fidem et mores, cultum et sanctificationem, sed circa ea etiam quæ externam disciplinam et administrationem respiciunt.* Falso enim hæretici et schismatici, regalistæ ac pseudo-politici Ecclesiam ab exteriorum rerum administratione excludunt, et omnem circa easdem res potestatem sæculari imperio adscribunt (3).

114.

Deinde notandum est, *Ecclesiæ potestatem versari tum circa actus externos, tum etiam circa actus internos.* Ut autem veritas hujus assertionis clare pateat, actus *mere internus* distingui debet ab actu *interno qui cum externo conjunctus est;* potest autem actus internus esse cum externo conjunctus vel *intrinsece* et essentialiter, vel magis *extrinsece* et accidentaliter : intrinsece conjungitur quatenus necessarius est ad actus externi *libertatem, validitatem, moralitatem;* extrinsece vero conjungitur quatenus actum externum in *finem specialem* dirigit.

circa actus internos cum externis conjunctos,

Jam vero si sermo sit de actu interno, qui cum externo conjunctus est, sequentia admittenda videntur: *a*/ *Absque ulla controversia attingi potest ab Ecclesia actus internus necessarius ad dandam externo essentiam actus humani :* lex enim non dirigit nisi

3. Observatio præcepti de *materia* facili potest reddi difficilis ratione circumstantiarum : de hoc casu agemus ubi de impotentia.

4. Huc pertinent quæ scripsit Benedictus XIV, *De syn. diœc.* præsertim lib. VII et seq. — De assertione autem *posse Episcopum in sua diœcesi, quidquid potest Papa in universa Ecclesia,* cfr., inter alios, Reiffenstuel, lib. I, tit. II, § 4, n. 77, 78, præsertim Benedictus XIV, *op. cit.*, lib. IX, c. I, et Bouix, *De Episcopo,* p. V, c. 9.

5. Ita passim juris cultores Protestantes, quorum doctrinam exponit Ger. Voss, *De pot. sum. imp. circa sacr.*, c. I; Græci-schismatici, ap. Leunclav. in *Jur. græc.-rom.*, t. I, l. 5; Regalistæ, v. g. Van Espen, *Comm. in Grat.* p. I, dist. 10; La Borde, *Principes sur la distinction des deux puissances;* (cfr. Benedictus XIV, bulla *Ad assiduas);* Pistorienses, prop. IV, Const. *Auctorem fidei.*

actus humanos. — *b| Attingi etiam potest ab Ecclesia actus internus necessarius ad dandam externo suam propriam speciem et validitatem :* sic præcipiendo fidelibus *auditionem Missæ*, clericis *orationem vocalem* Breviarii, Ecclesia eis præcipit *attentionem* et *intentionem*, sine quibus non habetur oratio, nec missæ auditio (1) ; item præcipiendo beneficiariis *juramenti* emissionem, præcipit *intentionem* Deum invocandi testem (2); præcipiendo curatis ut *sacramenta administrent*, præcipit generalem *intentionem* faciendi quod ipsa Ecclesia facit ; simili ratione Episcopus præcipiendo suis sacerdotibus *exercitia spiritualia*, præcipit *pias meditationes*, sine quibus vera exercitia haberi nequeunt. — *c| Præterea attingi potest ab Ecclesia actus internus necessarius ad dandam externo moralitatem absolute requisitam :* sic Ecclesia præcipiendo communionem paschalem, præcipit internam conscientiæ puritatem (3). — *d| Insuper attingi potest ab Ecclesia actus internus quatenus interno specialem aliquem bonitatis vel malitiæ gradum affert :* sic excommunicatur inquisitor qui *ex odio, gratia, avaritia* omittit contra aliquem procedere in causa fidei (4) ; excommunicatur monachus, qui, *ut suo monasterio damnum aliquod inferat*, ad curias principum se conferre præsumpserit (5) ; item beneficio privatur clericus, qui parochialem ecclesiam obtinuit sine *voluntate* ascendendi ad ordinem sacerdotii (6). — *e| Immo nobis videtur attingi posse ab Ecclesia actus internus necessarius ad externum dirigendum in finem aliquem specialem :* sic, si celebratio *pro grege* pastoribus imposita non esset jure divino, imponi posset jure ecclesiastico ; imo sunt qui arbitrantur fieri posse ut vi consuetudinis, adeoque jure ecclesiastico, pastores offerre pro grege teneantur, quoties celebrant (7) ; sic etiam a Pontifice vel Episcopis imponi posset obligatio orandi vel jejunandi formaliter et expresse ad gratiam aliquam obtinendam, ita ut tum opus ipsum tum operis relatio, sub præcepto cadant.

1. Cfr. tractatus noster *De virt. Relig.*, I, n. 214, 215.
2. Cfr. *op. cit.*, I, n. 512, 513.
3. Cfr. prop. 14ª ex damnatis ab Alexandro VII et 55ª ex damnatis ab Innocentio XI.
4. Clem. lib. v. tit. 3; *De hær.*, c. 1, § 4.
5. Clem. lib. III, tit 10, *De statu monach.*, c. 1, § 5.
6. C. *Commissa*, de elect. in 6.
7. Cfr. Pasqualigo, *De Sacrificio*, q. 852.

— Multum quidem abest ut prædicta omnia ab omnibus teneantur: ea tamen existimamus conformia indoli et fini potestatis ecclesiasticæ (1).

mo etiam circa actus mere internos,

Si vero sermo sit de actu mere interno, sequentia advertimus : *a*/ Sententia in hunc usque diem *communis* tenet Ecclesiæ non competere potestatem legislativam circa actus mere internos (2). — *b*/ Patroni hujus sententiæ existimant talem potestatem Ecclesiæ *vel conferri non potuisse,* quia repugnat ut leges ferantur de actibus quos judex punire nequit, nequit autem judex humanus super delictis internis pronuntiare ; *vel conferri non debuisse,* quia « Ecclesia est corpus visibile, et ideo materia accommodata ad ejus communem et externam gubernationem, debet etiam esse sensibilis et externa ; » *vel saltem collatam non fuisse,* quia nullam collationis indicium habetur in scriptura, nullum exercitii vestigium in historia reperitur (3). — *c*/ Verum, cum tantorum patronorum reverentia, dicere liceat has rationes admodum leves esse. Ad *primam* enim, facile negatur tum principium ipsum tum principii applicatio : sane Ecclesia præcipere valet et sæpe præcipit sine externa sanctione, consequenter sine judicii adnexione, relinquendo delinquentes conscientiæ propriæ et judicio Dei ; præterea, si necesse sit, etiam quoad actus internos sanctio addi potest, pœna nempe ipso facto incurrenda (4). Ad *secundam,* negatur vis illationis :

1. Cfr. Suarez, lib. IV, c. 13 ; Bonacina, *De leg.,* disp. 1, q. 1, p. 6; Æg. De Coninck, *De Sacram.*, q. 83, n. 289 et seq.; Gonet, *Clyp. thom. de leg.*, disp. V, a. 1, etc. — Cæterum hanc quæstionem non esse mere speculativam, disces a Dominico Viva, in prop. 14^{am} ex damnatis ab Alex. VII et 55^{am} ex damnatis ab Innocentio XI ; nec non a Joanne de Cardenas, *Cris. theol.*, diss. 34, c. 2, a. 1.

2. Ne agmen theologorum ita sentientium producere cogamur, duces solos indicamus : S. Thomam, 1-2, q. 1, a. 4 ; q. 100, a. 9 ; 2-2, q. 104, a. 5 ; quem communiter sequuntur Commentatores ; Suarez, lib. IV, c. 12, cui Moralistæ passim et Jurisperiti adstipulantur ; S. Alphonsum, lib. 1, n. 100, quocum stant plerique moderni. Exprimitur etiam hæc sententia in *Cat. ad Par.* de 9° et 10° præc. 5. — Notari tamen potest quod S. Thomas rem consideraverit *in genere,* de lege humana, non *in specie,* de lege ecclesiastica ; et quod S. Alphonsus videatur eam non tractasse *ex professo* et ex industria propria, sed tantum perfunctorie. — Controversiam exponunt Wirceburgenses. — 3. Cfr. Suarez, l. c.

4. Hinc ipse Suarez fatetur hanc rationem debilem esse. S. Alphonsus autem, postquam pronuntiavit actus internos non cadere sub lege, *quia legislator humanus nequit judicare de internis,* mox affirmat actus occultos, *licet non cadant sub judicio,* cadere tamen *sub lege !*

non magis ex visibilitate Ecclesiæ deducere licet objectum legis non esse internum, quam ex ejus spiritualitate deducere licet idem objectum non esse externum : in hujusmodi ratiociniis Ecclesia sub uno tantum respectu consideratur. Ad *tertiam,* negatur factum allegatum et conclusio ex eo deducta. — *d*/ Oppositæ vero sententiæ favent maximi momenti argumenta : α) Potestas circa actus internos est omnino consentanea cum indole et fine Ecclesiæ, quæ societas est *supernaturalis,* ad animarum *sanctificationem* instituta : « Quemadmodum enim id sibi propositum habet ut filios suos ad æternam beatitudinem adducat, ita divinitus datis præsidiis et instrumentis est prædita, quibus eos æternorum bonorum compotes faciat, incœptans in terris et in hujus viæ militia ædificium quod supremum fastigium supremumque decus est habiturum in cœlis (1). » Igitur potestas circa actus internos comprehenditur connaturaliter in generali potestate legifera Ecclesiæ concessa; limitatio ad actus externos admitti non potest nisi clare probetur. β) Ecclesia, pro fine suo supernaturali, multiplicem a Christo Domino accepit jurisdictionem in actus internos : sic potest dispensare in votis internis, vel ea vota irritare (2) ; potest superabundantia merita Christi et Sanctorum hominibus applicare ; potest indulgentias concedere sub conditione actus interni : hinc vix intelligeretur eam non accepisse, pro eodem fine, jurisdictionem ad actus internos *præcipiendos.* γ/ De facto in materia fidei Ecclesia non solum præcipit actus internos quando veritatem revelatam definit, sed etiam imponit assensum internum et religiosum quando, providens securitati doctrinæ, veritatem, citra definitionem, proponit (3) : in his autem casibus obligatio obediendi non oritur ex sola veritatis denuntiatione, verum etiam ex docentis *jussione ;* docet enim Ecclesia cum *auctoritate,* vi *jurisdictionis* (4) ; præterea, juxta plures theologos, Ecclesia præcipit emissionem voti castitatis

1. Leo XIII, Encycl. ad Episc. Borussiæ.

2. Cfr. tractatus noster *De religione,* 1, n. 428, 449. — Vix intelligitur quomodo hæc a Schmalzgrüber scribi potuerint : « Similiter (Ecclesia) circa actum externum versatur, dum dispensat in votis mere internis ; nam dispensando facit omissionem actus voto promissi licitam ! »

3. Cfr. *Intr.,* n. 95, 114.

4. Cfr. Scheeben 1, 109, 110, 111.

illi, qui dum promotus est ad subdiaconatum, expresse noluit se ad castitatem obligare (1). 2. Tandem non apparet cur aliter sit loquendum de actu mere interno ac de actu interno qui accidentaliter cum externo conjunctus est (2). — Itaque cum « in scholastica disputatione plurium auctoritas obruere theologum non debet (3), » plene adhæremus solidæ pauciorum sententiæ affirmanti actus internos præcipi posse ab Ecclesia (4).

115. *et aliquousque circa præterita.*

Præterea notandum est, *Ecclesiæ potestatem, licet communiter et regulariter de futuris tantum statuat, posse tamen etiam versari circa præterita* (5). Ita Suarez: « Lex per se et quasi natura sua non extenditur ad præterita, sed de futuris tantum datur: quoad aliquos vero effectus extendi potest ex voluntate legislatoris satis expressa aut declarata (6). »

Assertio sequentibus explicatur. *a*/ Quoad legem *præcipientem* et *prohibentem*, res manifesta est: absolute enim repugnat ut vi legis directiva attingantur actus qui transierunt. — *b*/ Quoad legem proprie *pœnalem*, distinguendum est inter actum qui antea nullo modo prohibitus erat, actum qui prohibitus erat sine ulla sanctione vel sine sanctione determinata, et actum qui prohibitus erat cum sanctione determinata. Actus præteritus, qui nullo modo prohibitus erat, attingi nequit lege pœnali superveniente; actus præteritus, qui jam prohibitus erat sed sine addita sanctione vel sine sanctione determinata, attingi potest nova lege statuente pœnam ordinariam, verum attingi nequit nova lege statuente pœnam extraordinariam aut ipso facto inferendam; actus præteritus, qui antea prohibitus

1. Cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 809. — 2. Cfr. Suarez, l. c., c. 13, n. 15 et 16. — 3. Canus, *De locis*, lib. VIII, c. 4.

4. Cæterum hæc sententia non destituitur egregiis defensoribus; tales sunt inter theologos Adrianus, *Quodl.* VIII, a. 1; Lacroix. lib. I, n. 648-655; Elbel, *De leg.*, n. 333; Henno, disp. 3, q. 3; Thomas ex Charmes, q. 1, a. 2; inter Jurisperitos vero Schmier, *Jur. can.-civ.*, lib. I, tr. 1, c. 1, § 2 et Bockhn *Jus. can.*, lib. I, tit. 2, § 4, n. 58-64, qui ambo nobis videntur rem omni ex parte confecisse. Nostro tempore eam tenent Martin, Friedhoff, Palasthy, ap. Müller *op. cit.*, tom. I, § 51; Ballerini, tom. I, ad. n. 89; eidem favet Lehmküll, *De leg.*, c. III, a. 2.

5. Rem exponere solent Canonistæ, *Decretal.* lib. I, tit. IV *de const.*: cfr. v. g. Barbosa ad c. *cognoscentes;* Fagnanus, ad. c. *quoniam;* Schmier, *Jur. can.-civ.*, lib. I, tr. 1, c. 1, § 4; Bockhn, lib. I, tit. 2, n. 67; Schmalzgrüber, lib. I, p. 1, tit. 2, n. 22; et, præ cæteris, Suarez, lib. III, c. 14.

6. Suarez, l. c. n. 8.

erat cum sanctione pœnæ determinatæ, attingi non potest nova lege pœnam augente, nisi forte in casu peculiaris necessitatis publicæ (1). — *c*/ Quoad legem *irritantem,* videndum est utrum actus semel positus, sit nec ne ex natura sua vel ex institutione Christi irrevocabilis: si irrevocabilis sit, non potest lex posterior eum attingere; si autem non sit ita irrevocabilis, ulterius videndum est utrum undequaque legitimus fuerit, an vero, licet absolute validus, fuerit tamen minus rectus: si undequaque legitimus fuit, non potest posteriore lege attingi « nisi forte in pœnam alicujus novi delicti vel propter tantam necessitatem boni communis, ut ad subveniendum illi possit quis suis bonis privari »; at si fuit minus rectus, facilius attingi poterit lege posteriore, non tamen sine gravi causa (2). — *d*/ Quoad legem *habilitates* et *capacitates definientem,* tria distinguenda sunt: primum, ipsa *capacitas*, alterum, *munus* a capace prius obtentum, tertium, *actus* vi muneris exerciti: minime repugnat ut incapacitas acquirendi bonum, beneficium obtinendi, munus capessendi statuatur propter factum positum ante conditam legem; verum æquitati repugnat ut, sine gravissima causa, munere obtento quis privetur propter incapacitatem posteriore lege statutam; a fortiori bono ordini repugnat ut actus vi talis muneris exerciti revocentur. Eodem modo loquendum est de lege *facultates,* v. g. *suffragium concedente:* sane fieri potest ut, qui tali facultate potiebatur, ea privetur per legem subsequentem; at fieri nequit ut attingatur præteritum exercitium hujus facultatis. — *e*/ Demum quoad legem *entia moralia* et *morales personas gubernantem,* nulla est difficultas: dummodo enim superior legitimas intentiones sanctas habeat, jura acquisita non lædat, atque intra terminos suæ auctoritatis

1. Cfr. Suarez, l. c., n. 9; Schmier, l. c., n. 178-188; Bockhn, l. c.

2. Cfr. Suarez, l. c., n. 11. — Sunt qui generali formula, sine ulla restrictione, asserunt actus præteritos objectum esse posse legis irritantis: ita novissime Granclaude, *Jus. can.*, lib. 1, tit. 2, s. 3, qui provocat ad quosdam textus juris v. g. lib. 1, tit. 2, c. 6, 7, 10, et ad decreta concilii Trid. v. g. sess. VII, c. 2, 3, 6, 9; rationem addit, « quia non est minor vis legis quam sententiæ judicialis; atqui per sententiam possunt irritari actus præteriti. » At in allegatis textibus non agitur de lege nova, sed solum de legis existentis applicatione; et de tali applicatione intelligi debet ratio addita, ne prorsus inepta sit. — Cæterum Suarez, l. c. n. 2-7, accurate distinxerat legem declarativam juris a lege juris constitutiva.

se contineat, potest statuere non solum circa entia quæ in posterum efformabuntur, sed etiam circa ea quæ a longo tempore existunt.

Legum civilium usus in causarum temporalium decisionibus.

Tandem notandum est, *Ecclesiæ potestatem ad materiam propriam applicasse nonnullas leges civiles, quæ idcirco canonizatæ dicuntur* (1); *imo generatim statuisse ut in judiciis causarum de rebus temporalibus, ubi leges ecclesiasticæ deessent, ad leges civiles recurreretur et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvarentur* (2). Controvertitur autem utrum hæc regula intelligenda sit de legibus civilibus quibuscumque, an vero de solis legibus justinianæis. *a*/ Alii existimant de quibuscumque legibus justis regulam esse intelligendam (3): his rationibus innituntur: α/ dicitur generatim, canones adjuvari *principum* constitutionibus; β/ principum constitutiones in adjutorium assumuntur non quatenus sunt *consulta virorum prudentum,* sed quatenus sunt *jussa legitimæ auctoritatis,* et *æquitatis* ac *justitiæ vestigia imitantur* (4), quod in omnium principum legibus verificari potest; γ/ leges Justiniani nunquam apud omnes populos christianos in usu fuerunt, hodie autem vix alicubi observantur: nisi ergo vera sit hæc sententia, sequetur, vel nulla lege sæculari canones adjuvari apud populos qui jure romano non utebantur (Anglos, Germanos), vel ubique necessitatem fuisse et esse studendi juri romano ad causarum ecclesiasticarum decisionem; atqui primum eo minus admitti potest quod aliquando ad ipsas constitutiones municipales a Pontificibus remittatur (5), alterum vix conciliatur cum iis quæ Ecclesia sancivit

1. Cfr. *Decreti* p. II, c. 2, q. 1, c. 7 *Imprimis;* Benedictus XIV, *De synodo,* lib. IX, c. 10.

2. Principium ipsum exponitur *Decreti* p. I, dist. 10, c. 7, *Si in adjutorium; Decretal.* lib. V, tit. 32, c. 1, *Intelleximus;* ejus vero applicatio deprehenditur *Decretal.* lib. I, tit. 41, c. 8, *Constitutus;* lib. II, tit. 30, c. 4, *Cum dilecta;* lib. III, tit. 26, c. 3, *Nos quidem;* lib. III, tit. 49, c. 6, *Inter alia;* cfr. Reiffenstuel, *Proœm.* § 13, n. 228; Schmalzgrüber, *Diss. proœm.,* n. 407; Schmier, lib. I, t. 1, c. 7, n. 99; Benedictus XIV, *De Syn.,* lib. IX, c. 14, etc.

3. Hanc sententiam supponunt Molina, *De just. et jure,* tr. 2, disp. 263, n. 10 et 11; Sanchez, *De Matr.,* lib. I, disp. 6, n. 24; ei favet Suarez, lib. IV, c. 11, n. 14, licet lib. III, c. 8, n. 3 obscurius loquatur; eamdem, post antiquiores jurisperitos apud Barbosa, *Decretal.* lib. V, tit. 33, c. 28, *Super specula,* explicite defendit cl. D'Annibale, *Summula;* tom. I, n. 188; ei favet etiam Aichner, *Comp. jur. eccl.,* pag. 25-26.

4. Cfr. *Decretal.* lib. V, tit. 33, c. 28, *Super specula.*

5. Cfr. *Decretal.* lib. I, tit. 41, c. 8, *Constitutus.*

relate ad juris romani studium (1). — *b*/ Nihilominus multi censent regulam intelligendam esse de solis legibus justinianæis ; innituntur auctoritati S. C. C. quæ refertur emendasse decretum concilii Bracharensis, in quo applicabatur prior sententia ; nec grave incommodum reperiunt in eo quod apud quosdam populos canones non adjuventur legibus sæcularibus, quia « raro occurrunt ecclesiasticæ causæ tales, quæ non possint statutis canonicis expediri (2). »

Caput III.

De causa formali legis ecclesiasticæ.

Ad causam formalem legis ecclesiasticæ pertinent ejus *efformatio, promulgatio, acceptatio, interpretatio,* de quibus distinctis articulis dicetur.

ARTICULUS PRIMUS.

De efformatione legis ecclesiasticæ.

116. *Jus scriptum et consuetudinarium.*

Duplici via lex introducitur : aliquando enim præit superior, imperando illud quod a subditis observari debet ; aliquando præeunt subditi, observando illud quod consequenter a superiore imperatur : in primo casu lex verbis exprimitur, et vocatur *jus scriptum ;* in secundo exprimitur moribus et vocatur *jus consuetudinarium.*

117. *Juris scripti conditiones.*

Pauca observanda occurrunt de jure scripto (3) : *a*/ Naturæ rerum consentaneum est ut superior ecclesiasticus legem non ponat, sine *consilio* prudentum : hinc summus Pontifex, quando extra concilium disciplinam statuit, in auxilium adhibere solet Congregationes Cardinalium, ut patet ex formula in bullis

1. C. *Super specula,* et Honorii IV *Epistola* omnibus « prælatis in regnis Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Walliæ, Hispaniæ et Hungariæ constitutis » : in qua statuit ut in prædictis regnis leges sæculares de cætero non legantur nisi de voluntate principum. Cfr. Reiffenstuel. *Diss. proœm.*, n. 228, 229.

2. Ita c. *Super specula.* — Hanc alteram sententiam tenent Barbosa, *Decretal.* lib. V, tit. 32, c. 1, *Intelleximus,* et tit. 33, c. 28, *Super specula :* Bouix, *De judiciis,* p. 1, s. 1, c. 4 ; Emin. Sanfelice, *Fund. iur. can* , p. 2, pag. 28.

3. Cfr. Suarez, lib. III, c. 15 ; lib. IV, c. 14.

passim occurrente (1); Episcopi vero tenentur capituli sui sententiam exquirere (2). — *b*/ Legem, quam meditatus est, potest superior ferre sub forma *decreti,* vel sub forma *epistolæ, responsi, sententiæ:* ordinarie tamen per responsum et sententiam declaratur jus existens potius quam introducatur jus novum (3). — *c*/ Lex in mente legislatoris concepta exprimi debet *verbis* claris et brevibus, quæ intentionem obligandi et obligationis objectum sufficienter indicent (4). — *d*/ Præterea exprimi debet lingua communi societatis ad quam dirigitur, adeoque, si agatur de legibus generalibus Ecclesiæ occidentalis, lingua *latina* (5). — *e*/ Licet non sit de essentia legis ut a legislatore *scripto* proponatur, et revera aliquando oretenus tradatur, prout factum est a Christo Domino, tamen scriptione melius consulitur jussorum perspicuitati et sinceritati, adeoque legislatores ea uti solent (6): igitur ordinatio a superiore facta vocatur lex *scripta,* non quia necessario, sed quia communiter scripto traditur (7).

118. Plura dicenda sunt de juris consuetudinarii ratione, vi et conditionibus (8).

1. Cfr. v. g. Leonis XIII const. *Romanos Pontifices;* Litt. Apost. *In suprema,* etc.; Suarez, lib. III, c. 15, n. 3; Platus, *De cardinalis dignitate,* c. 38. — Quousque autem Papa teneatur Cardinalium sententiam rogare aut etiam sequi, inquirit Bouix, *De curia Romana,* p. I, c. 6.

2. Cfr. Benedictus XIV, *De syn.,* lib. XIII, c. 1, n. 4-6; Bouix, *De capitulis,* p. IV, c. 2. — 3. Cfr. Suarez, lib. IV, c. 4, n. 3 et seq.

4. Cfr. Suarez, lib. III, c. 15, n. 7, ubi in specie agit de significatione quorumdam verborum: *præcipio, impero, mando, oportet, prohibeo, abstineant, non audeant,* etc.

5. Cfr. Card. Petra, *In Const. Apost.,* tom. I, procem. 3; Schmier, lib. I, tr. 1, c. 5, suppl., n. 13. — Hinc Romanorum Pontificum ordinationes italico idiomate conceptæ plerumque non respiciunt nisi Italos. Exemplum recentissimum habetur in *Instructione* anni 1880 pro causis disciplinaribus clericorum; quæ instructio decreto anni 1882 extensa est (non tamen *imperative*) ad curias episcopales Galliarum. Cfr. *Nouv. Rev. théol.,* XIII, 122, XV, 107.

6. Pontificum Romanorum acta quæ dicuntur *oracula vivæ vocis,* respiciunt gratias et privilegia; cfr. Ferraris, V° *Oracula;* Schmalzgrüber, in lib. V, tit. 33, etc.

7. Cfr. Suarez, lib. III, c. 15, n. 5-6. — Cæterum ipsum *legis* vocabulum *scriptionem* denotat: *lex* enim a *legere* venit.

8. Cfr. *de consuetudine* S. Thomas 1-2, q. 97, a. 3, ubi ejus Commentatores, qui tamen hanc materiam paucis expedire solent; — sollicitius eam tractant Moralistæ, v. g. Laymann, lib. I, tr. 4, c. 24; Bonacina, disp. 1, q. 1, p. 11; Castropalao, tr. 3, disp. 3; Salmanticenses, tr. XI, c. 6, p. 4; S. Alphonsus, lib. I, n. 107; — fusius, pro sua professione, Jurisperiti in

Imprimis consuetudo sumitur *materialiter* vel *formaliter :* sumpta materialiter, est *usus, mos, frequens eorumdem actuum repetitio ;* formaliter vero sumpta, est *jus usu introductum.* Hinc licet consuetudo materialiter conveniat cum *observantia, traditione et præscriptione,* formaliter tamen ab eis differt : consuetudo enim jus introducit ; observantia, traditio et præscriptio jus supponunt ; scilicet observantia, qua tali, lex executioni mandatur, traditione conservatur, præscriptione applicatur ad rerum acquisitionem (1). *Usus,*

Rectæ rationi conforme est ut mores legem introducant : quæ enim a membris societatis sponte observantur, quæ e societatis visceribus oriuntur, quæ debentur evolutioni vitæ socialis, haberi debent, nisi aliquid obstet, ut genio et indoli subditorum accommodata, bono communi conformia, adeoque non possunt a prudente superiore non sanciri (2). — Duplici modo, nostra præsertim ætate, a vera doctrina circa vim consuetudinis recessum est : alii enim principiis a priori societatem ordinare præsumentes, quasvis consuetudines proscripserunt (3) ; alii ex adverso consuetudini adeo tribuerunt ut eam juri naturali substituerint (4). — Ecclesia vero magistra veri et custos *ex ipsius naturæ præscripto,*

Decreti part. I, dist. VIII et XI, et præsertim in *Decretal.* lib. I, tit. 4, v. g. Barbosa, Fagnanus, Reiffenstuel, Schmalzgrüber, Bockhn, Schmier, lib. I. tr. I, c. 9 ; etc. — omnium autem plenissime et doctissime Suarez, toto libro VII ; — opera specialia de consuetudine ediderunt Pirhing et Rupertus Kimpfler ; — inter recentiores vero legi merentur Bouix, *De princ. juris can.*, p. II, s. 6 ; Gousset, *Exp. des princ. du droit can.*, c. 20-29 ; Hammerstein, *Ueber die verbindende Kraft der gewöhnheitsrechtes ;* Kreutzwald, *De canonica juris consuetudinarii præscriptione ;* Kirchenlexicon, V° *Gewöhnheit*

1. Cfr. Suarez, lib. VII, c. 1, n. 10-12 ; c. 4, n. 10 ; Schmalzgrüber, l. c. n. 1 ; Bockhn, l. c., n. 5-8.

2. Digna quæ attendantur habet Bockhn, l. c., n. 1 : « Si consuetudo quoad rem spectetur, origo ejus antiquissima est, de qua Isidorius relatus in cap. ult. dist, 6, *jus vero consuetudinis,* ait, *post naturalem legem exordium habuit, ex quo homines convenientes in unum cœperunt simul habitare.* Unde suis natalibus scriptas leges ea longe antecedit. Apud omnes etiam gentes summa fuit habita consuetudinis auctoritas ; ut Pindarus Poeta dixerit, morem omnium esse regem, ceu scribit Herodotus *lib.* 3 *Histor.* Imo existimamus post auctum genus humanum et constitutas civitates ac respublicas ex ipso naturali jure venire quod vetustæ consuetudines jus faciant ; adeo ut nequeat lex rogari ne ulla deinceps consuetudo pro jure habeatur : cum lex talis bono communi repugnaret. »

3. Ita Pseudo-philosophi Galli sæculi elapsi ; nec non schola Kantiana.

4. Ita Jurisperitorum *schola historica,* cujus duces fuerunt Savigny et Stahl ; cfr. Theod. Meyer, *op. cit*, n. 549 et seq. ; Costa-Rosetti, *op. cit.*, th. 81. — Ulterius, ut notum est, progrediuntur patroni moderni positivismi scientifici,

recti, consuetudines semper admisit (1), ita tamen ut eas prudenter moderaretur ac legi naturali et divinæ subordinaret (2). Cæterum, præter generalem æquitatis rationem, plura sunt quæ suadent ut in societate religiosa moribus aliquid indulgeatur, scilicet Evangelii libertas, materna Ecclesiæ caritas, fidei dilatatio apud populos diversæ indolis.

ius operatur;

Jam vero triplici modo mores relate ad jus operantur : aliquando enim moribus lex jam existens confirmatur vel explicatur, et hæc est consuetudo *secundum legem,* quæ vix differt ab observantia ; aliquando moribus lex tollitur, et hæc dicitur consuetudo *contra legem,* et melius desuetudo ; aliquando moribus lex inducitur, et hæc est consuetudo *præter legem,* quæ indicatur recepta definitione : « Jus quoddam moribus institutum quod pro lege suscipitur cum deficit lex (3). » Patet de ultima specie consuetudinis sola in præsenti agendum ; de duabus aliis in sequentibus sermo occurret.

requisitæ conditiones ex parte materiæ.

Ad legem moribus inducendam plures requiruntur conditiones. Et quidem *a*/ consuetudinis causa *materialis* debet esse *bona, utilis,* talis nempe qualis est causa materialis legis scriptæ (4) : *b*/ Causa *subjectiva* et *proxime efficiens* est *communitas,* non persona privata aut privata familia ; nomine autem communitatis non

qui, duce H. Spencer, toti sunt in moribus gentium imo et animalium describendis et pro libitu interpretandis. — Initio sæculi decimi noni apud Catholicos nonnulli cum verborum exaggeratione extulerunt leges non scriptas, v. g. de Maistre, *Essai sur le principe générateur des constitutions politiques;* nostris etiam diebus, qui post Cl. Le Play scientias sociales explicant secundum methodum observationis et experientiæ, videntur aliquando nimium tribuere moribus et factis, principia autem vix non negligere.

1. Cfr. Tertullianus, *De cor.,* c. 4 ; S. Augustinus, *Epist.* 36 ; S. Isidorus *Etym.* v, 3 ; S. Gregorius M. *Ep.* I, 66, IV, 39, XI, 64 ; Const. prov. S. Edmundi, 7 (Hard. VII, 269) ; Statuta Eccl. Coloniensis, c. 4, (Hard. VIII, 1010).

2. S. Joannes Chrys. *In Gen.* hom. 66, n. 2 : cfr. plures textus in *Decreto* Gratiani, p. I. dist. VIII, et dist. XI ; *Decretalium* lib. I, tit. 4 ; in 6 lib. I, tit. 4 ; in *Extr. comm.,* tit. I. — Forte nonnulli nostro tempore bono unitatis zelo, et justo particularismi odio incensi, nimium propensi fuerunt ad veteres ecclesiarum usus proscribendos. Qui noverit quam magnam partem usus habeant in vita religiosa populi, cautissime in hac materia procedet ; periculum enim est ne loco illius quod aufertur, nihil solidi stabiliatur.

3. S. Isidorus, *Etym.,* v, 3 ; Gratianus, *Decr.* dist. I, c. 2-5 : cfr. Suarez, lib. VII, c. 4 ; Schmalzgrüber, l. c., n. 3 ; Schmier, l. c., n. 29 ; Bockhn, l. c., n. 12, etc.

4. Hæc conditio latius exponetur in ordine ad *desuetudinem;* cfr. interim Suarez, l. c., c. 6 et 7 ; Schmalzgrüber, l. c., n. 6 ; Bouix, l. c., c. 2, § 2, etc.

solum intelligitur integra societas, sed etiam *pars* ejus, v. g. relate ad Ecclesiam provincia, diœcesis ; relate ad diœcesim, civitas ; nec intelligitur tantum complexus omnium sociorum, sed etiam peculiaris hominum *classis,* v. g. clericorum, judicum, etc. ; verbo consuetudinis subjectum ea est communitas pro qua lex scripta ferri posset (1). — *c/* Causa *instrumentalis* sunt communitatis *actus ;* actus autem illi debent esse *publici* et *notorii, frequenter* et *longo tempore* repetiti (2), *uniformes* et *non interrupti, liberi* seu positi absque vi et metu, absque falsa obligationis existentis persuasione (3), sed e contra *cum obligationis intentione* saltem implicita (4) : scilicet tales esse debent per quos communitatis membra clare et serio manifestent se *velle* tali regula gubernari. — *d/* Causa *principalis* est superioris *consensus ;* ab hoc enim pendet obligatio : sufficit autem consensus *generalis,* seu *legalis* sive expressus in jure sive etiam præsumptus (5) ; minime requiritur consensus *personalis* expressus aut tacitus (6), nisi per accidens in materia speciali con-

communitatis,

actuum,

superioris.

1. Exinde consuetudo distinguitur in *universalem, particularem, localem ;* cfr. Suarez, l. c., c. 9 ; Schmalzgrüber, l. c., n. 3 ; Schmier, l. c., n. 21-27, 31-34, etc.

2. Actuum *frequentia* differt ab eorum *diuturnitate. a/* Quænam actuum *frequentia* ad consuetudinem exigatur, generali regula statui non potest, sed prudenti judicio, attentis circumstantiis, determinari debet ; cfr. Suarez, l. c., c. 10 ; Schmalzgrüber, l. c., n. 13 ; Schmier, l. c., n. 57-66. — *b/* Quoad *diuturnitatem,* multi existimant tempus posse stricte definiri, regulam vero definiendi a præscriptione petunt, et varium annorum numerum statuunt : cfr. Suarez, l. c., c. 8 et 15 ; Schmalzgrüber, n. 9 ; Bouix, l. c., § 4 ; at labile est eorum principium : omnino enim discrepat consuetudo a præscriptione, nec nisi improprie in jure sermo est de consuetudine *præscripta,* tit. IV, c. ult. ; aliunde licet idem principium satis facile applicent ad consuetudinem *præter jus,* multum dissentiunt ubi ad consuetudinem *contra jus* deveniunt. Idcirco rationabilius alii docent non esse idem tempus pro consuetudine ac pro præscriptione statutum ; tempus ad consuetudinem introducendam relictum esse *arbitrio prudentis ;* cfr. Schmier, l. c., n. 67-71 ; Sylvius, in 1-2, q. 97, a. 3, concl. 8 ; Gousset, *op. cit.,* c. 32, a quo plures auctores citantur, et multa sapienter notantur.

3. Cfr. Suarez, l. c., c. 11 et 12 ; Schmier, l. c., n. 73 et seq. ; Bouix, l. c., c. 2, § 1 et Gousset, l. c., n. 367-370, ubi hoc principium ad quædam facta applicatur.

4. Cfr. Suarez, l. c., c. 14. — Sententiam quæ ad consuetudinem requirit intentionem inducendæ obligationis, crisi acriori quam justiori subjicit Martinet, lib. I, a. 8, § 3 ; penitiorem conditionis rationem non videtur attigisse. — 5. Cfr. Suarez, lib. VII, c. 13 ; Schmalzgrüber, l. c., n. 15 ; Bouix, l. c., § 3. — 6. Requiri consensum *personalem* existimavit Pontius, *De matr.,* lib. VI, c. 6, n. 7 cum nonnullis aliis ; quorum sententiam frustra card. Gousset restaurare conatus est *op. cit.,* c. 23.

sensus generalis desit (1) ; cæterum consensus personalis, ubi adest, non supplet alias conditiones ex parte usus requisitas ut lex introducatur, nequidem temporis conditionem (2).

Itaque consuetudo formaliter sumpta definiri potest : ordinatio rationis diuturnis populi moribus introducta consentiente illo qui communitatis curam habet. — Ista ordinatio potest esse præcipiens et prohibens, puniens et irritans : sic usu introducta sunt quædum matrimonii impedimenta, nominatim impedimentum dirimens disparitatis cultus (3). — Eadem ordinatio suam naturam non amittit ex eo quod scripto consignetur sive a privato sive etiam a principe (4). — Ne in materia ecclesiastica mero usui tribuatur, quod ab eo non provenit, attendi debet regula S. Augustini : « Quod universa tenet Ecclesia, nec consiliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur (5) ». — Consuetudines legales seu obligantes plerumque non nisi difficile distinguuntur ab observationibus facultativis ; recurrendum est ad judicium prudentum, sensum piorum, superiorum agendi rationem, materiam aliasque circumstantias (6) : exemplum habes in more olim valde recepto assistendi Vesperis dominicis. — Observationes facultativæ aliquando in leges convertuntur auctoritate superiorum : quo casu non consuetudines sunt, sed leges scriptæ.

Advertenda.

1. Cfr. Suarez, l. c., c. 13, n. 11 et 12.

2. Hinc minus conformia videntur naturæ consuetudinis, quæ scribit Bouix, l. c., § 3, p. 2 et p. 4, usui vim legis inesse *statim* ac Romanus Pontifex expresse consentit ; et § 4, p. 1, consensum tacitum (personalem) per se solum (absque temporis diuturnitate) consuetudini vim legis tribuere. — Applicat videlicet ad consuetudinem *præter jus* distinctionem duplicis *viæ* qua usus in jus operatur, viæ *conniventiæ* et viæ *præscriptionis ;* at Doctores antiqui de conniventia mentionem faciebant solum quando agebatur de consuetudine *contra* jus. Cfr. Reiffenstuel, in tit. IV, n. 91, 92.

3. Cfr. Benedictus XIV, *Singulari nobis,* 9 feb. 1749.

4. Cfr. Suarez, lib. VII, c. 2, n. 8 et 9. — Quoad modum loquendi apud Gallos, ita Merlin *Répertoire,* v° usage : « Aujourd'hui nous appelons coutumes les règles qui se sont introduites par les mœurs des peuples, et que l'autorité législative a fait rédiger par écrit, et le nom d'usage est resté à celles dont il n'existe point de rédaction ordonnée ou approuvée par le souverain. »

5. *De bapt. Cont. Don.*, lib. IV, c. 24.

6. Cfr. S. Alphonsus, lib. I, n. 107, sub IV.

ARTICULUS SECUNDUS.

De promulgatione legis ecclesiasticæ.

Ordinatio non est perfecta, scilicet essentiam et vim legis non habet, nisi fuerit subditis intimata (1): intimatio autem potest esse vel implicita in ipsa legis efformatione, prout contingit relate ad jus consuetudinarium, vel distincta ab efformatione, prout ordinarie contingit relate ad jus scriptum: de sola hac ultima promulgationis specie est in præsenti agendum: dicemus autem de ipsius *modo* et *effectu* (2).

Quoad promulgationis *modum,* imprimis hæc *theoretice* et *a priori* admittenda videntur: *a*/ Ex jure naturali promulgatio talis sit oportet, qua communitas in legis cognitionem moraliter et humano modo devenire possit; hinc debet esse *publica* et *authentica:* publica, ut appareat, ordinationem ad omnia communitatis membra dirigi; authentica, ut ex solemnitatibus appareat eam revera procedere ab eo qui communitatis curam gerit (3). — *b*/ Attamen specialis modus promulgationis jure naturali determinatus non est, sed superiori relinquitur determinandus; varius autem determinari debet pro temporum circumstantiis, conditione communitatis, legum materia et peculiari fine. — *c*/ Nominatim, quoad leges ecclesiasticas, publicatio authentica una vice facta in loco frequenti, præcipuo et centrali, *sufficiens* est et apprime *conveniens,* non solum quando agitur de ecclesia particulari, sed etiam quando agitur de Ecclesia universali; *sufficiens* est: attenta enim Ecclesiæ

119. *Modus promulgationis rerum natura indicatus in genere;*

1. Cfr. supra, n. 56 et 75.

2. Cfr. de promulgatione legis ecclesiasticæ S. Thomas, 1-2, q. 90, a. 4, ubi ejus Commentatores; Suarez, lib. IV, c. 15; Laymann, *De leg.,* c. 2; Castropalao, tr. III, disp. 1, p. 11; Reding, *De leg.,* q. 16, a. 2, contr. 3; Wirceburgenses, c. 4, a. 1; S. Alphonsus, lib. 1, n. 96. — Inter Canonistas, Gibalinus, *Scient. can.,* lib. VII, c. 2, q. 1; Reiffenstuel, lib. 1, in tit. 2, § 5, n. 117-134; Schmier, lib. 1, tr. 1, c. 5, s. 1. n. 11-50; Bockhn, lib. 1, in tit. 2, n. 74-78. — Speciale de hoc materia opusculum edidit Van Espen, in quo tamen nihil novi protulit; illud autem plene confutavit Zaccaria, diss. *De varia Ecclesiæ præsertim Latinæ in promulgandis sacris constitutionibus disciplina* (Diss. latinæ tom. II, diss. 11). — Inter recentiores late materiam exponit Bouix, *De princ. jur. can.,* p. 2, s. 2, c. 6, qui tamen (sit venia) omnem suam eruditionem a Zaccaria mutuavit.

3. Cfr. Tarquini, *Jus publ.,* n. 17.

constitutione et quotidiana communicatione capitis cum membris, latere vix possunt quæ solemniter in sede Pontificis vel in loco concilii peraguntur ; apprime *conveniens* est : etsi enim tali promulgationis modo cognitio legis lentius in partibus remotioribus acquiratur, aliunde, quod præcipuum est, legis effectus securius obtinetur, cum negligentia aut mala voluntate minus impediri valeat.

positive determinatus in specie

Si autem *practice* inquiratur quid *de facto* determinatum fuerit, hæc proponit sententia hodie passim recepta [1] : α/ *A sex fere sæculis Pontifices intendunt leges suas generatim vim suam habere promulgatione facta voce præconis et affixione in locis publicis suæ residentiæ.* Id manifestissime patet : α/ ex formula in bullis et constitutionibus apponi solita, qua declaratur « eas sic publicatas ab omnibus ad quos spectant perinde habendas esse ac si unicuique illorum personaliter intimatæ fuissent vel exhibitæ » [2]; β/ ex textu juris expresso, quo Innocentius III decernit ad observantiam legis teneri, « qui noverat eam solemniter editam aut publice promulgatam » [3] ; γ/ ex usu et praxi sanctæ Sedis, apud quam lites definiuntur pro toto orbe secundum leges Romæ tantum promulgatas, quod iniquissimum foret si illae leges vim ubique non haberent [4]. —

pro legibus pontificiis,

1. Ut de antiquioribus sileamus, hanc sententiam propugnant ex Scholasticis, Suarez, lib. IV, c. 15 ; Vasquez, 1-2, disp. 156, a. 3 ; Greg. de Valentia, 1-2, disp. 7, q. 5 ; Sylvius, 1-2, q. 96, a. 4, quæst. 11, concl. 3, p. 5 ; Reding, *De leg.*, q. 16, a. 2, contr. 3 ; Gonet, *Clyp. theol., de leg.*, disp. 4, a. 2 ; ex Moralistis, Laymann, *De leg.*, c. 2 ; Azor, *Inst. mor.*, lib. V, c. 3 ; Castropalao, tr. 3, disp. 1, p. 11 ; Bonacina, disp. 1, q. 1, p. 4, n. 16 ; Cardenas, *Cris. theol.*, disp. 9, c. 20, a. 12 ; Roncaglia, *De leg.*, c. 4, q. 3 ; Lacroix, lib. I, n. 579 ; S. Alphonsus, lib. I, n. 96 ; ex Jurisperitis Farinaccius, *Fragm. crim.*, p. 1, n. 653 ; card. de Luca, tom. I, p. 1, *De benef.*, disc. 76, n. 7 ; Schmalzgrüber, l. c., n. 11-28 ; Gonzalez, lib. I, tit. 2, ad c. *cognoscentes ;* Pirhing, lib. I, tit. 2, n. 32 ; Bockn, l. c., n. 75 ; Biner, *App. ad jurisp.*, p. 1, c. 1, q. 1, contr. 2 ; Ferraris, v° *Lex*, n. 6-8. — Usque ad finem sæculi elapsi hæc sententia *communior* dici solebat tum ab ejus patronis, tum etiam ab adversariis ; Farinaccius tamen eam proclamaverat *veriorem* et *canonizatam in Rota,* Castropalao *certam* et *omnino tenendam,* Cardenas *veram,* ita ut opposita probabilis non sit ; nostro tempore ab omnibus ut *certa* habetur.

2. Cfr. Zaccaria, cit. diss. *De varia Ecclesiæ præsertim Latinæ in promulgandis sacris constitutionibus disciplina ;* cujus compendium ap. Bouix, l. c.

3. *Decretal.* lib. I, tit. 5, c. 1.

4. Hujusmodi usum et praxim testantur Navarrus, Quintilianus, Mandosius, Farinaccius, card. de Luca, etc.; cfr. Suarez, l. c., n. 6, etc. — Huc etiam pertinet S. Pœnitentiariæ responsio, ad Archiepiscopum Neapol.

b/ Quamvis Pontifices velint legibus suis vim inesse per solam promulgationem in loco residentiæ factam, non negligunt tamen media divulgationis : v. g. curant exemplaria ad episcopos mitti, eosque monent de obligatione diœcesanis sæpius denuntianda (1) ; præterea volunt ut transumptis mani alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis plena fides adhibeatur, etc. — *c/ Imo si aliqua ratio specialis id postulet, Pontifices sponte requirunt suæ legis promulgationem in variis locis :* ita autem decernere solent, quando agitur vel de lege pœnali (2), vel de lege irritante (3), vel de lege jurisdictionem auferente (4), vel de lege unam solum provinciam directe attingente (5). — *d/ Episcoporum autem leges sufficienter promulgantur, si aut publice legantur in ecclesia cathedrali, aut voce præconis in platea civitatis adstantibus significentur, aut scriptæ affigantur in loco publico ad hoc designato aut referantur in folio diœcesano.* « Quinimo si statuta synodalia non populum sed solum respiciunt diœcesis clerum, alia non indigent publicatione ab ea distincta quæ fit in ipsa synodo, cui interest

pro legibus episcopalibus.

8 novembris 1821 : « Per constitutionis (*Ecclesiam a Jesu Christo,* contra Carbonarios) promulgationem quæ idibus septembris Romæ evenit, eam adeptam esse legis dignitatem, et vim obligandi ».

1. Exempla habes *Decretal.* lib. v, tit. 3, c. 40 ; tit. 20, c. 4, § 1 ; tit. 38, c. 12, etc. — Nobis videtur esse de munere episcoporum ut Pontificia decreta evulgent : hinc minus placent quæ scribunt Sylvius et Diana, ap. S. Alphonsum, lib. 1, n. 96. Ut exemplum a re affini recentissima sumamus, nulla promulgationis mentio fit in Encycl. *Humanum genus* quæ simul doctrinalis est et disciplinaris ; tamen in *Instruct.* S. Officii legitur mentem Pontificis esse ut dicta encyclica ab Episcopis *quam diligentissime evulgetur ;* simulque speciales facultates conceduntur ad integrum anni spatium *post rite vulgatam* encyclicam in unaquaque diœcesi.

2. Exemplum habetur, *Decretal.* lib. v, tit. 38, c. 13 *Cum infirmitas.*

3. Huc pertinet conc. Trid. decr. *Tametsi,* sess. 24, c. 1, de reform. matr.

4. Cfr. S. Alphonsus, l. c. — Notari tamen potest nullam specialis promulgationis mentionem reperiri in bulla *Apostolicæ Sedis.*

5. Novissime Leo XIII voluit ut const. *Romanos Pontifices* obligatoria esset post publicationem quomodocumque *in Anglia* factam. — Itaque in constitutionibus pontificiis aliquando exprimitur necessitas promulgationis in provinciis ; ordinarie legitur formula indicans sufficientiam promulgationis Romæ peractæ ; aliquando nihil de promulgatione cavetur : in hoc ultimo casu plerique auctores censent sufficere promulgationem Romanam, quia « sedes Apostolica, cum vult aliquam legem non obligare nisi post promulgationem factam in provinciis, id exprimit » ; alii e contra putant requiri promulgationem per provincias, quia secus formula exprimi solita esset superflua : prioribus omnino adhæremus propter argumenta supra allata pag. 308 sub β et γ. Cfr. S. Alph. lib. 1, n. 96 ; Marc, 1, n. 160.

præcipua pars cleri : siquidem Innocentius III... disjunctive ait, legis vinculum in omnes protendi, cum solemniter editur aut publice promulgatur ; nulla autem lex magis solemniter editur ea quæ fit in consessu præcipuæ partis eorum in quos fertur (1). » — Notandum tandem formali promulgationi posse aliquando suppleri per promulgationem æquivalentem, quæ *facto* habetur, usu scilicet et relatione auctorum (2).

Itaque prorsus rejicienda est sententia eorum qui ad vim legum pontificiarum exigebant promulgationem in provinciis et diœcesibus (3). Frustra autem patroni hujus sententiæ, arguentes ex principio quod « sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur (4), » contendebant ab Ecclesia adoptatam fuisse Justiniani *novellam* de legum in provinciis promulgatione (5). Etenim *a*/ certum non est prædicta *novella* præscribi omnium legum civilium promulgationem in provinciis ; fortasse in ea agitur solum de legibus testamentariis (6). — *b*/ Quidquid sit de *novellæ* sensu, principium quod « statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur, » non respicit nisi causarum judicia et litium decisiones, in materiis in quibus canones deficiunt : atqui in præsenti casu nec canones deficiunt, ut modo ostendimus, nec agitur de litium decisione. — *c*/ Merito

Falsa de legum pontificiarum promulgatione sententia.

1. Benedictus XIV, *De syn.* lib. XIII, c. 4, n. 1 : cfr. quæ supra, pag. 307, diximus de intimatione implicita in ipsa legis efformatione. — 2. Cfr. S. Alphonsus lib. I, n. 106, quær. 1 ; ejusdem *Quæst. recentius reform.* q. 2.

3. Omissis antiquioribus, hanc sententiam tenuerunt ex scholasticis Medina, in 1-2, q. 90, a. 4 ; Sanning, *Theol. schol. De leg.* dist. 3, q. 6 ; Billuart, *De leg.*, diss. 3, a. 2 ; Nat. Alexander, lib. IV, a. 3, reg. 25 : — ex Moralistis, Molina, *De just. et jure*, tr. 2, disp. 395, et forte etiam Lessius, *De just. et jure*, lib. II, c. 22, n. 98 ; Pet. Marchantius, *Tribunalis* tom. II, tr. 1, tit. 8, q. 5 ; Collet, *Contin. Tourn. De leg.*, c. 5, sect. 4, p. 1 : — ex Jurisperitis, Gibalinus, l. c., Cabassutius, *Jur. can. theor.*, lib. I, c. 4, n. 4 ; Engel. lib. I, tit. 2, n. 67 ; Konig. lib. I, tit. 2, n. 20 ; Pichler, lib. I, tit. 2, n. 20, etc., nec ab ea abhorrent Reiffenstuel, lib. I, tit. 2, § V, n. 117-133 ; Schmier, lib. I, tr. I, c. 5, n. 11-50, etc. — Ab omnibus passim *probabilis* censebatur hæc sententia ; attamen cum ei viderentur innixæ nonnullæ ex pp. ab Alexandro VII damnatis, v. g. 8, 9, 12 ; (cfr. tamen Schmier, l. c., n. 40 et seq.), cum præsertim ea abusi fuerint Janseniani et Gallicani, (v. g. Pet. De Marca, *Concord.*, lib. II, 15 ; Van Espen, diss. cit.), Theologi accuratius in ipsius fundamenta inquisierunt, et simul clarius periculosum ejus caracterem perspexerunt : hinc feliciter derelicta est.

4. Cfr. *Decreti* p. 1, dist. 10, c. 7, *Si in adjutorium ; Decretal.* lib. V, tit. 32, c. 1, *Intellexímus.*

5. Justiniani *Novella* 66, ann. 538 edita.

6. Cfr. Bockhn. l. c., n. 79 ; Berardi, diss. 2, c. 2 ; Zallinger, lib. I, tit. 2, § 775 etc.

Pontifices ad promulgationem legum suarum non extenderunt regulam quam pro judiciis causarum admiserunt : modus enim ferendi leges est longe gravior, ac pertinet ad propriam Ecclesiæ actionem et potestatem (1). — *d*/ Imo, quod rationabile esse poterat pro legibus imperatoriis, minime conveniebat legibus ecclesiasticis : etenim legum civilium promulgationem in provinciis nemo impedire poterat, quin potius de promulgatione officiales solliciti erant ; e contra multi sunt qui legum ecclesiasticarum promulgationem in provinciis impedire possunt, nec desunt qui eam impedire cupiunt, siquidem Ecclesia non raro constituatur sub hostili potestate. Et re quidem vera Gallicani, Jansenistæ, Febroniani, ideo necessitatem promulgationis in provinciis tanto nisu propugnabant, quia simul principibus jus attribuebant eam impediendi (2). — *e*/ Tandem, si, prout non pauci tenent, prædictum principium respicit non solum jus romanum, sed etiam jus particulare variarum nationum, profecto repugnat ut de legum promulgatione intelligatur (3).

120. *Promulgationis effectus ex rerum natura,*

Quoad promulgationis *effectum*, hæc *a priori* statui possunt : *a*/ facta promulgatione, lex ecclesiastica est intrinsece perfecta, et ex se incipit obligare, nisi vis ejus ad tempus suspendatur. — *b*/ Attamen in communitate satis extensa non simul universos subditos statim lex obligat : impossibile enim est ut omnes statim eam cognoscant ; obligat ergo variarum regionum subditos successive, pro tempore moraliter necessario ut *mediis ordinariis* promulgatio apud omnes communiter in singulis partibus divulgetur : hoc est *certum* quoad obligationem *subjectivam* seu *in actu secundo ;* et, juxta graves auctores, saltem *probabile* quoad obligationem *objectivam* seu *in actu primo,* ita videlicet ut, ante elapsum tempus divulgationi moraliter necessarium, legis violatores neque formaliter, neque etiam materialiter peccent, et qui per accidens *medio extraordinario* in legis notitiam devenirent, eam observare non tenerentur (4). —

1. Cfr. Suarez, l. c., n. 5. — 2. Cfr. Bouix, l. c. — 3. Cfr. supra, n. 115. pag. 300.

4. Ita Suarez, lib. III, c. 17, n. 10-14 ; lib. IV, c. 15, n. 15 ; Wirceburgenses, *De leg.*, c. 4, a. 1, n. 122 ; contradicit tamen Bonacina, disp. 1, q. 1, p. 4, n. 17, 18, 19 : « Colligetur secundo, subditum summo Pontifici

c/ Hinc in foro externo per aliquod tempus a promulgatione facta præsumenda est legis ignorantia, et ad summum illi soli ut transgressores haberi possunt qui probantur ejus notitiam habuisse.

ex positiva determinatione.

Si autem quæratur quid *de facto* quoad leges ecclesiasticas fuerit positive determinatum, sequentibus respondemus : *a*/ Receptum est in jure quod « lex seu constitutio et mandatum nullos adstringunt nisi postquam ad notitiam pervenerint eorumdem, aut nisi post tempus, intra quod ignorare minime debuissent (1); » aliis verbis, « jure communi sancitum est ut constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant (2) ». — *b*/ Tempus illud Pontifices aliquando præcise definiunt sive pro solo foro externo, sive etiam pro foro interno, ita ut interea obligatio suspendatur : sic concilii Tridentini decreta omnia ad reformationem jusque positivum spectantia obligare cœperunt post tres menses a promulgatione (3); speciale vero decretum *clandestinitatis* « in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incœpit a die primæ publicationis in eadem parochia factæ (4). » — *c*/ Controvertitur utrum, ubi nihil speciale in ipsis constitutionibus cavetur, determinatio temporis relicta sit prudenti arbitrio, an vero admissa censeatur generalis regula duorum mensium. Sententia, quæ regulam duorum mensium rejicit, semper fuit longe communissima (5) et solidis fundamentis innititur :

---

peccare non obediendo legi debite promulgatæ in curia Romana, etiamsi promulgatio legis ad ipsius aures perveniat tantummodo revelatione divina vel ope angelica. Ita Salas, disp. 12, *de leg.*, s. 9, n. 34, contra novum quemdam theologum, quem tacito nomine refert idem Salas. Hunc ego puto esse Suarez... Tertio, illum teneri legem observare qui legis promulgationem in loco debito factam miraculose novit, Deo vel angelo vocem præconis vel principis deferente... Nam adest sufficiens promulgatio et cognitio legis. »

1. *Sext. Decretal.* lib. III, tit. 7, c. 1, *Proponebatur.*

2. Pius IV. Bulla *Sicut ad sacrorum.* — 3. Pius IV, cit. bulla.

4. Conc. Trid. sess. 24, c. 1, *De reform. matrim.*

5. Suarez, lib. IV, c. 15, n. 11, hanc sententiam dicit *valde probabilem,* Azor, p. 1, lib. 5, c. 3, quær. 8, *veriorem, communi omnium consensu receptam,* Laymann, c. 2, n. 4, *communiorem,* Catastropalao, tr. 3, disp. 1, p. 12, n. 3, *certam,* Reiffenstuel, lib. 1, tit. 2, n. 115-116, ita *communem* ut *durum sit* ab ea recedere. Cfr. Diss. nostra *De l'époque à laquelle commence l'obligation des lois dûment promulguées,* ubi allegavimus fere 50 Theologos vel Jurisperitos qui a sæculo decimo quarto usque ad S. Alphonsum hanc doctrinam propugnaverunt.

exprimitur enim vel supponitur in jure (1), et in praxi adhibetur apud Sanctam Sedem (2). E contra sententia, quæ duorum mensium regulam admittit, nonnisi pauciores patronos habuit (3), et firmis rationibus destituitur; frustra enim in ejus favorem allegantur juris textus in quibus sermo est, non de legis promulgatæ obligatione, sed de admonitione sufficiente ad contumaciam (4); frustra etiam appellatur ad *novellam* Justiniani et ad principium quod « canonum statuta principum constitutionibus adjuvantur », nam dictum principium ad præsentem materiam minime applicatur (5), imo, ut recte observavit Suarez, applicari nequit nisi necessaria supponatur legis promulgatio in singulis provinciis (6). Relicta igitur hac sententia, priori ut veræ adhæremus.

121. *Nota de promulgatione definitionum fidei et morum.*

Hucusque dicta de promulgationis modo et effectu respiciunt leges *ecclesiasticas* proprie dictas, non autem *morum definitiones*. Hæ enim definitiones, quæ non sunt leges novæ sed legis interpretationes, varia forma edi possunt et solent; quacumque autem forma edantur, obligant statim ac in noti-

1. *Decretal.* lib. I, tit. 5, c. 1, *Ad hæc; Sext. Decretal.* lib. III, tit. 4, c. 22, *Cum singula;* cfr. Suarez, l. c., n. 14.

2. Hanc praxim agnoscunt et testantur Navarrus, *Cons.* lib. I, c. 1, n. 18; Vasquez, disp. 155, c. 3, n. 14; Azor, l. c.; Suarez, l. c.; cfr. cit. diss. nostra.

3. Eorum præcipui sunt Navarrus, Gregorius de Valentia, Amicus, Salmanticenses, Schmier, Diana, S. Alphonsus. — Dubii hærent Reginaldus, Becanus, Sylvius, Elbel.

4. *Decretal.* lib. V, tit. 39, c. 49, *Noverit.*

5. Cfr. supra, n. 119, pag. 310.

6. Suarez, l. c.: « Si tempus illud esset necessarium, maxime propter illam *authenticam* (Justiniani), quia nec de jure naturæ, nec de canonico necessarium est...; illa vero authentica non recte applicatur ad leges canonicas: duo enim in illa disponuntur: unum de promulgatione iteranda in singulis provinciis, aliud de dilatione duorum mensium, qui in unaquaque provincia computentur a promulgatione in ea facta; sed illa lex quoad priorem partem non est acceptata a Pontificibus pro suis legibus, ergo nec quoad posteriorem... » Et paulo post: « Tempus illud duorum mensium erat aptum pro legibus civilibus publicandis in singulis provinciis, quia pro unaquaque erat sufficiens. At pro legibus pontificiis semel tantum promulgandis Romæ, minime erat proportionatum, quia leges illæ obligaturæ sunt totam Ecclesiam, quæ totum universum de se occupat; impossibile autem est evulgari per universum orbem intra duos menses, imo nec per totam Europam moraliter loquendo. Ergo non oportuit tale tempus acceptare. » — Cum sententia concedens spatium duorum mensium intime sit connexa cum sententia requirente promulgationem in provinciis, auctoritati S. Alphonsi potius quam rerum considerationi debetur quod nonnulli ætatis nostræ theologi priorem retinuerint, posteriorem ceu jansenianam rejecerint.

tiam fidelium deveniunt(1). Immerito igitur, ut constitutionum pontificiarum vim declinarent, olim *Jansenïani* (2), hisce autem ultimis annis quidam *Liberales* (3) rebus fidei et morum applicabant, quæ solam disciplinam concernunt. Imo non defuerunt qui arbitrarentur non sufficere, ad assensus fidei obligationem, solemnem veritatis proclamationem in ipso concilio factam, sed ulterius requiri nescio quam formalem promulgationem (4).

1. Cfr. Palmieri, *De Romano Pontifice*, th. XXXII ; et supra *Intr.* n. 94.

2. Inter alia plurima huc pertinent quæ habet Claessens, *Histoire des archevêques de Malines*, tom. I, p. 285-305. — Ita egregie Steyaert in sua *Actione epistolari coram Vicariatu Yprensi :* « De publicatione solum quæstio est, et quidem non quarumcumque constitutionum, sed earum quibus de dogmate aliquo, quod ad fidem aut mores attinet, judicatur. Quod hodie *interdum* eadem Sedes in similibus solemnem in partibus publicationem adhibeat, ob duritiam cordis quorumdam potissimum factum putemus, ne quis ignorantiam prætexere possit *in judicio*. Cæterum olim ubi, quæso, legimus scrupulosas ejusmodi formalitates, non dico in promulgandis constitutionibus Apostolicis, sed vel in decretis conciliorum generalium, quæ fidem aut mores concernerent, semper fuisse servatas? Sufficiebat sanctæ istorum temporum simplicitati, si fideli saltem relatione innotesceret dogma aliquod sacrosancta Ecclesiæ auctoritate determinatum esse. » Et mox causam Abælardi memorans : « Quid disertius ? nisi et hic obtendatur publicationis defectus ? Quippe simplici solum rescripto damnatus est Abælardus cum suis capitulis. Ubi namque publicatio vel in ipsa Urbe ? *Datum Laterani*, inquit Pontifex, *decimo septimo Kal. Augusti.* De publicatione in acie campi Floræ, aut aliis locis hodie consuetis, nihil. Nulla suscriptio Magistri Cursorum, etc. Imo si propius rem examinemus, tantum non epistola familiaris fuit, qua Innocentius tantam hæresim compescuit, solis Archiepiscopis Senonensi et Rhemensi eorumque suffraganeis cum S. Bernardo inscripta. Sed noverat nimirum Innocentius secundus quam hæresim Innocentius primus non dissimili ratione compescuisset, Pelagianam nimirum, misso rescripto simili ad episcopos Carthaginensis et Milevitani concilii, quod inter Augustini epistolas locum obtinuit. Quis autem vel Pelagianus hoc nomine elevavit Innocentii judicium quod non solemnius publicatum foret ? Eamdem itaque viam insistere licuit Innocentio juniori, eamdem insistere hodiedum licet Innocentio XI post Alexandrum VII et B. Pium V, ne innumeros alios Pontifices enumerem, qui sæpe minori negotio maximos quosque errores sine ulla cujuspiam contradictione profligarunt. »

3. Specimen satis curiosum habes apud *Analecta juris Pontificii*, ann. 1878, sub titulo : *La promulgation des lois*. Cfr. quæ in gravium errorum ibi admissorum confutationem scripsimus apud *Revue des sciences ecclésiastiques*, eodem anno 1878.

4. Cfr. Epistola Cardinalis Status Secretarii ad Nuntium Bruxellensem de die 11 Augusti 1870.

ARTICULUS TERTIUS.

De acceptatione legis ecclesiasticæ.

Acceptatio approbationis et observationis.

Acceptatio proprie dicta, de qua sola in præsenti agimus (1), est legis *approbatio* et *consensus in ejus executionem*, vel etiam ipsa *legis executio* et *actualis observantia*. Inquiritur autem quousque vis legis pendeat sive ab hujusmodi approbatione, sive ab actuali executione (2).

122. *Nullimode necessaria acceptatio approbationis ex parte membrorum Ecclesiæ,*

Acceptatio approbativa seu consensus in legis executionem supponi potest necessaria vel ex parte membrorum communitatis, vel ex parte auctoritatis sæcularis.

Quoad acceptationem a membris communitatis ecclesiasticæ, sequentia statuimus: *a/ Vis legum ecclesiasticarum per se nullo modo pendet ab acceptatione fidelium:* ratio est, quia potestas ecclesiastica non provenit a communitate nec communitati subordinata est, sed a Christo concessa est ad oves suas pascendas (3); non esset autem vera potestas seu facultas imperandi,

1. Nomine acceptationis aliquando improprie designatur consensus in legis rogatæ sanctionem ab eo præstitus qui legislativam potestatem participat: patet nihil in præsenti de hac specie acceptationis dicendum. Cfr. supra, n. 110.

2. Quæstionem ipse Angelicus non tractavit; eam Commentatores expendere solent ad 1-2, q. 90 vel q. 96, inter quos legantur Barth. Medina, q. 90, a. 3; Vasquez, in 1-2, disp. 156, c. 5; Sylvius, 1-2, q. 96, a. 4, quær. 14; Gonet, *Clyp. thom. de leg.*, disp. 4, a. 3; Billuart, diss. 3, a. 3. — Accuratius materiam tractant Moralistæ; Suarez, lib. IV, c. 16; Laymann, *De leg.*, c. 3; Castropalao, disp. 1, p. 13; Bonacina, disp. 1, q. 1, p. 4; Henno, *De leg.*, disp. 2, q. 6; Collet. *De leg.*, c. 5, a. 1, s. 4, p. 2; *Conf. d'Angers*, III, q. 2; S. Alphonsus, lib. 1, n. 138, etc. quibus addi debent Expositores pp. damnatarum, præ cæteris Viva, in p. 28 ex proscriptis ab Alex. VII. — Inter Jurisperitos studiose rem investigant Fagnanus, *Decretal.* lib. 1, tit. 24, c. *Treugas*, n. 16-75; Reiffenstuel, lib. 1, tit. 2, § 6; Pichler, lib. 1, tit. 2. n. 23-25; Paulutius, *Jurispr. sacr.*, lib. IV, tr. 4, c. 3, n. 5; Schmier, lib. 1, tr. 1, c. 5, n. 210; Benedictus XIV, *De Syn.*, lib. IX, c. 8. — Inter recentiores consuli meretur Bouix, qui, eruditissimo Zaccaria duce, doctrinam catholicam egregie exponit, *De princ. jur. can.*, p. 11, sect. 2, c. 2-5. — 3. Cfr. supra, n. 109. — Huc referri possunt quæ scripsit Leo XIII ad Arch. Parisien. 17 Jun. 1885: « Solis pastoribus data omnis docendi, judicandi, regendi potestas: populo autem imperatum, ut eorum et præcepta sequatur, et judicio pareat, seseque gubernari, corrigi, ad salutem duci patiatur. Ita prorsus necesse est, singulos e plebe christiana pastoribus suis animo et voluntate subesse; hos autem una cum ipsis Principi ac Pastori maximo: atque in ejusmodi obsequio, obedientiaque voluntaria ordo et vita Ecclesiæ consistit, itemque conditio necessaria agendi recte et ad finem accommodate. »

nec fini suo apta esset, si voluntate subditorum reddi posset inefficax (1). Diximus vim legum *per se* non pendere ab acceptatione; nam acceptatio potest esse requisita *per accidens*, ex speciali voluntate superioris, quando nimirum ad obtinendum perfectiorem adimpletionem, ab initio explicitum consensum communitatis provocat (2), vel etiam quando in re difficili, tentans quid sperari possit, quasi sub conditione præcipit, ordinationem confirmaturus si viderit eam admissam (3). — *b) Vis legum pontificiarum per se non pendet ab acceptatione Episcoporum :* Romani enim Pontificis jurisdictio est plena, suprema, immediata, « erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsim singuli quam simul omnes, officio hierarchicæ subordinationis, veræque obedientiæ obstringuntur, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent (4). » — *c) Similiter vis legum Episcopalium per se non pendet ab acceptatione sacerdotum secundi ordinis ;* damnata enim est « doctrina quæ statuit reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in synodis diœcesanis ab Episcopo et parochis æqualiter pendere ac stabiliri debere (5). »

nec ex parte auctoritatis civilis.

Quoad acceptationem vero a potestate sæculari, *fide certum*

1. Merito notant Theologi, supposita necessitate acceptationis, non remanere in superiore nisi facultatem quandam *proponendi* leges. — Caute investiganda est Doctorum, præsertim antiquiorum, sententia de legis acceptatione : cum enim simul agant de lege ecclesiastica et civili, et proprie dictam acceptationem ab actuali observatione vix distinguant, periculum est, ne illud ipsis attribuatur a quo revera alieni fuerunt. De facto paucissimi theologi catholici acceptationem *approbationis* quoad leges ecclesiasticas requisierunt ; qui pro hac sententia solent citari, egerunt vel de solis legibus civilibus vel de acceptatione *observationis*.

2. Speciem quandam solemnis acceptationis habemus, quoad ipsam legem divinam, Deut. XXVII.

3. Sunt qui arbitrantur communius ab Ecclesia sub tali conditione præcipi ; cfr. Pichler, l. c., n. 24 ; sed aliter nos existimare jubent tum *formulæ* preceptivæ, tum *pœnæ* adjectæ. — Fatendum tamen est, sæpe contingere ut Ecclesia, *antequam formale præceptum de re aliqua edat,* suavi impulsu ejusdem rei observationem procuret ; nimirum, ut legitur in S. R. C. decreto generali, *Romanorum Pontificum*, 27 ap. 1883, constans est Summorum Pontificum praxis « ad nonnullos abusus tollendos, persuasione magis quam imperatis uti voluisse ».

4. Conc. Vat. const. *Pastor æternus,* c. 3 ; cfr. supra, n. 109, 110 ; Benedictus XIV, *De syn.*, lib. IX, c. 1 ; Bouix, l. c., c. 3 et *De Episc.*, p. V, c. 7.

5. Const. *Auctorem fidei*, pr. 9 ; cfr. Benedictus XIV, *De syn.*, lib. XIII, c. 4, n. 4.

est, vim legum ecclesiasticarum ab ea minime pendere. Ecclesia enim est societas perfecta et suprema (1) : unde damnata est illorum sententia qui Ecclesiæ gubernationem « impediri posse dicunt, aut eam reddunt sæculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quæ ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis sæcularis placito confirmentur (2). » — Hic tamen quædam advertantur : Primum, Ecclesiæ morem esse ut de rebus mixti juris non statuat separatim a sæculari potestate, sed communi cum ipsa consensu (3). Alterum, cum Ecclesia, concordiæ studio, magna moderatione juribus suis utatur, et aliquando usque eo morigeram Principum voluntati se præbeat, « quo per divinas leges et conscienciæ officium liceat (4), » contingere potest ut relate ad gubernationem *exteriorem* et *accidentalem,* specialibus pactis et conventionibus, aliquis usus *placiti* concedatur; frequentius tamen accidit ut sub silentio tolerentur quæ sine gravioris mali periculo impediri nequeunt. Tertium, ab acceptatione legis in ordine ad vim ipsius propriam, distingui debet ejus acceptatio in ordine ad tribuendum ipsi auxilium potestatis sæcularis, ipsiusque observationem vi publica sanciendam (5).

Ex dictis intelligitur resisti non posse legi ecclesiasticæ etiamsi appareat nimis gravis, vel minus circumstantiis accommodata, vel læsiva jurium alterius potestatis ; non deest tamen in hujusmodi adjunctis malo remedium : locus enim datur *supplicationi* ad legislatorem ipsum, aut *appellationi* ad ejus superiorem (si habeat), aut *actioni* diplomaticæ. Tempore autem *appellationis,* obligatio legis de jure suspenditur ; at

1. Cfr. supra, n. 41, 50, 108.

2. Conc. Vat. const. *Pastor æternus,* III. — De *placito regio* olim egerant Doctores catholici Felicianus Oliva in op. *De foro ecclesiastico;* Covarruvias, in *Quæst. pract.,* q. 35 ; Fr. Salgado, *De supplicatione ad Sanctissimum,* et *De regia protectione,* etc. Infelix *Placiti* patronus est Van Espen, *De promulg. leg. et de placito regio,* quem egregie confutarunt Zaccaria, *Antif. Vind.* tome IV, diss. 12 ; Govarts, *Motivum juris de placito regio,* etc. — Inter recentiores cfr. Bouix, l. c., c. IV ; Tarquini, diss. de *placito regio;* Moulart, *L'Eglise et l'Etat,* liv. III, c. 3 ; Müller, *Ds placito regio,* (diss. inaug.) ; Claessens, *Hist. des Archevêques de Malines,* intr. § VIII et IX.

3. Cfr. supra, n. 50 et 108 ; et præsertim Leonis XIII encycl. *Arcanum, Nobilissima Gallorum gens, Immortale Dei.*

4. Leon XIII, Encycl. *Jampridem nobis.*

5. Cfr. supra, n. 108.

tempore *supplicationis,* non suspenditur nisi ex benigna interpretatione voluntatis superioris (1).

123. *Necessaria acceptatio executionis ad vim legi conservandam.*

Acceptatio executiva, seu actualis observatio, necessaria non est ad vim legi tribuendam, sed *indirecte necessaria esse potest ad vim legi conservandam.* Si enim superior non valeat legis adimpletionem obtinere a majori parte communitatis, conveniens est ut ab urgenda obligatione abstineat; nam urgendo obligationem in hujusmodi circumstantiis, subditis præberet occasionem ruinæ, absque ullo fructu (2). Quandonam autem ex hac causa lex censeatur revocata, non potest generali regula definiri, sed prudenti arbitrio determinandum est. Ita Suarez: « Quando princeps a principio scit repugnantiam et non observantiam subditorum, et dissimulat, statim post nonnullos actus contrarios toleratos, censetur prudenter revocata lex. At vero, quando princeps ignorat, oportet ut longior sit consuetudo, ita ut jam prudenter judicetur non esse utilem tali populo, et ideo juste præsumatur a Pontifice vel Principe revocata (3). »

Hinc undequaque verum est dictum Gratiani, *leges institui cum promulgantur, firmari cum moribus utentium comprobantur* (4). Quæ enim communiter observantur et usu recipiuntur, hoc ipso accipiunt quamdam firmitatem extrinsecam et accidentalem, qua fit ut non facile amplius per contrariam legem vel consuetudinem abrogentur; quæ autem non observantur, hoc ipso suam vim amittunt (5).

1. Cfr. Suarez, lib. IV, c. 16, n. 5-8; Bouix. l. c., c. 5, § 3; Reiffenstuel, l. c., n. 145-150, etc. — Eadem principia memorat Leo XIII, const. *Romanos Pontifices.*

2. Ita Benedictus XIV, *De Syn.*, lib. XIII, c. 5, n. 3: « Quanquam leges, potissimum ecclesiasticæ, a populi acceptatione minime pendeant, attamen, cum eædem nunquam a populo recipiuntur, peccant quidem eas non recipientes, sed tandem desinunt obligare; quoniam præsumitur nolle legislatorem suæ voluntatis vinculo diu irretitam tenere communitatem, quæ nunquam passa est se eo constringi. » Cfr. etiam Suarez, l. c., n. 9.

3. Suarez, l. c., n. 12; cfr. Benedictus XIV, l. c., qui tamen sententiam Suarezii non recte interpretatur.

4. *Decreti* p. I, dist. 4, c. 3.

5. Reiffenstuel, l. c., n. 139-141.

ARTICULUS QUARTUS.

De interpretatione legis ecclesiasticæ.

124. *Interpretationis notio et species.*

Propter humani ingenii imbecillitatem, eloquii humani defectum et factorum variationem, nulla ordinatio ita perfecte exprimi potest ut excludatur quævis dubitatio rationabilis de ejus sensu et applicatione: inde necessitas legem *interpretandi* (1).

Jam vero interpretatio est explicatio voluntatis legislatoris seu expositio obligationis legalis. Ratione *causæ* distinguitur in *authenticam,* quæ a superiore provenit vi auctoritatis, *judicialem,* quæ fit in tribunali per sententiæ prolationem, *usualem,* quæ procedit a communitate per observantiam, *doctrinalem,* quæ proponitur a viris privatis et soli scientiæ innititur. — Ratione vero *indolis* distinguitur, in ordine quidem ad litteram et tenorem legis: in *declarativam,* quæ obscura delucidat, et *correctivam,* quæ impropria et minus apta ad veram normam reducit; in ordine autem ad legis objectum: in *comprehensivam,* quæ nihil legi addit aut demit, *extensivam,* quæ addit aliquid, prius non expressum vel etiam non intentum, *restrictivam,* quæ alterutro modo aliquid demit. Variæ istæ interpretationis species ex sequentibus melius intelligentur (2).

§ I.

De interpretatione authentica.

125. *Legis interpres authenticus est ipse legislator.*

Legis *interpres naturalis est legislator:* potest enim ipse congruam explicationem cum auctoritate proponere, et, ubi necesse fuerit, etiam corrigere primitivum legis defectum; præterea, si agatur de ordinatione propria, melius quam alii novit ejus sensum, et, si agatur de lege prædecessorum, ordinarie magis

1. Cfr. de legis interpretatione, inter Theologos, Suarez, lib. VI, c. 1-8; Bonacina, disp. 1, q. 1, p. 8; Castropalao, *De leg.,* disp. 5, p. 3; Roncaglia, *De leg.,* q. 4, c. 2; Wirceburgenses, *De leg.,* c. 5, a. 1, n. 189-193; Gerdil, *De leg.,* disp. 12; S. Alphonsus, lib. 1, n. 200. — Inter Jurisperitos autem, Schmalzgrüber, lib. 1, p. 1, tit. 2, n. 44-49; Reiffenstuel, lib. 1, tit. 2, § 15-17, n. 351-449; Schmier, *Tract. præamb.,* c. 3; Bockhn, lib. 1, tit. 2, § 7; König, lib. 1, tit. 2, § 12; Pichler, lib. 1, tit. 2, § 7.

2. Cfr. König, *Princ. jur. can.,* lib. 1, tit. 2, § 12.

quam alii aptus est ad eorum mentem traditione cognoscendam. Hinc pronuntiat Innocentius III, « unde jus prodiit, inde interpretationem procedere » (1), et docet Glossa ad eum pertinere interpretationem ad quem pertinet constituere (2). Talis interpretatio vocatur *authentica,* quia datur ab eo qui potestatem seu auctoritatem habet : is enim græco vocabulo αὐθέντης dicitur (3); cum autem præcipue innitatur auctoritati, valet, licet per accidens interpres sensum legis non fuerit assecutus (4) ; quod si tamen ita inniteretur auctoritati ut in ea vix aliquam partem scientia haberet, melius appellaretur nova *determinatio* legis, quam *interpretatio.*

Munus interpretandi authentice delegabile est, et de facto a summis Pontificibus delegatur Cong. Cardinalium.

Potest facultas authentice interpretandi a legislatore delegari aliis, sub hac tamen conditione (si non absolute necessaria, saltem valde convenienti), ut eos noverit vel efficiat propriæ mentis conscios, et sibi quasi uniat et consociet. Sic ad leges ecclesiasticas explicandas Romani Pontifices utuntur cœtibus Cardinalium, qui Sanctæ Sedis sensum traditionalem apprime tenent (5) ; nominatim, quando absolutum est concilium Tridentinum, Pius IV octo cardinalibus, « *qui eidem concilio interfuerant ejusque sensum probe noverant* », commisit « ut decreta synodi, per officiales servanda curarent, et si quod dubium aut difficultas in executione occurreret, ad Romanum Pontificem referrent » ; atque ita initium habuit S. C. Concilii, cui postmodum facultas interpretandi concessa est (6).

1. *Decretal.* lib. v, tit. 39, c. 31, *Inter alia.*
2. *Decretal.* lib. I, tit. 2, c. 13, *Quoniam.*
3. Cfr. Franzelin, *De scripturis,* th. XVIII.
4. Notat Suarez, lib. VI, c. I, n. 3, frequenter contingere « ut hæc interpretatio non sit nuda declaratio sensus prioris legis, sed mutatio etiam aliqua, addendo vel minuendo, quia totum hoc cadit sub potestatem ejus, cujus auctoritate fit talis interpretatio, et potest esse ad commune bonum necessarium. Unde licet contingat interpretationem non videri omnino adæquatam proprietati verborum legis, non est dubitandum de auctoritate et efficacia interpretationis, quia, cum auctor ejus possit aliquam mutationem facere, sæpe cum interpretatione illam miscet, sub eodem interpretationis nomine illam comprehendendo. »
5. Cfr. *Intr.* n. 113-119. — Sunt qui potestatem interpretandi soli fere congregationi Concilii agnoscunt, eam nominatim denegant S. R. C. Ita Nilles, ap. *Revue théol.,* 1857, pag. 447 et seq. ; et recentius alius scriptor apud *Nouv. revue théol.* X, 475 ; at nullus eis subscribet, qui, absque præconcepta opinione, variarum Congregationum responsa consideraverit ; cfr. Schmalzgrüber, *Diss. proœm.* n. 384 ; Bouix, *De curia Rom.* p. III, s. 2.
6. Cfr. Zamboni, *Coll. Declar.* tom. I, introd. § V.

126. *Romanæ Congregationes vario gradu suo munere utuntur,*

Sicut Romanus Pontifex in interpretanda lege naturali et divina non tenetur semper plenitudine suæ auctoritatis uti, sed potest interdum suaviori modo providere securitati fidei et morum (1)*: ita, qui munus habent legem ecclesiasticam interpretandi, possunt suam auctoritatem exercere vario gradu et varia intensione.* De facto autem Cardinalium Congregationes non una ratione procedunt in legibus ecclesiasticis explicandis : aliquando enim, speciali auctoritate pontificia, solemni et *generali* decreto controversiam dirimunt (2); aliquando resolutiones *magistrales* emittunt, quæstione ex professo pertractata (3); aliquando sua constanti *praxi* legis sensum indicant (4); aliquando ad dubia proposita *incidenter* respondent, absque decretorio judicio (5).

adeoque non eadem est omnibus responsis auctoritas.

Omnes illæ interpretationis species publica auctoritate fruuntur (6)*: non tamen eadem, sed tali et tanta qualem et quantam singulis attribuunt ipsæ Congregationes:* aliis videlicet decisivo judicio præscribitur modus legem implendi, aliis proponitur prudens et probabilis norma eam observandi, ibi tantum obligatoria ubi servari mandatur : prioribus non posterioribus finis imponitur controversiis privatis de sensu legis (7). Istam auctoritatis

1. Cfr. *Intr.* n. 94-96.

2. Cfr. v. g. S. Officii litteræ circulares 23 jan. 1886 de cogentibus judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas ; — decretum S. R. C. 23 jul. anni 1868 de distributione S. Communionis in missis *de requiem*, apud decreta authentica nº 5403-3177 ; item decretum 16 Martii 1882 ejusdem Cong. nº 5836-3541 quoad missam *de requiem* in diebus primæ classis ; — S. C. Concilii decretum 17 mart. 1879 de matr. civili quoad impedimentum justitiæ publicæ honestatis ; — S. C. Indulg. decretum 26 nov. 1880 de absentibus non adscribendis ad pias sodalitates, etc.

3. Cfr. v g. S. C. Concilii resolutio 6 maii 1864 de Episcopo regulari ; — S. C. de Fide Prop. resolutio 23 mart. 1863, de missa pro populo a Missionariis non necessario celebranda, etc.

4. Ut exemplo recentissimo utamur, ad quæstionem « utrum tuto adhuc teneri possit sententia docens ad Episcopum aut ad quemlibet sacerdotem devolvi absolutionem casuum et censurarum, etiam speciali modo Papæ reservatorum, quando pœnitens versatur in impossibilitate personaliter adeundi Sanctam Sedem », S. C. Inquisitionis, 30 jun. 1886, respondit : « *Attenta praxi* S. Pœnitentiariæ, præsertim ab edita constitutione Apostolica sac. mem. Pii PP. IX, quæ incipit *Apostolicæ Sedis*, negative ».

5. Hujusmodi responsa passim occurrunt in collectione Gardelliniana.

6. Omnes responsiones vere dicuntur *oracula* Summi Pontificis, quia auctoritate a summo Pontifice accepta et nomine ipsius emittuntur : cfr. S. R. C. decretum, 23 Maii 1846 ; Lehmkuhl, l. c., n. 206.

7. Novissime, quando in S. C. C. tractata et decreto generali resoluta est quæstio de impedimento justitiæ publicæ honestatis ex matrimonio civili, hæc ipsius Cong. Secretarius in suo *Discursu* protulit : « Sacra Pœni-

differentiam e mente Congregationum esse colligimus ex diversitate *formæ*, qua interpretationes fiunt et emittuntur (1); ex considerationibus, quæ in solemnioribus decretis leguntur (2); ex modo agendi Congregationum, quæ ultimæ speciei responsa haud ægre reformant, imo eorum nonnulla a suis collectionibus amandant (3).

127. *Conditiones ad valorem requisitæ.*

Non habent tamen prædicta decreta et responsa respectivum suum valorem nisi formiter edita fuerint, id est servatis conditionibus et *formalitatibus* a Pontifice præscriptis, et nisi *certo constent*, sive per insertionem in collectione authentica (4), sive per virorum doctorum relationem (5). — Imo, quoad responsa *decisiva*, dubitari potest an non etiam promulgatione egeant? Distinguendum est: si sint proprie *extensiva*, id est, si aliquid addant legi primitivæ, communiter admittitur promulgationis necessitas: quia eatenus novam legem constituunt; si vero sint

tentiaria, super hoc puncto pluries rogata, plura edidit responsa, quæ prima fronte videntur quæstionem in sensu affirmativo plane dirimere. At, re magis accurate perspecta, verius forsan dicendum est, sacram Pœnitentiariam per memorata responsa noluisse quæstionem decretorie definire, sed potius sententiam proponere pro regula practica. . Idque sane imprimis suadet agendi ratio theologorum et canonistarum, qui post prædicta etiam responsa in alterutram partem libere disputare, et contrariam quoque sententiam amplecti sibi licere consuerunt ». *Anal. Jur. Pont.*, XVIII, 866.

1. Imo contingit ut, pluribus propositis, unum S. C. secernat ad quod decreto generali respondet.

2. Sub hoc respectu memorabile est decretum S. R. C. 23 jul. anni 1868; illud enim quod contendimus, clare ibi exprimitur; cfr. etiam decretum S. C. C. 17 Martii anni 1879, cum *discursu* Secretarii, ap. *Anal. juris Pont.*, XVIII, 866.

3. Hujus rei exempla indicata habes apud *Revue des sciences ecclésiastiques*, tom. 35, pag. 67. — Doctrinam hic propositam novissime defendit cl. Lehmkuhl, *Theol. mor.*, t. I, n. 204-206; eadem exprimitur, quoad S. C. Rit. in diss. adnexa celebri *voto* Al. Marchesi, *De distribuenda Euch. in Missa Def.* ann. 1866; exprimitur etiam apud *Acta S. Sedis* III, 563. — Schmalzgrüber, *Diss. proœm.*, n. 384, hæc habet de declarationibus variarum Congregationum: « Si declarationes hujusmodi munitæ sunt subscriptione Cardinalis præfecti, et secretarii, ac sigillo consueto, comprehensivæ vim et auctoritatem legis habent, etsi in forma authentica non exhibitæ, modo constet *uniformiter, et sæpius super eodem casu et juris dubii articulo eas redditas, aut secundum illas a Rotæ aliorumque tribunalium romanorum judicibus pronuntiatum esse* ».

4. Sic authentica est novissima collectio Ratisbonensis decretorum S. C. Ind. et Rel. Quoad Gardellianam S. R. C. decretorum collectionem, quum a Secretario dictæ Cong. ex officio concinnetur, plenam fidem facit.

5. Cfr. Schmalzgrüber, diss. proœm. n. 385-386.

mere comprehensiva, id est, si sensum legis enucleent, quin aliquid addant, controvertitur : promulgationem requirunt graves auctores (1); eam tamen minime necessariam existimamus; etenim lex ecclesiastica debito modo lata et promulgata statim totam vim suam objectivam habet, et subjective obligat omnes eos qui illam certo cognoscunt, quacumque via in notitiam existentiæ et sensus deveniant, sive per studium privatum, sive per declarationem superioris : non magis requiritur formalis promulgatio interpretationis, quando agitur de lege humana quam quando agitur de lege divina; satis est si constet decisivam interpretationem a competente auctoritate prodiisse (2).

1. Ita Suarez, lib. VI, c. 1, n. 3; Sanchez, *De matr.*, lib. VIII, disp. 2, n. 10; Laymann, *De leg.*, c. VII, n. 26; Bonacina, disp. 1, q. 1, p. 8, n. 4; *Etudes religieuses*, 1859, p. 504; *Mélanges théolog.*, tom. I, pag. 70; *Nouv. Revue théol.*, IV, 71, etc. — Quorum sententiam S. Alphonsus, lib. 1, n. 106 probabilem dicit. — Huic sententiæ favere videtur axioma: *Lex dubia non est sufficienter promulgata;* si enim lex non obligat nisi sit sufficienter promulgata, et si lex dubia non est sufficienter promulgata, interpretatio, qua tollitur dubium, promulgari debet. Cfr. *Mél. théol.*, l. c. Verum arbitramur in prædicto axiomate aliquam latere æquivocationem, de qua referre liceat quod scripsimus in opusc. *De l'ign. invinc. des conclusions éloignées de la loi nat.:* « Le principe renferme une équivoque, qui porte soit sur le verbe *promulguer*, soit sur l'adverbe *suffisamment*. Si par *promulgation* on entend la notification (active) de la loi, il peut arriver qu'une loi parfaitement promulguée soit douteuse; si au contraire on entend (improprément) par promulgation, la divulgation (passive) de la loi, il est vrai qu'une loi douteuse n'est pas promulguée; mais il faudrait démontrer qu'une telle promulgation est nécessaire pour que la loi existe. De même, si par promulgation *suffisante*, on entend celle qui de fait obtient son but, qui est la connaissance de la loi, il est vrai qu'une loi douteuse n'est pas suffisamment promulguée; mais si par promulgation *suffisante*, on entend celle qui peut obtenir son but, et qui peut-être l'obtiendra, mais qui de fait, pour des raisons extrinsèques, ne l'obtient pas encore complètement, il est faux qu'une loi, par cela seul qu'elle est douteuse, n'est pas suffisamment promulguée. Du principe qu'une loi douteuse n'est pas suffisamment promulguée, il résulterait qu'il faudrait regarder comme un supplément de promulgation, la définition par laquelle l'Église trancherait une controverse sur le droit naturel ou sur le droit divin positif, et même le seul développement de l'intelligence d'une loi, obtenu par la réflexion et l'étude, conséquences qui nous paraissent difficiles à admettre. » Cfr. etiam Bouix, *De curia Romana*, s. 3, c. 3. prop. 7.

2. Hanc sententiam tenent et pluribus ex professo defendunt: Barbosa, *Jus. Eccl. univ.* lib., 1, c. 4, n. 81-83; Castropalao, disp. V, p. 3, § 1; Fagnanus, lib. 1, tit. ad c. *Quoniam;* Schmalzgrüber, *Diss. proœm.*, n. 370 et seq.; Reiffenstuel, lib 1, tit. 2, § 15, n. 376; Benedictus XIV, *Inst.* x, 1, LXXX, 17; Zamboni, *Intr. supplem.* § XV; Bouix, *De princ. jur. can.*, p. II, s. 5, et *De curia Rom.*, p. III, s. 1, c. 1.

§ II.

De interpretatione judiciali.

128. *Judices authentice legem applicant ad facta et doctrinaliter ejus sensum indicant.*

Interpretatio *judicialis* ea est quæ fit potestate publica in ordine ad causam specialem, seu est legis *applicatio ad factum particulare*. Hæc interpretatio authentica est *quoad partes;* eas nempe ligat, nisi velint ad judicem superiorem recurrere; *quoad alios* auctoritatem non habet nisi privatam et doctrinalem; « res enim inter alios judicata regulariter aliis non nocet (1). » Prædicta autem auctoritas eo major est, quo majore scientiæ fama judex polleat.

Cardinalium Congregationes sæpe leges ecclesiasticas cum auctoritate applicant tum proprie dictis judiciis, tum difficultatum occurrentium solutionibus: hujusmodi judicia et solutiones, quæ vim habent pro casibus pro quibus emittuntur, multum etiam juvant ad ipsas leges rite intelligendas; in eorum tamen usu prudentia et attentione opus est (2).

§ III.

De interpretatione usuali.

129. *Usus adjuvat ad legem doctrinaliter interpretandam, eamque ipse authentice interpretatur.*

Interpretatio *usualis,* ut nomen ipsum denotat, illa est quæ habetur generali communitatis observantia. Cum autem diverso modo valeat observantia ad sensum legis ostendendum, vario sensu dicitur consuetudo *optima legis interpres* (3).

Imprimis consuetudo legem *antecedens* valere potest ad legis sensum deprehendendum; lex enim secundum patriæ consuetudinem ferri debet (4); idcirco dicitur: « Si de interpretatione legis quæratur, imprimis inspiciendum est, quo jure

1. *Decretal.* lib. II, tit. 27, c. 25, *Quamvis.*

2. Cfr. *Intr.* n. 112-119 — Loquens de iis S. R. C. decretis quæ sunt *applicationes liturgicæ legis ad factum,* ita scribebat cl. Avanzini, ap. *Acta S. Sedis* III, 565: « Hæc decreta natura sua vim universalis legis non habent; sed perspicax Ritualista ex his decretis magis vel minus clare eruere potest, cum magno suo in scientia liturgica profectu, principia a quibus S. Congregatio mota est ad ita judicandum et valorem principiorum et legum juste æstimandum. »

3. Cfr. *Decretal.* lib. I, tit. 4, c. 8 *Cum dilectus.*

4. *Decret.* p. I, dist. 4, c. 2.

civitas retro in hujusmodi casibus usa fuisset : optima enim est legum interpres consuetudo (1). »

Deinde consuetudo legem *concomitans,* seu modus eam observandi, valet in ratione *testis* et *signi* ad mentem legislatoris dignoscendam; ut talis enim exhibet communem subditorum sensum, et multum juvat ad interpretationem scientificam (2).

Præterea consuetudo legem *subsequens* valere potest ad determinandam auctoritative obligationem : sicut enim usus, quando debitæ adsunt conditiones, potest obligationem novam inducere et legem abolere (3), ita potest, sub iisdem conditionibus, obligationis præexistentis extensionem definire; sub hac autem ratione interpretatio usualis est vere *authentica*, ejusque acceptatio necessaria (4).

§ IV.

De interpretatione doctrinali.

130. *Interpretationis doctrinalis necessitas et pericula,*

Interpretatio *doctrinalis* est declaratio legis a privatis facta, scientiæ innixa, non jurisdictioni. Hujusmodi interpretatio sane necessaria est, tamen periculis non caret : timendum enim est ne paulatim interpretes sensum legis pervertant ei substituendo proprios conceptus. Quapropter celebres Legislatores interdum prohibuerunt ne in suas leges commentarii ederentur (5).

1. *Digesti,* lib. I, tit. 3, l. 37.
2. Cfr. Suarez, lib. VII, c. 17, n. 2.
3. Cfr. supra, n. 118.
4. Cfr. Suarez, lib. VII, c. 17, n. 3, 4 ; Castropalao, disp. 3, p. 4, § 4.
5. Ita Justinianus, *Digesti* præf. III, § 21, interdicit « ne quis audeat commentarios scribere harum legum ». Pius vero IV, Bulla *Benedictus Deus,* super confirmatione concilii Tridentini, « ad vitandum perversionem et confusionem, quæ oriri posset, si unicuique liceret, prout ei liberet, in decreta concilii commentarios et interpretationes suas edere », sub gravissimis pœnis inhibuit ne quis audeat, sine auctoritate Apostolica, « ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullumve omnino interpretationis genus super ipsius concilii decretis quocumque modo edere, aut quidquam quocumque nomine, etiam sub prætextu majoris decretorum corroborationis, aut executionis, aliove quæsito colore statuere ». Novissime S. C. *Super disciplina regulari,* die 5 aug. 1872, decretum *Ad ærumnas* emisit « interdicta cuique ea quæ statuuntur, si dubium exoriatur, pro libitu interpretandi facultate ; sed in singulis casibus ad ipsam S. Congregationem esse recurrendum ». Cfr. Schmalzgrüber, lib. I, tit. 2, n. 46 — Penitiorem prohibitionum hujusmodi rationem intelligere noluit Laurent, *Principes du*

131. *ejus elementa*

Ut interpretatio doctrinalis recte procedat, *a/* imprimis consideranda sunt *verba* quibus legislator voluntatem suam expressit: verborum autem significatio est *propria,* quæ a communi usu pendet, vel *impropria,* quæ pendet ab arbitrio loquentis, ut si verbum *rogo* adhibeatur præceptive (1); rursus propria est aut *naturalis*, quæ pendet ab usu vulgari, aut *civilis,* quæ pendet ab usu juridico: utraque, præsertim naturalis, quoad eamdem vocem non semper una est, sed multiplex esse potest (2). — *b/* Deinde attendi debent verborum *contextus,* integrum legis *systema,* ejusque *relationes* ad alias juris partes. « Incivile enim est, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula ejus proposita, judicare vel respondere (3). » — *c/* Insuper examinanda est legis *origo* historica, ejus *efformatio* et successiva *evolutio:* sicut enim in fide, ita (proportione servata) in disciplina ecclesiastica continuus progressus deprehenditur potius quam mutatio aut innovatio (4). — *d/* Præterea attendenda est *ratio* legis, quæ dicitur ejus *anima;* is enim « committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem (5). » Ratio autem legis, seu motivum quod legislatorem impulit ad legem ferendam, et finis specialis quem consequi voluit, aliquando in lege ipsa exponitur, aliquando ex historiæ monumentis depromitur, aliquando conjecturaliter deducitur ex circumstantiis (6). — *e/* Tandem maxime præ oculis habenda

Code Civil, 1, 269, qui tamen in suo *Cours élémentaire,* 1, p. 61 facta refert quæ plene eam confirmant; queritur enim ipse a modernis interpretibus non explicari legem sed fieri! Quod malum præsentiebat Imperator Napoleo dum, emisso primo eoque valde succincto commentario in codicem civilem Gallorum, exclamavit, ut fertur: *Actum est de codice meo!*

1. Cfr. Reiffenstuel, lib. 1, tit. 2, n. 392-393.

2. Cfr. Gerdil. *De leg.*, disp. 12, c. 5.

3. *Digest.* lib. 1, tit. 3, l. 24. — Adverte tamen contextum *legis* non necessario esse contextum *documenti* ex quo lex lata est; exemplum prostat ap. Ben. XIV, Epist. *Redditæ nobis,* 5 Dec. 1744.

4. Ut exemplo recenti utamur, non potest v. g. explicari constitutio *Apostolicæ Sedis,* quin singulis fere articulis recurratur ad bullam *Cœnæ.* — Cæterum Summi Pontifices, quando aliquid statuunt, solent disciplinam antea vigentem ejusque diversas phases exponere. Celebre est sub hoc respectu Benedicti XIV *bullarium;* inter *acta* autem novissima, eodem merito præstant litteræ Apostolicæ *In suprema,* de missæ sacrificio ab Episcopis pro grege diebus dominicis et festis celebrando.

5. Regula 88 juris in 6.

6. Ita Suarez, lib. VI, c. 1, n. 19-20: « Oportet advertere duplicem esse posse rationem legis: unam in lege non expressam, sed ab interpretibus

est *materia* legis; hæc autem, sub præsenti respectu, distinguitur in *favorabilem,* quæ consistit in aliquo beneficio præstito, *odiosam,* quæ consistit in onere imposito, et *mixtam,* quæ partim in beneficio consistit, partim in onere (1). — Patet hæc media ordinarie simul esse adhibenda; prout tamen uni vel alii specialiter insistitur, interpretatio dicitur *grammaticalis, logica, systematica, historica* (2).

132. *et regulæ.*

Jam vero in usu horum mediorum, sequentes regulæ obser-

excogitatam; aliam in lege ipsa explicatam. Prior ergo ratio, licet aliquid conferat ad assequendam legislatoris voluntatem, non est tamen certum indicium, sed probabilis tantum conjectura... At vero quando ratio legis in ipsa lege continetur, magnum indicium esse potest, et post verba ipsa videtur secundum certitudinis locum obtinere, quia tunc ratio legis est aliquo modo pars ejus; nam in ea continetur et supponitur ».

1. Cfr. Suarez, lib. v, c. 2. — Recte scripsit Gerdil, l. c., c. 3: « Plerique doctores leges dividunt in favorabiles et odiosas. Simul tamen laborare aliquantisper videntur quemadmodum odiosa hæc appellatio legi cuipiam tribui queat, siquidem legem omnem, quæ digna hoc nomine censeatur, et justam esse oportet et ob commune bonum latam, nec odiosum haberi par est quod et justum sit et utilitati communi serviat. Sic autem demum rem explicant ut appareat eos favorabilem dicere legem quæ in materia favorabili versatur, quales illæ sunt quæ communem juris æquabilitatem fovent, aut quæ sine publico vel cujuspiam incommodo favores certis personis vel personarum ordinibus tribuunt, vel in quibus, quod statuitur directe, proxime et per se vergit in bonum communitatis: odiosas vero quæ in materia odiosa versantur, quæ nimirum naturalem libertatem etsi publici boni causa circumscribunt, quæ inhabilitates inducunt, acta irritant, quæ pœnas delictis decernunt, aut a communi juris æquabilitate deflectunt. Atque materia hujusmodi odiosa idcirco censetur quia illud, quod proxime et per se lege statuitur, grave et onerosum est, tametsi postea onus hoc vel gravitas majoris boni accessione compensetur. Sane, ut comparatione utamur, humano corpori necessaria sunt et alimenta et remedia; sed in alimentis juvamen prima specie se offert, in remediis vero prima se offert species doloris et molestiæ quam postmodum corporis salus consequitur. Sic in corpore veluti reipublicæ quædam leges ipsum prima fronte civitatis bonum et commodum præ se ferunt, eæque dicuntur favorabiles; aliæ velut in remedium humanæ cupiditatis gravia quædam et onerosa decernunt, quo fit ut odiosæ appellentur. Aliæ sunt utriusque velut speciei participes, dicunturque mixtæ. Sed forte satius foret omnem odii denominationem a lege ipsa removere quæ revera etiam dum onus imponit vel pœnas infligit, provide ac saluberrime communi bono ac civium tranquillitati prospicit; eamque appellationem ad materiam transferre quæ legi subjecta est, adeo ut distinctio fiat non inter leges favorabiles et leges odiosas quæ proprie nullæ sunt, sed inter leges quæ in materia favorabili et leges quæ in odiosa materia versantur. Verum quod attinet ad rem, solido fundamento nititur inducta hæc inter favorabile et odiosum in legibus distinctio, eamque frustra et perperam Barbeyracius oppugnare studuit ».

2. Præter theologos supra indicatos, cfr. Savigny, *Traité de droit romain,* tom. I, c. 4.

vari debent (1): *a/ Verba legis sumenda sunt generatim in sensu proprio, naturali, obvio illius ætatis et regionis qua lex lata est* (2). Huc pertinent sententiæ : « Ubi verba non sunt ambigua, non est locus interpretationi (3): » « Verba generalia generaliter sunt intelligenda (4): » « Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus (5): » « Indefinita locutio æquipollet universali (6). » — *b/ In materia favorabili verba sumenda sunt sensu proprio ampliori; in materia odiosa, sensu strictiori; in materia mixta debent ex parte extendi et ex parte restringi quotiescumque commodum ab incommodo est separabile, secus extendi vel restringi pro principaliori legislatoris intentione :* huc pertinent sententiæ : « Odia restringi et favores convenit ampliari (7): » « In pœnis benignior interpretatio est facienda (8): » « Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda (9): » « In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima est interpretatio adhibenda (10): » sic in materia favorabili nomine filii venit etiam adoptatus, nomine legitimi legitimatus, nomine religiosi novitius, etc. secus in materia odiosa. — *c/ Licet verba generatim sumenda sint in sensu proprio, possunt tamen per accidens sumi etiam sensu improprio, quando nimirum id exigunt legis ratio, materia, aliæque circumstantiæ, quæ legislatoris mentem sufficienter manifestant.* Huc pertinet sententia : « Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi : quia non sermoni

1. Regulæ interpretationis confundi non possunt cum regulis *juris*, cum jurisconsultorum *axiomatibus* et *proverbiis*. a/ *Regulæ juris* sunt breves et generales sententiæ ex specialibus legibus aut canonibus antecedenter latis desumptæ : ad calcem *Decretalium* et *Sexti* rejectæ conspiciuntur. — b/ *Axiomata jurisconsultorum*, quæ etiam *brocardica* dicuntur, sunt sententiæ quæ expresso jure non recipiuntur, sed tantum auctoritate privata ex locis juridicis vel ex dictis et principiis aliarum scientiarum, præsertim philosophiæ, depromuntur. — c/ *Proverbia* sunt sententiæ quæ non ex jure, sed ex consuetudine, communi hominum opinione, fidem et assensum meruerunt. Cfr. Schmier, *Tract. præamb.*, c. 3, n. 89.

2. Sic in *Decretalibus* verbum *censere* non opinionem, sed verum præceptum significat.

3. Ita Glossa, in c. *Cum dilectus*, *Decretal.* lib. I, tit. IV, c. 8.

4. Cfr. *Decretal.* lib. V, tit. 33, c. 22, *Quia circa.*

5. Cfr. Reiffenstuel, l. c., n. 398.

6. Cfr. *Decret.* p. I, dist. 19, c. 1, *Si Romanorum;* et Glossa in *proœm. Decretal.*

7. Reg. 15 Juris in 6. — 8. Reg. 49 Jur. in 6.

9. Reg. 28 Jur. in 6.

10. *Decretal.* lib. III, tit. 26, c. 6, *Cum dilecti.*

res, sed rei est sermo subjectus (1). » — *d) Lege comprehenduntur non solum ea quæ explicite verbis significantur, sed etiam ea quæ implicite significata censeri debent propter rationis identitatem* (2). Jam vero id præcipue contingit α) in *correlativis,* v. g., inter maritum et uxorem : sic lex quæ eximit maritum ab obligatione reddendi debitum uxori adulteræ, censetur pariter eximere uxorem ab eodem officio erga maritum adulterum; β) in *æquiparatis,* ut v. g., sunt electio, postulatio et præsentatio ad beneficium : hinc si lex aliquo casu simoniacam electionem ad beneficium esse decernit, eodem casu iisdemve circumstantiis idem statuendum erit de præsentatione; γ) in *connexis,* ut sunt v. g., condere testamenta et legata facere : unde si lex certis personis vetet ne testamento legare valeant, eadem lex, si non verbis,

1. *Decretal.* lib. v, tit. 40, c. 6, *Intelligentia.* — Hujus interpretationis exemplum nobis videtur continere *declaratio* formulæ *non expedire* facta nomine Pontificis a Card. Secretario S. Inquisitionis, 30 jul. 1886 : « Opinio inoluit apud diœceses Italiæ quamplurimas, politicas urnas adire licitum esse, ex quo S. Pœnitentiaria, quoad hoc percuntata, tantummodo respondit *non expedire.* Ut omnis vero abjiceretur æquivocatio SS^mus Pater, audita sententia EE. DD. Cardinalium Inquisitorum generalium, collegarum meorum, jussit declarari quod *non expedire* prohibitionem importat ». Econtra qui concordata ut mera privilegia habent, verba contractum et obligationem synallagmaticam proprio sensu denotantia intelligunt in sensu latiori, quia « materia veri pacti incapax est ». Cfr. Tarquini, *Jur. publ. inst.,* 73.

2. Rationis *identitas* differt a *paritate* et *similitudine* rationis. Ita Suarez, lib. VI, c. 3, n. 3 : « Paritatem rationis voco, quando, licet rationes sint diversæ, habent inter se æqualitatem, v. g. ratio *amicitiæ* et *gratitudinis,* quæ inter se diversæ sunt, possunt autem æquiparari, et moraliter æquales judicari. Identitatem autem voco, quando in diversis materiis una et eadem ratio pietatis promovendæ aut nocumenti evitandi intercedit ». Ulteriores explicationes et exempla profert Castropalao, disp. V, p. 3, § 4, n. 1 : « Stat optime in dispositione aliqua non militare *eamdem* rationem omnino, sed solum *similem* vel *majorem;* aliquando vero *eamdem* omnino rationem militare : sæpe tamen similis ratio cum identica confunditur et difficillimum est illas distinguere si est perfecta similitudo. Exemplum ergo similis rationis et identicæ desumi potest ex capite *Quia in insulis, de regularib.* ubi ad professionem prohibetur in insulis admitti monachus qui 18 annum non habuerit, et redditur ratio « quia ibi dura est congregatio », quæ ratio in aliis regularibus ibi existentibus militat : at si alibi existant, etiamsi duriorem vitam degant, non militat eadem ratio sed similis vel major. Aliud exemplum desumi potest ex Clement. I *de elect.* ubi cavetur ne eligatur in Abbatem vel Prælatum conventus, religiosus alterius religionis vel habitus; et redditur ibi ratio, cum rationi non congruat ut homines disparis professionis vel habitus simul in eisdem monasteriis socientur. Quæ ratio eadem est in monasteriis monialium, ut ibi notat Glossa : similis est ne religiosus in Episcopum sæcularis vel regularis Ecclesiæ eligatur, quia etiam tunc homines disparis professionis in eadem Ecclesia sociantur ».

saltem vi et sententia codicillos etiam complectetur; lex præterea quæ jus aut facultatem tribuit, omnia etiam concedere censetur quæ ad id jus vel ad eam facultatem explicandam necessaria sunt; 2) in *contentis*, in his scilicet quæ se habent tanquam totum et pars aut velut plus et minus in eodem genere; hinc cum legislator casum dumtaxat frequentiorem exprimit, non censetur excludere casus minus frequentes; sic lex indulgens monialibus ut e claustris exire liceat causa pestis vel incendii, merito extenditur ad casum vastitatis proxime inferendæ ab hostibus (1).

Sectio II.

De vi obligatoria legis ecclesiasticæ.

Sub præsenti titulo examinamus quæ sit vis obligatoria legis ecclesiasticæ, ad quid præcise ea vis adstringat, quosnam afficiat, quousque se extendat: unde quadruplici capite dicemus de *indole, objecto, subjecto* et *limitibus* obligationis legis ecclesiasticæ.

Caput I.

De indole obligationis legis ecclesiasticæ.

Nomine *indolis* designamus qualitatem et quantitatem obligationis: supposita nimirum alicujus obligationis existentia, quæ omni legi intrinseca est, inquirimus qualis et quanta obligatio legi ecclesiasticæ competat (2).

1. Cfr. Castropalao, tr. 3, disp. 5, q. 3, § 4, n. 9, 10, 11; Gerdil., l. c., c. 6.

2. Cfr. de obligatione legis ecclesiasticæ S. Thomas, 1-2, q 96, a. 4, ubi ejus Commentatores, præ cæteris Sylvius, qui totam materiam accuratissime tractat; item ex scholasticis Vasquez, disp. 158, c. 2; Valentia, disp. 7, q. 5, p. 6; Salas, tr. 14, disp. 10; Tannerus, disp. 5, q. 6; Wirceburgenses, c. IV, a. 5; Gonet, *Clyp. Thom.*, disp. 5, a. 2 et 3; Billuart, diss. 4, a. 3 et seq.; Reding, *De leg.* q. 16, a. 3; Mezger, tr. VIII, disp. 35; Henno, disp. 3, q. 8. — Ex Polemistis Stapleton, *Relectio*, contr. 5, q. 7, a. 2; Bellarminus, *De laicis*, c. 11. — Ex Moralistis, præter eximium Suarez, lib. IV, c. 17, Franciscus de Victoria, *Rel.* 3; Dom. Soto, *De just. et jure*, lib. 1, q. 6; Laymann, *De leg.*, c. 14; Azor, p. 1, lib. 5, c. 6; Castropalao, disp. II, p. 8; Sayrus, *Clavis regia*, lib. III, c. 6; Bonacina, disp. 1, q. 1, p. 7; Lacroix, lib. 1, n. 663 et seq.; S. Alphonsus, lib. 1, n. 140-152; quibus accedunt Expositores pp. damnatarum, v. g. Viva ad 23am Alexandri VII et 55am Innocentii XI. — Ex Jurisperitis

133. *Obligat in conscientia lex ecclesiastica*

Lex *ecclesiastica vere moralis est, sc. non meram coactionem importat, sed obligationem producit in conscientia et coram Deo* (1). Fertur enim potestate a Deo concessa (2), nomine Dei ab ejus ministro imponitur et a Deo sancitur. Sane quæcumque a superioribus ecclesiasticis ligantur in terra, ligata pronuntiantur in cœlo (3), et qui pastores spernunt, ipsum Christum dicuntur spernere (4). Si ergo damnationem sibi acquirunt qui resistunt legitimæ potestati naturali (5), a fortiori eam acquirunt qui resistunt potestati supernaturaliter constitutæ. Hinc submittere se debent fideles propter conscientiam (6), adeoque sæpe admonentur de religiosa obedientia præpositis præstanda (7). Hanc scripturarum doctrinam Patres ita unanimiter inculcant, ut superfluum videatur singularia eorum loca indicare. Communem Ecclesiæ sensum breviter expressit Angelicus: « Si justæ sint (leges positæ humanitus) habent vim obligandi in foro conscientiæ a lege æterna a qua derivantur (8); » eumdem sancivit conc. Trid.: « Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus Sanctæ Ecclesiæ præceptis,... ita ut ea observare non teneantur nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit (9). »

qua talis

Obligationem in conscientia producit lex ecclesiastica qua talis, non autem solum quatenus legem divinam continet et applicat (10). Patet ex

Schmalzgrüber, lib. I, tit. 2, n. 30-34; Reiffenstuel, lib. I, tit. 2, § 7; Schmier, lib. I, tr. I, c. I, n. 219 et seq. — Speciale opus *De obligatione legum in foro conscientiæ* scripsit Udalricus Freiberger.

1. Cfr. supra, n. 54, ubi explicata est notio obligationis moralis.

2. Cfr. supra, n. 41 et 108.

3. Cfr. Matth. XVI, 19, XVIII, 17-18.

4. Cfr. Luc. X, 16. — 5. Cfr. Rom. XIII, 2. — 6. Cfr. Rom. XIII, 5.

7. Cfr. Act. XV, 28-29, coll. XVI, 4; I Cor. X, 6; II Thess. IV, 8; II Thess. III, 14; Heb. XIII, 17. — 8. S. Thomas 1-2, q. 96, a. 4. — 9. Sess. VII, can. 8.

10. Nullam legem ecclesiasticam qua talem in conscientia obligare, post Waldenses, Wicleffitas, Hussitas, docuerunt Lutherus, *De capt. Babyl.*, c. de bapt.; Melanchton, *Apol. conf. Aug.* a. 28; Calvinus, *Inst.* lib. IV, c. 10. — Simile quid sensisse videtur Gerson, *Tract. de vita spirituali animæ;* licet enim nonnulli dicta ejus in bonum sensum interpretari conentur, difficile eum ab errore excusabit qui sequentia consideraverit: — *a*/ Imprimis, quid sibi de hac materia disserenti proponat, quo spiritu ducatur, aperit in *proœm. lectionis* 2, ubi pollicetur se investigaturum qualis est illa lex cujus transgressio vitam spiritualem adimit et mortis æternæ reum facit: « Mecum, inquit, et cum aliis sæpe recogito multas ex ignorantia hujus negotii suboriri turbationes in politiis tam ecclesiasticis quam temporalibus; in hominum præterea conscientiis modo scrupuli vani contemnendi

argumentis modo allatis: textus enim obligationem denuntiantes sunt omnino generales, nec patiuntur restrictionem ad materias a Deo jam impositas. Paulus autem obligationem deducit ex sola divina origine potestatis, minime ex præsuppo-

subrepunt, modo contemptus insurgit temerarius et audacior quam satis est; fit insuper (quoniam ignoratur virtus legis divinæ) frequenter irritum mandatum Dei propter traditiones hominum; fit amplius de levi jugo Christi et lege libertatis jugum ferreum et onus grave premens cervices Christianorum, dum scilicet aliqui suas omnes leges, suas institutiones, suas regulas et statuta arbitrari volunt accipiendas esse sicut præcepta legis Dei, ad æternæ mortis interitum, si prætereantur, mergentia: has vero traditiones hominum quis cunctas dinumeret in canonibus summorum Pontificum, in constitutionibus synodalibus provinciarum aut diœcesium..... » — *b*/ Jam vero sententiam suam ita enuntiat in *proœm. lect. 4 :* « Erit igitur hæc conclusio: anima rationalis, sicut a Deo solo inspirante et influente habet vitam gratiæ, sic ipso deserente solummodo perdit anima vitam hujusmodi præhabitam, dum præceptivæ legis suæ prævaricatrix invenitur. Prima pars de se perspicua.... Secundam partem suademus ex hoc quod alius a Deo, sicut non habet potestatem infundere gratiam, sic nec eripere; ipse præterea solus habet claves vitæ et mortis æternæ, et nemo claudit et nemo aperit: ista vero concludunt quod solus potest dare præcepta affirmativa aut negativa sub pœna mortis æternæ, quia illam infligere solus potest; nullus ergo perdet gratiam, nullus reatum damnationis æternæ incurret, nisi pro quanto divinæ legis præceptivæ transgressor extiterit. » — *c*/ Hæc autem pronuntiat de sola lege immediate et stricte divina, minime de lege mediate divina, sc. ab hominibus lata vi potestatis divinitus concessæ; ita enim habet in *coroll.* 4, *lect.* 2 : « Lex aliqua non ideo dicitur divina appropriate quia ex principiis juris divini deducitur. Primo quia sicut omne verum omni vero consonat, sic omnis lex, quantumcumque positiva et humana, consonat divinæ legi... Amplius, nulla est lex quæ non innitatur principiis istis: Deo jubenti obediendum est, auctorizatis a Deo parendum est, superioribus suis in eo quòd superiores sunt non est inobediendum, et ita nulla esset lex pure humana, contra id quod veritas habet et usus communis. » Similiter *lect.* 6, ait: « Paralogizant qui sic argumentantur: Non est potestas nisi a Deo, et quidquid præcipimus, quidquid jubemus in terris, illud approbat Deus in cœlis. » — *d*/ Cæterum objectum potestatis ecclesiasticæ sic restringit, *lect.* 4, *coroll.* 3: « Non enim plus habent in potestate prælati Ecclesiæ ligare subditos ad aliqua, quæ non sunt tradita in regula evangelica professa ab omnibus Christianis, quam habent Abbates super religiosis suis ad obligandum eos præter regularem professionem suam. » — *e*/ Principia sua applicat, *lect.* 4, *coroll.* 4 : « Omissio horarum canonicarum, transgressio jejuniorum ecclesiasticorum, et generaliter omnium statutorum et regularum et canonum, nunquam est mortale peccatum, nisi pro quanto divinæ legi præceptivæ dissonans invenitur; et ita quantum lex aliqua habet admixtum de lege divina præceptiva, tantundem et non amplius est ejus transgressio mortaliter vitiosa. » — *f*/ Tandem explicat qua ratione leges prælatorum habendæ sint ut salubria monita; ita nempe *lect.* 4, *coroll.* 5 : « Ex hoc quod aliquis peccaret mortaliter transgrediendo constitutiones aliquas humanarum traditionum, non sufficienter concluditur quod illæ constitutiones obligent ad mortale delictum. Declarabimus istud argumentis a simili vel minori : Sit aliquis peritus medicus... dicat ille Petro: do tibi legem pro tua sanitate, quam si trans-

sito præcepto divino; præterea plura ab Apostolis inculcata reperiuntur, quæ nullo modo lege divina comprehendebantur (1).

134. *etiam sub gravi.*

Potest lex ecclesiastica ex se in conscientia obligare sub gravi. Hoc manifeste indicatur iis textibus quibus ille Christum spernere dicitur et sibi damnationem acquirere, qui ministros Christi spernit, et potestati resistit a Deo ordinatæ; indicatur etiam iis locis quibus pœnæ, et nominatim excommunicatio, adversus inobedientes intentantur (2); præterea « constat ex communi sensu totius Ecclesiæ et ex communi doctrina Patrum, leges ecclesiasticas de jejuniis et servandis festis, et similes, ita obligare ut transgressio earum sit peccatum necessario in confessione aperiendum, et qui hoc negaret, plane esset hæreticus; ergo tales leges obligant de se sub mortali, cum earum transgressiones voluntariæ, tanquam mortalia peccata, in confessione aperiendæ sint (3). » Hujusmodi Ecclesiæ sensum et Patrum doctrinam scholastice interpretatus est Angelicus : « Peccatum mortale est quod contrariatur charitati per quam est spiritualis vita. Charitate autem diligitur Deus et proximus. Exigit autem charitas Dei ut ejus mandatis obediatur... Et ideo inobedientem esse divinis præceptis est peccatum mortale, quasi divinæ dilectioni contrarium. In præceptis autem divinis continetur quod etiam superioribus obediatur. Et ideo etiam inobedientia, qua quis inobediens est præceptis superiorum, est peccatum mortale, quasi divinæ dilectioni contrarium, se-

gressus fueris, statim dissolvetur corpus tuum quod eam observando convalescet : *non bibas vinum purum hoc triduo.* Nullus nescit quod medicus ut medicus caret facultate condendi leges obligantes ad peccatum mortale, et tamen in casu transgressor hujus legis suæ damnationem incurret. Non prorsus dissimiliter est in proposito : quamvis enim leges humanæ et civiles, ut tales sunt, sint solum pro ordinatione politiæ humanæ, ecclesiasticæ vel civilis, in eis quæ corpus respiciunt, et ita solum merentur punitionem temporalem violatores earumdem, et observatores præmio temporali donantur : nihilominus ex consequenti et mutua colligatione ac mixtione quam ad leges divinas habent, resultat crimen faciens reos æternæ damnationis ipsos contemptores. » — Merito itaque doctrinæ minus orthodoxæ Gersonem arguerunt subsequentes theologi catholici passim, Adrianus, Driedo, Alphonsus a Castro, Franciscus de Victoria, Dominicus Soto, Bellarminus, Suarez, Valentia, Sylvius, etc., frustra causam ejus agentibus Vasquez, L'herminier, etc.

1. Cfr. v. g. Act. xv, 29 ; I Cor. xiv, 26, 34 ; I Tim. iii, 2, 6, etc.

2. Matth. xviii, 17-18 ; I Cor. iv, 21 ; II Cor. xi, 6, xiii, 10 ; II Thess. iii, 14. — 3. Suarez, lib. iv. c. 17, n. 4.

cundum illud ad Rom.: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Contrariatur insuper dilectioni proximi, in quantum superiori proximo subtrahit obedientiam, quam ei debet (1). »

INQUIRENDUM igitur est *unde* pendeat gravitas obligationis legum ecclesiasticarum, et *quibus signis* dignoscatur.

135. *Gravitas obligationis legalis pendet essentialiter a gravitate materiæ,*

Imprimis gravitas obligationis pendet essentialiter a gravitate materiæ, ita ut superioris voluntas obligandi sub gravi in materia levi, non solum illicita sit, sed etiam invalida: talis enim voluntas omnino irrationabilis est, nec a Deo rata haberi potest (2). — Materia autem gravis judicatur ratione *finis* ad quem dirigitur et *aptitudinis* quam habet ad hunc finem. Nimirum *a) quando finis aliquis specialis est magni momenti, valde utilis, moraliter necessarius, et quando res vel actio multum conducit ad hunc finem obtinendum, materiæ gravitas existit* (3): sic ad vitam christianam magni momenti sunt publicum Dei servitium, pœnitentia, mortifi-

1. S. Thomas, 2-2, q. 105, a. 1 ; coll. q. 104, a. 5-6 ; q. 147, a. 3. — Pauci quidam antiquiores apud Suarez, l. c., n. 7, videntur docuisse legis ecclesiasticæ transgressionem ex se venialem esse : non fieri mortalem nisi ratione contemptus et consuetudinis. Advertendum tamen plerosque illos qui pro hac sententia allegantur, nec absolute Ecclesiæ denegare potestatem graviter obligandi. Paulo difficiliora quidem sunt verba S. Bernardi, *De præc. et disp.*, c. XI, n. 26-27 ; at cum non solas leges ecclesiasticas, sed quæcumque præcepta, etiam divina, respiciant, eorum explicatio dabitur ubi ex professo de conditionibus ad peccatum mortale agetur.

2. Cfr. Suarez, lib. III, c. 25 ; Sylvius, l. c. quær. 3.

3. Cfr. Suarez, lib. III, c. 25, n. 7-12, quo nemo melius hanc quæstionem dilucidavit : « Dicendum est gravitatem materiæ sufficientem ad gravem legis obligationem prudenti arbitrio judicandam esse.... Ad ferendum autem hoc prudentiale judicium, duo præcipue in lege consideranda sunt : unum est, finis legis, præsertim proximus, ratione cujus materia præcepta censetur constitui per legem in hac vel illa specie virtutis ; aliud, æqualitas seu proportio medii in ordine ad talem finem, et ex his duobus prudenti arbitrio spectatis colligenda est materiæ gravitas. Itaque imprimis necessarium est ut finis legis pertineat ad virtutem aliquam ex gravioribus.... Dico ergo materiam legis positivæ posse esse gravem in omnibus virtutibus, præsertim principalibus et cardinalibus, juxta doctrinam D. Thomæ et Cajet. 2-2, q. 104, a. 2 ad 1 ; in unaquaque autem virtute illam esse gravem cujus omissio vel violatio notabilem habet deformitatem seu turpitudinem in sua specie. ... Secundo loco dicimus considerandam esse proportionem medii ad finem lege intentum ; oportet enim ut multum conferat ad illum : nam si leviter illum impediat vel diminuat, quamvis finis in se gravis sit, læsio ejus per tale medium non potest gravis reputari ;..... et e converso, si defectus in aliqua materia graviter lædit finem intentum a lege, licet in se aliquid minimum esse videatur, nihilominus in ratione medii est quid grave, et ideo, ut est materia talis præcepti, est materia gravis. »

catio : ad hæc autem multum respective conducunt festorum observatio, abstinentia et jejunium; proinde festorum observatio, jejunia et abstinentia sunt materiæ graves ; item magni momenti sunt cleri sanctitas et zelus, ad quæ multum conducit cœlibatus; cultus dignitas, ad quam multum conducit usus sacrorum paramentorum ; misericordiæ divinæ deprecatio pro populo, ad quam multum conducit sacerdotum oratio publica, et sacrificium: hinc observatio cœlibatus, usus paramentorum, recitatio breviarii, celebratio pro grege, sunt materiæ graves(1); similiter in sacrificio relativo novæ legis, mystica repræsentatio aquæ illius et sanguinis quæ in sacrificio crucis fluxerunt de latere Christi, et mystica expressio unionis Christi cum Ecclesia sunt res magni momenti ; ad hanc autem efficiendam apta est commixtio aquæ et vini in calice: idcirco talis commixtio in prædictum finem relata gravem materiam constituit (2), etc. *b| Quando e contra finis specialis non est magni momenti, vel, etiam si magni momenti est, quando actio non multum ad hunc finem conducit, existit levitas materiæ :* sic ad Dei glorificationem, divinæ misericordiæ deprecationem pro populo et sacerdotum sanctificationem, non multum refert si diversæ breviarii partes diversis diei temporibus recitentur : idcirco horum temporum observatio est materia levis, etc. Advertendum autem, finis specialis momentum, utrum grave sit, an leve, ponderandum esse in sua relatione ad bonum commune proprium societatis pro qua lex fertur; bonum autem illud, si agatur de societate civili, est pax, tranquillitas, prosperitas; si de societate ecclesiastica, est sanctificatio et salus hominum ; si de instituto religioso, est perfectio per observationem votorum (3). — Ut tandem has

1. Eadem ratione, publica agnitio dependentiæ a Deo res erat magni momenti apud primos parentes; ad hanc autem significandam apta erat abstinentia a fructu unius ex arboribus paradisi: idcirco talis abstinentia in prædictum finem relata, materia gravis censeri debebat. Ita Suarez, lib. III, c. 25, n. 5 : « Dico præceptum Adæ impositum fuisse de re gravi, quia illa abstinentia a cibo vetito imposita fuit in recognitionem obedientiæ Deo debitæ, et quasi in tributum humanæ subjectionis ad Deum,.. sub quibus rationibus præceptum illud gravissimum erat. »

2. Cfr. tractatus noster *De relig.*, II, 231. Alia exempla præbet Ben. XIV, *De Syn.* lib. X, c. 3.

3. Ad rem Sylvius, l. c. quær. 4 : « Bene monet Granadus... gravitatem materiæ sumendam esse in unaquaque lege, ex peculiari subjectione subditi ad legislatorem : v. g. cum præcipua, immo et essentialis ratio status religiosi consistat in votis, potissimum colligatur gravitas materiæ præcepti,

explicationes uno verbo concludamus, dicemus, ordinationem medii vere efficacis ad bonum aliquod magnum posse obligatoriam esse sub gravi.

An autem gravitas obligationis pendeat a sola materia, an vero etiam a voluntate superioris, valde controvertitur: multi scilicet existimant, gravitatem obligationis ita pendere a materia ut nequeat legislator sub levi præcipere in materia gravi (1): alii e contra censent posse, in materia etiam gravi, sub levi præcipi (2). — *et aliquousque etiam ab intentione superioris.* Nobis utendum videtur nonnullis distinctionibus, quibus fortasse oppositæ sententiæ conciliabuntur. Nimirum videndum est utrum finis *specialis,* qui supponitur magni momenti, sit *necessarius,* saltem moraliter, an vero solum *utilis;* si necessarius sit, ulterius videndum, an medium electum tale sit ut a subditis haud ægre admittendum judicetur, an vero tale sit ut, attentis circumstantiis, repugnantiæ timeri debeant. Jam vero *a) si finis specialis sit moraliter necessarius et medium electum haud ægre admittendum judicetur, superior tale medium præcepto imponere tenetur, et quidem præcepto gravi;* alius enim præcipiendi modus

ex eo quod valde conducat multumque referat ad votorum observationem. Et cum legislator ecclesiasticus præcipue spectet salutem animarum, attendendum est an ad hanc salutem lex notabiliter conferat, ut inde gravitas materiæ colligatur. Quoniam vero leges sæculares proxime tendunt in bonum commune pacis et tranquillitatis, id quod comparatione illius, magni momenti fuerit, censebitur gravis materia. »

1. Ita Driedo, et Salmeron, apud Suarez, lib. III, c. 27, n. 4; Franc. de Victoria, Dom. Soto, B. Medina, Arragonius, Tannerus, apud Sylvium, l. c., quær. 3, concl. 3, qui eis etiam adhæret; Vasquez, 1-2, disp. 158, c. 4; Bellarminus, *De laicis,* c. XI, ad. 7, Arriaga, Becanus, Reginaldus ap. Lacroix, I, 668.

2. Huic sententiæ favent S. Bernardus, *De præc. et disp.,* c. 7, n. 14; S. Thomas, 2-2, q. 105, a. 2; eamdem amplectuntur Suarez, lib. III, c. 27; Laymann, *De leg.,* c. 14, n. 2; Castropalao, disp. II, p. 8; Bonacina, disp. I, q. I, p. 7, § 4, n. 35; Sayrus, *Clav. reg.,* lib. V, c. 7; Henno, disp. 3, q. 9; Lacroix, lib. I, n. 668; Gonet, disp. 5, a. 3; Billuart, diss, 4, a. 5; Wirceburgenses, a. 5, n. 172. — Istam opinionem S. Alphonsus, lib. I, n. 143, absolute probabiliorem vocat; liceat tamen cum omni reverentia advertere, quæstionem a S. Doctore non nisi perfunctorie expositam, minime propria ipsius industria tractatam videri; quod manifeste patet ex modo quo utriusque sententiæ argumenta indicantur: prout enim referuntur, non aliud continere videntur quam petitionem principii: « An legislator in materia gravi posset obligare tantum sub levi? Prima sententia negat, *quia gravitas obligationis non dependet ex voluntate superioris, sed ex gravitate materiæ* (ecce præcise illud quod quæritur!)... Secunda sententia probabilior affirmat, *quia in legibus obligatio taxatur a legislatore juxta finem intentum,* (en iterum illud quod quæritur).

rationabilis non esset, nec a Deo sanciretur ; at *b/ licet finis sit necessarius, si medium electum ægre admittendum judicetur, poterit superior medium illud imponere mitiori præcepto, nempe sub levi ;* talis etiam præcipiendi modus rationabilis est, si quidem ab una parte consecutionem boni necessarii juvet, ab altera autem parte removeat occasionem multiplicis ruinæ spiritualis ; *c/ si vero finis specialis, licet utilis, non sit tamen necessarius, poterit medium imponi præcepto gravi aut levi pro arbitrio* et *prudentia superioris ;* sic v. g. Ecclesia potuisset jejunium quatuor temporum fidelibus imponere præcepto levi, sicut de facto jejunium adventus sub levi imponitur in nonnullis ordinibus religiosis (1).

136. *Signa quibus dignoscitur.*

Ad discernendam legem obligantem sub gravi a lege leviter obligante, sequentia præ oculis haberi debent : *a/* consideranda sunt legis *elementa*, præcipue ejus *finis* specialis et *connexio* rei præceptæ cum hoc fine ; item *onus* quod lex importat ; licet enim haberi possit obligatio gravis ad rem facilem, non e contra, saltem ordinarie, habetur obligatio levis ad rem vere difficilem ; nam onus grave non imponitur a prudente superiore sine vera necessitate : hæc sequuntur ex supra explicatis. — *b/* Perpendenda sunt *verba* legis, quæ sunt *simplicia* vel *complexa ;* ex verbis simplicibus nullum est quod ex se obligationem gravem denotet (2) ; ex verbis autem complexis hæc obligationem gravem indicant : *districte præcipimus, in virtute obedientiæ, qui hoc fecerit divinam maledictionem incurrat, indignationem SS. Petri et Pauli,* etc. (3). — *c/* Attendendæ sunt *pœnæ* propie dictæ transgressoribus legis intentatæ ; pœna enim gravis, v. g.

1. Propositam sententiam ex parte propugnant Mezger, disp. 35, a. 5 ; Wenzl, *De leg.*, quæst. 4, § 4, quibus consentit Schmier, lib. I, tr. I, c. I. n. 392 : « Si, inquit, materia materialiter sit gravis, potest recipere levem obligationem ; secus si formaliter gravis sit. Ratio est : quia materia, quantumcumque ex objecto suo gravis, non cadit sub obligationem legis, nisi quatenus tanquam medium substat fini per legislatorem intento. Ergo si legislator videat non expedire ad finem a se intentum ut materia de se gravis cum gravi obligatione præcipiatur, forte quod subditi ob nimiam proclivitatem contra illam materiam frequentissime peccaturi prævideantur, poterit attemperare obligationem, ac materiam gravem sub veniali præcipere. E contra si legislator perpendat, omnino exigere salutem Reipublicæ ut materia de se gravis sub mortali præcipiatur, ex justitia legali debebit obligationem gravem injungere : cum alias bonum publicum, ad cujus consecutionem potestas legislativa per se tendit, magis perderet quam promoveret. »

2. Cfr. Suarez, lib. III, c. 26. — 3. Cfr. Suarez, lib. IV, c. 18, n. 3.

excommunicatio, suspensio, interdictum, obligationem quæ violetur gravem, imo gravissimam supponit (1). — *d*/ Tandem scrutandus *sensus fidelium*, eorum præsertim qui pii sunt et docti.

Principia hucusque exposita inserviunt ad determinandam quantitatem obligationis non solum legis ecclesiasticæ sed etiam legis divinæ, cum hac tamen differentia quod, pro lege divina, voluntas legislatoris semper conformis est materiæ. Paulo autem accuratius ea explicare conati sumus, quia eorum applicationi innititur tota materia de peccatis. Aliunde, ut vidimus, non parum aliquando, etiam apud quosdam catholicos, sanæ notiones de legis ecclesiasticæ obligatione obscuratæ fuerunt ; exinde autem ortæ sunt propositiones a Pontificibus damnatæ: « Frangens jejunium ecclesiasticum, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto (2); » — « Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus (3).

Doctrinæ expositæ momentum.

Caput II.

De objecto obligationis legis ecclesiasticæ.

Cum legis *actus* præcipui sint præcipere et prohibere, permittere, punire, irritare, inquiremus quadruplici articulo *ad quid* præcise obliget lex ecclesiastica prout est *præcipiens* vel *prohibens, permittens, puniens* et *irritans*.

ARTICULUS PRIMUS.

De obligatione legis ecclesiasticæ præcipientis et prohibentis.

Dicemus sub hoc titulo non solum de legibus quæ actionum *positionem* aut *omissionem* jubent, sed etiam de iis quæ *præstationes* exigunt.

137. *Lex præcipiens obligat ad actionem humanam, determinatæ speciei moralis,*

Lex ecclesiastica actionem præcipiens *a*/ obligat ad actionem *humanam*, adeoque legi non satisfit sine advertentia et libertate. — *b*/ Obligat ad actionem *determinatæ speciei moralis*,

1. Cfr. Suarez, lib. III, c. 26, n. 4; lib. IV, c. 18, n. 4-7, et præsertim Benedictus XIV, *De Syn.* lib. X, c. 1. — 2. Prop. 23 ex damnatis ab Alex. VII. — 3. Prop. 52 ex damnatis ab Inn. XI.

puta ad fidei professionem, orationem, juramentum, eleemosynam, missæ celebrationem ; idcirco non satisfit legi sine convenienti intentione (1). — *c/* Obligat ad actionem *honestam* seu debito modo factam, ut facile colligitur ex indole et fine potestatis ecclesiasticæ (2) ; hinc legi non satisfit per actum omni ex parte moraliter corruptum ; at satisfieri poterit per actum, qui, licet indebite positus fuerit propter defectum dispositionis vel pravitatem intentionis, non est tamen substantialiter corruptus sub eo respectu sub quo præcipitur : sic obligationi audiendi missam satisfit per auditionem ad malum finem extrinsece ordinatam aut aliis circumstantiis vitiatam, quia hujusmodi auditio non est in ratione cultus externi substantialiter corrupta ; item obligationi celebrandi missam pro grege satisfit a parocho per celebrationem sacrilegam in statu peccati mortalis, quia talis celebratio non est substantialiter corrupta sub respectu sanctificationis aliorum, sub quo præcipitur ; at obligationi confessionis et communionis non satisfit per confessionem et communionem sacrilegam, quia talis confessio aut communio substantialiter corrupta est sub respectu sanctificationis propriæ sub quo præcipitur (3). — *d/* Obligat ad actionem peragendam *debito tempore,* id est tempore assignato, vel, si nullum tempus præcise assignatum fuerit, quam primum commode fieri potest. Quod si tempus assignatum fuerit elapsum, videndum est utrum assignatum fuerit ad *urgendam,* an vero ad *definiendam* obligationem : in primo casu remanet obligatio legem implendi quam primum commode fieri possit : in altero obligatio extincta est ; ita v. g. peccator qui ab anno non est confessus, tenetur quam primum confiteri, quia anni spatium assignatum est ad obligationem urgendam ; at qui non jejunavit in vigilia alicujus festi, aut

honestam,

debito tempore peragendam :

1. Cfr. supra, n. 114 ; Suarez, lib. III, c. 29, n. 12.

2. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 100, a. 9, ubi Commentatores ; item 1-2, q. 96, a. 3, ad 2 ; 2-2, q. 44, a. 4, ad 1, et art. 8 ; in II, dist. 28, a. 3, in corp., etc. ; Suarez, lib. II, c. 10 ; lib. III, c. 29 ; Valentia, disp. 7, q. 8, p. 2 ; Billuart, diss. 4, a. 2 ; et, inter Moralistas, Laymann, *De leg.,* c. 4, n. 6 ; Bonacina, disp. 1, q. 1, p. 9, n. 1-3 ; S. Alphonsus, lib. I, n. 162, etc. — Advertendum tamen, nonnulla de hac re nimis absolute et generaliter asserta occurrere apud eos theologos, qui ante propositiones damnatas ab Alex. VII et Inn. XI scripserunt.

3. Cfr. prop. 55ª ex damnatis ab Innocentio XI et 14ª ex damnatis ab Alex. VII.

qui die dominica missam non audivit, peccavit quidem, sed nulla amplius obligatione tenetur, quia tempus jejunandi et missam audiendi assignatum est ad definiendam obligationem. Aliquando tamen ægre dignoscitur utrum tempus assignatum fuerit ad obligationem urgendam, an vero ad eam definiendam : exemplum habetur in lege ecclesiastica qua præcipitur communio paschalis (1). — *e* Non tamen obligat ad actum *formalis obedientiæ :* scilicet vi legis necesse est ut fiat illud *quod* præcipitur, non autem requiritur ut fiat *quia* præcipitur ; adeoque legi satisfit ab eo qui actionem injunctam ponit, etiamsi ad obligationem non attendat, vel eam ignoret, imo etiamsi eam adimplere nolit (2). — *f* Nec obligat ad actionis præscriptæ *finem* a legislatore itentum, nisi per accidens finis imponatur ; posse autem finem ipsum imponi pro certo tenemus (3). — *g* A fortiori non obligat ad actionis dignitatem *meritoriam,* ac proinde per se legi satisfieri potest a peccatoribus (4). — *h* Tandem non necessario obligat ad actionem ex se *liberam,* sed e contra sæpe obligat ad actionem lege divina, naturali aut supernaturali, jam præscriptam (5) ; quapropter diversis his legibus satisfieri potest uno eodemque actu.

non obligat ad obedientiam formalem,

nec ad meritum.

138. *Lex prohibens mere obligat ad actus omissionem.*

Lex ecclesiastica actionem prohibens, obligat ad solam *negationem* actus ; adeoque omissio, qualiscumque sit, sufficiens erit ut lex non violetur : sic non transgreditur effective præceptum jejunii qui tota die dormiens non manducat, nec præceptum abstinentiæ qui per vim a carnibus arcetur, licet is præceptum transgrediatur affective ; cæterum tales dici nequeunt præceptum moraliter *adimplere.* Ita Suarez : « Præcepta negativa impleri possunt sine ullo actu, quantum est ex forma præcepti, quia per solam negationem actus prohibiti homo est conformis præcepto (6) ; » et alibi : « Licet morali modo præceptum jejunii non impleatur, quando voluntas deest, tamen

1. Cfr. J. de Lugo, *De Euch.,* disp. XVI, s. 4, n. 61 ; Tournely, *De Euch.,* q. 6, a. 3 ; Gousset, tom. II, n. 222.

2. Cfr. Laymann, *De leg.,* c. 4, n. 7 ; Castropalao, disp. 1, p. 17 ; Bonacina, disp. 1, q. 1, p. 10, n. 9 ; S. Alphonsus, lib. 1, n. 163.

3. Cfr. supra, n. 114.

4. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 100, a. 10 ; Suarez, lib. II, c. 11 ; etc. — Huc etiam referri potest Baii prop. 16 : « Non est vera legis obedientia quæ fit sine caritate.

5. Cfr. supra, n. 112. — 6. Suarez, lib. II, c. 10, n. 16.

quoad effectum externum vel substantiam impletur, vel saltem non violatur (1). » Ex quibus etiam apparet « aliud esse non transgredi præceptum, aliud vero implere illud, si proprie loquamur. Omnis enim qui non peccat contra præceptum non transgreditur illud; et tamen non semper qui non peccat contra præceptum implet illud (2). »

139. *Lex præstationes exigens non obligat nisi ad solutionem realem.*

Legibus ecclesiasticis exigi possunt a fidelibus *præstationes*, seu *tributa* quibus subveniatur expensis cultus divini et sacrorum ministrorum sustentationi. Hujusmodi leges sunt in conscientia obligatoriæ; obligare autem possunt non solum ad solvendum tributum, quando ab exactoribus repetitur, sed etiam ad illud ultro solvendum; iis tamen satisfit per quamcumque solutionem, etsi modo non humano peracta fuerit, sicut solutione etiam materiali extinguitur obligatio naturalis restitutionis (3): in iis enim non exigitur nisi æqualitas rei ad rem.

ARTICULUS SECUNDUS.

De obligatione legis ecclesiasticæ permittentis.

Agemus in hoc articulo tum de proprie dicta lege *permittente*, tum de lege *jurium concessiva*, tum de *privilegiis*: omnibus enim istis ordinationibus conveniunt principia in præsenti exponenda.

140. *Lex permissiva quosvis obligat ad non violandam libertatem illius cui permissio datur.*

Lex *permissiva*, ut jam notavimus (4), *ea est quæ homini libertatem ad aliquid agendum positive asserit*; adeoque *permissio legalis* stricte sumpta non solum confundi nequit cum mera *absentia* legis præceptivæ aut prohibitivæ, sed etiam differt tum a singulari *licentia*, tum a simplici *tolerantia*: ista tamen sæpe eodem permissionis vocabulo exprimuntur (5). — Sicut ipsa

1. Suarez, lib. III, c. 29, n. 3.
2. Suarez, lib. II, c. 10, n. 2.
3. Huc pertinent quæ habentur *Decretal.* lib. III, tit. 39, *de decimis*, et tit. 39, *de censibus, exactionibus* et *procurationibus*, ubi vide Reiffenstuel, Schmalzgrüber, etc. Cfr. etiam Suarez, *De rel.*, tom. I, tr. 2, lib. I.
4. Cfr. supra, n. 57, 112.
5. S. Thomas, in IV, dist. 33, q. 2, a. 2, sol. 2, distinguit quatuor modos permissionis « Unus per privationem præceptionis... Secundus per privationem prohibitionis... Tertius per privationem cohibitionis... Quartus per privationem punitionis. »

lege divina, ita lege ecclesiastica homini libertas ad quædam positive et specialiter asseritur. Et quidem ex lege divina et ecclesiastica « secundum ea quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo, quia omnes homines natura sunt pares, puta, in his quæ pertinent ad corporis sustentationem et prolis generationem. Unde non tenentur nec servi dominis nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi (1). » Lege autem ecclesiastica liberi sunt ad religionem ingrediendam tum clerici omnes (2), tum ipsi conjugati antequam matrimonium consummaverint (3), etc. Advertendum autem, posse lege ecclesiastica asseri externam libertatem etiam ad ea quæ mala sunt: qua ratione indigni aliquando ad sacramenta admitti jubentur (4). — Jam vero lex permissiva vere obligatoria est, non quidem relate ad eos quibus permissio datur, sed relate ad alios, ne scilicet prædictos impediant, et, si agatur de actibus in se malis, relate ad judices, ne puniant.

141. *Similiter lex jurium concessiva obligat ad non turbandum jurium possessionem et exercitium.*

Lex concessiva jurium ea est quæ determinatis personis attribuit rerum proprietatem aut usum, puta decimarum, oblationum, et hujusmodi (5), *vel eisdem facultates confert, v. g. eligendi, nominandi ad beneficia,* etc. (6). Talis lex etiam vere obligatoria est: licet

1. S. Thomas, 2-2, q. 104, a. 5. Cfr. conc. Trid. sess. xxv, c. 18, ubi anathemati subjiciuntur qui « coegerint aliquam virginem vel viduam aut aliam quamcumque mulierem invitam... ad ingrediendum monasterium vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis vel ad emittendam professionem »; item « qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impedierint. »

2. Cfr. Benedictus XIV, brev. *Ex quo,* 14 jan. 1747; Bouix, *De Regul.* p. IV, s. I, c. I, § 2.

3. Cfr. *Decretal.* lib. III, tit. 32, *De conversione conjugatorum.*

4. Huc pertinent quæ habet S. Thomas, 1-2, q. 93, a. 3, ad 3: « Lex humana dicitur aliqua permittere non quasi approbans, sed quasi ea dirigere non potens; multa autem diriguntur lege divina, quæ dirigi non possunt humana: plura enim subduntur causæ superiori quam inferiori; unde hoc ipsum quod lex humana non se intromittit de his quæ dirigere non potest, ex ordine legis æternæ provenit. »

5. Exempla habes *Decretal.* lib. II, tit. 25, *De præscriptionibus;* lib. III, tit. 25, *De peculio clericorum;* tit. 26, *De testamentis et ultimis voluntatibus;* tit. 27, *De successione ab intestato,* etc. ubi vide Expositores passim. — Cfr. Bouix, *De parocho,* p. IV, c. 9.

6. Cfr. *Decretal.* lib. I, tit. VI, *De electione et electi potestate;* lib. III, tit. 38, *De jurepatronatus,* etc.

enim per se non obliget jurium possessorem ad ea exercenda, obligat tamen alios, ne ipsum a rebus privent vel a legitima actione impediant.

Privilegium

Privilegium, seu lex privatorum « quasi privata lex (1), » est specialis et constans facultas a superiore concessa. Distinguitur autem in privilegium *late* sumptum et privilegium *stricte* dictum.

142. *late sumptum*

Privilegium late sumptum est facultas specialis et constans integræ personarum classi, puta clericis, religiosis, concessa directe in bonum commune. Ita boni communis intuitu ordinatum est ut Episcopi prærogativis honoris decorentur (2); ut clerici violari non possint (3), nec privari necessariis ad victum (4), nec cogi ad servitia civilia (5), nec coram judicibus laicis attrahi (6); ut regulares a solis suis præpositis gubernentur (7); ut ecclesia-

1. *Decreti* p. 1, dist. 3, c. 3. — Cfr. de privilegio Suarez, toto libro VIII; Laymann, *De leg.*, c. 23; Castropalao, disp. 4; Bonacina, disp. 1, q. 3; Salmanticenses, tr. 18; Wirceburgenses, c. v, a. 3; S. Alphonsus, *App. de priv.* — Jurisperiti rem exponunt *ad Decretal.* l. v, tit. 33, ubi vide Fagnanum, Reiffenstuel, ac præ cæteris Schmalzgrüber; item Paulutius, *Jurisp. sacra,* lib. IV, c. 7 et 8; Schmier, lib. 1, tr. 4, c. 8, § 4; Bouix, *De Regul.* p. v, s. 2, c. 1; Ferraris v° *Privilegium.* — Opera specialia scripserunt Georgius Stengelius, *De dispensatione et privilegiis;* C. Langhayder, *De multiplici privilegiorum significatione;* L. Pisant, *Traité historique et dogmatique des privilèges et exemptions ecclésiastiques.*

2. Exempla habes in Ben. XIV const. *Magno,* 2 jun. 1751; in *Sexto,* lib. v, tit. 7, c. 12, *Quoniam;* cfr. Bouix, *De Episc.*, p. v, c. 34.

3. Cfr. *Decreti* p. II, c. 17, q. 4, c. 29, *Si quis suadente diabolo;* *Clement.* lib. v, tit. 8, c. 1, *Si quis suadente diabolo;* const. *Apostolicæ Sedis,* II, 2.

4. Huc refertur *Decretal.* lib. III, tit. 23, c. 3, *Odoardus.*

5. Cfr. *Decreti* p. II, c. 12, q. 2, c. 69, *Ecclesiarum servos;* *Decretal.* lib. III, tit. 49, c. 4, *Non minus* et c. 7, *Adversus;* *Sexti* lib. III, tit. 20, c. 4, *Quamquam.*

6. Cfr. Conc. Trid. sess. XXV, c. 20, *De reform.;* *Syll.* prop. 30; const. *Apost. Sedis,* 1, 7.

7. Ita Leo XIII, const. *Romanos Pontifices:* « Quamvis in ecclesiastica hierarchia, quæ est *divina ordinatione* constituta, presbyteri et ministri sint inferiores episcopis, horumque auctoritate regantur; tamen quo melius in religiosis ordinibus omnia essent inter sè apta et connexa, ac sodales singuli pacato et æquabili vitæ cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfectioni religiosæ conversationis consultum, haud immerito Romani Pontifices quorum est diœceses describere, ac suos cuique subditos sacra potestate regendos attribuere, clerum regularem Episcoporum jurisdictione exemptum esse statuerunt. Cujus rei non ea fuit causa quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui, quam clerum sæcularem; sed quod earum domus habitæ fuerint juris fictione quasi territoria quædam ab ipsis diœcesibus avulsa. Ex quo factum est ut religiosæ familiæ, quas jure communi et Episcopis propter hieraticum principatum, et Pontifici maximo

rum possessiones protegantur (1), etc. Hujusmodi ordinationes sunt leges proprie dictæ, vere obligatoriæ; et quidem non solum quosvis obligant ad non obsistendum facultatibus concessis, sed etiam plerumque obligant illos quibus concessæ sunt ad iis utendum: vocantur autem privilegia « clausa in corpore juris ».

143. *et stricte dictum.*

Privilegium stricte dictum est facultas specialis et constans individuis personis, locis, institutis, civitatibus, regnis concessa directe in eorum favorem, indirecte etiam in bonum commune. De hujusmodi privilegio nonnulla magis in specie notanda veniunt.

Privilegii stricte dicti ratio.

Prudentis ac sapientis gubernatoris est justis de causis facultates peculiares concedere; causæ vero præcipuæ eas in Ecclesia concedendi sunt *a| ædificatio animarum:* qua ratione v. g. evangelicis operariis ea tribui solent quibus expedite et fructuose in vinea Domini laborent (2); — *b| merita* egregiis virtutibus et operibus comparata: qua ratione favoribus ampliari solent ecclesiæ particulares, instituta religiosa (3), principes Christiani (4); — *c| excellens personarum conditio:* qua

propter primatum Pontificium immediate subesse oporteret, in Ejus potestate esse perrexerint, ex Episcoporum potestate per privilegium exierint. » Cfr. Benedictus XIV, *De Syn.* lib. I, c. 4; Zaccaria, *Antif. Vind.*, diss. X, c. 4; Bollandiani, *Examen Historicum*, c. 15, n. 13.

1. Huc pertinent v. g. *Decretal.* lib. II, tit. 26, c. 14, *Cum vobis;* lib. III, tit. 26, c. 11, *Relatum est;* Benedicti XIV const. *Ad honorandam,* § 30.

2. Hoc præcipuo fine privilegia quædam a Sanctis Religionum fundatoribus expetita novimus: ita S. Franciscus, ap. Wadding. ann. 1229: « Hoc itaque sit nobis singulare privilegium, nullum privilegium habere per quod elevemur in superbiam, vel in quo confisi velimus ulli præjudicium et lites excitare: sed ea tantum postulemus a Sancta Sede Apostolica, per quæ ejus fidem dilatare, Deo obsequium præstare et animas lucrari valeamus, cum prælatorum bona venia et sancta pace populorum. » Similiter S. Ignatius, *Const.* p. 10, n. 12: « Juverit etiam moderatus et prudens usus gratiarum per Sedem Apostolicam concessarum, solius auxilii animarum fine sincerissime nobis proposito. Sic enim divina bonitas opus hoc, quod cœpit, promovebit; ac bonus odor, qui veritati bonorum operum innitatur, hominum devotionem augebit: ut et a Societate ipsi juvari et eamdem ad propositum sibi finem obsequii et gloriæ divinæ majestatis juvare curent. »

3. Merito scripsit Schmalzgrüber, l. c., n. 38, hoc motivo concessa fuisse *pleraque* Regularium privilegia; « quia his Summi Pontifices præclara illorum merita in conversione infidelium, defensione fidei, administratione sacramentorum, etc. exhibita remunerari volebant. » Cfr. *Examen historicum*, c. 15, n. 12.

4. Exemplum memoratum habes in Leonis XIII encycl. *Humanæ salutis auctor:* « Portugalliæ vero atque Algarbiorum regibus, quod rei catholicæ

ratione multa regibus attributa fuerunt (1); — *d/* tandem ipsa Ecclesiæ *utilitas* gratiis prudenter collatis capienda, vel etiam iniqua temporum *necessitas* (2). — Privilegium formaliter concessum in recompensationem meritorum dicitur *remuneratorium;* secus vocatur *gratiosum* (3).

Conceditur facultas *a/ rescripto,* et in eo casu habetur privilegium *scriptum;* vel *oretenus,* et in eo casu habetur privilegium *vivæ vocis,* quod tamen in scripturam redigi potest, et testimonio authentico, ab iis quibus ex officio hoc incumbit, fide dignum reddi, ita ut valeat non solum in foro interno, sed etiam in foro externo (4); — *b/ motu proprio* superioris, vel *ad instantiam,* id est, formaliter ob petitionem privilegiati aut alterius qui ejus partes gerit (5); — *c/ absolute,* vel *sub conditione* et *onere* (6); — *d/ simpliciter,* quo casu dicitur privilegium *purum,* vel *cum pacto,* ultro citroque obligante, quo casu dicitur privilegium *conventionale* (7). — *e/ Facultas* semel concessa non

concessio.

---

incrementis profuissent, nominatimque diœceses... ære suo munifice dotassent, Romani Pontifices grati animi causa jus patronatus in novensiles episcopales sedes concessere. »

1. Singularum fere gentium Dynastæ sua habent privilegia; hinc v. g. art. 16 concordati anni 1801 Pius VII « recognoscit in primo Consule Gallicanæ Reipublicæ eadem jura ac privilegia, quibus apud Sanctam Sedem fruebatur antiquum regimen. »

2. Huc pertinent varia indulta et privilegia concessa Rerum publicarum Moderatoribus quoad episcoporum nominationem aut præsentationem, etc.: antiquiora accurate recenset Riganti, *Ad regul. cancell.* I et 2, recentiora habent Nussi, *Conventiones de rebus ecclesiasticis inter S. Sedem et civilem potestatem variis formis initæ,* et G. De Luise, *De jure publico seu diplomatico Ecclesiæ Catholicæ.*

3. Adverte *remuneratoria* stricto sensu ea sola dici privilegia quæ concessa sunt *formaliter* propter merita; ut enim monent Doctores, « non obstat privilegio gratioso etiamsi in ejus concessione respiciantur merita privilegiati, modo non respiciantur ut merita, et ita ut dans privilegium per hujus concessionem illa velit remunerari et *quodammodo satisfacere.* » Schmalzgrüber, l. c., n. 381.

4. Huc pertinet Clementis XII const. *Romanus Pontifex,* ann. 1732: cfr. Suarez, lib. VIII, c. 4; Schmalzgrüber, n. 240-242, ubi inquirit quid de facto tenendum sit circa privilegia *vivæ vocis.*

5. Cfr. Schmalzgrüber, l. c., n. 46-49.

6. Schmalzgrüber, l. c., n. 50-53. — Sic privilegium patronatus adnexa secum onera fert.

7. Cfr. Schmalzgrüber, l. c., n. 42-45. — Facultates in *concordatis* collatæ regulariter sunt *privilegia;* quamvis autem a nonnullis existimatum fuerit ea esse privilegia pura et gratuita, videntur tamen potius dicenda privilegia *conventionalia;* cfr. de hac quæstione et controversia Auctores citati *Intr.* n. 194, pag. 165, not. 16; et præter eos, Tarquini, *Jur. Eccl. publ. Inst.* lib. I, c. 2; Hergenrœther, *Kathol. Kirche und Christl. Staat,* XIV, 33;

raro a superiore confirmatur, sive *in forma communi,* et tunc privilegium robur accipit quatenus existit; sive *ex certa scientia,* et tunc renovatur privilegium si forte amissum fuerat, nisi tamen agatur de privilegio subreptitio aut de privilegio revocato a concilio generali (1).

acquisitio, Acquiritur facultas per *directam concessionem* (2), vel per *communicationem,* si nempe superior facultatem uni concessam ad alios extendat; extendi autem potest facultas triplici modo: *a*/ per *aggregationem* iis qui jam ea potiebantur, quando nempe unum et idem privilegium quod paucioribus antea concessum erat, postea pluribus confertur, eos quasi cæteris adjungendo: hoc casu si augeatur vel minuatur privilegium in his quibus fuit primo concessum, pariter augetur vel minuitur in aliis; — *b*/ per *derivationem* ab iis qui principaliter privilegiati sunt: qua ratione privilegia conventuum sæpe applicantur eorum familiaribus, privilegia dominorum servis, etc.; in eo casu si minuatur vel revocetur privilegium quoad personas quibus concessum est principaliter, minuitur vel revocatur etiam quoad personas in quas secundario derivatur, non autem vicissim; — *c*/ per concessionis *similitudinem,* ita ut privilegium uni prius concessum sit *mensura* privilegii posterius concessi, quod consequenter est illius *imitatio;* in eo casu privilegium communicatum non subsistit, nisi illud ad cujus similitudinem concessum est, valorem et effectum habeat; attamen, semel facta concessione, si augeatur, restringatur vel revocetur privilegium ei cui prius collatum fuit, non ideo augetur, restringitur vel revocatur aliis quibus postea communicatum est: utrumque enim stat per se, ut reipsa distinctum, et licet unum sit *ad instar* alterius, posterius tamen a priore non dependet (3).

possessio, Facultas concessa inhæret *personæ,* et dicitur privilegium *personale;* — vel *rei,* puta fundo, ecclesiæ, dignitati, et dicitur

Liberatore, ap. *Civilta Cattolica,* ser. VIII, vol. 8, p. 129 et in op. *La Chiesa e lo Stato;* Labis, ap. *Revue Catholique,* tom. 33, p. 5; de Laage, ap. *Etudes Religieuses,* jul. 1872; Vering, ap. *Archiv.* t. 27 et in opere *Lerhbuch der Kath. und prot. Kirchenrechts,* p 415, etc.

1. Cfr. Schmalzgrüber, l. c., n. 114.

2. De acquisitione privilegii per consuetudinem, vel per præscriptionem, cfr. Suarez, lib. VIII. c. 7, n. 5; Schmalzgrüber, l. c., n. 94, 95.

3. Cfr. Schmalzgrüber, l. c., n. 77 et seq. ubi etiam explicatur quænam privilegia de facto inter Regulares communicentur.

privilegium *reale;* — vel *corpori morali,* v. g. capitulo, conventui, etc., et dicitur privilegium *mixtum:* corpori autem inhæret vel ita ut ad solum corpus qua tale pertineat, vel ita ut descendat ad singula corporis membra (1).

vis,

Valet facultas concessa: *a/* ad aliquid *agendum* quod lege non conceditur aut prohibetur, vel ad *omittendum* quod lege præcipitur: in primo casu privilegium dicitur *præter* jus, in altero *contra* jus (2); — *b/* ad aliquid agendum vel omittendum *sine præjudicio tertii,* et in eo casu habetur privilegium *favorabile,* cujusmodi est v. g. facultas audiendi missam tempore interdicti; vel etiam *cum præjudicio tertii,* et in eo casu habetur privilegium *odiosum,* cujusmodi est, v. g. exemptio a decimis (3).

obligatio,

Jam vero concessa hæc facultas variam inducit obligationem. Imprimis obligat *omnes,* ne privilegiatum impediant in usu sui privilegii, dummodo tamen illud fuerit ipsis debite insinuatum, vel aliunde satis sit manifestum (4). Deinde obligat *judices,* ut eumdem privilegiatum in suo jure protegant. Imo per accidens obligare potest ipsum *privilegiatum* ad utendum suo privilegio: hoc autem contingit *a/* ratione *charitatis:* si v. g. confessario concessa sit facultas absolvendi a reservatis, tenetur ea uti erga pœnitentem bene dispositum; — *b/* ratione *justitiæ, officii, promissionis:* si v. g. Principi concessa fuerit facultas exclusiva præsentandi ad beneficia, tenetur ea uti congruo tempore, nisi eidem renuntiare velit: — *c/* ratione *specialis obedientiæ:* si v. g. facultas concessa fuerit *corpori morali,* poterit superior membris præcipere ut ea utantur; — *d/* ratione *obedientiæ generalis:* v. g. si facultas possibilem reddat missæ auditionem, breviarii recitationem, ad quam secus impedimentum haberetur, tenetur qui ea potitur, ipsa uti (5).

1. Cfr. Schmalzgrüber, l. c., n. 33-38.

2. Cfr. Schmalzgrüber, l. c., n. 57, 58, qui prius, n. 20, adverterat privilegium contra jus *particulare* non valere nisi in rescripto ponatur formula hujus juris derogatoria. — Distinctio privilegii *præter* et *contra* jus non coincidit cum alia distinctione privilegii *affirmativi* et *negativi;* ut enim notat Suarez, lib. VIII, c. 6, n. 9, licet privilegium *negativum* sit semper contra jus, privilegium *affirmativum* potest esse contra vel præter jus.

3. Cfr. Schmalzgrüber, l. c., n. 61-64, cum iis quæ prius n. 20-21 adverterat de necessitate formulæ juris tertii derogatoriæ ut privilegio odioso suus valor adsit.

4. Cfr. Schmalzgrüber, l. c., n. 27-28.

5. Cfr. Suarez, lib. VIII, c. 23, n. 7; Schmalzgrüber, l. c., n. 97-100.

interpretatio. Ad rectum privilegii usum et plenam obligationum adimpletionem conducit prudens ac rationabilis interpretatio. Jam vero evidens est interpretationem authenticam fieri a solo privilegii auctore (1); quoad doctrinalem, servandæ sunt generales regulæ supra expositæ, et insuper sequentia attendenda: *a/* ita explicandum est privilegium ut semper aliquem saltem favorem specialem importet; — *b/* cæterum generatim late interpretanda sunt privilegia favorabilia, nec non ea quæ concessa sunt *motu proprio,* aut in favorem religionis; — *c/* e contra regulariter stricte interpretanda sunt quæ nocent juri tertii vel derogant legi aut consuetudini particulari, vel iniqua temporum necessitate quasi extorquentur (2).

duratio. Quamvis privilegium ex se sit vel perpetuum vel aliqua saltem stabilitate præditum, potest tamen multiplici causa cessare, ita ut ejus usus fiat illicitus. Et quidem *a/* cessat ex parte *auctoris,* tum per *revocationem* ab eo factam; ubi notandum est privilegia conventionalia revocari non posse nisi ex causa publicæ necessitatis (3), ægre revocari privilegia remuneratoria (4), facilius vero revocari privilegia principaliter concessa in ædificationem (5); tum per ejus *mortem,* quando concessum est pro vita vel ad beneplacitum (6). — *b/* Ex parte autem *subjecti,* cessat per *mortem,* si privilegium sit *personale,* vel *per totalem ejus destructionem,* sine spe restitutionis, si sit *reale,* vel per *dissolutionem,* si sit *mixtum* (7); item per *renuntiationem,* sive explicitam, sive implicitam factam ab iis in quorum favorem

1. Hinc *facultatum* quæ concordatis *conceduntur* interpres authenticus est solus Pontifex. Cfr. Auctores supra citati. — Dicimus *facultatum;* quoad alia enim contingere poterit ut interpretatio procedere debeat ab utraque parte conveniente.

2. Cfr. Schmalzgrüber, l. c., n. 117 et seq. — Hinc generatim stricte interpretandæ sunt concessiones in concordatis modernis factæ.

3. Cfr. quæ Auctores citati habent de concordatorum rescissione.

4. Qua fidelitate Ecclesia privilegia remuneratoria sarta tecta velit, discimus ex recenti negotio patronatus Lusitani in Ecclesias Indiarum; cfr. Leonis XIII bulla *Humanæ salutis Auctor,* Encycl. *Pergrata nobis,* concordatum cum Lusitaniæ Gubernio, 22 jun. 1886.

5. Exemplum hujusmodi revocationis habetur in const. *Apost. Sedis.* — Cfr. Schmalzgrüber, l. c., n. 219-244 ubi examinatur quænam Regularium privilegia fuerint a Concilio Tridentino revocata.

6. Cfr. Schmalzgrüber, l. c., n. 150-156.

7. Cfr. Schmalzgrüber, l. c., n. 146-149.

privilegium directe concessum est (1). — *c/* Tandem ex parte *objecti*, cessare potest per totalem *desitionem causæ finalis*, vel per *defectum conditionis* sub qua concessum est privilegium (2).

ARTICULUS TERTIUS.

De obligatione legis ecclesiasticæ punientis.

ANTEQUAM expendatur propria *vis* legis ecclesiasticæ punientis, abs re non erit tum pœnæ *notionem* philosophicam et theologicam exponere, tum *potestatem* puniendi Ecclesiæ competentem asserere (3).

1. Cfr. Schmalzgrüber, l. c., n. 177-193. — Hinc patet renuntiari non posse privilegio late dicto, quod Clericis, Regularibus conceditur directe in bonum commune; nec a singulis membris communitatis renuntiari posse privilegio corpori concesso; nec renuntiari posse privilegio conventionali, absque Auctoris consensu.

2. Cfr. Schmalzgrüber, n. 160-175.

3. Veram pœnæ *ideam* variis locis evolvunt Scholastici, nempe ubi agunt de peccato actuali et originali, de justitia, de vindicta, de novissimis, de Christi Domini passionibus; cfr. Magister cum suis Expositoribus, lib. II, dist. 30, 36, 42; S. Bonaventura, in II, dist. 36 et 41; *Brevil.* p. III, c. 10; S. Thomas cum suis Commentatoribus, 1-2, q. 87; q. 105, a. 2; 2-2, q. 108 et q. 164; *Cont. Gent.*, lib. III, c. 140-144. Inter Philosophos præ cæteris consulendus Taparelli, tum in *Essai théorique de droit naturel*, lib. IV, c. 3, a. 3, tum apud *Civiltà Cattolica*, ser. 1, tom. 10, *Mitezza dei tribunali nei governi ammodernati;* optima etiam habet Haus in suis *Principes de droit pénal belge*, tit. prælim. — Ecclesiæ *potestas ad imponenda singulis christianis opera satisfactoria* adstruitur ubi sermo est de foro interno, de sacramento pœnitentiæ et de disciplina pœnitentiali: cfr. opera Morini, Sirmondi, Petavii, Wasserschleben, Schmitz, aliaque indicata *Intr.* n. 151, p. 90; n. 164, p. 105; n. 174, p. 118-121; n. 176, p. 126; n. 183, p. 135-137; n. 185, p. 141; n. 186, p. 150; n. 193, p. 162. Ecclesiæ vero *potestas ad pœnas reis infligendas* vindicatur a Theologis scholasticis et polemicis ubi agunt de Romano Pontifice, de fide, de hæreticis, de tolerantia; cfr. Franc. de Victoria, *Relect. de potest. eccles.;* Suarez, *De fide*, disp. 20-23; *Fidei defensio*, lib. III, c. 6; Bellarminus, *De laicis*, c. 21 et 22; Petavius, *De eccl. hier.* III, 8; Lugo, *De fide*, disp. 21; Bianchi, *Della potestà e polizia della chiesa;* Hergenrœther, *Kirche und Staat*, XI; *Civiltà cattolica*, ser. VI, tom. 3 et 4, *L'Enciclica del 8 dicembre e la libertà;* Palmieri, *De Ecclesia*, § 19; De Brouwer, *De Eccl.*, n. 198-202, aliique indicati *Intr.* n. 176, p. 123-126; n. 186, p. 147-150; n. 194, p. 164; item a quibusdam Jurisperitis, v. g. Devoti, *Inst. can.*, lib. IV, tit. 1 et tit. 17; Bouix, *De jud.*, p. 1, s. 2; a modernis autem Apologetis ostenduntur tum intrinseca perfectio et beneficus in humanam civilitatem influxus disciplinæ *pœnitentialis*, tum usus rationabilis et misericordia plenus potestatis *coercitivæ;* cfr. v. g. Kurth, *Les origines de la civilisation chrétienne*, tom. I, c. 3, tom. II, c. 10; Balmes, *Le protestantisme comparé avec le catholicisme*, tom. I, c. 35-37. — Leges Ecclesiæ pœnales in specie *exponunt* Jurisperiti et Moralistæ in *Decretal.* lib. V, tit. 36 et tit. 39; in specialibus libris de censuris, in expositionibus bullæ *Cœnæ* et bullæ *Aposto-*

144. *Pœnæ notio,*

Pœna latissime sumpta est gravamen seu malum quod aliquis subire cogitur propter actionem in se minus rectam. Jam vero gravamen illud vel imponitur in *reparationem detrimenti* ad juris æqualitatem reducendam, et in hoc casu habetur *restitutio;* — vel offertur in *satisfactionem pro offensa*, ad condonationem obtinendam ac gratiam recuperandam, et in hoc casu habetur *pœnitentia;* — vel assumitur in *morale remedium pro defectu,* et in hoc casu habetur quædam *compensatio;* — vel subitur *pro noxa,* et in hoc casu habetur *punitio* seu *pœnæ* stricte dictæ inflictio. Etenim « est de ratione pœnæ quod sit contraria voluntati, et quod sit afflictiva, et quod pro aliqua culpa inferatur (1). »

ratio,

Intima igitur pœnæ *ratio* est *culpa;* debitum autem pœnæ ex culpa ortum vocatur *reatus* (2). — Jam vero: *a)* culpa reatum pœnæ involvens est *legis violatio,* illi, qui pœnæ subjicitur, *propria;* nemo enim punitur propter culpam omni ex parte alienam (3): dicimus *omni ex parte alienam;* nam ad pœnam *naturæ* sufficit culpa naturæ seu ejus capitis (4); pariter ad pœnam *socialem*, quam quis scilicet ut membrum communitatis patitur, sufficit culpa socialis (5); ad pœnam *principis* sufficit culpa *subditorum* non impedita; insuper advertendum, idem illud, quod uni infligitur propter culpam, alteri conferri posse

licæ Sedis, denique in tractatibus de hæreticis, maleficis, blasphematoribus aliisque istiusmodi: cfr. præ cæteris Suarez, Bonacina, Sayrus, Hugolinus, De Coninck, *De censuris;* Duardus, *In bullam cœnæ;* Sprengerus, Delrio, Torrecilla, Eymeric, Carena aliique citati *Intr.* n. 161, p. 102; n. 176, p. 123-126; n. 186, p. 146-147. — Tandem propriam legum pœnalium *vim* et *obligationem* explicant Theologi cum nonnullis Jurisperitis; cfr. præter Eximium doctorem nostrum, lib. v, c. 3 et seq., inter Scholasticos, Vasquez, disp. 159, c. 2; Salas, disp. 15, s. 1; Sylvius, in 1-2, q. 96, quær. 8; Gonet, *Clyp. thom.*, disp. 6; Billuart, diss. iv, a. 4; Wirceburgenses, a. 5, § 2, n. 177; inter Moralistas, Alphonsus a Castro, *De pot. leg. pœn.*, lib. 1; Laymann, *De leg.*, c. 15; Bonacina, disp. 1, q. 1, p. 7, § 2; Castropalao, disp. 1, p. 15; Lacroix, lib. 1, n. 607; Roncaglia, q. 11, c. 2; S. Alphonsus, lib. 1, n. 145-150; inter Canonistas, Reiffenstuel, lib. 1, tit. 2, § 9; Schmier, lib. 1, tr. 1, c. 1, n. 238.

1. S. Thomas, 1-2, q. 46, a. 6, ad. 2: cfr. *De malo,* q. 1. a. 4; *Comp. theol.*, n. 122-123. — 2. Cfr. S. Thomas, in 11, dist. 30, q. 1, a. 2, etc.

3. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 87, a. 8.

4. Ita S. Thomas, 1-2, q. 87, a. 7: « Si loquamur de pœna simpliciter secundum quod habet rationem pœnæ, sic semper habet ordinem ad culpam propriam: sed quandoque quidem ad culpam actualem.., quandoque vero ad culpam originalem. »

5. Huc per oppositionem applicari possunt quæ alibi de communione sanctorum explicantur. Cfr. etiam *Decretal.* lib. v, tit. 7, c. 10, *Vergentis; Sexti* lib. v, tit. 2, c. 15, *Statutum.*

in beneficium: sic mors filii potest simul esse et pœna quoad parentes, qui filio privantur, et gratia quoad filium, qui morte beatitudinem acquirit (1). — Deinde *b*/ culpa pœnæ reatum involvens est *violatio legis voluntaria;* violatio enim involuntaria ad summum importat debitum restitutionis vel compensationis.

natura.

De *natura* pœnæ est ut sit *afflictiva* et consistat in *privatione boni utilis* vel *boni delectabilis;* cum enim utilia dirigantur ad honesta et ex honestis delectabilia sequantur, convenit ut, qui ordinem moralem violavit utilia negligendo et delectabilia indebite quærendo, horum jacturam patiatur; at pœna consistere nequit in privatione boni honesti, scilicet in peccato, nisi per accidens, in quantum peccatum sequitur ex remotione impedientium (2). — Jam vero *a*/ pro diversa indole boni cujus est privatio, pœna distinguitur in *spiritualem* et *temporalem;* pœna *spiritualis* est *privatio boni ad vitam supernaturalem pertinentis:* sic peccati primorum parentum pœna fuit privatio justitiæ originalis, peccatorum actualium pœna aliquando est subtractio auxiliorum internorum vel externorum, peccati mortalis pœna est privatio visionis divinæ, etc. (3); pœna *temporalis* est *privatio boni ad vitam naturalem directe pertinentis:* sic peccati primorum parentum pœnæ fuerunt mors corporalis, ærumnæ et morbi, ignorantia, etc. (4). — *b*/ Pro diversa autem ratione qua fit privatio, pœna distinguitur in *negativam,* quæ est remotio a bono obtinendo, stricte *privativam,* quæ est destitutio boni acquisiti, et *positivam,* quæ est mali illatio.

causa.

Pœnæ *causa* efficiens principalis extrinseca est; sicut enim malum culpæ consistit in operari, ita malum pœnæ consistit

1. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 87, a. 8.

2. Ita S. Thomas, 1-2, q. 87, a. 2. « Sunt causæ inclinantes ad peccatum passiones, tentatio diaboli, et alia hujusmodi; quæ quidem causæ impediuntur per auxilium divinæ gratiæ, quæ subtrahitur per peccatum; unde cum ipsa subtractio gratiæ sit quædam pœna et a Deo, sequitur quod per accidens etiam peccatum quod ex hoc sequitur, pœna dicatur. »

3. Cfr. præ cæteris Lessius, *De perfectionibus divinis,* lib. XIII.

4. Ita S. Thomas, *De malo,* q. 1, a. 4: « Habet hoc traditio fidei quod nullum nocumentum creatura rationalis potuisset incurrere neque quantum ad animam, neque quantum ad corpus, neque quantum ad aliqua exteriora, nisi peccato præcedente vel in persona vel saltem in natura; et sic sequitur quod omnis talis boni privatio, quo uti quis potest ad bene operandum in hominibus, pœna dicatur, et pari ratione in Angelis; et sic omne malum rationalis creaturæ vel sub culpa vel sub pœna continetur. »

in pati (1); hoc tamen non impedit quominus malum afflictivum voluntarie acceptetur, vel etiam ab ipso patiente executioni mandetur. — Jam vero duplici modo potest pœna imponi: vel ita ut ipsa lege inferatur, et siquidem cum ipso peccato connexa sit, statim eo commisso incurratur; vel ita ut inferenda sit actu distincto: pœna priori modo imposita dici solet *sententiæ latæ*, saltem si agatur de lege ecclesiastica; imposita altero modo vocatur *ferendæ sententiæ*.

finis. Triplex assignatur pœnæ *finis:* primus et præcipuus est mali *expiatio* et ordinis moralis per culpam læsi restauratio: iste finis obtinetur per realem pœnæ inflictionem (2); — alter est mali *præventio* et ordinis *defensio:* iste finis obtinetur tum pœnæ comminatione, per timorem injectum, tum reali pœnæ inflictione, per exemplum; — tertius est malefactoris *emendatio:* iste finis obtinetur pœnæ passione, præsertim si acceptata fuerit. — Advertatur necessarium non esse ut in singulis casibus triplex ille finis simul intendatur; legitime enim punitur ille etiam qui nocere amplius non potest, vel jam emendatus est, vel emendari nequit. Prout autem unus vel alius finis specialius intenditur, pœna vocatur *reparativa, exemplaris, medicinalis.*

necessitas. Socialis *necessitas* pœnæ ab auctoritate infligendæ implicatur in *directionis efficacia;* attentis enim eorum ignorantiis et cupiditatibus, non sufficienter homines ad ordinem moralem servandum impelluntur amore recti, nec cogitatione perfectæ illius sanctionis, quæ in altera vita habetur, nec contemplatione sanctionis imperfectæ quæ naturaliter habetur in vita præsenti (3). Idcirco auctoritas socialis, dum pœnas infligit,

1. S. Thomas, *De malo*, q. 1, a. 4 et 5; 1, q. 48, a. 5 et 6, etc.

2. Huc spectant quæ scripsit Ortolan, *Eléments de droit pénal*, n. 186. « L'harmonie entre le bien et le bonheur, entre le mal et la souffrance, n'est pas seulement une conception de notre raison; elle est encore pour nous un sentiment. Nous éprouvons une satisfaction morale si cette harmonie se réalise; nous souffrons moralement, si elle n'existe point; et tel est l'empire de cette conception et de ce sentiment, que, voyant ce rapport si souvent renversé ici-bas, tous les peuples, dans leurs croyances mêmes les plus grossières, s'élancent en pensée vers une autre vie, où la balance devra se faire et où chacun sera exactement jugé et traité suivant ses œuvres. »

3. Sanctionem imperfectam dicimus causalem illum nexum in natura rerum fundatum, « vi cujus (per se et præscindendo ab accidentalibus impedimentis) cum observatione ordinis moralis, sive individualis sive socialis, per modum effectuum naturalium multiplicia bona tum individualia tum socialia, cum illius læsionibus vero, præsertim gravioribus, similiter multiplicia mala conjunguntur. » Theod. Meyer, *op. cit.*, n. 262.

divinæ gubernationi subservit, divinum honorem peccato læsum vindicat, hominesque impedit ne a fine penitus deflectant, et pœnæ æternæ subjaceant.

conditiones.

Pœnæ *conditiones* tres præcipuæ enumerantur: prima, ut pœna sit culpæ *proportionata;* — altera ut sit *conformis indoli* ac *fini* societatis et *potestati* superioris; — tertia, ut sit *accommodata* personarum et locorum *circumstantiis:* sine hujusmodi conditionibus nec justa esset pœna quatenus expiatrix, nec esset efficax quatenus exemplaris et medicinalis.

Definitio legis pœnalis:

Ex dictis intelligitur *pœnam essentialiter esse obligationis præsuppositæ adjutorium,* quo nempe ejus observatio obtinetur, et violatio reparatur; adeoque lex pœnalis est ordinatio mali afflictivi ad malum morale præcavendum vel expiandum. — *Quapropter, si stricte loqui velimus, repugnat ut detur vera lex pure pœnalis; non tamen repugnat ut detur lex mere pœnalis minus stricte dicta, quæ scilicet disjunctive tantum obliget vel ad actum ponendum vel saltem ad onus subeundum;* potest enim « expedire ad pericula animarum vitanda hoc tantum modo cogere ad actum alias convenientem communitati: quia coactio aliqua est utilis, et quod major non fiat est etiam utile animabus, et pertinet potius ad suavem providentiam quam ad rigorem (1). » *Nihilominus talis modus præcipiendi nobis non videtur rationabilis, nisi onus impositum ex se valeat ad specialem finem actus obtinendum, ejusque defectum aliquousque compensandum, non autem si vim mere coactivam habeat;* v. g. potest sane præcipi jejunium sub sola pœna eleemosynæ, tributum sub sola pœna mulctæ, quia in ratione operis satisfactorii, jejunium eleemosyna compensatur, et tributum solutione mulctæ; at non posset, v. g., usus vestis ecclesiasticæ præcipi sub sola pœna mulctæ, quia in tali materia mulcta non habet nisi vim coactivam, nec ullo modo compensat rei injunctæ defectum; tenetur ergo superior rem istam determinate injungere; quam si determinate injungat, oritur obligatio in conscientia: stante enim vero imperio, non pendet a voluntate imperantis ut obligatio adsit vel non adsit (2).

legis mere pœnalis indoles et possibilitas.

145. *Potest Ecclesia tueri observationem*

Fide certum est Ecclesiæ competere potestatem non solum pœnitentias imponendi volentibus, sed etiam pœnis cogendi invitos. Talis potestas

1. Suarez, lib. v, c. 4, n. 6. — 2. Cfr. Sylvius, 1-2, q. 96, a. 4, quær. 1.

a/ continetur in perfecta auctoritate directiva (1); — *b/* in sacris litteris expresse indicatur (2); — *c/* constat ex usu Ecclesiæ (3); — *d/* definitionibus Pontificum vindicatur (4).

legum propriarum aliarumque divinarum et humanarum

Et quidem potest Ecclesia pœnis tueri tum ordinationes proprias tum etiam leges naturales ac divinas, imo et civiles : sequitur ex munere Ecclesiæ commisso homines efficaciter ad finem dirigendi, ac proinde procurandi adimpletionem omnium obligationum (5).

pœnis spiritualibus

Potest imprimis Ecclesia delinquentes coercere pœnis spiritualibus : sicut enim Deus peccatores punit auxilia subtrahendo, ita Ecclesia eosdem punit ipsos separando a suffragiis et aliis spiritualibus, ut sibi relicti infirmitatem suam recognoscant et humiles redeant unde superbi abscesserant (6); hujusmodi pœnæ sunt excommunicatio, interdictum, suspensio, quæ vario gradu privant usu sacramentorum, precibus Ecclesiæ communibus, divinis officiis, sepultura ecclesiastica, usu et exercitio jurisdictionis, habilitate impetrandi beneficia et dignitates.

et temporalibus, sive realibus sive corporalibus

Etiam potest Ecclesia delinquentes coercere pœnis temporalibus, tum realibus, tum proprie corporalibus. Et sane hujusmodi pœnæ, *a/* sunt *conformes indoli et fini societatis ecclesiasticæ :* sicut enim Ecclesiæ commissum est officium efficaciter dirigendi ad sanctitatem et beatitudinem, non puros spiritus, sed homines anima et cor-

1. Cfr. supra, n. 41, 44, 45.

2. Cfr. Matth. XVIII, 15-17; I Cor. IV, 21; V, 1; II Cor. X, 3-6; II Thess. III, 14; I Tim. I, 20, etc.

3. Ecclesiæ praxim et doctrinam exhibent Tertullianus, *Apol.* 39; S. Cyprianus, *Epist. 55 ad S. Cornelium. De quinque presbyteris,* n. 14; *Can. Apost.* 73 (vel 74); *Const. Apost.* lib. II, c. 11-12, 37-38, 42-43, 47-48, etc. Cfr. Bouix, *De jud.* l. c. § 2.

4. Huc pertinent Joannis XXII, const. *Licet juxta doctrinam* (ap. Rainald. ann. 1327, n. 28); Benedicti XIV breve *Ad assiduas;* Pii VI, const. *Auctorem fidei,* prop. 4; Pii IX *Syll.* prop. 24; Leonis XIII encycl. *Immortale Dei.*

5. Cfr. supra, n. 108, 112.

6. Ita S. Thomas, in IV, dist. 18, q. 2, a. 1, quæstiunc. 2: « Judicium Ecclesiæ conforme debet esse judicio Dei; Deus autem multipliciter peccatores punit, ut eos ad bonum trahat. Uno modo flagellis castigando; alio modo hominem sibi relinquendo, ut auxiliis subtractis quibus a malo præpediebatur, suam infirmitatem cognoscat, et humilis ad Deum redeat, a quo superbus abscessit: et quantum ad utrumque Ecclesia in excommunicationis sententia divinum judicium imitatur; in quantum enim eum a communione fidelium separat ut erubescat, imitatur divinum judicium quo per flagella castigat; in quantum autem a suffragiis et aliis spiritualibus separat, imitatur divinum judicium, quo hominem sibi relinquit ut per humilitatem seipsum cognoscens ad Deum redeat. »

pore constantes, ita ei concedi debuit facultas utendi mediis animam et corpus afficientibus (1). — *b*/ Sunt *efficaces:* etenim secundum dictum Prophetæ, « vexatio dat intellectum (2) ; » et, ut loquitur S. Gregorius M., « ex carnis afflictione spiritus salvus fit (3). » — *c*/ Sunt *necessariæ:* dantur enim crimina, v. g. hæreseos, quæ relate ad delinquentes, inefficaces reddunt pœnas spirituales, siquidem solus earum timore afficitur qui fidem habet: idcirco in talium criminum reos pœnis temporalibus, quas unice sentiunt, agendum est. — Cæterum hanc pœnis temporalibus utendi facultatem, quæ in suprema auctoritate sociali implicatur, Ecclesia semper sibi *asseruit* (4), et pro temporum ratione etiam *exercuit,* mulctas (5), exilium (6), detentionem (7), verberationem (8), infligendo.

Imo Ecclesia probabilius potest decernere ut non solum temporales pœnæ mitiores adhibeantur, sed etiam graviores: hæ enim pœnæ necessariæ esse possunt tum ad scelerum expiationem, tum ad religionis defensionem, tum ad reorum emendationem ; earum autem applicatio per judicium et executionem, licet minus conveniat mansuetudini ministrorum Ecclesiæ et indoli fidei christianæ, quæ persuasioni non violentiæ innititur, juste tamen committitur vel etiam imperatur potestati sæculari. Etenim « uterque in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius et materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab

etiam gravissimis:

1. Ita Suarez, *Def. fidei cath.* lib. III, c. 6, n. 10 : « Licet Ecclesia quoad finem et præcipua media spirituale regnum sit, nihilominus, quoad personas, ex quibus constat, etiam est terrestris, et actiones, in quibus regi vel dirigi vel corrigi debet, terrestres etiam sunt, id est, externæ et sensibiles, et illis mediantibus servanda est pax, unitas, religio et cætera omnia, quæ ad convenientem hujus corporis gubernationem sunt necessaria. Ergo non minus est in hoc regno necessaria potestas suprema, quæ humano et sensibili modo membra ejus et actiones eorum in ordine ad æternam salutem dirigat et gubernet. »

2. Is. XXVIII, 19.

3. S. Gregorius M. *Epist.* IV, 27.

4. Huc revera pertinent acta Joannis XXII, Benedicti XIV, Pii VI, Pii IX supra relata, et insuper conc. Trid. sess. VII, can. 14.

5. Cfr. v. g. S. Gregorius Magnus, *Epist.* IV, 25 ; conc. Lat. V, sess. 10 ; Trid. sess. IV ; alia exempla prostant ap. Ben. XIV, *De syn.* X, 9.

6. S. Gregorius Magnus, *Epist.* XI, 71.

7. Cfr. S. Gregorius Magnus, *Epist.* IX, 65 ; X, 4.

8. Cfr. S. Augustinus, *Ep.* CXXXIII, n. 2 ; S. Gregorius Magnus, *Epist.* IV, 27 ; II, 65 ; Conc. Agathense, ann. 506, c. 38 ; etc. — Plura dabit Bouix, *op. cit.*, c. VI, § 1.

Ecclesia exercendus; ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis » (1). — Revera, ubi temporum ratione sinebatur, et majora mala non timebantur videmus communi utriusque potestatis actione, latas in quorumdam criminum reos pœnas etiam gravissimas (2).

item pœnis ipso facto incurrendis.

Tandem Ecclesia potest legibus statuere non solum pœnas reis post condemnationem infligendas, sed etiam pœnas incurrendas ipso facto (3). Talis enim puniendi modus conformis est tum indoli societatis ecclesiasticæ, quæ internam membrorum sanctificationem spectans, ad eorum conscientiam appellare potest; tum naturæ nonnullorum criminum, quæ secus difficilius attingerentur; tum characteri quarumdam pœnarum, quæ vel ipsa lege inferri possunt vel saltem ab ipsis reis haud ægre executioni mandari:

1. Bonifacius VIII, bulla *Unam Sanctam*, cujus verba desumpta sunt ex S. Bernardo, *De consid.*, lib. IV, c. 3, n. 7. Huc etiam referri possunt dicta S. Leonis, *Epist.* 15, *ad Turribium*, in princ.: « Profuit diu ista districtio ecclesiasticæ lenitati; quæ etsi sacerdotali contenta judicio cruentas refugit ultiones, severis tamen christianorum principum constitutionibus adjuvatur, dum ad spiritale nonnumquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. »

2. De pœnis contra hæreticos formales et infideles vide Thomassin, *Traite historique et dogmatique des Edits*, etc. 3 vol. Crf. etiam, Julien Havet, *L'hérésie et le bras séculier au moyen-âge, (bibliothèque de l'Ecole des Chartes*, ann. 1880.) Conclusiones D. J. Havet, sunt sequentes :

I. Depuis la chute de l'empire romain jusqu'à la fin du X^e^ siècle, les hérétiques n'ont été justiciables que de la juridiction ecclésiastique, et passibles que des peines ecclésiastiques.

II. Au onzième, au douzième et au commencement du treizième siècle, il faut distinguer deux groupes géographiques.

1° Dans les pays de langue germanique et de langue d'oil, les hérétiques durant toute cette période ont été généralement poursuivis et brulés vifs, sans pourtant que ce supplice leur fut infligé en vertu d'une loi ou d'une coutume positive.

2° Dans les pays de langue italienne et de langue d'oc : *a*/ pendant le premier tiers du XI^e^ siècle, les hérétiques ont été quelquefois persécutés et mis à mort; — *b*/ ensuite, et jusqu'aux dernières années du XII^e^ siècle, ils ont été habituellement tolérés; — *c*/ A la fin du XII^e^ siècle et au commencement du XIII^e^ siècle, ils ont été punis du bannissement, de la confiscation des biens, etc.

3° Pendant le XIII^e^ siècle, se sont établies dans tous les pays des lois ou des coutumes qui condamnaient les hérétiques au feu, et ce supplice est ainsi devenu universellement la peine légale de l'hérésie.

3. Pœnis ipso facto incurrendis plus minus adversi fuerunt Godescalcus Rosemundus, Ayala, Van Espen et quidam alii; eas egregie vindicarunt Suarez, lib. V, c. 4, et *De censuris*, disp. III, s. 8; Theophilus Raynaudus, *De monit. eccl.*, p. 2, c. 20; Benedictus XIV, *De syn.*, lib. X, c. 1, n. 3; Devoti, lib. IV, tit. 18, n. 8.

idcirco semper usitatus fuit apud christianos, ut constat ex sacris litteris (1), et ex antiquioribus conciliis (2).

146. *Quo modo reus adstringatur lege statuente pœnam negativam,*

Legum Ecclesiæ pœnalium propria obligatio determinari debet attenta pœnarum *natura*, et considerata *ratione* qua inferuntur.

Quoad pœnarum naturam distinguendum est inter pœnas negativas, privativas et positivas. — *a*/ Pœnæ *negativæ* eæ dicuntur quæ reum a bono *acquirendo* removent, ita ut vel ab acquirendo prohibeatur, vel etiam acquirendi incapax reddatur: hujusmodi sunt irregularitas ex delicto, matrimonii impedimentum ex crimine, etc.; tales pœnæ, cum consistant in effectu morali, non solum lege statuuntur, sed etiam lege vel sententia *inferuntur*. Jam vero lex pœnam negativam statuens, ubi applicationem suam habet, obligat reum ad abstinendum ab iis a quibus prohibetur, puta ab ordinibus sacris, a matrimonio, et, si non abstineat, ad mala inde consequentia reparanda (3). — *b*/ Pœnæ *privativæ* eæ dicuntur quæ reum destituunt bono *acquisito;* duplicis sunt speciei: aliæ enim destituunt a *jure* vel a *juris exercitio*, cujusmodi sunt suspensio, et, quoad conjuges, privatio juris petendi debitum matrimoniale propter incœstum; aliæ vero destituunt a *jure* et *possessione*, cujusmodi sunt privatio officii, beneficii, bonorum: prioris speciei pœnæ consistunt totaliter in effectu morali, et consequenter ipsa lege vel sententia inferuntur; posterioris speciei pœnæ consistunt tum in effectu morali tum in effectu physico, et consequenter non perfecte inferuntur ipsa lege vel sententia, sed insuper requirunt *executionem*. Jam vero lex statuens pœnam juris ejusve exercitii privativam, ubi applicationem habet, reum obligat ad abstinendum ab iis omnibus ad quæ jus ablatum est; lex vero statuens pœnam privativam juris et possessionis, reum aliquando obligat ad abdicandum bonum possessum, v. g. ad renuntiandum officio vel beneficio, aliquando solum ad subeundam despoliationem, v. g. in casu

privativam,

1. Cfr. Gal. I, 9; Tit. III, 10, 11; Jud. 19.
2. Conc. Illiber. c. 1; Ancyr. c. 1; Antioch. c. 1, etc.
3. Sic v. g. ex conc. Lat. V, et ex bulla S. Pii V, *Ex proximo*, 20 sept. 1571 (ap. *Septim. Decretal.* I, 15) beneficiario omittenti divinum officium fructus beneficii negantur: quod si percepti fuerint, restitui debent.

positivam; confiscationis. — *c/* Pœnæ *positivæ* eæ sunt quæ reo malum afferunt; cum autem in effectu physico consistant, non *inferuntur* lege nec sententia, sed postulant executionem distinctam, ad quam requiritur *actio,* v. g. pecuniæ solutio, verberatio, vel *omissio,* v. g. jejunium, detentio; hæc vero actio vel omissio aliquando multum naturæ repugnat, aliquando non. Jam vero lex statuens pœnam positivam naturæ non multum repugnantem, reum obligare potest ad actionis vel omissionis afflictivæ executionem, v. g. ad pecuniam solvendam, ad abstinendum a cibis, ad non egrediendum e loco assignato, etc.; at lex statuens pœnam positivam naturæ multum repugnantem, reum obligat solummodo ad non resistendum executioni ab aliis peragendæ.

quandonam adstringatur Quoad *modum* quo pœnæ inferuntur, distinguendæ sunt leges ipso facto punientes a legibus punientibus post sententiam. Imprimis *a/* nonnullæ leges pœnales suam applicationem habent *ipso facto* culpæ admissæ absque ullius sententiæ necessitate: ita sæpe obligant leges statuentes pœnas negativas et pœnas juris ejusve exercitii privativas, v. g. excommunicationem, suspensionem, interdictum (1); ita etiam obligare possunt leges statuentes pœnas privativas juris et possessionis (2); imo non repugnat ut ita obligent leges statuentes pœnas positivas moderatas (3). — *b/* Nonnullæ leges pœnales suam

ipso facto

1. Excommunicationes, suspensiones et interdicta quæ ipso facto incurruntur, recenset const. *Apostolicæ Sedis.* — Aliud exemplum habes in conc. Trid., sess. XXIII, c. 1, *De reform.:* « Statuit sacrosancta Synodus eum (qui non residet) pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, *alia etiam declaratione non secuta,* illos sibi retinere posse. »

2. Exemplum adest in *Sexto,* lib. I, tit. 6, c. 14, *Licet canon:* « Quod si intra idem tempus (annum) promotus (ad sacerdotium) non fuerit (qui parochiam obtinuit), Ecclesia sibi commissa, *nulla etiam præmissa monitione,* sit præsentis constitutionis auctoritate privatus. » Item in conc. Later. V, sess. 5, ubi Cardinalis in electione Pontificis simoniacus, dicitur eo ipso *absque alia declaratione* beneficiis privatus; cfr. Suarez, lib. V, c. 8, n. 9-24. — Alii tamen, v. g. Schmier, lib. I, t. I, c. I, n. 272-274 et S. Alphonsus, lib. I, n. 148, minus absolute loquuntur.

3. Ita Suarez, lib. V, c. 7, n. 6: « Ordinarie non solent cogi homines per solas leges ad hujusmodi actiones (flagellationem, exilium), licet non repugnet obligari. Ideoque in his maxime pœnis verum est, verba debere esse luce clariora, ut talem obligationem inducant. Harum vero legum exempla non habemus in jure civili et canonico. » Mox addit facilius posse hujusmodi obligationem imponi quoad pœnas pecuniarias, « quia ex genere suo leviores sunt et sine dedecore vel infamia impleri possunt; » exemplum autem affert ex jure civili Hispanorum, nullum ex jure canonico, n. 7-11.;

applicationem habent imperfectam quidem *ipso facto,* perfectam vero *post sententiam criminis declaratoriam;* ita facile obligant leges statuentes pœnas juris et possessionis privativas; vi earum pœnæ sunt facto alligatæ, sed non sunt executoriæ ante declarationem; posita autem declaratione, debentur a die commissi criminis ([1]). — *c/* Aliæ leges suam applicationem habent tantum *post sententiam condemnatoriam:* ita obligant plerœque leges pœnas positivas statuentes, et multæ etiam leges statuentes pœnas negativas et privativas; vi earum pœnæ non debentur a die commissi criminis, sed a die condemnationis.

post sententiam declaratoriam,

post sententiam condemnatoriam.

Non solum lex pœnalis *reum* prædicto modo obligat ut pœnam subeat, sed etiam obligat *judicem* ut secundum eam pœnas decernat, et *justitiæ ministros* ut pœnas exequantur ([2]); imo *cæteros* etiam indirecte obligat ut in suis cum reo relationibus pœnæ impositæ rationem habeant, v. g. excommunicatum non eligendo ad beneficium, non admittendo ad sacramenta, etc.: quæ obligatio aliquando novis pœnis sancitur ([3]).

Legis pœnalis principia hucusque exposita, servata proportione, applicari possunt ad *promissionem* vel *conventionem pœnalem;* potest enim in votis, testamentis, aliisque contractibus apponi et suscipi obligatio ad onus subeundum casu promissionis non adimpletæ vel conventionis violatæ; et quidem talis obligatio apponi et suscipi potest duplici modo: nempe per modum *punitionis* pro infidelitate, et in eo casu habetur promissio vel conventio moralis simul et pœnalis; vel per modum solius *compensationis* pro rei defectu, et in eo casu habetur promissio vel conventio disjunctiva et mere pœnalis. Urget autem prædicta obligatio vel ipso facto promissionis

Promissio et conventio pœnalis.

---

tandem, n. 12, fatetur, in jure canonico non haberi exemplum jejunii in pœnam ipso facto impositi.

1. Cfr. Suarez, lib. v, c. 8, n. 3; Schmalzgrüber, lib. v, tit. 37, n. 51-62; Schmier, lib. 1, tit. 1, c. 1, n. 269-283, etc. — Exemplum adest in *Sexto,* lib. v, tit. 2, c. 19, *Cum secundum:* « Bona hæreticorum ipso jure de fratrum nostrorum consilio decernimus confiscata. Confiscationis tamen hujusmodi executio, vel bonorum ipsorum occupatio fieri non debet per principes aut alios dominos temporales..... antequam per Episcopum loci vel aliam personam ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata. »

2. Cfr. Suarez, lib. v, c. 11.

3. Cfr. const. *Apost. Sedis,* II, 16, 17 etc.

aut conventionis violatæ, ut in votis, vel ad partis petitionem, vel etiam sòlum post judicis sententiam (1).

ARTICULUS QUARTUS.

De obligatione legis ecclesiasticæ irritantis.

AGEMUS sub hoc titulo tum principaliter de lege *actuum conditiones* determinante, tum etiam de lege *qualitates* et *dotes* ad munia ecclesiastica requirente. Prius tamen quam exponatur propria istarum legum obligatio, abs re non erit asserere *potestatem* irritandi Ecclesiæ competentem, et varias irritationis *species* exponere (2).

147. *Irritationis notio.*

IRRITATIO seu actus *annullatio,* ita ut is effectum suum moralem producere nequeat, est medium quoddam ad directionis socialis efficaciam, prohibitioni et punitioni per modum cujusdam supplementi accedens: hujus autem medii ordinatio ad bonum commune dicitur lex *irritans*.

Potestas irritandi Ecclesiæ competens.

Jam vero competere Ecclesiæ potestatem actus irritandi fide certum est; talis enim potestas *a*/ est necessarium attributum auctoritatis supremæ in societate perfecta (3); — *b*/ de facto ab Ecclesia constanter exercita fuit (4); — *c*/ in concilio Tridentino expresse vindicata est: si enim Ecclesia irritare valet contractum matrimonialem, qui ad dignitatem sacramenti evectus est, a fortiori alios actus valet irritare (5).

1. Cfr. Lessius, *De just. et jure,* lib. II, c. 20, n. 136; Lugo, *De Just. et jure,* disp. XXII, sect. 15; tract. noster *De religione,* I, n. 327 et n. 387.

2. De potestate irritandi Ecclesiæ competente agunt Theologi, ubi de matrimonii impedimentis: cfr. Sanchez, *De matr.* lib. III, disp. 4, lib. VII, disp. 1; Perrone, *De matr. christ.,* lib. II, s. 1, c. 2; Feije, *De imp. et disp. matrim.,* c. 1, aliique citati *Intr.* n. 186, pag. 150, n. 193, pag. 162. — Legum irritantium effectum in specie explicant Moralistæ et Jurisperiti in materiis de *electione, professione religiosa, contractibus et ultimis voluntatibus, sponsalibus et matrimonio.* — De obligatione vero legum irritantium cfr. præ cæteris Suarez, lib. V, c. 19 et seq.; Laymann, *De leg.,* c. 16; Castropalao, disp. 2, p. 8 et 9; Roncaglia, q. 2, c. 4; Wirceburgenses, c. IV, a. 5, § 3; Schmier. lib. I, tr. 1, c. 1, n. 311; Reiffenstuel, lib. I, tit. 2, § 11, n. 239.

3. Cfr. supra, n. 41, 44, 45 et n. 74, ubi ostenditur irritatione non mutari legem naturalem. — Cæterum, ut infra explicabitur, similis potestas, licet gradus inferioris, etiam competit auctoritati dominativæ; qua de re agitur in tractatu *De religione,* I, 428.

4. Plura omnium ætatum exempla statim afferentur.

5. Sess. XXIV, can. 2 et 3: cfr. Perrone, *De matr. christ.,* lib. II, s. 2, c. 2.

148. Potest lege ecclesiastica irritatio decerni diverso *modo*, diverso *gradu* et diversa de *causa*.

Duplex modus irritandi:

Et quidem duplici *modo* fit annullatio, nempe personam *agentem* directe attingendo, vel magis directe attingendo *actum*. — Priori modo agentis voluntas inefficax redditur sive *absolute* sive *relative:* ita v. g. impuberes (1), clerici in majoribus ordinibus constituti et religiosi solemniter professi (2) sunt *absolute* incapaces contrahendi matrimonium cum quacumque persona; christianus autem est *relative* incapax contrahendi matrimonium cum infideli (3), cum consanguineis et affinibus in gradu determinato (4), cum consanguineis personæ quacum sponsalia vel matrimonium ratum inivit (5), cum spiritualiter vel legaliter cognatis (6). — Posteriori modo præscribuntur conditiones et formæ sine quibus actus vel non est firmus vel non consistit: ita v. g. non valet matrimonium, nisi contrahatur coram parocho et duobus testibus (7); non valet professio religiosa, nisi eam præcesserit annus probationis (8); non valet electio, nisi « præsentibus omnibus qui debent, et volunt, et possunt commode interesse, assumantur tres de collegio fide digni qui secrete et sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta mox publicent in communi » (9); non valet alienatio bonorum diœcesis aut monasterii, nisi fiat de consensu cleri vel conventus (10); generatim firmitatem non habent ea quæ vi metusve causa fiunt (11).

personas inhabilitando,

actuum formas præscribendo.

1. Cfr. *Decretal.* lib. IV, tit. 2; *Sext.* lib. IV, tit. 2, *De desponsatione impuberum;* Ben. XIV, const. *Magnæ nobis.*
2. Cfr. *Decretal.* lib. IV, tit. 6, *Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt;* conc. Trid. sess. 24, can. 9.
3. Cfr. *Decretal.* lib. IV, tit. 1, *De sponsalibus et matrimoniis;* Ben. XIV, epist. *Singulari nobis,* 9 feb. 1749.
4. Cfr. *Decretal.* lib. IV, tit. 13, *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ vel sponsæ,* et tit. 14, *De consanguinitate et affinitate.*
5. Cfr. *Decretal.* lib. IV, tit. 14, *De cons. et aff.;* conc. Trid. sess. XXIV, cap. 3, *De reform. matr.*
6. Cfr. *Decretal.* lib. IV, tit. 11, *De cognatione spirituali* et tit. 12, *De cognatione legali;* conc. Trid. sess. XXIV, cap. 2, *De reform. matr.*
7. Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 1, *De reform. matr.*
8. Conc. Trid. sess. XXV, cap. 15. *De reform. Regul.*
9. *Decretal.* lib. I, tit. 6, c. 42, *Quia propter;* conc. Trid. sess. XXV, cap. 6, *De reform. Reg.*
10. Cfr. *Decreti* p. II, c. 12, q. 2, c. 52, *Sine exceptione; Clem.* lib. III, tit. 4, c. 1, *Monasteriorum.*
11. Cfr. *Decretal.* lib. I, tit. 40.

Quadruplex irritationis gradus :

Quadruplici *gradu* valor actus lege attingi potest. *a/* Aliquando enim actus *ipsa lege sola plenissime irritatur*, quin ulla judicis sententia necessaria sit : ita irritatur matrimonium impedimentis modo indicatis, item electio simoniæ labe infecta (1) vel contra requisitas formas peracta (2), bonorum ecclesiasticorum submissio facta laicis absque consensu capituli et licentia Papæ (3), etc. — *b/* Aliquando actus *ipsa quidem lege irritatur, ita tamen ut ad plenum effectum necessaria sit sententia irritationis declaratoria :* hoc modo videtur irritari electio facta a non majori parte capituli et omissa collatione (4), adjectio pœnæ in sponsalibus (5). — *c/* Aliquando actus non irritatur ipsa lege, sed *irritari jubetur, ita ut ad irritationem necessaria sit sententia judicis annullatoria ;* multa enim « per patientiam tolerantur, quæ, si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debent tolerari (6) » : hoc modo facile irritantur actus qui vel ex metu procedunt, vel pœnam merentur (7). Jam vero sententia annullatoria in eo differt a sententia declaratoria nullitatis, quod hæc non illa retrotrahatur ad tempus initi actus (8). — *d/* Aliquando actus in se et in foro interno non attingitur, sed *simpliciter non protegitur in foro externo,* quatenus lex nullam ejus curam habet, vel instrumentum quo constat non admittit ; aliud enim est non valere in foro interno ipsum actum, aliud non valere in foro externo actus instrumentum.

absque ulla sententia,

post sententiam declaratoriam,

post sententiam annulatoriam,

pro foro externo.

Causa irritationis : bonum commune, bonum tertii,

Multiplici de *causa* lege decernitur actuum irritatio. — *a/* Imprimis decernitur directe in *bonum commune :* hac causa irritatur matrimonium clandestinum, matrimonium clericorum in majoribus ordinibus constitutorum, etc. — *b/* Decernitur etiam directe in *favorem et specialem tutelam* quarumdam personarum, corporum moralium : hac causa irritatur alienatio bonorum ecclesiasticorum absque consensu capituli, monaste-

1. Cfr. *Decretal.* lib. v, tit. 3, c. 23, *Matthæus,* et *Extr.* lib. v, tit. 2, c. 2, *Cum detestabile.*

2. Cfr. conc. Trid. sess. xxv, cap. 6, *De reform. Regul.*

3. Cfr. *Sexti* lib. III, tit. 9, c. 2, *Hoc consultissimo ;* necnon *Extrav.* lib. III, tit. 4, c. 1, *Ambitiosæ ;* const. *Apost. Sedis,* IV, 3.

4. Cfr. *Decretal.* lib. I, tit. 6, c. 50, *Innotuit.*

5. Cfr. *Decretal.* lib. IV, tit. 1, c. 29, *Gemma ;* Sanchez, *De matr.*, lib. I, disp. 31. — 6. *Decretal.* lib. III, tit. 5, c. 18, *Cum jamdudum ;* cfr. Suarez, lib. V, c. 21 et c. 27.

7. Cfr. Suarez, l. c., c. 27 ; Reiffenstuel, lib. I, tit. 2, § 11, n. 245.

8. Cfr. Reiffenstuel, l. c., n. 260 ; et supra, n. 146, p. 359.

rii, etc. — *c/* Præterea decernitur in *bonum* et *protectionem* ipsius agentis: hac causa irritatur matrimonium impuberum, professio ante annum decimum sextum emissa, promissio metu extorta, etc. — *d/* Tandem decernitur in *pœnam criminis*, et quidem duplici ratione; quandoque enim in vindictam prioris delicti decernitur irritatio actus posterioris moralem connexionem cum eo habentis: sic in pœnam uxoricidii irritatur subsequens matrimonium cum complice (1); quandoque autem in vindictam alicujus actus decernitur ejusdem irritatio, quæ idcirco habenda est tanquam prohibitionis sanctio: sic olim Pontifices « ordinationes eorum qui sine certo titulo promoventur, in injuriam ordinantium irritas esse voluerunt et inanes (2); » sic etiam non tenet consensus electioni præstitus a religioso, non petita superioris licentia (3). — Confundi autem nequit irritatio hæc pœnalis cum pœna lata in eos qui actum quavis causa irritum attentant: ita excommunicantur qui per simoniam beneficium invalide recipiunt (4), clerici qui matrimonium contrahere præsumunt (5); illi vero qui matrimonium clandestinum contrahunt, graviter arbitrio Ordinarii puniri jubentur (6).

bonum ipsius agentis,

crimen.

Quod si jam attente comparetur *irritatio* cum *prohibitione* et *punitione,* sequentia statim apparebunt: — *a/ Non omnis lex prohibens per se simul est irritans;* sicut enim ratio prohibitionis non eadem est ac ratio irritationis, ita causa postulans actus prohibitionem non eo ipso postulat actus prohibiti irritationem; unde « multa fieri prohibentur quæ, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem (7). » Ut ergo lex prohibens censeatur *irritans,* vel adesse debet in legislatore voluntas irritandi distincta a voluntate prohibendi, sive specialis ea fuerit, sive generalis (8): et in eo casu habetur irritatio *explicita;* vel saltem

Comparatio irritationis cum prohibitione

1. Cfr. *Decreti* p. 11, c. 13, q. 1, c. 5, *Si quis vivente; Decretal.* lib. IV, tit. 7, *De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.*
2. Cfr. *Decretal.* lib. III, tit. 5, c. 16, *Cum secundum.*
3. Cfr. *Sexti* lib. I, tit. 6, c. 27, *Si religiosus.*
4. Cfr. *Extr.* lib. V, tit. 1, c. 2, *Cum detestabile;* const. *Apost. Sedis,* II, 8, 9.
5. Cfr. const. *Apost. Sedis,* III, 1.
6. Cfr. conc. Trid. sess. XXIV, cap. I, *De reform. matrim.*
7. *Decretal.* lib. III, tit. 31, c. 16, *Ad Apostolicum;* cfr. Suarez, lib. V, c. 25.
8. Sic quoad jus Romanum generalis voluntas irritandi actus prohibitos exprimitur cod. lib. I, t. 14, l. 5, *Non dubium* « Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum,

talis esse debet causa legis, quæ effectum actus magis aut æque respiciat quam actum ipsum: et in eo casu habetur irritatio *implicita* (1). *b| Propter eamdem rationem non omnis lex*

qui contrahunt lege contrahere prohibente... Ea quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit inutile esse debere, quod factum est. » Quoad jus vero canonicum non videtur adesse generalis voluntas irritandi actus prohibitos, ut colligitur tum ex aliis multis exemplis, tum manifestissime ex matrimoniis clandestinis. Docet enim Tridentinum, sess. XXIV, c. 1, « matrimonia clandestina libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit »; et subjungit: « Nihilominus sancta Dei Ecclesia illa semper detestata est, atque prohibuit. » Quomodo autem his non obstet regula 64 Juris in *Sexto:* (Quæ contra jus fiunt debent utique pro infectis haberi), vide ap. Suarez, l. c., c. 29, Reiffenstuel, l. c., n. 246-250, etc.

1. Ita Suarez, lib. V, c. 27, n. 8: « Alius modus (quo prohibitio irritationem involvit) erit, quando ratio legis prohibentis magis aut æque respicit effectum actus quam ipsum actum, quia nimirum actus prohibetur solum propter vitandum talem effectum; nam tunc signum est magis prohiberi ipsum effectum, juxta illud: *Propter quod unumquodque tale, et illud magis.* Exemplum esse potest in lege prohibente apponere pœnam sponsalibus; ratio enim illius prohibitionis est, ut matrimonia sint libera, c. *Gemma, De Spons.*, et ideo lex prohibens appositionem talis pœnæ non solum negat actionem civilem ad talem pœnam extorquendam..., sed etiam impedit absolute ne ulla obligatio ad pœnam ex tali contractu nascatur, quia semper talis obligatio obstaret libertati matrimonii. Aliud exemplum est de lege civili prohibente promissionem revocandi testamentum, vel instituendi hæredem, quæ lex censetur irritans ex vi rationis prohibendi, quæ est, quia testamenta debent esse libera. » Prius autem, n. 7, explicaverat cur lex prohibens naturalis sæpius sit irritativa quam lex prohibens positiva: « Lex naturalis non tantum dictat quid sit honestum vel turpe in actione aliqua, sed etiam dictat quid tale sit in usu illius vinculi vel effectus quem talis actus post se relinquere posset. Nam si talis usus habet turpitudinem intrinsecam ejusdem rationis cum turpitudine prioris actionis, tunc necesse est etiam illum usum prohiberi ex vi ejusdem legis naturalis, et consequenter impediri effectum, seu vinculum quod solum propter talem usum induci poterat. Nam si induceretur, esset etiam turpe et contra rationem, quia esset iniquitatis vinculum, ut in exemplo de matrimonio inter consanguineos in primo gradu videre licet. At vero in lege positiva non procedit hæc ratio eodem modo, nisi sit tantum declarativa legis naturalis; tunc enim reputatur tanquam eadem lex, et ideo eadem erit utriusque ratio: ut quando lex prohibet promissionem turpem ex parte objecti, eo ipso annullat illam, vel potius declarat esse nullam, quia eadem turpitudo quæ est in actu promittendi, esset in obligatione ad rem turpem, si per illum induceretur, et ideo præsenti non agimus de lege positiva declarativa juris naturalis, sed de constitutiva novi juris. Hæc autem lex non prohibet actum quia malum, sed prohibendo facit ut sit malus. Potest autem prohibere actum, et non prohibere sed tolerare effectum ejus, vel quia causa prohibitionis quæ fuit in actu cessat in effectu; vel quia, licet duret, non ita movet ad prohibendum effectum sicut actum, quia non apparet tanta indecentia vel deformitas in uno sicut in alio. Hoc patet exemplis...; nam lex prohibens contrahere matrimonium contra interdictum Ecclesiæ non irritat illum quia vinculum

irritans per se simul prohibens est, adeoque ut lex irritans censeatur *prohibens,* adesse debet in legislatore voluntas prohibendi distincta a voluntate annullandi, vel saltem materia talis esse debet quæ non patiatur actum invalidum, ut sunt materiæ sacramentorum, religionis, jurisdictionis (1). — *c/ Præterea, sicut ab una parte non omnis lex irritans est pœnalis* (2), *ita ab altera parte non omnis lex pœnalis est irritans :* v. g. matrimonium contra interdictum Ecclesiæ celebratum pœnæ subjacet quamvis validum sit (3).

et punitione.

149. *Lex irritans obligat ad ea omnia quæ ex irritatione intrinsece sequuntur,*

Lex proprie irritans, qua talis, ubi suam habet applicationem (ante omnem judicis sententiam, vel post sententiam declaratoriam nullitatis, vel post sententiam annulatoriam) obligat ad rationem irritationis habendam seu ad non innitendum actui inefficaci. « Ergo si actus ille sit acceptio vel acquisitio alicujus rei, ex tali lege sequitur obligatio non utendi, nec fruendi illa re tanquam propria, nec contrectandi eam illo modo quo rem alienam contrectare non licet : ut, si tali actus sit matrimonium, non licet ad conjugem accedere, neque alia jura conjugis aut mariti usurpare; si sit professio religiosa, non licet actus proprios religiosorum efficere, et sic de aliis, quæ fundari poterant in actus validitate ; nam, sublato fundamento, ruunt omnia quæ ex illo oriri aut in illo fundari poterant (4). » — Quatenus autem *prohibens* est aut *pœnalis,* legi irritanti conveniunt quæ supra de lege prohibente et pœnali dicta fuerunt.

Quando lex ipso facto actum plenissime irritat, ejus effectus nulla ratione impediri potest, suppositis conditionibus ex parte materiæ requisitis ad applicationem : at, quando irritat post sententiam, potest effectus impediri vario modo. Utraque pars assertionis facile intelligitur ex notionibus supra traditis ; alteram distinctius exponit Suarez : « Quoties lex irritat actum dependenter a sententia

nisi effectus ejus impediatur.

permanens, seu matrimonium, in facto esse non est ita contra interdictum Ecclesiæ, sicut in fieri. Lex vero prohibens matrimonium inter cognatos ex solo catechismo prohibet actum, et non impedit effectum, etiamsi ille modus cognationis semper duret inter conjuges, quia lex humana solum reputavit illam ut aliqualem indecentiam ad contrahendum de novo ; non vero ad permanendum in matrimonio semel contracto. »

1. Cfr. Suarez, lib. v, c. 20.
2. Cfr. Suarez, lib. v, c. 19.
3. Cfr. *Decretal.* lib. iv, tit. 16, c. 1, *Litteræ.*
4. Suarez, lib. v, c. 20, n. 13-14.

judicis, licet actus a principio irritabilis sit ratione legis, nihilominus ejus irritatio multis modis impediri potest : et dum non irritatur, actus permanet validus sive juste, sive injuste irritatio impediatur : utroque enim modo id contingere potest. Primo enim impeditur sine injustitia si actus sit occultus, ita ut in judicio probari non possit ; quia ex vi talis legis nemo tenetur actum suum irritare vel contractum dissolvendo vel spoliando se rebus acceptis... Secundo potest hæc irritatio actus (etiamsi publicus seu probabilis sit) sine injustitia impediri aut ex consensu partium, quia neutra vult actum rescindere, aut quia illa pars, cujus interest, non vult litem movere nec rescissionem intentare... ; aut etiam per legitimam præscriptionem adversus actionem seu actorem, qui fuit negligens in petenda irritatione. Tertio potest hæc irritatio impediri, licet actus sit publicus et probabilis et ad judicem delatus ut illum irritet, quia judex cum effectu illum non irritat, seu sententiam non profert ; nam, sive jure sive injuria id facere omittat, quamdiu cum effectu actum non irritat, ille valorem suum retinet cum omnibus effectibus qui ab illo nascuntur (1). »

Lex actui non assistens.

Lex non proprie irritans, sed solum actui non assistens, talem eum relinquit qualis est de jure naturali, atque judicem solum obligat ut in foro externo illius rationem non habeat : sicut ergo nullam in foro externo tribuit actionem illi cui actus erat proficuus, ita nullum in foro conscientiæ dat jus illi contra quem idem actus erat positus.

150. *Obligatio legis dotes requirentis ad officia et beneficia.*

Sicut Ecclesia definit conditiones et formas actuum, ita determinat dotes et qualitates necessarias ad munia et beneficia (2). Jam vero leges, quibus istæ qualitates determinantur, vel solum morales sunt vel etiam irritantes ; obligant autem tum electores et superiores ad non conferenda munia aut beneficia iis qui idonei non sunt ; tum subditos ut prædicta munia et beneficia non ambiant aut non recipiant si debitis qualitatibus prædiți non sint (3).

1. Suarez, lib. V, c. 21, n. 2 et c. 22.

2. Exempla habes *Decretal.* lib. I, tit. 6, c. 7, *Cum in cunctis ;* conc. Trid. sess. VI, c. 1, *De reform. ;* sess. XXIII, c. 6, *De reform. ;* sess. XXIV, c. 12, *De reform.*

3. Cfr. Jurisperiti passim in lib. I, tit. 6 ; Lugo, *De just. et jur.*, disp. 35 ; S. Alphonsus, lib. V, n. 92-114.

Caput III.

De subjecto obligationis legis ecclesiasticæ.

Exposita propria vi legis ecclesiasticæ, inquirendum venit quinam ea afficiantur : dicemus autem tum de conditionibus generatim requisitis ut quis teneatur lege ecclesiastica, tum de conditionibus requisitis ut quis specialibus nonnullis legibus subjaceat (1).

ARTICULUS PRIMUS.

De subjecto obligationis in genere.

151. *Legibus Ecclesiæ non tenentur infideles,*

Omnes quidem homines magisterio Ecclesiæ commissi sunt ; soli tamen illi Ecclesiæ regimini subsunt qui per baptismum in Christo renati sunt et corpori ejus mystico inserti. Ratio primæ partis hujus assertionis est, quia Christus gentes universas redemptione sibi acquisivit (2), adeoque cunctas sponsæ suæ dedit (3), et vicario suo concredidit (4). Hinc ad omnes populos missi sunt Apostoli (5) qui pro Christo legatione fungerentur (6), et obedientiam fidei exigerent (7). Habet ergo Ecclesia proprium et nativum jus ubique prædicandi Evangelium, eaque media adhibendi quæ ad hoc jus exercendum necessaria sunt (8) : et sub isto respectu Ecclesiæ potestati directe subjiciuntur ipsi infideles ; subjiciuntur etiam indirecte quoad ea quæ requi-

1. Cfr. de subjecto legis ecclesiasticæ S. Thomas, 1-2, q. 96, a. 5, ubi ejus Commentatores, et Scholastici qui *Summæ* ordinem secuti sunt, v. g. Gonet, *Clyp. Thom.*, disp. v, art. 5 ; Billuart, diss. iv, a. 8. — Non pauca ad eamdem materiam spectantia tradunt Polemistæ, ubi de justificatione, de Ecclesiæ auctoritate ejusque membris. — Inter Theologos, præ cæteris adeundi Suarez, lib. iv, c. 19 ; Laymann, *De leg.*, c. 9 et seq. ; Bonacina, disp. 1, q. 1, p. 6 ; Castropalao, disp. 1, p. 24 ; Sporer (suppl.) c. 1, s. 3, q. 4, n. 225 ; Roncaglia, *De leg.*, q. 3, a. 1 ; Lacroix, lib. 1, n. 674 et seq. ; Wirceburgenses, c. iv, a. 4 ; S. Alphonsus, lib. 1, n. 153. — Ex Jurisperitis legantur Fagnanus, lib. 1, tit. 2, in c. *Canonum statuta ;* Schmalzgrüber, lib. 1, tit. 2, § 6, n. 45 ; Reiffenstuel, lib. 1, tit. 2, § 12, n. 263 et seq. ; Schmier, lib. 1, tit. 1, c. 5, s. 3, n. 118 et seq. ; Pichler, lib. 1, tit. 2, § 5, n. 46 ; Engel, lib. 1, tit. 2, § 3, n. 26 ; Ferraris, v° *Lex*, a. 3.

2. Ps. ii, 8. coll. Heb. 1, 5, v, 5 ; Matth., xxviii, 18.

3. Joan., x, 16. — 4. Joann., xxi, 17. — 5. Matth., xxviii, 19.

6. II Cor., v, 20.

7. Rom., 1, 5, x, 16 ; II Thess., 1, 8, etc.

8. Cfr. tract. noster *De virt. theol.*, n. 275-280.

sed soli baptizati,

runtur ad fidei tutelam in christianis (1). — Ratio alterius partis assertionis est, quia ad finem supernaturalem dirigi nequeunt, qui non sunt supernaturaliter regenerati (2). Idcirco pronuntiat Apostolus sibi judicandum non esse de iis qui foris sunt (3); Pontifices vero agnoscunt paganos « constitutionibus canonicis non arctari (4); » docente autem concilio Tridentino, Ecclesia in neminem judicium exercet « qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus (5). » — Itaque nec infideles, nec judæi, nec ipsi catechumeni tenentur legibus ecclesiasticis, sive directivæ eæ sint sive pœnales (6). Catechumenatus autem disciplina ministros quidem Ecclesiæ obligat per modum legis, ipsos tamen catechumenos non obligat nisi per modum conditionis (7).

152. *usu rationis habitualiter præditi,*

Baptizati non tenentur legibus directivis nisi usu rationis habitualiter fruantur; legibus tamen jurium concessivis et irritantibus affici possunt etiam ii qui rationis usum non habent. Ratio primæ partis assertionis est, quia, sicut participatio naturæ requiritur ut quis *insitæ* legi naturali subjaceat, ita usus rationis necessarius est, ut quis regulam *externe* propositam recipere possit, ab eaque duci valeat. Hinc per se licet (quamvis non deceat) infantibus et amentibus carnem præbere die vetito (8). — Ratio alterius partis est, quia iidem sunt juris capaces, quod per tutores exercere possunt.

153. *licet per accidens eo destituti;*

Legibus directivis tenentur omnes baptizati usu rationis habitualiter præditi, etiamsi eodem rationis usu per accidens destituti sint, vel septimum ætatis annum nondum attigerint. Et quidem nulla difficultas est de iis qui per accidens usu rationis destituuntur, ut sunt ebrii, delirantes ad tempus etc.; quemadmodum enim

1. Cfr. S. Thomas, 2-2, q. 10, a. 10. — Nec aliud probant quæ ex antiquioribus Canonistis profert Fagnanus, lib. 1, tit. 2, in c. *Canonum statuta*, n. 64-92, ut ostendunt Reiffenstuel, l. c., n. 278-289, Schmier, l. c., n. 126.

2. Cfr. supra, p. 286, not. 4. — 3. I Cor. v, 12, 13.

4. *Decretal.* lib. IV, tit. 19, c. 8, *Gaudemus;* cfr. ib. tit. 14, c. 4, *De infidelibus*, etc. — 5. Sess. XIV, c 2.

6. Cfr. Suarez, *De fide*, disp. XIX, s. 5, n. 7-9; *De relig.*, tr. II, lib. I, c. 16, n. 3. — 7. Cfr. Suarez, *De bapt.*, disp. XXXI, s. 2, n. 9.

8. Cfr. supra, n. 72, pag. 236 : infantes et perpetuo amentes lege quidem naturali obligantur in actu primo, non in actu secundo; lege autem ecclesiastica nec in actu secundo nec in actu primo obligantur.

lex fertur secundum communiter contingentia et adaptatur communi subditorum capacitati, ita subditos afficit secundum communem seu habitualem eorum conditionem et statum : hinc accidentalis defectus rationis nullum a lege eximit, licet a legis transgressione possit excusare. Quoad pueros septennium non supergressos, arbitrati sunt nonnulli Doctores, eos a quibusvis legibus ecclesiasticis exemptos esse, illis etiam quæ ipsorum ætati accommodatæ sunt, quia, ad vitandas ambiguitates et laqueos tollendos, Ecclesia in suis ordinationibus attendere solet ad communiter contingentia, communiter autem contingit usus rationis apud pueros circa septennium (1). Verum debile videtur istud argumentum : facile enim respondetur, Ecclesiam attendere ad communiter contingentia quando pro aliqua obligatione particulari determinat certam ætatem, prout fecit quoad jejunium (2); at nulla ætas positive determinata est pro generali legum obligatione. Cum igitur exemptio in favorem puerorum non demonstretur, merito theologi communius pronuntiant, ipsos, statim ac usum rationis adepti sunt, teneri legibus eorum ætati convenientibus, v. g. auditionis missæ die dominica, annuæ confessionis, abstinentiæ a carnibus diebus vetitis, etc. Dicimus pueros teneri legibus *eorum ætati convenientibus;* sunt enim leges ad quarum obligationem nec septennium sufficit, v. g. præceptum communionis paschalis (3). — *Attamen legibus Ecclesiæ pœnalibus generatim non subjacent impuberes :* ii enim, propter defectum maturioris judicii et considerationis, misericordia digni sunt (4). Dicimus *generatim,* quia aliquando aliud in jure exprimitur (5).

etiam pueri,

1. Huic sententiæ adhærent Molina, *De just. et jure,* tr. v, disp. 47, n. 7; Wirceburgenses, l. c., n. 154, et alii ap. Lacroix, lib. I, n. 676 et ap. S. Alphonsum, lib. III, n. 270; eidem novissime favere videtur Lehmkuhl, tom. I, n. 138; præterea De Angelis, *Præl. jur. can.,* lib. III, tit. 46, n. 5, pro ipsa allegat S. Pœnitentiariæ responsum, 15 Mart. 1837, quod tamen explicitum nobis non videtur : « Pueros, post septennium, teneri observare qualitatem ciborum ab Ecclesia præscriptorum. » — 2. Cfr. S. Thomas, 2-2, q. 147, a. 4, ad 2. — 3. Cfr. Laymann, *De leg.;* c. x, n. 4; Bonacina, disp. I, q. I, p. 6, n. 8; Schmalzgrüber, lib. I, tit. 2, § 6, n. 39.

4. Cfr. *Decretal.* lib. v, tit. 23, *De delictis puerorum;* Suarez, *De censuris,* disp. III, s. I, n. 19; Laymann, l. c., n. 5-7; Castropalao, disp. I, p. 24, § 2, n. 8; Schmalzgrüber, l. c. — 5. Ita puniuntur excommunicatione etiam pueri percussores clericorum, ut patet ex const. *Apostol. Sedis,* II, 2, coll. *Decretal.* lib. v, tit. 39, c. I, *Super eo,* et c. 60, *Pueris;* item pueri violantes clausuram monialium, ut constat ex const. *Apost. Sedis,* II, 6; etc.

154. *hæretici.* *Baptizati legibus Ecclesiæ adstringuntur non solum si fideles maneant, sed etiam si rebelles, apostatæ, hæretici et schismatici fiunt.* Rebellio enim nedum eos a suis obligationibus eximat, potius novis obligationibus, nempe pœnalibus adstringit (1); et licet ab Ecclesiæ corpore abscissi sint, semper tamen sub ejus sunt potestate et ad eam pertinent, prout oves ex ovili profugæ ad ovilis herum et prout transfugæ milites ad principem spectant cujus vexillum deseruerunt. Hanc sententiam et Pontifices in suis actis exprimunt (2) et Doctores catholici unanimes probant (3). — Attamen si non agatur de iis qui gravissimo scelere a fide deficiunt, sed de iis qui in secta jamdiu constituta infeliciter nascuntur, aliquando dubitari forte poterit num Ecclesia velit quasdam suas leges, præsertim eas quæ diu post cœtus hæretici constitutionem latæ sunt, ipsis applicare (4).

155. *spirituales et perfecti,* *Similiter legibus ecclesiasticis adstringuntur baptizati omnes, quantumvis spirituales ac perfecti sint.* Constat ex rei natura et ex indole potestatis ecclesiasticæ, siquidem ii omnes qui ad finem tendunt, regulas sequi debent. Hinc ex sacris litteris « omnis anima potestatibus sublimioribus subdita » esse jubetur (5), et omnibus ac singulis præcipitur ut obediant præpositis suis (6). Nec obstant textus quibus dicitur, libertatem esse ubi est spiritus (7), qui spiritu ducuntur non esse sub lege (8),

1. Cfr. *Decretal.* lib. v, tit. 7, *Sext.* tit. 2, *Clem.* tit. 3, *Extr. comm.* tit. 3, *De hæreticis.*

2. Cfr. v. g. Benedictus XIV, brev. *Singulari nobis,* ad Card. Ebor., 9 Feb. 1749; Pius VII, brev. ad Arch. Moguntinum, 8 oct. 1803, etc.

3. Cfr. Bellarminus, *De Eccl.*, lib. III, c. 4, n. 10; Suarez, *De leg.*, lib. IV, c. 19, n. 2; Lugo, *De fide,* disp. 21, s. 1 et 2; Schmier, l. c., n. 122; Reiffenstuel, l. c., n. 273-277, etc.

4. Recte quidem præsumitur Ecclesia nolle ut suis legibus obligentur hæretici, *quando obligatio esset in destructionem, non in ædificationem.* Difficultas tamen est in hujus principii applicatione: alii enim existimant applicationem etiam contingere respectu legum irritantium; exemplum autem deprehendunt in lege Tridentina de matrimoniis clandestinis quoad hæreticos versantes in locis ubi hæc lex promulgata fuit: cfr. Perrone, *De Matr. christ.*, lib. 2, s. 1, c. 6; Tarquini, *Jur. eccl. publ. inst.*, n. 64; Feije, *De imp. et disp. matr.*, c. XI, n. 306, (3æ edit.) et seq.; Lehmkuhl, II, 781. Alii e contra arbitrantur contingere applicationem respectu illarum legum quæ directe ad sanctificationem animarum tendunt, ut sunt leges jejunii, festorum; secus respectu legum quæ ad compescendos abusus et ad ordinem publicum tuendum latæ sunt, v. g. circa matrimonii impedimenta; ita De Angelis, lib. I, tit. 2, n. 13, quem secutus est cl. Marc, I, 198.

5. Rom. XIII, 1. — 6. Hebr. XIII, 17. — 7. II Cor. III, 17. — 8. Gal. V, 18.

justo legem non esse positam (1), etc.: in iis enim non agitur nisi de libertate ab errore et ignorantia, vel de libertate a jugo legis Mosaïcæ, vel ad summum de spontanea legis observatione ex amore (2). — Huc pertinent pseudo-mysticorum propositiones damnatæ in concilio Viennensi : « Quod jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis (in quo redditur impeccabilis) fuerit assecutus ; quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui et rationi subjecta quod homo potest libere corpori concedere, quidquid placet. » « Quod illi qui sunt in prædicto gradu perfectionis et spiritu libertatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur ; quia, ut asserunt, ubi spiritus Domini, ibi libertas (3). » Item concilium Tridentinum anathemate eum ferit qui dixerit « hominem quantumlibet perfectum non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ (4). » Simile quid in Quietistis proscripsit Innocentius XI (5).

156. *ipsi pastores.*

Legibus ecclesiasticis adstringuntur omnes baptizati, cujuscumque sint dignitatis et quamvis legislativa polleant auctoritate. Assertio clara est quoad eos qui potestatem legislativam solummodo participant, quatenus sunt membra cœtus legiferi, v. g. Episcopi in concilio provinciali et universali, regulares in capitulo generali, etc,; in hoc casu personæ singulariter sumptæ sunt inferiores : superior est cœtus qua talis. Igitur difficultas esse potest quoad eos tantum qui plenitudinem potestatis legislativæ habent, utrum scilicet legibus propriis teneantur. Jam vero : *a/ Omnes admittunt obligari legislatorem legibus propriis directivis quæ ipsius conditioni conveniant* (6). Id postulant ordo communitatis, superioris honor, et bonum subditorum, prout a Pontificibus et Conciliis passim exprimitur: « Justum est principem legibus obtemperare suis; tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando et ipse illis reverentiam præbet. Principes legibus teneri suis, nec in se convenit

1. I Tim. I, 8-9. — 2. Cfr. supra, n. 86, pag. 254.
3. *Clem.* lib. v, tit. 3, c. 3.
4. Sess. VI, can. 20. — 5. Const. *Cælestis Pastor*, pp. 65-68.
6. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 96, a. 5, ad 3 ; Suarez, lib. III, c. 35, n. 4-5 ; Reiffenstuel, l. c., n. 271

posse damnare jura quæ in subjectis constituunt. Justa est enim vocis eorum auctoritas, si, quod populis prohibent, sibi licere non patiantur (1). » « Totius familiæ domini status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite (2). » Attamen *dissentiunt Theologi in assignanda hujus obligationis natura;* alii existimant legislatorem non obligari directe ex vi legis ipsius, quia nemo sibi ipsi imperare potest; obligari tamen « indirecte seu consecutive, quatenus nimirum, posita semel lege pro bono totius communitatis, ipse pariter hanc observare tenetur ex jure naturali ac divino, derivato a lege æterna, ne pars a toto discrepet et subditi non scandalizentur (3). » Alii e contra, quibus adstipulamur, censent legislatorem obligari directe ex vi legis, quia lex fertur communitati cujus ipse est pars, utique præcipua (4). Et sane superior, qua talis, seu ut est persona publica, potest imperare sibi ut personæ privatæ: si enim superior agere potest ut persona privata, et ipse Romanus Pontifex in multis ut persona privata agit, non apparet cur non possit ut persona privata obligari; imo potest superior, qua talis, imperare sibi etiam ut personæ publicæ, ita nempe ut, licet potestatem habeat leges abrogandi aut mutandi, quamdiu tamen durent, eas in regimine observare teneatur; at superior non potest ita sibi imperare ut non

1. *Decreti* p. 1, dist. 9, c. 2, *Justum est* (ex S. Isidoro *Sent.* III, 53); cfr. *Decreti* p. 11, c. 12, q. 2, c. 20, *Non liceat Papæ; Decretal.* lib. 1, tit. 2, c. 6, *Cum omnes,* etc.

2. Conc. Trid., sess. XXIV, c. 1, *De reform.*

3. Reiffenstuel, l. c., n. 272; cfr. Lessius, *De just. et jure,* lib. II, c, 35, dub. 5, n. 33; Schmier, l. c., n. 145.

4. Ita Suarez, lib. III, c. 35, n. 11: « Omnis potestas legislativa est a Deo principaliter... Unde licet homo immediate legem ferat, in eo actu se gerit ut minister et dispensator Dei...; ergo intentio et voluntas principis ferentis legem, debet conformari intentioni Dei dantis potestatem: imo efficacia legis ad obligandum magis pendet ex intentione Dei quam particularis legislatoris. Deus autem... vult legislatorem humanum non habere potestatem ad ferendas leges nisi cum universali obligatione illarum qua totam rempublicam ut constantem ex corpore et capite comprehendat: ergo. Probatur minor ex ipsa necessitate communis boni ad quod hæc potestas ordinatur: datur enim in ædificationem, non in destructionem. Quod autem ad hujusmodi bonum commune pertineat, potestatem hanc ita esse datam principi, ut, licet in potestate ejus sit legem ferre, si tamen feratur universalis sit, et ipsum comprehendat, declarant sufficienter testimonia Scripturæ, et rationes adductæ, et communis consensus non solum Patrum, sed etiam Philosophorum. » Cfr. Laymann, *De leg.,* c. 9, n. 3; Paulutius, *Jurispr. sacra,* lib. IV, tr. 4, c. 3, *Excursus.*

retineat semper potestatem leges tum suas tum prædecessorum tollendi, quo sensu Papa recte dicitur esse supra canones (1). — *b/ Omnes etiam admittunt legislatorem non obligari legibus suis pœnalibus;* ratio est, quia « pœna solum per accidens intenta aut necessaria est, et cum alias ex se postulet violentiam, non fuit conveniens illi subdi legislatorem; esset etiam superflua illa obligatio, cum moraliter non posset ad executionem perduci (2). » Et profecto non subjacet superior pœnis quæ sunt *ferendæ sententiæ:* siquidem vel absolute (ut summus Pontifex), vel in suo ordine (ut Episcopus) neminem habeat qui ipsum judicare possit, et in ipsum sententiam exequi (3). Minus quidem repugnat ut subjaceat legislator pœnis quæ sunt sententiæ latæ; bonus tamen ordo et reverentia dignitati debita suadent ut ab iis etiam sit exemptus et Deo puniendus relinquatur (4). — *c/ Videtur tamen legislator obligari legibus suis irritantibus quæ non sint pœnales:* « iste enim effectus est per se intentus in lege, et maxime refert ad bonum commune, ut princeps etiam in illo concordet cum toto corpore (5). » Unde Papa in sententiis quas profert ordinem juris servat (6).

ARTICULUS SECUNDUS.

De subjecto obligationis in specie.

157. *Leges universales et territoriales,*

Præ oculis habeatur distinctio legum *a/* in *universales,* quæ pro toto orbe catholico feruntur, et *locales* seu *territoriales,* quæ restringuntur ad aliquam regionem, provinciam, diœcesim; — *b/* in *generales,* quæ omnes indiscriminatim afficiunt, et

1. Huc pertinent *Decretal.* lib. I, tit. 6, c. 20, *Innotuit;* item *Sexti* lib. V, tit. 12, c. 3, *Exiit,* § *Cæterum Sanctæ,* ubi ita habetur. « Nec successorem suum quomodolibet obligavit, cum non habeat imperium par in partem. » Cfr. Bouix, *De Papa,* p. V, § 1. — 2. Cfr. Suarez, l. c., n. 15-17.

3. Ita Suarez, l. c., n. 17 : « Vel legislator habet in terris superiorem qui possit illum punire pro delictis suis, vel non habet : si non habet, nulli hominum tenetur parere in executione talis pœnæ circa seipsum... Si vero legislator habet superiorem, ut est v. g. Episcopus, poterit puniri a Pontifice, etiam propter indebitam transgressionem suæ propriæ legis : tamen non erit necessarium illi imponere pœnam in sua lege statutam, sed hoc arbitrarium erit Pontifici, quia non tenetur judicare secundum legem inferioris : ergo signum est, pœnam illam ex vi legis non comprehendere ipsum legislatorem. »

4. Cfr. Suarez, l. c., n. 18, 19. — 5. Suarez, l. c., n. 24.

6. *Decretal.* lib. II, tit. 27, c. 19, *In causis.*

generales et speciales, *particulares* seu *speciales*, quæ determinate afficiunt homines alicujus conditionis, ritus, etc.; — *c/* in *reales,* quæ directe et

reales et personales. principaliter respiciunt bona, licet indirecte et accessorie attingant etiam personas, et *personales,* quæ directe et principaliter respiciunt personas, quamvis indirecte et accessorie attingant etiam bona.

158. *Leges pontificiæ omnes christianos ubique existentes obligant*

Jam vero leges Romanorum Pontificum et Conciliorum œcumenicorum sunt communiter et per se *universales,* atque idcirco fideles obligant ubicumque existant (1). Dicimus *communiter,* quia non repugnat ut a Pontificibus et a Conciliis edantur ordinationes mere territoriales; dicimus etiam *per se,* quia non repugnat ut lex aliqua Pontificia aut conciliaris in aliqua regione non recipiatur, vel in desuetudinem abeat: quo in casu non obligat eos qui prædictam regionem incolunt vel in ea ad tempus morantur, vel per eam transeunt; at si talis regionis incolæ alibi versentur, ubi lex in vigore manet, statim ea afficiuntur: sic v. g. civis Mediolanensis per Belgium iter faciens non tenetur missam audire in festo Epiphaniæ, sed primis quatuor quadragesimæ diebus debet jejunare; e contra Belga apud Mediolanenses hospes debet missam audire in festo Epiphaniæ, sed non tenetur jejunare primis quatuor quadragesimæ diebus. — Eædem Pontificum et Conciliorum

pro sua cujusque conditione leges possunt esse *generales* vel *speciales :* et quidem haud ægre speciales a generalibus distinguuntur, quando sermo est de fidelibus diversarum conditionum, nempe de laicis, de monachis, de clericis; at difficultas sæpe oritur quando sermo est de christianis diversorum rituum, v. g. quando quæritur quibus legibus ecclesiasticis obligentur Græci et Orientales; ab una enim parte certum est nonnullas leges, etiam ex gravissimis,

et suo ritu. apud illos non obtinere (2); ab altera autem parte nimium concedere videntur qui generatim pronuntiant, non obstringi Græcos legibus ecclesiasticis « quæ modernis temporibus latæ sunt » (3): siquidem contrarium evidenter colligitur ex pluri-

1. Cfr. supra, n. 110. — 2. Cfr. *Decreti* p. 1, dist. 31, c. 14, *Aliter; Decretal.*, lib. III, tit. 3, c. 6, *Cum olim;* lib. V, tit. 38, c. 7, *Quæsitum.*

3. Ita Schmier, lib. 1, tr. 1, c. 5, s. 3, n. 130-137, ubi præter *glossam* in *Decreti* p. 1, dist. 20, c. 1, *De libellis,* pro eadem opinione allegantur Azor et Guetrather.

bus S. Sedis documentis (1). — Ad classem legum universalium specialium pertinent regulæ et constitutiones ordinum religiosorum (2); ubique enim adstringunt eos qui idem institutum profitentur; quosnam autem et quantum et quomodo adstringant, propriis tractatibus explicatur (3).

159. *In ordine ad territorium distinguuntur incolæ, advenæ, peregrini, itinerantes, vagi, exempti.*

Leges Episcoporum et Conciliorum particularium sunt *territoriales;* nam potestas a qua emanant, est territorio definita. Jam vero pro varia ratione, qua in aliquo territorio versantur, homines vocantur incolæ, advenæ, peregrini, itinerantes, vagi, exempti. *Incolæ* sunt illi qui in territorio nati, ibi domicilium retinuerunt. *Advenæ* sunt illi qui alibi nati, in territorio domicilium vel quasi-domicilium acquisierunt; acquiritur autem domicilium per habitationem cum animo perpetuo manendi; quasi-domicilium, per habitationem cum animo manendi per majorem anni partem (4). *Peregrini* seu hospites sunt illi qui alibi domicilium vel quasi-domicilium habentes, in territorio degunt modo quodam provisorio et absque animo manendi. *Itinerantes* dicuntur qui per territorium transeunt, quin ibi consistant. *Vagi* sunt qui nullibi domicilium habent vel quasi-domicilium. *Exempti* sunt illi qui fictione juris extra territorium positi, a jurisdictione episcoporum subtrahuntur et immediate subduntur summo Pontifici. Videndum igitur est quousque diversæ illæ personarum classes legibus territorii afficiantur.

advenæ,

peregrini,

itinerantes,

vagi,

exempti.

160. *Incolæ et advenæ tenentur omnibus legibus territorii dum sunt præsentes,*

Imprimis legibus territorii adstringuntur non solum incolæ sed etiam advenæ, quando actu in eo degunt. Assertio indubitata est quoad eos advenas qui domicilium acquisierunt; quoad eos vero qui solum quasi-domicilium habent, etiam certa est, quamvis

1. Cfr. v. g. Ben. XIV, bulla *Etsi pastoralis,* const. *Demandatam.* — Jus Græcorum collegerunt Leunclavius, J. S. Assemani, Pitra; illud autem in usum Orientalium catholicorum recenter explicarunt Papp-Szillagyi, in suo *Enchiridio,* et ex parte Nilles in *Calendario manuali utriusque Ecclesiæ.*

2. Quando *regula* distinguitur a *constitutione,* nomine *regulæ* per antonomasiam designatur specialis vivendi norma seu præceptorum collectio a primo aliquo fundatore tradita, cujusmodi sunt regulæ S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti; *constitutionis* autem nomine indicatur ordinatio regulæ addita. Cfr. Suarez, *de statu Relig.,* tr. VIII, lib. I, c. 1.

3. Cfr. Suarez, *De rel.,* l. c., c. 2 et 3; Schmier, lib. I, tr. 1, c. 1, n. 342-382, et in *supplem.* n. 29-44.

4. Cfr. *Acta S. Sedis,* VII, 555, ubi Emin. Tarquini doctrina refertur; præsertim vero *Epistola* Card. Patrizzi, 7 junii 1867; *Responsum* S. Inquis., 2 maii 1877.

et nonnullis specialibus etiamsi sint absentes.

nonnulli ex antiquioribus contrarium docuerint (1). — *Quando vero iidem actu extra territorium degunt, remanent obligati legibus quæ respiciunt statum quem ibi adepti sunt, officium quod susceperunt, beneficium quod possident:* ita clerici, canonici, parochi non solvuntur propriis obligationibus ratione absentiæ, quin potius non raro domicilium repetere tenentur ut eas adimpleant, justis pœnis secus obnoxii futuri. Quoad cæteras leges distinguendum est : vel enim tales sunt ut ad bonum commune absolute sufficiat eas in societatis territorio observari ; vel tales sunt ut ad bonum commune referat eas a membris societatis observari et non solum in societatis territorio. In primo casu absentes legibus territorii solvuntur, saltem si non exierint præcise animo se ab earum obligatione subducendi ; exemplum adest in legibus præscribentibus jejunium et abstinentiam, festorum celebrationem, et hujusmodi (2) : dicimus, *saltem si non exierint animo se subducendi ;* nam si eo solo motivo absentes sint, juxta plures obligati manent (3). In altero casu absentes non solvuntur legibus territorii, saltem si exierint præcise animo se ab earum obligatione subducendi : exemplum adest in lege graviora peccata peritioribus confessariis reservante (4), item in lege matrimonium clandestinum irritante (5) : sane bonum regimen societatis non parum impediretur, si momentanea absentia saluberrimæ ordinationes declinari possunt earumque effectus frustrari, præsertim ubi de iis negotiis agitur quæ sequelas post se trahunt : dicimus, *saltem si exierint animo se subducendi ;* si enim alio motivo rationabili absentes sint, res minus est certa, et profecto in hoc casu legum non observatio ex parte ipsorum minora incommoda gignit (6). — Tandem non videtur repugnare ut subditus pœnis ferendæ sententiæ

1. Cfr. Suarez, *De relig.*, tr. 2, lib. 2, c. 14, n. 2.

2. Cfr. Castropalao, disp. 1, p. 24, § 5, n. 4 ; Schmalzgrüber, lib. 1, tit. 2, n. 41.

3. Cfr. Benedictus XIV, *De syn.* lib XIII, c. 4, n. 10.

4. Ita declaravit Clemens X, const. *Superna*, 21 junii 1670.

5. Huc pertinent plura Sedis Apost. decreta relata ap. Ben. XIV *Inst. eccl.* XXXIII. n. 9, et ejusdem Ben. XIV, const. *Paucis abhinc*, 19 mart. 1758 : cfr. *De syn.* lib. XIII, c. 4, n. 10, ubi notatur, in citatis Pontificum et Congregationum decretis non poni exceptionem, sed applicari principium generale.

6. Cfr. Gury-Ballerini, II, n. 839, not. ; Feije, *De imp. et disp. matr.*, n. 338 (3e edit.) ; Lehmkuhl, II, 780, etc.

puniatur a proprio superiore propter delicta extra territorium contra jus commune patrata (1).

161. *Peregrini et hospites tenentur omnibus territorii legibus, quæ non sunt pro solis societatis membris latæ;*

Magna controversia est an peregrini teneantur legibus territorii in quo actu degunt ; alii enim affirmant eos generatim obligari (2) ; alii e contra existimant per se non obligari (3). Jam vero *α/ Rationes sententiæ affirmantis videntur nobis gravissimæ, imo et cogentes :* sane α/ quicumque in aliqua communitate versatur, ex jure naturali debet se in vita externa conformare membris hujus communitatis (4), ejusque superiori aliquousque subjicitur (5) ; β/ et quidem hæc subjectio adeo certa est ut omnes admittant ferri posse leges speciales pro peregrinis (6), et posse ipsos peregrinos puniri si in territorio contra jus commune, naturale aut divinum delinquant (7) ; γ/ aliunde bonum societatis postulat ut ea, quæ sunt ordinis publici, ab omnibus indiscriminatim observentur ; si enim, nemine diffitente, peregrini subjiciuntur statutis politicæ potestatis de mercium introductione, armorum gestione, etc., non minus subjicientur præscriptionibus ecclesiasticæ potestatis de pravorum librorum diffusione, de choreis, de festorum celebratione, de jejunio et delectu ciborum : nam, ut arguit Suarez, « non est minus perfecta spiritualis potestas in ordine ad suum finem, quam sit temporalis in ordine ad suum (8) ; » aliunde experientia constat non minus bono communi spirituali, ratione scandali, nocere publicam violationem legum ecclesiasticarum, quam publica violatio legum civilium nocet bono temporali (9) ;

1. Cfr. Suarez, lib. III, c. 32, n. 5.

2. Omissis antiquioribus, hanc sententiam ex professo erudite propugnant Suarez, *De leg.*, lib. III, c. 33, et *De relig.*, tr. 2, lib. 2, c. 14 ; Lessius, *De iust. et jur.*, lib. IV, c. 2, dub. 7 ; Pontius, *De matr.*, lib. V, c. 7 ; Castropalao, diss. I, p. 24 ; Sylvius, 1-2, q. 96, a. 5, quær. 4 ; Billuart, diss. IV, a. 8, § 4 ; Reiffenstuel, *Theol. mor.*, tr. 2, dist. 3, q. 3, n. 35-36 ; Wirceburgenses, c. 4, a. 4, § 2 ; Schmier, lib. I, tr. I, c. 5, n. 170-200, etc.

3. Præcipuus hujus sententiæ patronus est Sanchez, *De matr.*, lib. III, disp. 18 ; eamdem ex professo defendunt Laymann, *De leg.* c. 12 ; Bonacina, disp. I, q. I, p. 6, n. 48 ; Schmalzgrüber, lib. I, tit. 2, n. 42 ; Bockhn (diligentissime) lib. I, tit. 2, n. 51-54 ; S. Alphonsus, lib. I, n. 156.

4. Cfr. *Decreti* p. I, dist. 8, c. 2, *Quæ contra*, ubi ex S. Augustino habetur, « Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens. »

5. Cfr. Suarez, lib. III, c. 33, n. 4 ; Pontius, lib. V, c. 7, n. 11.

6. Cfr. Suarez, lib. III, c. 33, n. 7. — 7. Cfr. Pontius, l. c., n. 15-16.

8. Suarez, *De rel.*, l. c., n. 12.

9. Cfr. Schmier, l. c., n. 180.

δ/ præterea æquum est et vitæ christianæ ducendæ fere necessarium, ut, qui solvuntur obligationibus proprii territorii a quo absunt, adimpleant obligationes territorii in quo sunt præsentes ; hæ enim obligationes considerari non debent tanquam mera onera, sed potius tanquam media ad virtutem et salutem (1) ; ε/ cæterum iste est sensus non solum piorum fidelium sed ipsorum etiam Doctorum, imprimis S. Ambrosii et S. Augustini (2). — *b/ Ex adverso fundamenta sententiæ negantis labilia*

1. Ita optime Suarez, *De religione*, l. c., n. 14 : « Debet esse æqua conditio præsentiæ et absentiæ, ut servetur conveniens distributio et ne homines illi fiant liberi et exempti ab omnibus legibus episcopalibus, sine ulla legitima causa. »

2. Ita S. Augustinus, *Epist.* 54, n. 2 : « Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique christiano, quam ut eo modo agat quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit. Quod enim neque contra fidem neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter esse habendum, et propter eorum inter quos vivitur societatem servandum est... Mater mea Mediolanum me consecuta, invenit Ecclesiam sabbato non jejunantem : cœperat perturbari et fluctuare quid ageret : cum ego talia non curabam, sed propter ipsam consului de hac re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium : respondit mihi nihil se docere me posse, nisi quod ipse faceret, quia si melius nosset, id potius observaret. Cumque ego putassem, nulla reddita ratione auctoritate sola sua nos voluisse admonere ne sabbato jejunaremus, subsecutus est, et ait mihi : Cum Romam venio, jejuno sabbato ; cum hic sum non jejuno : Sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Hoc cum matri renuntiassem, libenter amplexa est. Ego vero de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tanquam eam cœlesti oraculo acceperim. » Eodem modo *Epist.* 36, *ad Casul.* c. 14, n. 32. Non minus explicite *Conf.* lib. III, c. 8 : « Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt : ut pactum inter se civitatis aut gentis consuetudine, vel lege firmatum, nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens. » Item *De doctrina christ.*, lib. III, c. 12, n. 18 : « Quisquis autem rebus prætereuntibus restrictius utitur, quam sese habent mores eorum cum quibus vivit, aut temperans aut superstitiosus est : quisquis vero sic eis utitur, ut metas consuetudinis hominum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat aut flagitiosus est. » Frustra, ad Augustini auctoritatem declinandam, adversarii contendunt in locis allegatis vel solum exprimi consilium, non præceptum ; vel non agi de peregrinis sed de advenis ; vel non tradi legem absolute et in omni casu sequendam, sed regulam observandam in solo casu quo scandalum timetur ; frustra, inquam : nam exprimi necessariam vitæ regulam, non merum consilium, patet tum ex formulis quibus flagitiosum et turpe dicitur quod fit contra loci consuetudines, tum ex ratione qua sententia Ambrosii expetita narratur, et data extollitur ; respici vero non solos advenas sed proprie dictos peregrinos, patet ex verbis : *ad quam ecclesiam veneris, ad quam forte venerit Ecclesiam, cum Romam venio ;* tandem non tradi regulam per accidens ratione peculiaris scandali observandam, exinde manifestum est quod S. Augustinus innititur principio necessariæ conformitatis partis cum suo

admodum videntur : α/ imprimis parum efficaciter arguitur ex eo quod *peregrini subditi non sint :* nam hoc est quod quæritur ; dicimus autem, peregrinos, licet non sint subditi eodem titulo ac incolæ, tamen eo ipso quod ad aliquem locum accedunt, potestati publicæ hujus loci se submittere (1) ; β/ nec felicius arguitur ex fictione quod *moraliter præsens non sit qui non habet animum manendi :* hujusmodi enim fictio gratuita est, et si admittatur, dicendum erit peregrinum *nulla* prorsus territorii lege et omnibus domicilii legibus teneri, quod nemo concedere potest (2) ; γ/ immerito etiam allegatur decretum quo sacerdotes sive græci sive latini jubentur celebrare juxta ritum proprium, ubicumque versentur (3) ; nam in eo decreto non agitur de aliqua lege mere territoriali, sed de lege universali et speciali ad rem altioris ordinis spectante ; præterea ex hoc decreto sequeretur non solum peregrinos non teneri legibus territorii, sed non posse se iis conformare ; δ/ nec favet huic sententiæ juris textus, quod « generalis excommunicatio non ligat nisi subditos excommunicantis (4) : » nam præterquam quod interpretes vario sensu hunc textum exponere solent (5), dici potest in eo respici subditos in oppositione ad exemptos, non in oppositione ad peregrinos, ut colligitur ex verbis : « nisi forte plus contulerit major et largior auctoritas delegantis. » — *c/ Perpensis itaque utriusque sententiæ momentis, priori affirmanti omnino adhærendum putamus,* quamvis fateamur posteriorem negantem extrinseca probabilitate destitutam non esse. Præterea advertimus, non eam esse unius ab altera differentiam practicam, quæ primo aspectu crederetur : qui enim affirmant

---

universo, de scandalo autem loquitur per modum motivi generalis, non per modum casus particularis. Cfr. Suarez, lib. III, c. 33, n. 6. Quod autem aliqui notaverunt, S Augustinum « loqui de lege communi servandi jejunii quod Mediolani non servatur in primis quatuor diebus quadragesimæ, » omnino abs re est.

1. Cfr. Suarez, lib. III, c. 33, n. 4 ; Schmier, l. c., n. 188. — Cæterum unus et idem homo vario gradu simul subditus esse potest diversis superioribus : v. g. peregrinus subditus est ad tempus superiori loci in quo versatur : manet subditus superiori domicilii, quoad plura, nominatim quoad matrimonium : imo subditus esse potest superiori loci originis quoad ordinationem.

2. Cfr. Pontius, l. c., n. 28.

3. Cfr. *Epist.* S. Leonis IX ad Mich. Imper. ; conc. Flor. *Decr. unionis.*

4. *Decretal.* lib. V, tit. 39, c. 21, *A nobis.* — 5. Cfr. Suarez, lib. III, c. 33, n. 8-14 ; Pontius, l. c., n. 29-30 ; Schmier, l. c., n. 192-194.

peregrinos obligari, ultro excipiunt leges quæ incolas et advenas qua tales respiciunt, et aliis non conveniunt; qui vero peregrinos obligari negant, tot suæ negationi restrictiones apponere coguntur ut tandem cum adversariis vix non conveniant: concedunt enim peregrinos obligari legibus quæ determinant formas contractuum, quæ puniunt delicta juris communis, quæ pariter vigent in patria peregrinorum, quæ loci commoda et utilitatem intendunt, quæ specialiter peregrinorum causa latæ sunt, quæ violari non possunt sine scandalo aut sine societatis detrimento, etc. (1).

162. *similiter itinerantes et vagi;*

Eadem viget contraversia tum de *itinerantibus* seu de iis qui per territorium mere transeunt, quin ibi morentur, tum de *vagis:* utrisque applicamus solutionem datam quoad peregrinos (2). Advertimus tamen, nonnullos ex iis theologis qui peregrinos legibus territorii obligatos censent, aliter loqui de transeuntibus (3); e contra nonnullos ex iis qui peregrinos ab obligatione eximunt, arbitrari vagos obligationi subjectos (4). — Doctrinæ hic propositæ conforme est ut vagi matrimonium contrahant coram parocho loci in quo reperiuntur (5) et forte etiam ut in ejusdem ecclesia præcepto communionis paschalis satisfaciant (6).

163. *non tamen exempti.*

Exempti, qua tales, per se non tenentur legibus diœcesium intra quarum fines domos suas habent: patet ex ipsa notione exemptionis: qui enim a jurisdictione Episcoporum subtrahitur, eo ipso subtrahitur ab obligatione legum episcopalium, siquidem

1. Cfr. Sanchez, l. c., n. 10; Laymann, l. c.; Schmalzgrüber, l. c.; S. Alphonsus, l. c. — Cæterum ipsa necessitas tot restrictiones apponendi principii infirmitatem manifestat, ut recte Pontius, l. c., n. 12, contra Sanchez arguit.

2. Cfr. Suarez, *De relig.*, tr. 2, lib. 2, c, 14, n. 16-25, ubi pro doctrinæ applicatione generalem regulam ponit: « Si obligatio sit præcepti negativi, hæc semper urget pro rata temporis, quo durat præsentia in tali loco, quia præceptum æquali proportione obligat pro toto tempore et pro qualibet parte ejus. Si vero obligatio sit præcepti affirmativi, necesse est ut quis sit in loco, saltem pro toto illo tempore quod ad implendum actum præceptum per se conceditur. » Hanc tamen regulam non admittit Pontius, l. c., n, 14. — 3. Ita v. g. Lessius, l. c., n. 51.

4. Ita Sanchez, *In decal.* lib. 1, c. 12, n. 23; cfr. Schmalzgrüber, l. c., n. 43.

5. Cfr. Feije, *op. cit.*, n. 238.

6. Ita Barbosa, *De Parochi officio et potestate*, p. 11, c. 19, n. 16. Hoc tamen plerique negant; cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 240.

legis constitutio est præcipuus jurisdictionis actus (1). Dicimus, non obligari exemptos *qua tales:* nam « quum reipsa intra fines diœcesium degant, sic hujus (exemptionis) privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit diœcesana disciplina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati sive ordinariæ sive delegatæ (2). » Dicimus *per se :* quia teneri aliquando poterunt per *accidens,* nempe causa scandali vitandi vel boni publici procurandi (3). — Sicut autem exempti non tenentur legibus diœcesium in quibus domicilia habent, ita si peregrini sint, non tenentur legibus diœcesium per quas transeunt; at, juxta principia superius exposita, tenentur statutis territorialibus proprii cujusque ordinis (4).

Caput IV.

De limitibus obligationis legis ecclesiasticæ.

Obligatio legis ecclesiasticæ limitatur variis causis quæ subjectum vel a transgressione excusant vel ab observatione eximunt: præcipuæ sunt ignorantia, impotentia, facti præsumpti defectus, dispensatio.

ARTICULUS PRIMUS.

De legis deobligatione ob ignorantiam.

« Ignorantia importat scientiæ privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum quæ aptus natus est scire (5). » — Jam vero *a/* privatio scientiæ existere potest in *vario gradu :* aliquando enim res penitus latet, aliquando imperfecte menti

164. *Ignorantia*

1. Cfr. *Sexti* lib. v, tit. 7, c. 1, *Valentes ;* conc. Trid. sess. xxv, c. 12, *De reform.*

2. Leo XIII, const. *Romanos Pontifices.* — Casus quibus exempti Episcopis subsunt distincte enumerat Chokier, *De jurisd. Ordin. in exemptos,* p. 11, q. 45. — 3. Cfr. Suarez, lib. iv, c. 20 ; Schmalzgrüber, l. c., n. 38.

4. Ita Suarez, lib. iii, c. 33, n 5 : « Addo etiam obiter eamdem doctrinam applicandam esse ad religiosos peregrinos seu hospites in aliis provinciis vel domibus, quoad particularia statuta earum ; quod ideo adverto, quia aliqui excipiunt religiosos peregrinantes ab hac obligatione, quia non habent territorium proprium, eo quod per totam Ecclesiam potest diffundi Religio. Sed hoc non obstat, quia nihilominus possunt religiosi habere sua domicilia propria, et quoad hoc possunt peculiaria monasteria et provinciæ habere proprias observantias, et ad has dicimus obligari advenas quamdiu ibi sunt. » — 5. S. Thomas, 1-2, q. 76, a. 2.

stricte et late sumpta; apparet : in primo casu habetur status *ignorantiæ stricte dictæ,* in altero status *suspicionis, dubitationis, opinionis* (1). — *b*/ Quocumque autem gradu existat, potest ignorantia esse *involuntaria* vel *voluntaria :* involuntaria seu invincibilis est, quando non potest imputari ignoranti; voluntaria vero seu vincibilis dicitur quando provenit ex ignorantis negligentia (2). Et quidem voluntaria est solum *antecedenter,* si proveniat ex negligentia olim, v. g. tempore studiorum, admissa, vel etiam *actualiter,* si proveniat ex negligentia præsenti : prout autem ista negligentia fuerit *levis,* vel *gravis* et *summa,* ignorantia respective vocatur *stricte vincibilis,* vel *moraliter vincibilis, crassa, supina* (3). Insuper voluntaria esse potest ignorantia non solum *in sua causa,* sed etiam *in se,* ita ut sit *volita* et *affectata ;* affectus autem ex quo oritur voluntas obligationem ignorandi, varius est : alii enim ad legem attendere nolunt *ut pro libitu agant,* qui ab agendo retraherentur reverentia legis notæ ; alii ut pro libitu *liberius et sine remorsu agant,* qui legem notam violare parati sunt, aliquam tamen ejus reverentiam retinuerunt ; alii *quia legem ipsam et auctoritatem a qua editur contemnunt,* qua ratione multi nostræ ætatis apostatæ nihil curant quid Ecclesia doceat, quidve præcipiat. Tandem ignorantia voluntaria est *culpabilis,* si « sit eorum quæ aliquis scire tenetur, non autem si sit eorum quæ quis scire non tenetur ; » jam vero « omnes tenentur scire communiter ea quæ sunt fidei, et universalia juris præcepta ; singuli autem ea quæ ad eorum statum vel officium spectant (4). » — *c*/ In suo autem respectu ad legis transgressionem ignorantia distinguitur in *antecedentem* et *concomitantem :* antecedens dicitur quando agens ita *actualiter* dispositus est ut, si legem cognosceret, eam violare nollet ; concomitans autem dicitur quando agens ita *actualiter* dispositus est ut, si legem cognosceret, nihilominus contra eam ageret (5).

involuntaria, voluntaria;

levis et gravis,

affectata;

culpabilis;

antecedens et concomitans.

1. De his distinctius agetur ubi de *conscientia.* — 2. Cfr. supra, n. 78, ubi notio ignorantiæ vincibilis et invincibilis explicata est.

3. Crassam et supinam ignorantiam nonnulli distinguunt a communiter vincibili ; plerique tamen theologi ita designant omnem ignorantiam quæ non excusat a mortali ; cfr. Suarez, *De legibus,* lib. v, c. 12, n. 1 ; *De censuris,* lib. I, s. 10, n. 10 ; in jure autem, v. g. *Decretal.,* lib. v, tit. 27, c. 9, *Apostolicæ,* ignorantia *crassa* et *supina* opponitur ignorantiæ *probabili,* quæ legis transgressorem reddit excusatum.

4. S. Thomas, 1-2, q. 76, a. 2. — 5. Cfr. tract. noster *De Religione,* I, 319.

Hisce præmissis explicandum venit an, quomodo et quousque ignorantia subditos deobliget sive a legibus præcipientibus et prohibentibus, sive a legibus punientibus et irritantibus.

Imprimis quoad leges præcipientes et prohibentes, sequentia breviter notamus : *a| Ignorantia ex parte subditi non efficit ut lex debito modo lata et promulgata ipsum non attingat in actu primo, sed efficere potest ut non obliget in actu secundo,* adeo ut legis ignoratæ transgressor a culpa et reatu excusetur (1). — *b| Et quidem ab omni transgressionis reatu excusat legis ignorantia invincibilis :* ratio est, quia moralis regula objectiva subjecto libero applicatur per solam scientiam, adeoque ignorantem dirigere nequit. « Etenim ita se habet imperium alicujus gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis, illo modo ligationis qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales necessitate coactionis. Actio autem corporalis agentis nunquam inducit necessitatem in rem aliam nisi per contactum coactionis ipsius ad rem in qua agit. Unde nec ex imperio alicujus regis vel domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur, attingit autem ipsum per scientiam. Unde nullus ligatur per præceptum aliquod nisi mediante scientia illius præcepti (2). » Excusat autem non solum ignorantia invincibilis *stricte dicta,* sed etiam ignorantia invicibilis *late sumpta,* quæ nimirum conjungitur cum legis existentis suspicione, dubitatione, imo et opinione (3). Præterea excusat ignorantia invincibilis tum *antecedens,* tum etiam *concomitans*: in casu enim ignorantiæ antecedentis habetur legis violatio materialis cum actuali bona dispositione obediendi, et licet in casu ignorantiæ concomitantis habeatur transgressio materialis cum mala dispositione non obediendi (4), non tamen habetur transgressio formalis, siquidem non violatur regula subjecto applicata. — *c| Ignorantia vincibilis non excusat a reatu transgressionis, eum tamen generatim minuit.* Ratio primæ partis assertionis est,

165.

A formali legis transgressione totaliter excusat ignorantia invincibilis

etiam late sumpta,

antecedens et concomitans.

Ignorantia voluntaria seu vincibilis

1. Cfr. supra, n. 72, 102, 120. — 2. S. Thomas, *De verit.*, q. 17, a. 3.
3. Hoc demonstrabitur ubi *De conscientia.*
4. Non aliud sibi vult S. Thomas, 1-2, q. 76, a. 3 : « Si vero scientia, quæ per ignorantiam privatur, non prohiberet actum propter inclinationem voluntatis in ipsum, ignorantia hujus scientiæ non facit hominem involuntarium, sed non volentem, et talis ignorantia, quæ non est causa actus peccati, quia non causat involuntarium, non excusat a peccato. »

a transgressione non excusat, eam tamen minuit,

quia licet in eo casu regula non sit subjecto perfecte applicata, est tamen applicata sufficienter, et defectus applicationis perfectioris ab ipso subjecto pendet. Advertere tamen debemus quod, si antecedenter tantum sit vincibilis, ignorantia excuset a reatu actuali, quamvis non excuset a reatu in causa; si vero sit vincibilis actualiter, nequidem excusat a reatu actuali. Ratio secundæ partis assertionis est, quia transgressio regulæ non perfecte applicatæ minus formalis est. « Cum enim aliquid non cognoscitur esse peccatum, dici non potest quod voluntas directe et per se feratur in peccatum, sed per accidens : unde ibi est minor contemptus, et per consequens minus peccatum (1). » Videtur autem reatum minuere non solum ignorantia negligentiæ, sed etiam ignorantia *affectata,* saltem si non agatur de ea quæ ex puro contemptu legis et legislatoris proveniat; ut enim arguit J. de Lugo, « pejus est violare præceptum notum quam nolle illud cognoscere ut sine remorsu violetur : plus enim reverentiæ et timoris ostenditur in secundo casu quam in primo (2). » Cæterum quoad ignorantiam ex contemptu affectatam, distingui potest inter ipsam ignorantiam quæ ut talis excusat, siquidem occultat conditionem operis, et ignorantiæ causam quæ accusat et auget (3).

etiamsi affectata fuerit.

166. *A pœna in foro interno excusat ignorantia obligationis quæ excusat ab omni culpa vel saltem ab ea culpa quam superior punire voluit;*

Quod attinet leges punientes, sequentia admitti posse videntur : *α/ Ignorantia quæ efficit ut in legis transgressione nulla habeatur culpa vel ut non habeatur illa culpa quam superior punire voluit, efficit etiam ut in foro saltem interno transgressor non subjaceat pœnæ.* Assertio patet ex principiis generalibus; sequentibus autem explicatur : α/ *Invincibilis* ignorantia cujusvis obligationis excusat ab omni pœna; quod enim « culpa caret in damnum venire non debet (4). » β/ Obligationis ignorantia *stricte vincibilis* seu ex negligentia levi orta excusat a pœna gravi (5), non

1. S. Thomas, 1-2, q. 76, a. 4.

2. *De pœn.*, disp. 16, n. 183. — Cfr. S. Bonaventura in II, dist. 22, a. 2, q. 3; Suarez, 1-2, tr. 2, disp. 4, n 24-25; Præpositus, 1-2, q. 6, a. 8, dub. 2; Azor, *Inst. mor.*, lib. I, c. 14; Sporer, tr. I, c. 2, n. 37. — Cæterum ultro fatemur theologos communius cum Angelico, 1-2, q. 76, a. 4, universaliter asserere quod ignorantia affectata reatum non minuat sed augeat.

3. Cfr. Lessius, In 1-2, q. 6, a. 8, dub. 3.

4. *Decretal.* lib. I, tit. 2, c. 2, *Cognoscentes;* cfr. supra. n. 144, pag. 350, Suarez, lib. V, c. 12, n. 3. — 5. Cfr. Suarez, l. c., n. 16.

tamen generatim ab hujusmodi pœna excusat ignorantia moraliter vincibilis, crassa et supina, quæ ex gravi negligentia provenit (1). γ/ Nihilominus obligationis ignorantia *moraliter vincibilis, crassa* et *supina* excusat a pœna lata in eos qui *temere* et *ex præsumptione* obligationem violant (2). δ/ An autem obligationis ignorantia *affectata* excuset a pœna lata in eos qui legem *scienter* violant, non omnino constat: plerique negant, quia in jure ignorantia affectata æquiparatur scientiæ (3); fortasse distingui posset juxta diversum affectum a quo ignorantia procedit. ε/ Quando una eademque res a Deo simul et ab Ecclesia prohibetur, ignorantia prohibitionis ecclesiasticæ conjuncta cum cognitione prohibitionis divinæ a pœna excusat, si hæc formaliter lata fuerit in violatores prohibitionis ecclesiasticæ, prout contingit in censuris (4): secus si simpliciter lata fuerit in prohibitionis violatores (5). — *b/ Ubi habetur sufficiens obligationis cognitio, ignorantia pœnæ violatoribus impositæ, ab hac incurrenda regulariter non excusat:* ratio est quia culpa ex natura rei importat alicujus pœnæ proportionatæ debitum. Hinc « puniet Deus æterna pœna etiam illos qui ignorabant suis peccatis deberi talem pœnam; et ab hominibus suspenditur fur, etiamsi pœnam ignoraverit (6). » Dicimus *regulariter;* excipi enim debet casus quo pœna supponit in delinquente contumaciam, adeoque comminationis notitiam, prout contingit relate ad censuras (7); item excipi debet casus quo, propter circumstantias speciales, imposita fuisset pœna exorbitans (8). — *c/ In casu legis mere pœnalis seu præcepti disjunctivi, ignorantia partis directe propositæ excusare videtur a subeundo onere in ejus defectum imposito, casu saltem quo onus illud sit prædicta parte notabiliter gravius; at ignorantia solius oneris ab eo subeundo non excusat, nisi sit*

non autem generatim excusat ignorantia solius punitionis :

prædictorum applicatio ad legem mere pœnalem.

1. Cfr. Suarez, l. c., n. 9. — Huc pertinent *Decretal.* lib. v, tit. 27, c. 9, *Apostolicæ*, et *Sexti* lib. 1, tit. 2, c. 2, *Ut animarum :* « Sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. »

2. Cfr. Suarez, l. c., n. 13.

3. Cfr. Suarez, l. c., n. 15; S. Alphonsus, lib. VII, n. 48.

4. Cfr. Suarez, l. c., n. 7; S. Alphonsus, lib. VII, n. 43.

5. Cfr. Suarez, l. c., n. 7; paulo aliter loquuntur Sanchez, *De matr.* lib. IX, disp. 32, et Castropalao, disp. 1, p. 17, n. 2; eorum tamen argumenta nos non convincunt.

6. Suarez, l. c., n. 11. — 7. Cfr. S. Alphonsus, lib. VII, n. 43.

8. Cfr. Suarez, l. c.; S. Alphonsus, lib. VII, n. 44, 351.

omnino extraordinarium : ita concludendum existimamus ex prin-
In foro externo ignorantia non admittitur nisi probetur. cipiis generalibus (1). — *d/ In foro externo legis cognitio generatim præsumitur, adeoque ejus ignorantia non excusat, nisi in specie probetur.* Huc pertinet regula: « Ignorantia facti non juris excusat (2). » Quod si legis violator « per judicem condemnetur, quia deficit in probatione, et ipse sit certus in conscientia de sua inculpabili ignorantia, licet exterius teneatur parere, tamen in conscientia non tenetur exequi pœnam, potestque illam omittere cavendo scandalum (3). »

167. Quod demum spectat leges irritantes, sequentia teneri pos-
Ignorantia irritationis eam per se non impedit. sunt: *a/ Quando annullatio est directiva seu statuta in bonum commune aut in agentium tutelam, nulla ignorantia efficit ut lex vim suam non sortiatur.* Ratio est quia causa annullationis verificatur in casu ignorantiæ æque ac in casu scientiæ (4). — *b/ Idem locum habet quando annullatio est directiva simul et pœnalis, seu statuta tum in bonum commune tum in vindictam criminis ;* ut constat exemplo impedimenti criminis quoad matrimonium (5). — *c/ At quando annullatio est mere pœnalis, ignorantia quæ excusat a culpa excusabit etiam a tali pœna ;* « non enim est minor ratio in hac pœna irritationis actus quam in aliis (6). »

ARTICULUS SECUNDUS.

De legis deobligatione ob impotentiam.

168. Impotentia, ut nomen ipsum indicat, nihil aliud est quam
Impotentia subjecti incapacitas ad legem implendam. Distinguitur *a/* in
absoluta, *absolutam* et *moralem :* impotentia *absoluta* adest quando opus lege præscriptum nullo modo poni valet, quia desunt vires,
moralis, libertas, instrumenta, conditiones ; *moralis* vero impotentia adest quando opus præscriptum poni non valet nisi cum extraordinario labore, vel cum instante periculo mali gravis, vel cum privatione aut impedimento boni notabilis. — *b/* Utraque
physica, potest esse naturalis seu *physica* vel *spiritualis :* absoluta natu-

1. Cfr. Suarez, l. c., n. 4, qui tamen satis obscure loquitur.
2. Regula Jur. 13 in 6 : cfr. Reiffenstuel, in h. l. — 3. Suarez. l. c., n. 10.
4. Cfr. Suarez, lib. v, c. 22, n. 7; Sanchez, *De matr.* lib. III, disp. 17, n. 10, ubi doctrina applicatur legi Tridentinæ matrimonium clandestinum irritanti. — 5. Cfr. Suarez, lib. v, c. 15, n. 10.
6. Suarez, lib v, c. 22, n. 3 ; cfr. Castropalao, disp. 2, p. 12. n. 7.

ralis seu *physica* habetur, quando quis a lege implenda impeditur defectu virium et mediorum, violentia et externa coactione; absoluta *spiritualis* habetur, quando lex impleri nequit sine peccato, nempe sine violatione legis superioris cujus observatio urget ; ut enim loquitur Suarez, « id solum proprie possumus quod licite possumus (1) » ; moralis *physica* habetur, si legis observatio sit nimis difficilis, sanitati aut fortunæ nociva ; moralis vero *spiritualis,* si legis observatio occasionem scandali præbeat, vel scrupulis ansam det, vel si sit minus bona, seu actus excellentioris impeditiva. — *c/* Præterea impotentia est subjecto *voluntaria* vel *involuntaria,* prout impedimenti appositio vel remotio ab ipso pendet vel non.

spiritualis,

voluntaria, involuntaria.

Jam inquirendam venit quomodo et quousque impotentia deobliget a legibus directivis, pœnalibus, irritantibus.

169. *Ab obligatione eximit impotentia*

Quoad leges præcipientes et prohibentes sequentia statuimus (2) : *a/ Impotentia, si debitæ conditiones adsint, excusat non solum a transgressione formali, sicut ignorantia, sed ab ipsa etiam transgressione materiali ;* ea enim supposita, casus adest qui in lege non comprehenditur, et in quo subditus nec in actu secundo et subjective nec in actu primo et objective obligatur (3). — *b/ Et quidem ita semper excusat impotentia absoluta naturalis :* etenim « nemo potest ad impossibile obligari (4) ». — *c/ Non minus excusat impotentia absoluta spiritualis,* orta ex concursu legis superioris ; nam nulla potest esse obligatio ad malum : ut autem melius intelligatur quando hujusmodi impotentia

tum absoluta

1. Suarez, in 3 p., disp. 88, s. 6.

2. Cfr. de hac quæstione, inter Scholasticos, Salas, ad 1-2, q. 96, tr. 14, disp. 11, s. 1 ; Sylvius, 1-2, q. 96, a. 4, quær. 6 ; Gonet, *Clyp. thom.,* disp. v, a. 4 ; Billuart, diss. iv, a. 6 ; Herinckx, *De leg.,* disp. 3, q. 13 ; — inter Moralistas, Suarez, lib. iii, c. 30 ; Sanchez (egregie), *De præc. Dec.,* lib. i, c. 15 et seq. ; Laymann, *De leg.,* c. 14, n. 5-11 et c. 19 ; Bonacina, *De pecc.,* disp. 11, q. 8, p. 1 ; Castropalao, disp. 1, p. 16 ; Lacroix, *De leg.,* i, 775-795 ; Roncaglia, q. 11, c. 6 ; Reiffenstuel, *Theol. mor.,* tr. 2, dist. 2, q. 3, n. 23 ; Collet, *De leg.,* c. 5, a. 1, s. 5, p. 4 et 5 ; — inter Jurisperitos : Schmier, lib. i, tr. 1, c. 1, n. 78 ; Reiffenstuel, *In regul. sextum juris* in 6 ; Schmalzgrüber, lib. i, tit. 2, n. 33.

3. Ita S. Thomas, 2-2, q. 147, a. 4 ; « Statuta communia proponuntur secundum quod multitudini conveniunt. Et ideo legislator in eis statuendis attendit id quod communiter et in pluribus accidit. Si quid autem ex speciali causa in aliquo inveniatur, quod observantiæ statuti repugnet, non intendit talem legislator ad statuti observantiam obligare. »

4. Reg. 6 Juris in 6.

existat, advertendum est, generatim legem naturalem præferendam esse positivæ, divinam humanæ, ecclesiasticam civili, negativam affirmativæ ; in singulis præterea hisce legum speciebus adesse varium ordinem et gradum, ratione virtutum ad quas obligationes spectant. — *d) Generatim et per se excusat impotentia moralis naturalis :* superior enim, sicut non valet toti communitati imponere ea quæ supra vires ordinarias sunt, ita non valet legis observationem a singulis exigere iis in circumstantiis in quibus hæc observatio per accidens esset nimis onerosa : secus in destructionem præciperet, non in ædificationem (1). Quanta autem difficultas agendi necessaria sit ut censeatur adesse impotentia moralis excusans, generali regula definiri nequit : pendet a legis momento, personarum qualitate, aliisque circumstantiis : sic difficultas mediocris sufficit ad excusandum a carnium abstinentia (2), missæ auditione (3), recitatione breviarii (4) ; multo gravior requiritur ut sacerdos possit celebrare non jejunus (5), gravissima necessaria est ut celebrare liceat sine paramentis sacris (6). Dicimus impotentiam moralem *generatim* excusare, quia aliquando fieri potest ut finis et ratio legis postulent eam in omni casu observari, non obstante quocumque incommodo ; id vero locum habet, si e transgressione legis, etiam accidentali, tantum pro tota communitate nocumentum sequatur, ut in ejus comparatione detrimentum privatum attendi non possit ; vel e contra si

tum generatim etiam moralis.

1. Ita Suarez, lib. III, c. 30, n. 6. « Generalis autem ratio conclusionis est, quia talis necessitas ostendit non fuisse in legislatore voluntatem obligandi in tali eventu, vel etiam non fuisse potestatem : quacumque autem illarum deficiente, cessat obligatio legis. Ergo, etc. Utraque præmissa constat... quia potestas humana non se extendit ad omnia sine mensura ; voluntas etiam prudens non vult obligare quantum potest, sed cum moderatione et benignitate. Obligare autem ad quemcumque actum præcepti, non obstante quacumque accidentali necessitate insurgente, esset supra potestatem legislatoris humani, quia talis obligatio communiter non est necessaria ad commune bonum reipublicæ... et quamvis aliquando non sit aperte injusta obligatio vel supra potestatem, si sit nimis gravis et dura, censetur esse præter voluntatem legislatoris, quod maxime in divinis legibus positivis observatur, ut communiter doctores interpretantur. »

2. Cfr. S. Alphonsus, lib. III, n. 1033-1050.

3. Cfr. Suarez, in-3, disp. 88, s. 6 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 342.

4. Cfr. Suarez, *De virt. rel.*, lib. IV, c. 28 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 154 ; tr. noster *de relig.*, I, 287.

5. Cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 289.

6. Cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 289 et 377.

bonum commune ex observatione universali legis obtinendum tam magnum sit ut ei cedere debeat bonum privatum [1] : ad societatis enim securitatem pertinet ut quædam noscantur extorqueri non posse ullo timore ullisve minis, etc., adeoque jus habet societas exigendi a suis ut relate ad ista sint fortes : sic divina lex secretum sacramentale imponens observanda est a confessario etiam cum periculo vitæ. Dicimus præterea impotentiam moralem excusare *per se ;* quia fieri potest *per accidens,* ratione principii superioris, ut lex observari debeat non obstante gravissimo periculo vitæ ; id autem locum habet in circumstantiis in quibus legis violatio implicaret fidei negationem, turpem cooperationem, scandalum, vel aliud quippiam intrinsece malum [2]. — *e/ Excusat etiam aliquando impotentia moralis spiritualis consistens in periculo detrimenti pro anima,* v. g. ratione scandali accipiendi, vel scrupuli nutriendi, etc. [3] ; *imo non videtur repugnare ut excuset impotentia moralis spiritualis orta ex concursu obligationis legalis cum aliquo opere excellentiori supererogatorio ;* v. g. poterit interdum a sacerdote omitti recitatio officii ad exercendum actum charitatis non præceptæ [4].

1. Regulam hisce verbis proponit Sylvius, l. c., concl. 3 : « Quando lex humana præcipit vel prohibet aliquid tanti momenti ut prudentum arbitrio credatur præponderare vitæ hujus aut illius subditi, tunc ipsa obligat etiam cum vitæ periculo ; quando autem non præponderat, tunc cessat ejus obligatio, adveniente mortis periculo ; sive, quando observatio legis humanæ plus confert communi bono reipublicæ aut communitatis aut religionis, quam conservatio vitæ propriæ tunc lex obligat cum periculo vitæ ; et similiter quando violatio legis humanæ plus nocet communi bono quam vitæ propriæ amissio ; sed quando utilitas, quæ ex legis humanæ observatione nascitur vel exspectatur, non est tanti momenti, quanti est vita hominis, tunc non obligat cum vitæ periculo. Ita insinuat Medina... apertissime autem Montesinos... Vasquez... Salas... Granadus. »

2. Ita rursus Sylvius, l. c. : « Quando violatio legis humanæ cederet in contemptum fidei, aut religionis, aut ecclesiasticæ potestatis, lex humana obligat cum periculo vitæ... Quapropter si cui metus mortis incutiatur, nisi carnes in die jejunii comedat, vel nisi missam audire prætermittat, vel nisi sacrum celebret coram excommunicato, et hoc fiat in contemptum fidei vel religionis vel potestatis ecclesiasticæ, sive ad ostendendum fidem nostram aut leges ecclesiasticas nullius esse roboris et idcirco non esse curandas, sive ut alio quovis modo exponantur risui, mortem subire oportet potius quam tunc contra leges humanas agere : quamquam hujusmodi minis cedere liceret, et ad vitam servandam contra illas leges agere, si quis talia jubeat vel ex indiscreta voluntate missam audiendi, vel ex mera malitia, vel ad probandum se non esse excommunicatum, neque sit ullum omnino contemptus aut scandali periculum. »

3. Cfr. Gobat, tr. v, s. 5, n. 714. — 4. Cfr. S. Thomas, 2-2, q. 147, a. 4, ad 3 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 1049 ; Lehmkuhl, I, 157.

Eximere etiam potest ab obligatione impotentia voluntarie contracta: quandonam vero id contingat, pendet

A legis obligatione eximit, modo supra indicato, non sola impotentia involuntaria, sed quandoque etiam impotentia voluntarie contracta; adeoque non semper illicitum est, voluntarie apponere vel non removere causas legis adimpletionem impedientes. Ut autem in particulari definiantur casus quibus excusatio habetur, plures circumstantiæ simul considerari debent. — *a/* Ante

ab intentione agentis,

omnia considerari debet *intentio* qua impedimentum causatur; nempe videndum est an causa impedimenti apponatur *directe,* seu eo animo ut lex impleri nequeat, an vero *indirecte,* seu alio quovis motivo, prævisa tamen secutura impotentia: generatim non excusat impotentia directe voluntaria; excusare autem potest impotentia indirecte voluntaria. — *b/* Deinde

impedimenti moralitate,

considerari debet *moralitas* causæ impotentiam producentis; nempe videndum an actus, quo quis redditur impotens, sit in se et independenter ab effectu malus, ut est crapula, an sit indifferens vel bonus, ut est itineris susceptio, studium, etc.: facilius excusabit impotentia in secundo casu quam in primo.

speciali causalitate,

— *c/* Præterea considerari debet specialis *ratio* influxus in causam impotentiæ; nempe videndum an influxus sit *positivus,* consistens in impedimenti appositione, an solum *negativus,* consistens in non remotione impedimenti existentis: multo facilius excusat impotentia voluntarie retenta quam impotentia

connexione cum effectu,

voluntarie suscepta. — *d/* Insuper considerari debet causæ, quæ nata est impotentiam producere, *connexio* cum impotentiæ consecutione; nempe videndum an ex tali causa impotentia sequatur tantum per accidens et probabiliter: difficilius impotentia excusabit in prima hypothesi quam in secunda. —

temporis intervallo,

e/ Etiam considerari debet temporis *intervallum* inter impedimenti appositionem et necessariam legis executionem: quo majus est hoc intervallum, eo facilius excusabit impotentia voluntarie contracta; v. g. contingere poterit ut a loco in quo solo habetur facultas missam audiendi, discedere non liceat sabbato, liceat tamen discedere feria quarta vel quinta, etc. —

impedimenti natura,

— *f/* Præcipue considerari debet *natura* impedimenti: nempe videndum est utrum consistat in defectu *medii* seu *instrumenti* ex se necessarii ad legis executionem, prout est breviarii liber ad horas recitandas, an vero consistat in defectu *conditionis* ad legis adimpletionem præsuppositæ, prout est corporis sanitas

ad horarum recitationem : si agatur de impedimento prioris speciei vix unquam licebit illud causare ; nam qui ad aliquid tenetur, æque tenetur ad media intrinsece et ex natura rei necessaria : at, si agatur de impedimento posterioris speciei, facilius illud causare licebit ; potest enim legislator velle ut ii, qui in tali vel tali conditione versantur, hoc vel illud faciant, et non simul exigere ut in dicta conditione se ponant ([1]). Item videndum est utrum impedimentum sit accidentale, an vero sit constans et perpetuum : raro hujus, frequentius illius appositio licita erit : v. g. poterit quis suscipere famulatum quo redditur impotens ad semel vel iterum missam audiendam, non quo redditur habitualiter impotens. — *g*/ Tandem attente considerari debent legis *momentum et finis ;* nempe videndum est utrum obligatio lege imposita sit in favorem tertii vel in bonum commune, prout est obligatio imposita parocho missam celebrandi pro grege, sacramenta administrandi, concionandi, an vero directe imposita sit in bonum et sanctificationem agentis, prout est obligatio fidelibus imposita missam audiendi : profecto qui impedimentum apponit adimpletioni legis prioris speciei multo ægrius excusabitur quam qui impedimentum apponit adimpletioni legis posterioris speciei. Et quidem si agatur de obligatione imposita in bonum agentis, facilius vel difficilius excusabitur impedimentum apponens, prout a legis executione magis vel minus pendet vita christiana : sic, v. g., contingere poterit ut liceat officium assumere quo habitualis impotentia

legis momento et fine.

1. Cfr. Castropalao, disp. 1, p. 24, n. 2 et 3, ubi res feliciter explicatur : « Distinguendum est inter præcepta naturalia et positiva ; et affirmandum præcepta naturalia per se obligare omnia impedimenta eorum executioni obstantia removere, et media quæ ad illorum executionem per se necessaria sunt, apponere ; quia, cum obligatio horum præceptorum ex ipsis rebus nascatur, nequit limitata esse obligatio pro uno vel altero medio aut impedimento, et non pro omnibus... : si natura præscribit absolute finem, et media necessaria ad illum præscribere debet ; quare nisi justa aliqua causa intercedat excusationis, præceptum ad hæc omnia ponenda vel removenda obligat. Neque in horum præceptorum impedimentis video esse inter doctores dissensionem ; solum enim est dissensio pro sufficienti causa excusationis. At in præceptis positivis secus dicendum est ; non enim ex vi horum præceptorum teneris omnia media, quæ videntur aliquo modo necessaria ad illius executionem, apponere vel impedimenta removere, quia non obligant cum tanto gravamine ; cum enim horum obligatio ex voluntate legislatoris procedat, poterit legislator illorum executionem statuere sub conditione quod liber et expeditus existas, non vero imperare tibi expeditionem. »

ad jejunandum causatur, et tamen non liceat officium assumere quo causatur impotentia fere perpetua ad missæ auditionem, ad sacramentorum frequentationem ; hæc enim multo majoris momenti sunt quam jejunium ad fidei et sensus christiani conservationem.

Impotentia aliquando a parte obligationis eximit.

Eousque ab obligatione eximit impotentia quousque se extendit : hinc qui non potest totum exequi, partem tamen præstare valet, ad partem tenetur, dummodo materia sit divisibilis, et partis observatio ad obtinendum finem a legislatore intentum conducat : quod si materia sit indivisibilis et partis observatio non conducat ad finem legis, qui non potest totum præstare ad nihil tenetur. Quænam autem materia sit divisibilis, quænam indivisibilis, generali regula definiri nequit, sed morali judicio in singulis legibus æstimandum est (1).

aliquando solum minuit transgressionis reatum.

Impotentia quæ a legis obligatione non eximit, efficit nihilominus aliquando ut minuatur transgressionis reatus : transgressio enim quæ oritur ex timore mali, ex difficultatum apprehensione, licet, simpliciter voluntaria sit, est tamen involuntaria secundum quid (2).

170. *Impotentia quæ eximit ab obligatione eximit etiam a pœna.*

Quod attinet ad leges pœnales, sequentia statuenda videntur : *a| Impotentia quæ eximit a legis obligatione, pariter eximit a pœna in transgressores statuta :* ubi enim nulla transgressio, ibi nulla esse debet punitio. — *b| Pariter a pœna eximit impotentia quæ, licet non eximat simpliciter ab obligatione, efficit tamen ut in transgressione non habeatur ille culpæ gradus quem legislator voluit attingere :* hoc autem contingit, v. g., quando in lege pœnali postulatur modus operandi undequaque liber. — *c| Contro-*

1. Ita, v. g. Sanchez, *De præc. Dec.*, lib. 1, c. 19, n. 4 : « Rem individuam voco, quæ commode dividi non potest, nec in parte salvatur ratio præcepti ; dividuam autem, quando in parte salvatur ratio præcepti ; exemplum primi sit in præcepto jejunii unius diei, vel auditionis sacri uno die, respectu unius horæ canonicæ, vel quando quis vovit semel recitare psalmos pœnitentiales... Exemplum secundi sit in præcepto septem horas canonicas quotidie recitandi... et in jejunio totius quadragesimæ ; item si quis promitteret integrum circulum virgineum qui tribus partibus in communi æstimatione dividuis constat... ; similiter obligatio est dividua abstinendi a cibis prohibitis etiam respectu unius et ejusdem diei, et abstinendi ab operibus servilibus respectu ejusdem festi ; hujus signum est, nam quoties quis eadem die cibis prohibitis vescitur aut servilia vetita exercet, toties peccat. »

2. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 6, a. 6 ; 2-2, q. 142, a. 3.

vertitur utrum in casu præcepti divini simul et ecclesiastici, a reatu pœnæ eximat talis impotentia quæ eximeret ab obligatione legis mere ecclesiasticæ, non tamen eximit ab obligatione legis divinæ. Multi docent pœnam in hujusmodi casu non incurri, quia, ubi non violatur præceptum ecclesiasticum, non est subeunda pœna præcepto ecclesiastico statuta (1). At istud argumentum non cogit: fâlso enim supponitur, pœnam semper statui formaliter in reos criminis contra jus ecclesiasticum, non autem etiam in reos criminis contra solum jus divinum ; præterea immerito supponitur, obligationem legis ecclesiasticæ, qua urgetur observatio legis divinæ, cessare quando non cessat ipsa legis divinæ obligatio (2). Alii ergo existimant, generatim in prædicto casu pœnam incurri (3) ; et hæc quidem sententia textibus juris et menti legislatoris conformior videtur ; decernitur enim ut « si quis coactus pro vita redimenda vel pro qualibet causa vel necessitate perjurat, quia plus corpus quam animam dilexit, tres quadragesimas pœniteat (4). » Pronuntiatur etiam, « licet metus attenuet culpam, quia tamen non eam prorsus excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere », excommunicationis labe eum inquinari qui ex metu deliquit (5). Ex quibus textibus intima sententiæ ratio deprehenditur : quamvis enim ab una parte illi, qui ex metu mali gravis legem violant, misericordia aliqua digni sint, ab altera parte advertendum est, sæpe ideo pœnas intentari ut earum timore homines in obligationibus adimplendis fortius persistant et difficultates ac pericula superent.

171. *Legum irritantium effectum non impedit impotentia.*

Demum quoad leges irritantes sequentia statuimus : *a/ Generatim nulla individualis impotentia impedit legum irritantium*

1. Ita Suarez, *De censuris*, disp. IV, s. 3, n. 14 ; Æg. De Coninck, *De cens.*, dub. 12 ; Bonacina, *De cens.*, disp. I, q. 2, p. 3, n. 2 ; Salmanticenses, *De matr.*, c. 15, p. 3, n. 27 ; Viva, *De cens.*, q. 1, a 6, n. 9 ; S. Alphonsus, lib. VI, 1071 ; lib. VII, n. 46.

2. Recte Schmalzgrüber, l. V, tit. 39, n. 79 : « Cum præceptum Ecclesiæ, prohibens tale peccatum sub censura, non adstringat ad aliquid faciendum vel omittendum, quod non, secluso eo præcepto, debebat fieri vel omitti, non est ratio cur dicamus illud Ecclesiæ præceptum tali casu cessare. »

3. Ita docent Sanchez, *De matr.*, lib. 9, disp. 31, n. 4 : Castropalao, *De censuris*, disp. I, p. 8, n. 11 ; Schmalzgrüber, l. c., etc. — 4. *Decreti* p. II, c. 22, q. 5, c. 3, *Si quis coactus*. — 5. *Decretal.* lib. I, tit. 41, c. 5, *Sacris*.

efficaciam: efficacia enim absoluta et universalis, licet in casibus particularibus possit incommodum aliquod et detrimentum, imo etiam peccati periculum afferre, necessaria est ad bonum commune, ut plurima damna vitentur. Dicimus *generatim*, propter exceptionem quam nonnulli videntur admittere in circumstantiis extraordinariis pro legibus ecclesiasticis matrimonium irritantibus (1). — *b/ At earum legum efficaciam impedit aliquando impotentia generalis.* Bono enim communi nimium noceret, si actus gravissimi in vita christiana momenti et necessarii, passim nonnisi invalide ponerentur (2). — *c/ Præterea non repugnat ut impotentia quæ non impedit vim legis irritativam, tollat vim ejus prohibitivam, non solum quando prohibitio distincto actu statuitur, sed etiam quando ex irritatione sequitur:* potest enim contingere ut positio actus invalidi, v. g. professio religiosa, quæ ex se licita non est, ratione difficultatum illicita esse desinat (3).

nisi sit generalis.

172. *Epichia.*

Cum impotentiæ casus respiciat *Epichia*, præsens locus opportunus videtur ut de ea quædam adnotemus (4). — *a/* Epichia (ἐπιεικεία, lenitas, æquitas) est obligationis restrictio secundum æquum et bonum, seu declaratio circumstantiarum in quibus legis observatio evaderet mala, vel boni impeditiva, vel nimis difficilis. — *b/* Duplex distinguitur: alia non excedit limites interpretationis stricte dictæ, et hæc locum habet non solum quoad legem positivam sed etiam quoad legem naturalem; alia vero continet quamdam legis emendationem, et hæc locum habet quoad solam legem positivam; fit autem vel a quovis privato, si causa sit evidens, vel a superiore, si sit dubia (5). — *c/* Habitualis vero dispositio ad legem cum

1. Cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 613, 1122; *Homo Apost.*, tr. 16, n. 114; *Praxis conf.* n. 8 et n. 84; Gousset II, 850, etc.: quæ sententia crisi subjicitur ap. Feije, *op. cit.*, n. 640 et seq.

2. Exemplum habes ap. Feije, *op. cit.*, n. 303-304 quoad legem clandestinitatis.

3. Cfr. Suarez, lib. V, c. 22, n. 9. — Imo non desunt qui existimant, non obstante 29 prop. Inn. XI, licitam esse posse ipsam matrimonii invalidi cæremoniam: cfr. *Mélanges théol.*, II, 463; Feije, *op. cit.*, n. 646.

4. Cfr. de epichia Aristoteles, *Ethic.*, V, 10; S. Thomas 1-2, q. 69. a. 6; 2-2, q. 120, a. 1 et 2; q. 147, a. 4; Suarez, *De leg.*, lib. II, c. 16, lib. VI, c. 6-8; Laymann, *De leg.*, c. 19; Reiffenstuel, lib. I, tit. 2, § 15, n. 378.

5. Ita Ben. XIV, *De syn.* lib. XII, c. 8, n. 1: « Tales quandoque emergunt rerum circumstantiæ, a jure communi non prævisæ, ut ex quadam *epicheia*,

æquitate observandam et urgendam est *virtus* epichiæ quæ ad justitiam legalem refertur (1).

ARTICULUS TERTIUS.

De legis deobligatione ob facti præsumpti defectum.

173. *Præsumptio*

Præsumptio dicitur anticipata quædam rei existimatio seu conjectura ex rationabilibus indiciis collecta : sic ex charactere periculoso vel utili alicujus actionis in genere spectatæ, legitime præsumitur existentia periculi vel utilitatis in casu particulari ; similiter ex noto communi hominum agendi more in determinatis circumstantiis, legitime præsumitur existentia facti, intentionis, et hujusmodi (2). — Jam vero superior, dum obligationem imponit, aliquando principaliter movetur generali illo periculi vel utilitatis charactere, quem actus præ se fert, aliquando e contra movetur præcipue supposita facti particularis existentia : in primo casu lex dicitur fundata in *præsumptione* (seu potius in scientia et evidentia) *periculi moralis :* talis est v. g. lex irritans matrimonium clandestinum, item lex prohibens lectionem librorum hæreticorum ; in secundo casu lex dicitur fundata in *præsumptione facti :* talis erat lex statuens ut sponsalia de futuro transirent in matrimonium per carnalem copulam subsecutam (3) ; talis etiam videtur esse lex decernens ut « quicumque regularis prætendat se per vim et metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiatur nisi intra quinquennium tantum a die professionis (4). »

periculi moralis

et facti :

seu tacita ipsiusmet juris permissione, liceat Episcopo jus commune relaxare, seu aliquid contra ejusdem serveritatem indulgere, præsertim si res dilationem non patiatur, nec facile Summus Pontifex consuli queat, ejusque suprema auctoritas implorari. »

1. Cfr. S. Thomas, 2-2, q. 120, a. 1.

2. Cfr. de legibus in præsumptione fundatis, Suarez, lib. III, c. 23 ; Schmier, lib. I, t. I, c. I, n. 284-310 ; Bockhn, lib. I, tit. 2, n. 115 ; Schmalzgrüber, lib. I, tit. 2, n. 34 ; Wirceburgenses, l. c., n. 180-182 ; Card. Sfondratus, *Diss. jur. de lege in præsumptione fundata.*

3. *Decretal.* lib. IV, tit. 1, c. 30, *Is qui.*

4. Conc. Trid. sess. XXV, cap. 19, *De reform. Regul.*

174. *quomodo obliget ex fundata in præsumptione periculi moralis,*

Hisce præmissis, sequentia proponi a theologis solent : *a| Lex fundata in præsumptione* (scientia) *periculi vel utilitatis moralis universalis obligat in conscientia suosque habet effectus in iis etiam particularibus casibus in quibus per accidens periculum vel utilitas non intervenit :* ratio est, quia in prædictis casibus motivum adæquatum legis subsistit ; bonum autem commune postulat ut, propter particularem periculi vel utilitatis absentiam, obligationi generali exceptio non fiat, vel saltem non relinquatur arbitrio subditorum ; secus enim mala efficaciter non vitarentur, nec procurarentur bona, cum homines nimis facile sibi persuaderent respectu sui legis rationem non veri-

in præsumptione facti.

ficari. — *b| Lex fundata in præsumptione facti per se non obligat in iis casibus in quibus factum non verificatur :* ratio est, quia in prædictis casibus deficit motivum obligationis impositæ, quæ est quasi conditionata, adeoque applicationem habet sententia: « præsumptio cedit veritati (1). » Dicimus *per se* legem non obligare ; *per accidens* enim contingere poterit ut, ad vitandum scandalum vel aliud malum præcavendum, actus aliquis poni debeat, si tamen queat licite poni (2).

175. *Juris fictio.*

Cum lege fundata in *periculi* vel *facti præsumptione* confundi non potest lex fundata in *juris fictione*. Etenim juris fictio est « legis adversus veritatem in re possibili ac ex justa causa dispositio (3) » : sic canonici ob evidentem ecclesiæ utilitatem absentes fictione juris reputantur præsentes (4); matrimonium, quo proles ante ipsum susceptæ legitimantur, juris fictione retrotrahitur ad tempus earum conceptionis vel nativitatis (5). Differt ergo fictio juris a præsumptione in hoc præcipue, quod fictio assumitur in casu certo contra veritatem, præsumptio autem assumitur in casu dubio secundum veri similitudinem.

1. *Digest.* l. 22, t. 3, l. 29, *Imperatores.* — Infirma sunt quæ pro legis obligatione adducit Fagnanus, *Decretal.* lib. III, tit. 31, c. 2, *Si quis,* n. 69-70.

2. Exemplum casus, quo, propter facti præsumpti defectum, legis observatio nec obligatoria nec etiam licita est, habetur *Decretal.* lib. V, tit. 39, c. 44, *Inquisitioni :* Conjux, qui dirimens matrimonii impedimentum novit, et, quia illud coram Ecclesia probare non potest, pœnis cogitur cohabitare, « debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere quam per carnale commercium peccatum operari mortale. »

3. Alciatus, lib. VI *Parergon juris,* cap. 1. — 4. Cfr. *Sexti* lib. III, tit. 3, c. *Consuetudinem.* — 5. Cfr. *Decretal.* lib. IV, tit. 17, c. 6, *Tanta.*

Jam vero leges per fictionem juris quidpiam disponentes justæ esse possunt, ac proinde non solum in foro externo, verum etiam in foro conscientiæ obligatoriæ (1).

ARTICULUS QUARTUS.

De legis deobligatione ob dispensationem.

176. *Dispensationis notio generalis.*

PRIMITIVA nominis impositione *dispensatio* (οἰκονομια) est prudens familiæ administratio, æqua distributio rei communis in singulos juxta cujusque necessitatem (2). — Hinc in ordine supernaturali dispensatio et οἰκονομια vocata est procuratio salutis humanæ per Dei gratiam, ac præsertim Verbi incarnatio et totum redemptionis opus, item Ecclesiæ ministerium et gubernatio (3). — Cum autem ad justam et prudentem administrationem pertineat non omnia exigere secundum rigorem, sed aliquando præter cursum rerum ordinarium agere, moderatione uti, multa ex benignitate remittere, factum est ut communiter *dispensationis* vocabulum restringeretur ad significandam eam superioris in legum applicatione *lenitatem, condescensionem, veniam* (4).

christiana.

canonica seu legalis.

1. Plura de juris fictione habes apud Reiffenstuel, lib. I, tit. 2, § 8, n. 176-196. — 2. Exempla e jure Romano desumpta profert Brissonius, *De verb. sign.* lib. IV. Eodem sensu adhibetur vox Gen. XLIII, 16, 19 ; XLIV, 1, 4 ; Luc. XII, 42, etc.

3. Cfr. I Cor. IV, 1, 2 ; IX, 17 ; Eph. I, 10 ; III, 2, 9 ; Coloss. I, 25 ; Tit. I, 7 ; I Pet. IV, 10. — De dispensatione et œconomia apud SS. Patres agit Petavius *De incarn.* lib. II, c. 1, n. 2 et 3.

4. Quomodo obligationum moderatio ad dispensationem universaliter sumptam pertineat, apparet ex S. Gelasii *Epist.* IX ad Episc. Luc. : « Necessaria rerum dispensatione constringimur et apostolicæ sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare, et retro præsulum decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri temperemus. » Cfr. *Decreti* p. II, c. 1, q. 7, c. 6. 15, 16. Eodem modo S. Thomas 1-2, q. 97, a. 4 : « Dispensatio proprie importat commensurationem alicujus communis ad singula ; unde etiam gubernator familiæ dicitur dispensator, in quantum unicuique de familia cum pondere et mensura distribuit et operationes et necessaria vitæ. Sic igitur et in quacumque multitudine dicitur aliquis dispensare, quia ordinat qualiter aliquod commune præceptum sit a singulis implendum. Contingit autem quandoque quod aliquod præceptum, quod est ad commodum multitudinis, ut in pluribus, non est conveniens huic personæ, vel in hoc casu... Et ideo ille qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quæ suæ auctoritati innititur, ut scilicet in personis vel in casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat ut præceptum legis non servetur. »

Legalis dispensationis discrimen a privilegio,

Itaque dispensatio stricte sumpta est provida quædam *legis relaxatio,* seu obligationis suspensio pro aliquo tempore vel quoad aliquas personas. In multis convenit cum privilegio contra jus, ab eo tamen distinguitur, quatenus est quid minus

epichia.

stabile et minus permanens (1). Differt autem ab *epichia*, quæ

licentia.

est declaratio casus in lege non comprehensi (2), a *licentia,*

permissione,

quæ est facultas secundum legem concessa (3), a *permissione,*

dispensatione in votis

vi cujus actus nec impeditur nec punitur (4). — Differt etiam a dispensatione in *votis*, quæ est debiti ex promissione contracti remissio nomine Dei facta (5), et a dispensatione in

et juramentis.

juramento, quæ est exemptio, per modum licentiæ facta, a rei

absolutione,

juratæ executione (6). — Differt præterea ab *absolutione* et *indulgentia :* nam *absolutio* est condonatio culpæ vel pœnæ secundum legem data, et pertinet ad potestatem judicialem,

indulgentia.

non ad potestatem legislativam ; *indulgentiæ* vero concessio est satisfactionum Christi et Sanctorum applicatio ad fideles ut pro pœnis debitis solutio habeatur (7).

177. *Legum ecclesiasticarum dispensabilitas.*

Licet in lege naturali et divina ab hominibus dispensari nequeat (8), dispensari tamen potest in lege ecclesiastica : hæc enim, sicut a voluntate superioris pendet in sua existentia, ita pendet ab eadem voluntate in sua executione. — Mos autem dispensandi in Ecclesia semper extitit (9), et ex

1. Cfr. supra, n. 143. — 2. Cfr. supra, n. 172.

3. Suarez, lib. VI, c. 10, n. 11, *licentiam* vocat « simplicem facultatem per quam revera non aufertur obligatio legis, sed conceditur operatio ut fiat juxta modum a lege præscriptum. Quod etiam est necessarium advertere, quia in multis legibus potest aliquis *facultatem* concedere, qui non potest dispensare, et valde diversa causa solet requiri ad similem facultatem concedendam, vel ad dispensandum. Exempla esse possunt, v. g. in voto paupertatis : nam prælatus religionis potest dare licentiam ad aliquid donandum, non tamen potest dispensare in paupertate... Similiter Episcopus potest dare facultatem ad ingrediendum monasterium ex legitima causa, non tamen potest dispensare, quia nihil in eo genere potest concedere, nisi juxta tenorem et rigorem legis. »

4. Cfr. supra, n. 140. — 5. Cfr. tract. noster *De relig.*, I, 449.

6. Cfr. ibid., I, 662. — 7. Cfr. Suarez, lib. VI, c. 10, n. 9.

8. Cfr. supra, n. 74 et 101.

9. Ita Paschalis II ad S. Anselmum Cantuariensem, *Epist.* 74 : « Dispensationis modus, sicut B Cyrillus in epistola Ephesinæ synodi loquitur, nulli unquam sapientum displicuit. Novimus enim sanctos Patres nostros et ipsos Apostolos pro temporum articulis et qualitatibus personarum, dispensationibus usos. » Verba autem S. Cyrilli ad Gennadium (ap. Hard. IV, 55 et ap. Grat. p. II, c. I, q. 7, c. 16) hæc sunt : « Dispensationes rerum nonnunquam cogunt parum quidem a debito quosdam foras exire,

se utilis est bono animarum ; ut enim loquuntur Patres Tridentini, « publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus et necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat (1). » — Quamvis autem dispensari queat in quacumque lege ecclesiastica, etiam in ea quæ a concilio generali lata est, vel ab Apostolis, prout erant Ecclesiæ rectores, originem habet (2), tamen nonnullæ sunt ordinationes gravissimæ in quibus dispensari non solet, aliæ in quibus nunquam dispensatur, v. g. in obligatione cœlibatus quoad episcopos et in impedimento criminis, utroque machinante, quando machinatio publica est (3). — Cæterum lex ecclesiastica relaxari potest quoad omnes suos effectus, nempe præcipiendi et prohibendi, puniendi, irritandi ; pro lege tamen permittente non habetur directe *obligationis relaxatio* sed potius *libertatis suspensio,* quæ dispensatio dici nequit.

Jam distinctius agendum est de dispensationis auctore, subjecto, conditionibus, vitiis, effectu (4).

---

ut majus aliquid lucrifaciant. Sicut enim ii qui mare navigant, tempestate urgente, navique periclitante anxiati quædam exonerant, ut cætera salva permaneant ; ita et nos, cum non habemus salvandorum omnium negotiorum penitus certitudinem, despicimus ex iis quædam, ne cunctorum patiamur dispendia. »

1. Conc. Trid., sess. XXV, c. 18, *De reform.*

2. Ita Suarez, lib. VI, c. 12, n. 5 : « Dico generalem esse regulam et sine exceptione, omnem materiam necessariam tantum ex lege humana, a quocumque puro homine vel hominum congregatione lata sit, esse materiam dispensabilem per potestatem hominibus datam. »

3. Cfr. Feije, *op. cit.*, n. 684.

4. De dispensatione in lege humana agit S. Thomas tum aliis locis tum præsertim 1-2, q. 97, a. 4, ubi ejus Commentatores, et illi Scholastici qui *Summæ* ordinem præ oculis habuerunt. — Plenissime rem ex professo exposuerunt Moralistæ in suis de *legibus,* de *votis,* de *matrimonio* tractatibus : cfr. Suarez, lib. VI, c. 10-24, in hac quæstione sicut in aliis, doctrinæ plenitudine et eruditione cæteris præstans ; Azor, p. 1, lib. V, c. 15, Laymann, *De leg.,* c. 22 ; Bonacina, disp. 1, q. 2 ; Castropalao, disp. 6 ; Sporer (suppl.) c. 1, sect. IV, n. 347-416 ; Roncaglia, q. 5 ; Lacroix, lib. 1, n. 797-828 ; Wirceburgenses, c. V, a. 2 ; *Conférences d'Angers,* Lois, 9e et 10e conf. ; S. Alphonsus, lib. 1, n. 178-198 ; Sanchez, *De matr.,* lib. VIII ; Pontius, *De matr.,* lib. VIII ; Æg. De Coninck, *De sacram.,* disp. 33, aliique indicati *Intr.* n. 186, pag. 150, n. 193, pag. 162. — Pauciora habent Jurisperiti : cfr. tamen Barbosa, *De off. et potestate Episc.,* p. 11. all. 33 et seq. ; Paulutius. *Jurisprud. sacr.,* lib. IV, c. 5 ; Reiffenstuel, lib. 1, tit. 2, § 18 ; Schmalzgrüber, lib 1, tit. 2, n. 56-62, etc. — Nec sunt negligenda quæ de dispensationibus scripserunt viri eruditi et polemistæ, v. g. Thomassin, *Ancienne et nouv. disc. de l'Eglise,* p. 11, lib. III, c. 24-29 ; Jung. *Facta dispensationum episcopalium ex tribus primis sæculis collecta ;* Zaccaria. *Antifeb. vind.,* disp. VI, c. 2, n. 6. — Specialiter de dispensationibus egerunt

§ I.

De auctore dispensationis.

178. « In lege humana publica non potest dispensare nisi ille a quo lex auctoritatem habet, vel is, cui ipse commiserit (1). » Prior dicitur dispensare potestate *ordinaria*, posterior potestate *delegata;* quæ potestas delegata dupliciter distinguitur, prout nempe per legem vel consuetudinem muneri est stabiliter annexa, et in eo casu dicitur *quasi-ordinaria;* vel per superiorem transeunter concessa est, et in eo casu dicitur *pure delegata.*

179. *Potestate propria et ordinaria Romanus Pontifex dispensat in omnibus legibus ecclesiasticis;*

Jam vero quoad potestatem dispensandi propriam et ordinariam, sequentia statuimus:

Potestate propria et ordinaria in omnibus omnino legibus ecclesiasticis pro toto orbe catholico dispensare valet non solum concilium œcumenicum, sed etiam summus Pontifex. Patet α) ex notione primatus: etenim « Papa habet plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita scilicet quod quæcumque sunt instituta per Ecclesiam vel Ecclesiæ prælatos sunt dispensabilia a Papa (2); » β) ex constanti praxi Sanctæ Sedis (3); γ) ex damnatione propositionis Petri de Osma: « Papa non potest dispensare in statutis universalis Ecclesiæ (4). » — Hanc Pontificis facultatem Gallicani, licet penitus inficiati non sint, arctis tamen limitibus circumscripserunt: volebant enim dari locum pontificiæ

in scriptis variæ molis et meriti: Goffridus Vindocinensis, opusc. v, (ap. Migne P. L. CLVII); S. Bernardus *De præc. et disp.;* Buonaguida, *De disp. et priv.;* Georg. Stengelius, *De disp. et priv.;* Fr. Florens, *Præf. de dispensationibus ecclesiasticis;* Pyrrhus Corradus, *Praxis disp. Apost.* (opus classicum); Car. Gottschlich, *Disp. in lege;* Pet. Collet, *Traité des disp.* (opus vere doctum); Angel. Franceschi, *De disp. Pontifici reservatis;* J. Marchetti, *Delle dispense da lege universale* etc.; Fiebach, *De indole ac virtute disp. secundum principia jur. can.;* Vering, *De princ. disp.;* Caillaud, *Manuel des disp.* — A quibusdam magni fit Espenii *diss. can. de disp. præsertim matrim.*, quæ tamen nec doctrinæ sinceritate nec etiam antiquitatis cognitione, scientia canonum aliisve dotibus, ullo modo comparari potest cum Suarezii, Sanchezii, aliorumque operibus.

1. S. Thomas, 1-2, q. 97, a. 4.

2. S. Thomas, *Quodl.* IV, a. 13. Cfr. Conc. Vat., const. *Pastor æternus*, c. 3.

3. Exempla habes ap. Bouix, *De Papa*, p. V, s. I, prop. 5, et præsertim ap. Thomassin, *Anc. et nouv. disc.*, p. II, lib. 3, c. 24 et seq.

4. *Magistri Petri de Osma prop. a Sixto IV damnatæ.*

dispensationi « non ut sit effræna libertas, sed si necessitas vel evidens utilitas postularet, nec recursus pateret ad generale concilium; alioquin non esset uti plenitudine potestatis, sed abuti plenissime (1). »

Episcopi vero potestate propria dispensare nequeunt in legibus generalibus Ecclesiæ.

Arbitrati sunt antiquiores nonnulli, quibus postea consenserunt Gallicani et Febroniani, posse Episcopos, potestate subordinata quidem potestati pontificiæ, propria tamen et ordinaria, in legibus Ecclesiæ universalibus dispensare pro suis diœcesanis (2). At hæc sententia prorsus rejicienda est (3): ab una enim parte manifeste repugnat tum inconcusso principio quod inferior non possit superioris voluntatem impedire (4), tum Sedis Apostolicæ constanti doctrinæ et praxi (5); ab altera vero parte nulli solido fundamento innititur; frustra enim in ejus favorem allegatur quod Episcopi positi sint regere Ecclesiam Dei (6), quod primis sæculis in omnibus passim legibus dispensare solerent (7), quod citra specialem reservationem possint dispensare in votis (8) et absolvere a censuris (9): sane Ecclesiæ particularis regimen non postulat generalem dispensandi in jure communi facultatem; dispensationes pri-

1. Ita Gerson approbatus a Bossuet, *Defens decl.*, p. III, lib. XI, c. 16.

2. Ita S. Antoninus, Fr. de Victoria, Dom. Soto, ap. Suarez, lib. VI, c. 14, n. 3. — Gallicanos et Febronianos citatos habes ap. Perrone, *De matr.*, II, l. 2, s. 1, c. 5, a. 3.

3. Cfr. Suarez, lib. VI, c. 14; Sylvius, 1-2, q. 96, a. 4, quær. 1, concl. 2; Bonacina, disp. 1, q. 2, p. 1, n. 12; Paulutius, *Jur. sacr.*, lib. IV, tr. 4, c. 5; Reiffenstuel, lib. I, tit. 2, § 18, n. 464; Ben. XIV, *De syn.*, lib. IX, c. 1; S. Alphonsus, lib. I, n. 161; Bouix, *De Episc.*, sect. V, c. 8.

4. Cfr. S. Thomas, in IV, dist. 15, q. 3, a. 2, quæstiunc. 1. ad 3; 1-2, q. 97, a 4, ad 3.

5. Huc pertinet *Clem.* lib. I, tit. 3, c. 2, *Ne Romani.* Notanda attente sunt verba Pie VI ad Arch. Trevir. 1782: « Etiamsi episcopalis auctoritas, ut nonnulli doctores contendunt, ab ipso immediate Deo procederet, certum tamen constansque esse debet, illam auctoritatem non extendi ad faciendas jure proprio in generalibus Ecclesiæ legibus dispensationes sine expressa vel tacita saltem concessione superioris, a quo sancitæ illæ sunt, potestatis.» Pius VII autem in brev. ad Episc. Galliarum, 27 Feb. 1809 « perversam periculique plenam » eam opinionem pronuntiat, posse episcopos jure proprio « in iis quoque dispensare aut absolvere quæ generalium conciliorum sanctionibus, summorum Pontificum decretis, diuturno usu per universam Ecclesiam recepto, Romani Pontificis potestati reservata sunt. »

6. Cfr. Act. XX, 28; S. Cyprianus *De unit. Eccl.* IV.

7. Cfr. Thomassin, l. c.

8. Cfr. tract. noster *De virt. Relig.*, I, 460-464.

9. Huc pertinet *Decretal.* lib. V, tit. 39, c. 29 *Nuper:* « Quia conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. »

morum sæculorum facile explicari possunt per ampliorem facultatem olim Episcopis ratione temporum relictam [1] ; a dispensatione in votis et absolutione censurarum minime licet concludere ad dispensationem in lege [2]. Itaque dici nequit Episcopis competere omnes dispensationes, quæ non fuerint reservatæ, sed, quod omnino differt, dici debet Episcopis non competere dispensationes nisi quæ ipsis concessæ fuerint : in quem sensum egregie scriptum est : « Si carent Episcopi potestate dispensandi..., illud non oritur ex eo quod ea potestas ipsis fuerit ablata et S. Pontifici reservata ; sed ex eo quod eorum auctoritas natura sua arctatur infra leges superioris. E contra, quando dispensant in variis casibus... illud habent tantum ex concessione expressa vel tacita Ecclesiæ aut S. Pontificis [3]. »

nec in legibus provincialibus,

Majori verisimilitudine asseruerunt quidam, posse episcopos, potestate propria et ordinaria, in legibus concilii nationalis vel provincialis dispensare cum suis subditis. Melius tamen et conformius ad principium generale alii tenent eos in istis legibus dispensare non posse nisi potestate accepta sive immediate a concilio sive a Summo Pontifice [4]. — Idem fere statuendum est de prælatis regularibus relate ad leges capituli generalis.

sed tantum in legibus diœcesanis.

Extra omne dubium est, posse episcopos potestate propria et ordinaria dispensare tum in suis constitutionibus, tum in legibus synodalibus. Duplicem tantum casum excipiunt : prior est, si constitutio a Summo Pontifice confirmata fuit in forma, ut aiunt, non *communi*, sed *specifica ;* alter est, si constitutio abierit in contractum [5]. — Simili potestate prælati regulares dispensant in propriis ordinationibus.

1. Hoc colligitur ex textibus a Thomassino, l. c., allatis.

2. Cfr. supra, n. 176. Ita Suarez, lib. VI, c. 14, n. 7 : « Absolutio non est contra aut præter legem superioris, sed secundum illam, et ideo nihil mirum quod possit ab inferiori dari, quamdiu non reservatur. Præterea absolutio a censura, præsertim ab excommunicatione, ordinatur ad bonum animæ, et est necessaria ad usum sacramentorum, et ideo merito concessa intelligitur, quando non reservatur. »

3. Carrière, *De matrim.*, n. 1075 ; cfr. Perrone, *De matrim.*, tom. II, lib. II, s. 1, c. 3, a. 2.

4. Cfr. Suarez, lib. VI, c. 15, n. 3-7 ; Bonacina, l. c., p. 1, n. 12-14 ; Sylvius, l. c., concl. 3 ; Paulutius, l. c.

5. Cfr. Suarez, lib. VI, c. 15, n. 10-11 ; Bonacina, l. c., n. 15.

180. *Potestate quasi ordinaria aliquando in legibus communibus dispensare possunt*

Quoad dispensandi potestatem quasi ordinariam muneri pastorum inferiorum stabiliter adnexam, advertimus eam varia amplitudine extitisse pro variis temporum necessitatibus, præsertim pro majori vel minori facilitate relationum cum Sede Apostolica. Jam vero, secundum hodiernam disciplinam, sequentia admittenda videntur :

Episcopi et prælati Regulares

Muneri episcopali est facultas dispensandi in nonnullis legibus Ecclesiæ universalibus adnexa *explicita juris determinatione :* hoc titulo dispensant Episcopi « circa eum qui ignoranter recipit simplex beneficium per simoniacam pravitatem, post liberam resignationem (1) »; item « cum habentibus parochiales ecclesias sibi subjectas, quod usque ad septennium studendo non teneantur ad sacerdotium promoveri (2) »; præterea « in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum (3), » etc.

ex juris dispositione explicita,

vel implicita,

Etiam muneri episcopali adnexa est facultas dispensandi in quibusdam legibus universalibus *juris determinatione implicita,* qua nempe declaratur posse dispensari, quin addatur, *ab episcopis :* verba enim *posse dispensari* inutilia essent si non referrentur ad prælatos inferiores, quoniam Papa « secundum plenitudinem potestatis de jure potest supra jus dispensare (4). »

ex consuetudine,

Præterea muneri episcopali est facultas dispensandi in quibusdam legibus adnexa *consuetudine legitime præscripta :* hoc titulo dispensant Episcopi in abstinentia, jejunio, observatione festorum cum personis particularibus, non tamen cum tota communitate (5); item in plerisque impedimentis matrimonium impedientibus, sed non in impedimentis dirimentibus (6).

1. *Decretal.* lib. I, tit. 6, c. 59, *Si alicujus.*
2. *Sext.* lib. I, tit. 6, c. 34, *Cum ex eo.*
3. Conc. Trid., sess. XXIV, c. 6, *De reform.*
4. *Decretal.* lib. III, tit. 8, c. 4, *Proposuit.* — Principii hujus applicationem faciunt Jurisperiti ad *Decretal.* lib. I, tit. 6, c 43, *Quisquis,* lib. V, tit. 38, c. 12, *In quibusdam.*
5. Cfr. Benedicti XIV, const. *Non ambigimus,* 30 Maii 1741; *Libentissime,* 10 Jun. 1745; Nuntii Bruxellensis Epistola ad Episcopum Antverpiensem, 12 Feb. 1778, (ap. *Syn. Belg.* III, LXXIX, 422, 424); Gerdil, diss. cujus analysis prostat ap. *Anal. Jur. Pont.* II, 2824; Bouix, *De Episc.,* p. V, c. 8, § 3 et 4.
6. Cfr. Ben. XIV, *De Syn.,* lib. IX, c. 2; Bouix, *De Episc.,* p. V, c. 14; Feije, *op. cit.,* n. 612 et seq.; Planchard, (ap. *Nouv. Rev. Théol.,* XVII, 125-130; XVIII, 638-641.)

ex præsumpta Pontificis voluntate.

Insuper muneri episcopali est potestas dispensandi in nonnullis casibus adnexa ex *præsumpta voluntate summi Pontificis ;* præsumitur autem hujusmodi voluntas in casu necessitatis particularis, quando habetur periculum in mora, nec potest Pontifex facile adiri (1); hoc titulo quandoque dispensant Episcopi in impedimentis dirimentibus matrimonium sive contractum sive contrahendum ; juxta quosdam etiam præsumitur in casu necessitatis generalis, quando in aliqua regione impossibilis est recursus ad Sedem Apostolicam (2); item præsumitur in casu dispensationis haud certo necessariæ (3). — Quæ autem facultas dispensandi in legibus communibus annexa est muneri episcopali, generatim censenda est similiter annexa muneri prælatorum Regularium quoad suos subditos (4).

Tandem, ut superius notatum est, muneri episcopali adnexa est potestas dispensandi in legibus provincialibus et nationalibus ; muneri vero prælatorum regularium facultas dispensandi in statutis capituli generalis (5).

Quid possint Parochi.

Cum Episcoporum potestate quasi ordinaria analogiam habet facultas qua parochi, licet jurisdictionem in foro externo non habeant, ex *consuetudine,* in particularibus casibus, dispensant in jejunio et abstinentia et in operibus servilibus die dominico et festo prohibitis (6).

181. *Potestas dispensandi delegatur dignitati vel personæ ;*

Quoad dispensandi potestatem pure delegatam, plura notari debent :

Imprimis delegari potest facultas dispensandi *dignitati,* v. g. Episcopo, Vicario generali, Officiali (quisquis sit), vel *personæ,* v. g. Joanni, Petro, Jacobo.

delegatur ad varium tempus,

Delegari potest ad varium tempus, varia amplitudine, vario fine : nempe *a/* aliquando delegatur ad *tempus determinatum,* v. g. pro anno, decennio, vita'; aliquando ad *nutum* sive *bene-*

1. Cfr. Ben. XIV, lib. IX, c. 2, n. 2; Feije. *op. cit.,* n. 634, 635, 638.
2. Cfr. Feije, *op. cit.,* n. 637; Planchard (ap. *Nouv. Rev. Theol.,* XVIII, 640-641.)
3. Cfr. Ferraris, v° *Dispensatio,* n. 29; Feije, *op. cit.,* n. 636.
4. Cfr. Suarez, *De rel.,* tr. VIII, lib. 2, c. 12; Tamburini, *De jure Abbatum,* tom. III, disp. 4, q. 7; Lehmkuhl, I, 166.
5. Cfr. Sporer, l. c., n. 354.
6. Cfr. S. Alphonsus, lib. IV, n. 288 et n. 1032; Bouix, *De Parocho,* p. IV, c. 15.

placitum; et quidem ad nutum et beneplacitum vel individuæ personæ, v. g. Leonis XIII, vel dignitatis, v. g. Sedis Apostolicæ ; — *b/* delegatur aliquando ad *universalitatem causarum,* sive absolute, sive saltem in aliquo genere, v. g. matrimonii, aliquando ad *certas* numero *causas* vel relate ad *speciales personas* (1); — *c/* delegatur aliquando *in favorem delegati,* qua ratione Episcopis concedi a Sede Apostolica solent facultates quinquennales, triennales, annales (2); aliquando *in favorem certæ* vel *certæ personæ,* cui dispensatio prodesse debet : in hoc autem posteriori casu facultas dari potest duplici modo, videlicet vel per modum gratiæ *factæ,* ut aiunt, quod evenit quando delegato imponitur præceptum dispensandi, si preces veritati nitantur, uti sæpe contingit in dispensationibus matrimonialibus, quo casu delegatus qui actu dispensationem elargitur, dicitur eam *fulminare ;* vel per modum gratiæ *faciendæ,* quod evenit quando delegato non imponitur præceptum dispensandi, sed tantum datur facultas dispensationis elargiendæ, si videatur expedire (3).

varia amplitudine

vario fine;

Delegari valet facultas dispensandi, *a/* tum ab eo qui fruitur potestate ordinaria, tum, generatim, etiam ab eo qui gaudet quasi-ordinaria ; procedit autem delegatio a *persona,* v. g. a Leone XIII, aut a *dignitate,* v. g. a Sede Apostolica. — *b/* At generatim non potest facultas dispensandi a delegato subdelegari : delegatus enim eam habet non ut dominus et principalis, sed ut minister (4). — *c/* Nihilominus delegatus subdelegare potest in quibusdam circumstantiis, sive ex jure, nempe si delegatus sit a Papa (5), sive ex consuetudine, v. g. si delegatus sit ad universitatem causarum (6), sive ex speciali con-

delegatur ab habente facultatem ordinariam vel quasi ordinariam, et aliquando etiam subdelegatur.

1. Cfr. Schmalzgrüber, lib. I, tit. 29, n. 2.

2. Cfr. Feije *op. cit.,* n. 614 et seq.; Planchard, *Etude des indults accordés aux Evêques de France pour dispenser des empêchements de mariage* (ap. *Nouv. Rev. théol.,* XVII, XVIII.) — Notum est tempore concilii Vaticani a pluribus episcopis *postulatum* esse ut ampliores facultates concederentur: cfr. Martin, *Docum. collectio,* p. 163, 176, 182, etc.

3. Cfr. Laymann, *De leg.,* c. XXIII, n. 18.

4. Cfr. Schmalzgrüber, l. c., n. 12.

5. *Decretal.* lib. I, tit. 29, c. 3, *Si pro debilitate ;* c. 28, *Pastoralis;* c. 43, *Quoniam; Sexti* lib. I, tit. 14, c. 7, *Si delegatus;* cfr. Jurisperiti passim in hh. cc.

6. Cfr. Schmalzgrüber, l. c., n. 11 ; Pontius, *De matr.,* lib. V, c. 26, n. 7-12.

cessione (1): jam vero delegatus a Papa vel ad universitatem causarum subdelegandi potestatem exercet nomine proprio; delegatus autem ad certam causam ab Ordinario inferiore, subdelegandi potestatem speciali concessione obtentam exercet nomine primi delegantis (2). — *d*/ Præterea advertendum quod delegatus etiam a Papa vel ad universitatem causarum subdelegare nequeat, si opposita voluntas delegantis explicite vel implicite manifestata fuerit, v. g. si in rescripto habeatur *per teipsum, personaliter,* si electa fuerit specialis delegati industria et doctrina (3), si ex facultatum contextu et formularum comparatione restrictio appareat (4), si commissa fuerit mera dispensationis executio. — *e*/ Tandem subdelegatus nunquam ulterius delegare valet.

Cessat potestas delegata rei executione, revocatione,

Delegata facultas dispensandi cessat imprimis lapsu temporis pro quo concessa est, et dispensationis elargitione ad quam data fuit. Cessat etiam per revocationem : fieri autem potest revocatio tum a primo delegante, tum etiam a subdelegante, nisi is totam suam facultatem in subdelegatum transmiserit (5). Cessat item per desitionem potestatis in delegante, de quo tamen casu plura distinctius notanda occurrunt : — *a*/ facultas dispensandi proveniens *a dignitate,* v. g. a Sede Apostolica, non cessat moriente persona singulari quæ hac dignitate aucta erat ; — *b*/ facultas dispensandi proveniens a persona et concessa in favorem *delegati,* cessat cessante potestate in delegante, si data fuerit ad nutum et beneplacitum, secus si data fuerit ad tempus determinatum (6) ; — *c*/ facultas

cessatione potestatis in delegante.

1. Exempla habes in Episcoporum acultatibus quinquennalibus. etc. — Contingere autem potest ut quis subdelegare valeat tum ex communi jure, tum ex singulari auctoritate : cfr. Ben. XIV, const. *Apostolicum ministerium,* § 11 : sane specialis concessio facultatis generatim non nocet facultati aliis titulis obtentæ, sed ei adjungitur.

2. Ita Schmalzgrüber, l. c., n. 11 : Subdelegari potest « si ita delegato concessum sit expresse vel tacite : quia tali casu censeri debet delegatus non suo, sed alieno ipsius delegantis jure ac nomine causam committere, et ab eo subdelegatus jurisdictionem accipit, non a delegato subdelegante, sed ab ordinario delegante. » Et Pichler, lib. I, tit 29, n. 14 : « Potest omnis delegatus subdelegare, quando id ei a delegante vel expresse vel tacite permittitur : tunc enim non tam suo quam delegantis nomine delegat. »

3. Cfr. Schmalzgrüber, l. c., n. 10.

4. Cfr. Feije, *op. cit.,* n. 632 ; Planchard, ap. *Nouv. Revue théol.,* XIX, 86.

5. Cfr. Schmalzgrüber. l. c., n. 45 ; Reiffenstuel, lib. I, tit. 29, n. 136-142.

6. Cfr. *Sexti* lib. III, tit. 4, c. 36, *Si cui.*

dispensandi proveniens a persona et concessa in favorem *certæ* personæ per modum gratiæ *factæ,* probabilius non cessat cessante potestate in delegante (1); — *d*/ facultas dispensandi a persona proveniens et concessa in favorem certæ personæ per modum gratiæ *faciendæ,* cessat cessante potestate in delegante, nisi res non amplius integra sit eo quod delegatus sua facultate uti cœperit (2); — *e*/ facultas dispensandi a subdelegante concessa *ex jure vel consuetudine,* cessat cessante potestate in subdelegante; facultas vero dispensandi concessa a subdelegante *ex speciali commissione,* non cessat cessante potestate in subdelegante, sed solum cessante potestate in primo delegante (3).

§ II.

De subjecto dispensationis.

182. *A quo dispensari valeant,*

Dispensandi facultas exerceri potest relate ad eos qui vel dispensanti aliquomodo subditi sunt, vel ei in ordine ad dispensationem commissi fuerunt: est enim dispensatio actus jurisdictionis, quæ aliquam superioritatem ab una parte, subjectionem ab altera postulat. Hinc sponte oriuntur quæstiones: utrum superior secum ipso dispensare valeat; utrum etiam valeat dispensare superior localis cum suis subditis absentibus, vel cum peregrinis in suo territorio degentibus; præterea utrum dispensare valeat Episcopus cum religiosis exemptis.

183. *superiores,*

Nulla efficaci ratione demonstratur, non posse legislatorem in suis legibus propria auctoritate secum ipso dispensare; ratio assertionis habetur in iis quæ diximus de legislatoris obligatione relate ad suas leges; si enim obligationis impositio non requirit physicam personarum distinctionem inter eum qui jurisdictionem exercet et eum circa quem exercetur, a fortiori talem distinctionem non requirit obligationis relaxatio (4). Cæterum qui

1. Cfr. *Sexti* lib. I, tit. 14, c. 9, *Si super.*
2. Cfr. *Sexti* lib. III, tit. 4, c. 36, *Si cui.*
3. Cfr. Sanchez, *De matr.* lib. VIII, disp. 28, n. 36. Ita Pichler, lib. I, tit. 29, n. 18: « Si delegatus inferioris et non summi Principis subdelegavit, jurisdictio subdelegati non expirat per mortem subdelegantis: quia provenisse censetur potius a delegante quam subdelegante. »
4. Cfr. supra, n. 156; Suarez, *De leg.,* lib. VI, c. 12, n. 8.

legislatori denegant facultatem secum dispensandi, addunt hujusmodi facultatem ipsi necessariam non esse, siquidem, posita causa ad dispensationem sufficiente, per se, aiunt, cessat obligatio relate ad ipsum, eo quod desinat illa ratio propter quam debeat se aliis conformare (1). — Omnibus consentientibus, *qui in legibus superioris dispensant potestate delegata, sive quasi ordinaria sit, sive pure delegata, eam exercere possunt non solum relate ad alios, sed etiam in sui favorem.* Advertatur autem, a superiore posse in sui favorem, duplici ratione exerceri dispensandi facultatem, nempe immediate, per se ipsum obligationem propriam relaxando, vel mediate, confessario potestatem tribuendo: hæc altera procedendi ratio magis prudens est et discreta.

184. *incolæ,* Incolæ et advenæ, quamdiu in suo territorio degunt, legum particularium et communium relaxationem obtinere debent a proprio superiore. — Peregrini recurrere tenentur ad proprium superiorem pro relaxatione legum particularium sui *peregrini,* territorii quibus forte obnoxii manent (2), et ad superiorem loci, in quo degunt, pro relaxatione legum hujus territorii quibus subjiciuntur, ut per se patet; pro relaxatione vero legum communium recurrere possunt sive, juxta quosdam, ad superiorem proprium, sive melius, ut nobis saltem videtur, ad superiorem loci in quo versantur: sicut enim a superiore loci vindicatur legum communium violatio etiam ex parte peregrinorum, ita ab eodem obtineri valet earumdem legum relaxatio (3); possunt tamen, causa perseverante, uti in alieno territorio dispensatione prius obtenta, saltem in foro interno *vagi,* et privatim (4). — Juxta omnes, vagi pro quibuscumque

1. Cfr. Lessius, *De just. et jure,* lib. II, c. 35, dub. 5, n. 33.

2. Cfr. supra, n. 160. — Exinde apparet ad quem sit recurrendum pro dispensatione impedimentorum matrimonii: cfr. Feije, *op. cit.,* n. 628.

3. Cfr. supra, n. 161; Pontius, *De matr.,* lib. VIII, c. 4, n. 7; Castropalao, disp. VI, p. 7, § 2, n. 5. — Quæ sit doctrina S. Alphonsi, lib. I, n. 158, non clare liquet; probabilem quidem dicit sententiam eorum qui tenent peregrinos in legibus communibus dispensari posse ab Episcopo loci ubi reperiuntur; ipse autem subscribit opinioni eorum qui tenent « posse peregrinum dispensari ab Episcopo loci, modo, ibi sint animo manendi per majorem anni partem. » At, qui alicubi habitat cum animo manendi per majorem anni partem, peregrinus proprio sensu non est.

4. Cfr. Suarez, *De leg.,* lib. VIII, c. 26. — Advertatur a nobis agi unice de dispensatione in legibus, non directe de dispensatione in votis, nec de

dispensationibus recurrere debent ad superiorem loci in quo reperiuntur.

185. *exempti.*

Religiosi exempti a proprio prælato dispensantur in suis regulis ; — in legibus diœcesanis, quibus forte per se vel per accidens subjecti sunt, dispensantur ab Episcopis ; — in legibus vero communibus dispensantur tum a proprio prælato tum etiam, prælato consentiente, ab Episcopis ([1]).

§ III.

De conditionibus dispensationis.

186. *Triplex conditio dispensationis a concilio Tridentino requisita : causa justa, causæ cognitio, gratuitas.*

Gravissime monent Tridentini Patres : « Frequentius legem solvere, exemploque potius quam certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos canones ab omnibus, et quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens, justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id, causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, a quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum : aliterque facta dispensatio subreptitio censeatur ([2]). »

187. *Causæ necessitas*

Prima igitur dispensationis conditio a Concilio requisita est causæ *justæ* et *urgentis* existentia, de qua sequentia statuimus :

Nullus, sive delegatus ille sit, sive etiam legislator, in lege ecclesiastica dispensare potest sine justa causa. Sicut enim superior leges statuere aut abrogare nequit pro arbitrio et libitu, ita nequit pro arbitrio et libitu leges relaxare : qui secus ageret, reus esset acceptionis personarum, rectum societatis ordinem perturbaret, necessariæ disciplinæ vim et efficaciam destrueret.

absolutione a censuris : cfr. conc. Trid. sess. xxiv, c. 6, *De reform.;* Barbosa, *De post. et off. Episc.*, p. 11, all. 26, n. 17 ; all. 29, n. 6.

1. Cfr. Lehmkuhl, 1, 165 ; Bouix, *De Episc.*, p. v, c. 16, § 9 : ita fruuntur Regulares dispensationibus quadragesimalibus pro diœcesi tota ab Episcopo pontificia auctoritate concessis ; in interstitiis vero dispensantur ab Episcopo ordinante, etc.

2. Conc. Trid., sess. xxv, c. 18, *De reform.*

Ita unanimiter pronuntiant Sancti Patres et Ecclesiæ Doctores, Pontifices et Concilia, quorum constantem doctrinam S. Bernardus præclare exprimit : « Quid, inquis, prohibes dispensare ? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores : sed in ædificationem, non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est : ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. » Et brevius alibi : « Novit fidelis servus et prudens ibi tantum usurpare dispensationem, unde bonam possit habere recompensationem (1). »

ad dispensationis liceitatem,

Ita requiritur justa causa ad dispensandum, ut sine ea concessio dispensationis sit ex se graviter peccaminosa, non solum quando fit ab inferiore in lege superioris, sed probabilius etiam quando fit a legislatore in propria lege : patet ex rationibus et auctoritatibus modo allegatis ; gravitas autem peccati a dispensante commissi non tam pendet immediate a gravitate obligationis cujus datur relaxatio, quam potius a legis utilitate et a detrimento quod ex non observatione patitur communitas (2). — *Est autem dispensatio non solum illicita sed etiam invalida si detur sine causa ab inferiore in lege superioris,* quia facultas dispensandi non delegatur nisi sub conditione eam cum justa causa exercendi, adeoque dispensans sine causa excedit limites commissæ sibi potestatis ; *si vero sine causa detur a legislatore in lege propria, censent communius eam esse validam,* quia, aiunt, tota vis legis a voluntate legislatoris pendet (3) ; verum candide fatemur nos hoc argumento non omnino convinci ; nam « licet in voluntate legislatoris sit ponere vel auferre legem, tamen si vult per legem obligare totam communitatem, non potest, etiamsi velit, eximere

et aliquando ad ejus validitatem.

1. S. Bernardus, *De cons.*, lib. III, c. 4, n. 18 ; *De præc. et disp.*, c. II, n. 3. — Cfr. S. Augustinus, *Epist.* 50 (ap. *Grat. Decr.* II, c. 23, q. 4, c. 24, *Ipsa pietas)* ; S. Zozimus, *Epist.* 5 ; S. Martinus I, *Epist.* 5, (ap. Migne P. L. LXXXVII, 159) ; Innocentius III, (ap. Rainald. ad ann. 1208, n. 14) et *Decretal.* lib. I, tit. 9, c. 11, *Post translationem ;* lib. II, tit. 27, c. 19, *In causis ;* S. Thomas, 1-2, q. 97, a. 5 ; Suarez, lib. VI, c. 18. Plura refert Thomassin, l. c.

2. Cfr. Suarez, lib. VI, c. 18, n. 8-10.

3. Cfr. Suarez, lib. VI, c. 19, n. 3-12.

aliquem ab efficacia legis sine causa. Quia lex per se primo respicit communitatem, et ideo quamdiu durat, necessario et quasi naturaliter, seu ex vi juris naturæ obligat omnes qui sunt de communitate et uniformiter participant causam seu rationem legis : ergo exemptio ab illa obligatione jam non potest effici sola voluntate, sed per voluntatem dispensativam quæ respicit causam. Nam quodammodo læditur jus naturale sine causa diminuendo obligationem legis, perseverante lege. (1). »

Causæ requisitæ gravitas.

Causa autem ad dispensandum requisita non debet esse tanta quæ per se certo vel probabiliter excuset a legis observatione; sed sufficit *intermedia,* qua nempe posita, pars communitatis possit sine acceptione personarum eximi a generali obligatione (2). — Quænam autem talis censenda sit, non potest generali regula determinari : major vel minor e se debet prout majoris vel minoris momenti fuerit lex quæ relaxatur (3) ; prout hujus legis ratio magis vel minus in casu urget (4) ; prout integritati et vigori disciplinæ magis vel minus favorabiles fuerint temporum et locorum circumstantiæ (5). Causa quæ, omnibus attentis, sufficit ad dispensandum, vocatur *motiva;* quæ non sufficit, licet adjuvet, vocatur *impulsiva* (6) : in diversis materiis dignoscitur causa motiva tum ex directa

1. Hanc objectionem sibi ipsi proponit Suarez, l. c., n. 7, quam judicio nostro non videtur sufficienter solvere. — Pauci quidem sunt Theologi qui docent validam non esse dispensationem a Superiore in lege propria concessam sine causa ; multi tamen agnoscunt (an satis consequenter, viderint ipsi) eam non esse *tutam,* adeoque pronuntiant licitum non esse ipsa uti. Cfr. Suarez, l. c., c. 19, n. 12.

2. Cfr. Suarez, l. c., c. 18, n. 14.

3. Sic v. g. major causa requiritur ad dispensandum in matrimonii impedimentis dirimentibus quam in mere impedientibus, etc.

4. Ita Suarez, lib. VI, c. 18, n. 24 : « Si cessat (ratio legis), per se non sufficit ut lex non obliget, nec etiam ut per dispensationem tollatur, si nulla alia ratio suppetat : tamen supposita illa cessatione causæ finalis legis in particulari. quælibet ratio adjuncta... etiamsi nimis gravis non sit, sufficere poterit ad honestandam dispensationem... Si vero ratio seu finis legis in tali persona non cessavit, major quidem causa necessaria erit, poterit tamen etiam esse intrinseca, ut est debilitas corporis ad jejunandum, etiamsi alias indigeat jejunio ad macerationem. »

5. Sane hodie in omni fere materia ecclesiastica merito admittuntur ad dispensandum causæ quæ olim sufficientes non reputabantur.

6. Sumitur ergo causa motiva et impulsiva *objective,* non *subjective :* fieri enim potest ut quis ad agendum moveatur causa quæ in se mere impulsiva est.

rerum consideratione, tum ex jure, ex stylo curiæ, ex superioris
et natura. agendi more (1). — Advertendum autem est, dispensationis causam sufficientem distingui in *intrinsecam* et *extrinsecam :* intrinseca est difficultas per accidens adnexa legis observationi, cujusmodi est asperitas viarum relate ad præceptum audiendi missam ; extrinseca est bonum ex legis non observatione vel saltem ex ejus relaxatione obtinendum : hujusmodi sunt personarum excellentium legitima honoratio (2), meritorum recompensatio (3), pacis et unionis conciliatio (4), eleemosynæ in pias causas elargitio (5). — Insuper advertendum, non requiri ad dispensationem causam *publicam,* sed sufficere *privatam :* quando autem a Doctoribus dicitur, dispensandum non esse nisi propter *bonum commune* (6), id intelligi debet de bono communi sive immediate sive saltem mediate attingendo, quatenus nempe bonum alicujus membri in bonum totius corporis redundat ; « quod patet ex usu et ex ratione, quia legislator ita debet communi bono prospicere ut etiam habeat curam singulorum, quoad fieri possit; ergo ita etiam debet dispensare obligationem legis ut necessitatibus singulorum subveniat, salvo communi bono (7). » — Ex his autem intelligitur quo sensu triplex generatim assignari soleat ratio dispensandi, *charitas, utilitas, necessitas:* hæc quidem sæpe simul concurrunt ; prout autem distinguuntur, *charitas* respicit causam privatam et intrinsecam, quando præceptum « quod est ad commodum multitudinis ut in pluribus, non est conveniens huic personæ vel in hoc casu (8) : » *utilitas* respicit potius causam extrinsecam et publicam, qua ratione, tempore S. Thomæ, « dispensatio matrimonii contrahendi principaliter fieri » consueverat « propter fœdus pacis firmandum : quod quidem magis est necessarium communi utilitati circa personas excellentes, et ideo cum eis facilius dispensatur absque peccato acceptionis personarum (9) : » demum *necessitas* respicit

1. Cfr. Theologi et Jurisperiti passim, ubi exponunt causas dispensationum matrimonialium.
2. Cfr. Conc. Trid., sess. XXIV, c. 5, *De reform. matrim.*
3. Cfr. v. g. Feije, *op. cit.*, n. 672. — 4. Cfr S. Thomas, 2-2, q. 63, a. 2, ad. 2. — 5. Cfr. Suarez, lib. VI, c. 18, n. 26; S Alphonsus, lib. I, n. 195.
6. Cfr. S. Bernardus. *De consid* , l. c.
7. Suarez, lib. VI, c. 18, n. 18 ; cfr. S. Thomas, 1-2, q. 97, a. 5.
8. S. Thomas, 1-2, q. 97, a. 5. — 9. Cfr. 2-2, q. 63, a. 2, ad 2.

subditorum infirmitatem sive specialem, sive præsertim generalem (1), publicam perturbationem, etc. (2). — Tandem talis occurrere potest causa ut dispensatio non solum sit *licita*, verum etiam *obligatoria*, sive ex natura rei, propter bonum publicum vel privatum necessario procurandum, sive ex dispositione juris et præcepto superioris (3).

188. *Causæ cognitio necessaria.*

Altera dispensationis conditio a Tridentino requisita est causæ *cognitio* et consilii *maturitas*.

Hujus conditionis necessitatem evincit ipsa ratio ; si enim is qui habet potestatem dispensandi in lege, « pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione aut erit imprudens : infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune, imprudens autem si rationem dispensandi ignoret (4) ; » eamdem necessitatem gravissimis verbis proclamant ipsi Pontifices (5).

ad dispensationis liceitatem.

Itaque concessio dispensationis sine causæ cognitione semper illicita est. Quoad talis dispensationis validitatem, distinguen-

1. Exemplum antiquum habetur in can. Africanis, n. 68 ; aliud præbet *Responsio* Paschalis II ad S. Anselmum Cantuariensem, (inter epist. S. Anselmi, III, 45, Paschalis vero 74) : *Petit Anselmus :* « Sæpe necesse est aliquid de apostolicis et canonicis statutis pro compensationibus relaxare, maxime in regno, in quo fere omnia sic corrupta et perversa sunt, ut vix ibi aliquid omnino juxta ecclesiastica statuta fieri possit. Peto ut per licentiam vestram possim quædam, prout discretionem dabit mihi Deus, temperare. Quod petii a Domno Papa Urbano, et ipse posuit in mea deliberatione. » *Concedit Paschalis :* « Nos de religione et sapientia tua diu longeque spectata nihil penitus ambigentes, tuæ deliberationi committimus ut, juxta datum tibi divinitus intellectum, cum Ecclesiæ, cui præpositus es, tanta necessitas expetit, sanctorum canonum decretorumque difficultatem opportuna et rationabili compensatione valeas temperare. »

2. Huc pertinebat Pii VII breve *Inter plura*, 27 oct. 1802.

3. Cfr. Suarez, lib. VI, c. 18, n. 19-22. — 4. S. Thomas, 1-2, q. 97, a. 5.

5. Ita, v. g. Gregorius IX (ap. Rainald, 1234, n. 16), dispensaturis in ordine ad matrimonium S. Ludovici : « Romanus Pontifex qui claves in B. Petro discretionis et potestatis accepit, nunc mansuetudine utitur, nunc rigore, consideratis universis circumstantiis... Prudenter attendit non solum personas sed causas, cum quibus videlicet et ex quibus dispensare disponit ; ne forte sic dispenset ut dissipet ; imo ne dissipet si dispenset ; ne propter mansuetudinem subvertatur veritas. » Pius vero IV, absoluto concilio Tridentino, S. R. E. Cardinales hisce verbis allocutus est : « Quæ a sacrosancta synodo acta, statuta sunt, ea lege... rata et firma esse volumus ut illis derogare nullo unquam tempore passuri simus. Quod si temporum ratio vel causarum locorumque conditio, aut publica utilitas atque evidens suaserit aliquando a concilio recedi, id sine consilio vestro... facturi nunquam sumus. »

dum est intes legislatorem et ejus delegatum. Imprimis communiter admittitur validam esse dispensationem a legislatore in propria lege concessam sine causæ cognitione : si enim, aiunt, legislator valide dispensat sine causa, valide etiam dispensat sine cognitione causæ (1). Deinde certum est, invalidam esse dispensationem sine causæ cognitione a delegato concessam, casu quo a parte rei causa deficiat : an autem sine cognitione causæ valide dispenset delegatus casu quo a parte rei causa revera existat, non undequaque liquet : invalida videtur dispensatio si delegans requisierit causæ examen tanquam conditionem et formam (2); extra hanc hypothesim, alii propugnant validam esse dispensationem, « quia dispensationis valor non pendet a cognitione causæ sed ab ejus existentia (3) »; alii contendunt dispensationem esse nullam, quia in tali casu, licet habeatur dispensandi ratio et voluntas, illa duo tamen non moraliter junguntur (4) : altera hæc sententia nobis videtur conformior principiis generalibus, auctoritatibus, et menti concilii Tridentini jubentis ut dispensatio contra modum præscriptum concessa *subreptitia* censeatur (5).

et aliquando ad ejus validitatem.

189. *Requisita dispensationis gratuitas.*

Tertia dispensationis conditio a concilio requisita est *gratuitas*.

Conditio ista juris naturalis est simul et positivi : in eo autem consistit quod nihil per modum mercedis pro dispensatione exigatur (6). Hinc gratuitas dispensationis non impedit quin aliquid solvendum definiatur pro cancellariæ expensis : hæ enim rationabiliter illi incumbunt qui dispensationis beneficium recipit; nec impedit quominus in dispensationis causam acceptetur oblatio eleemosynæ ad usus pios ; multo minus impedit quominus in compensationem vulneris disciplinæ ecclesiasticæ per dispensationem illati imponantur mulctæ pecuniariæ, de quibus mox verbulum dicetur (7).

1. Cfr. tamen quæ modo, pag. 410 de hoc principio adnotata sunt.

2. Cfr. Sanchez, *De matrim.*, lib. VIII, disp. 34, n. 24 et 25 ; disp. 35, n. 16. — 3. Cfr. Laymann, c. 22, n. 12 ; S. Alphonsus, lib. I, n. 181.

4. Cfr. v. g. Azor, Castropalao et alii ap. S. Alphonsum, l. c. — 5. Conc. Trid., sess. XXIV, c. 18, *De reform.* — 6. Cfr. Feije, *op. cit.*, n. 690.

7. Asserunt nonnulli decreto Tridentino secundum primitivum sensum intellecto mulctas a dispensationibus excludi : cfr. *Nouv. Rev. théol.*, XVIII, 626 ; quo argumento historico innitantur, ignoramus.

190. *Varii concessionis modi : motu proprio, ad instantiam, expresse, tacite, simpliciter, cum onere,*

Cæterum, servatis prædictis conditionibus, potest vario modo dispensatio concedi. Nempe *a*/ dispensatio conceditur *motu proprio*, quando dispensans a se ipso movetur, propria sponte et liberalitate, ita ut vel nulla petitio præcedat, vel, si aliqua præcesserit, ea non sit adæquata ratio gratiæ obtentæ ; conceditur vero *ad instantiam*, quando dispensans movetur supplicatione sive ipsius dispensati, sivi tertii in ejus favorem (1) — *b*/ Conceditur *expresse*, quando datur verbis vel signis æquivalentibus, oretenus vel scripto ; *tacite* vero conceditur, quando continetur in aliquo facto et ex eo colligitur ; hujusmodi factum contingit α/ si superior aliquid fieri videat quod fieri nequit sine dispensatione, et, dum facile posset obsistere, tacet (2) ; item β/ si illud præcipiat quod sine dispensatione licite aut valide fieri nequit (3). Advertatur autem *tacitam* dispensationem non esse meram dispensationis *præsumptionem*, quæ nunquam sufficit ad agendum (4). — *c*/ Conceditur pure et *simpliciter*, quando loco vinculi, quod relaxatur nullum onus personale vel pecuniarium imponitur ; quando autem hujusmodi onus imponitur, dicitur concedi cum aliqua *compensatione*. Jam vero α/ quivis legislator *per se* potest dispensationi in propriis legibus concessæ compensationem admiscere, v. g. pium opus, eleemosynam, etc.; patet tum ex natura rei, tum ex praxi Sanctæ Sedis, quæ frequenter mulctas dispensatis imponit (5). β/ An autem Episcopus possit compensationem

1. Cfr. Suarez, lib. VI, c. 13, n. 8. — 2. Cfr. Suarez, lib. VI, c. 13, n. 17-22. — 3. Cfr. Suarez, l. c., n. 23.

4. Ita Suarez, lib. VI, c. 13, n. 30 : « In hoc invenio differentiam inter simplicem facultatem et propriam dispensationem, quod in illa sufficit interdum voluntas præsumpta ad licite operandum, quomodo dicunt communiter auctores non agere contra paupertatem religiosum dantem aliquid ex voluntate præsumpta superioris, quando non potest facile obtinere expressam, quod tamen in dispensatione non admittimus : et ratio differentiæ est, quia ibi actio non est simpliciter prohibita, sed solum ut non fiat absque superioris voluntate, quæ conditio extenditur ad voluntatem præsumptam ex communi usu et prudenti ratione. Hic autem actio supponitur absolute prohibita, et ob eam rationem mala, et ideo de præsenti necessaria est aliqua voluntas quæ prohibitionem et consequenter malitiam auferat. »

5. Ita Pius VII, Brev. ad Episc. Gall. 28 Feb. 1809 : « Mulctæ illæ ad resarciendum aliquo modo vulnus, quod ex dispensationum matrimonialium concessione ecclesiasticæ disciplinæ infligitur, et ad matrimonia inter personas consanguinitatis vel affinitatis vinculo invicem conjunctas, rariora ac difficiliora reddenda, *juste salubriterque* ab Ecclesia constitutæ sunt. » — Nihilominus hæc mulctarum impositio, in se *justa et salubris*, adeo repugnare

admiscere dispensationi concessæ in legibus superioris vi potestatis quasi ordinariae, non omnino constat : alii universaliter negant, alii e contra universaliter affirmant ; melius forte alii distinguunt, compensationis facultatem admittentes in dispensatione legum per quas subditi obligantur ad aliqua onera virtutis aut religionis, v. g. ad jejunium, missæ auditionem ; eam vero rejicientes in dispensatione legum quæ virtutis exercitia non imponunt, sed necessaria bono communi præscribunt, ad ordinem servandum, ad incommoda præcavenda, cujusmodi sunt impedimenta impedientia, bannorum proclamatio, et hujusmodi ([1]). γ/ At pure delegatus non potest dispensationi concessæ compensationem admiscere, nisi eam facultatem a delegante obtinuerit ([2]). — *d*/ Tandem dispensatio concedi potest *absolute* vel sub *conditione :* ubi notanda est differentia inter *compensationem* et *conditionem* stricte dictam : omissio enim operis in compensationem impositi, licet peccaminosa sit, non nocet validitati dispensationis ; at negligentia conditionis stricte dictæ dispensationem nullam reddit ([3]).

absolute, sub conditione.

§ IV.

De vitiis dispensationis.

191. *Valori dispensationis nocent*

Ad dispensationem requiritur ex parte dispensantis non solum potestas, sed etiam *voluntas* ea utendi : quæ ergo voluntati dispensandi obstant, ipsam impediunt dispensationem ; duo autem præsertim sunt quæ voluntati obstant, *error* et *metus*.

error

Et quidem error versari potest circa dispensationis *objectum, causam, subjectum, modum ;* — debetur vel ipsi *dispensato,* vel *dispensanti,* vel *tertio ;* — provenit ex *suppressione veri,* quo casu

moribus nostræ ætatis quibusdam videtur, ut jam ab ea abstineri vellent. Cfr. v. g. *postulata* ad conc. Vatic. (ap. Martin, p. 176, 184.)

1. Cfr. Suarez, l. c., c. 16 ; Laymann, *De leg.*, c. 22, n. 28, 29.

2. Pius VII, 27 Feb. 1809, ad quinquennium indulsit Episcopis « attentis peculiaribus Galliarum circumstantiis et ex specialissima gratia in exemplum non trahenda, ut, in concedendis dispensationibus matrimonialibus ex delegata apostolica auctoritate eleemosynam a dispensandis, pro qualitate personarum et impedimentorum diversitate, exigere possint in favorem seminarii diœcesani vel indigentium ecclesiasticorum erogandam, et non aliter, retento visibili et publico regesto harum eleemosynarum cum inscriptione finem et usum ipsarum designante. »

3. Cfr. Suarez, lib. VIII, c. 13, n. 4.

adest *subreptio*, vel ex *expressione falsi*, quo casu adest *obreptio* : utraque locum habere potest bona vel mala fide ; — est relate ad dispensationem vel *antecedens*, quando dispensans ita actualiter dispositus est ut voluntatem suam dispensandi restringat ad materiam qualis falso apparet, vel *concomitans*, quando dispensans ita dispositus est actualiter ut si rem, prout est, cognosceret, tamen dispensaret (1).

Metus vero potest esse *gravis* vel *levis* ; — *juste* vel *injuste* incussus, sive a dispensando sive ab aliis ; — incussus directe ad *dispensationem extorquendam* vel ad *alium* finem. *et metus.*

192. *Quomodo in dispensationis valorem influat error qui versatur circa ejus objectum.*

Hisce præmissis, sequentia statuimus quoad influxum erroris in dispensationis valorem :

Relate ad *objectum* dispensationis distinguendum est illud quod est ipsi *intrinsecum*, ab eo quod est *extrinsecum* ; et rursus in eo quod est intrinsecum distinguendum est *substantiale* ab *accidentali*. Jam vero *a/ Error a quocumque commissus, sive bona sive mala fide, per obreptionem vel per subreptionem, si versetur circa qualitatem aut circumstantiam quæ extrinsece se habet ad rem postulatam, minime reddit dispensationem invalidam.* Etsi enim superior, cognita veritate, fortasse non dispensasset, tamen non alligavit, nec rationabiliter alligare potuit suam dispensandi voluntatem præsentiæ talis qualitatis aut circumstantiæ (2). —

1. Cfr. tract. noster *De virtute religionis*, I, 319.

2. Ita Suarez, *De rel.*, tr. VI, *De voto*, lib. VI, c. 27, n. 13 : « In his casibus ignorantia illa vel deceptio non impedit, quominus dispensans hic et nunc velit solvere hoc vinculum ex justa et rationabili causa. Quod autem id non esset voliturus si talem circumstantiam, quæ ad causam non refert, cognosceret, non facit præsentem actum involuntarium, quia illa nolitio sub conditione tantum futura, nihil in præsenti operatur, nec præsens quasi habitualis dispositio minuit actualem voluntatem, aut ponit aliquam conditionem in objecto ratione cujus videri possit involuntarium, quum illa dispositio sit impertinens et extra causam. » Exempla reperit Laymann, c. 22, n. 21, « in eo qui beneficium ecclesiasticum aliamve gratiam postulat, dissimulatis criminibus, quæ si episcopus cognita haberet, non concederet ; sicut et pauper, qui vita improbus est, non censetur eleemosynam per errorem seu subreptionem obtinuisse, quamvis dans ei non dedisset, si hominis improbitatem agnovisset ; in eo qui petit dispensationem super una irregularitate, v. g., ex homicidio casuali, tacita altera irregularitate omnino separata et priorem per se non aggravante, puta ex natalium defectu, sicut docet Suarez, *De leg.*, lib. VI, c. 24, n. 10 ; ... in eo qui petit dispensationem super voto continentiæ, eaque impetrata aliam dispensationem super impedimento matrimonii ad ducendam consanguineam vel affinem, sicuti docet Sanchez, *De matr.*, lib. VIII, disp. 23, n. 4 ; Suarez, *De leg.*, lib. VI,

b/ Error a quocumque commissus, sive bona sive mala fide, sive per obreptionem sive per subreptionem, si versetur circa rem in qua dispensatur, ipsam substantialiter afficiens, ita ut superior ignoret qualitatem et quantitatem gratiæ quam facit aut vinculi qvod tollit, dispensationem omnino invalidam reddit. Ratio est, quia propter hujusmodi errorem deficit dispensandi intentio. — *c/ Dispensationem invalidam non reddit error bona fide commissus per obreptionem vel subreptionem, si versetur quidem circa rem ipsam in qua dispensatur, sed eam tantum accidentaliter afficiat ; at invalidam reddit dispensationem talis error a dispensando vel ejus nomine mala fide causatus.* Ratio est, quia in casu bonæ fidei superior nequit prudenter voluntatem suam alligare præsentiæ circumstantiæ accidentalis ; secus in casu malæ fidei (1).

causam, Quod pertinet ad dispensationis *causam*, videndum est utrum ea sit *motiva* an tantum *impulsiva,* simulque utrum *bona fide* allegata fuerit, an per *fraudem* et *dolum*. Itaque *a/ Si falso allegata fuerit, mala vel etiam bona fide, unica causa motiva dispensatio est generatim invalida.* Ratio est, quia, ubi deest causa voluntatem ad aliquid inducens, deesse oportet voluntatis effectus.

c. 24. n. 5;... in eo qui impetravit dispensationem de contrahendo matrimonio cum consanguinea, eaque ducta ac mortua, aliam consanguineam ducere postulat, nulla facta mentione prioris dispensationis, sicut docet Suarez *De leg.*, lib. VI, c. 23, n. 9; Sanchez, *De matr.*, lib. VIII, disp. 22, n. 3.» Cfr. tamen, relate ad quædam ex propositis exemplis, quæ habet Feije, *op. cit.*, n. 707.

1. Ita colligitur ex *Decretal.* lib. I, tit. 3, c. 20: « Super literis, quæ ab aliquibus ex malitia, et a nonnullis ex ignorantia, tacita veritate vel suggesta falsitate, impetrantur a Nobis, diversos intelleximus diversa sentire, aliis adserentibus eos debere prorsus carere omni commodo literarum, cum mendax precator carere debeat penitus impetratis: aliis vero dicentibus, quod, etsi forma carere debeant in literis nostris expressa, nihilominus juxta rigorem juris sit a delegato judice in negotio procedendum. Nos igitur inter eos, qui *per fraudem vel malitiam,* et illos, qui *per simplicitatem vel ignorantiam* literas a nobis impetrant, hujusmodi credimus discretionem adhibendam: ut hi, qui priori modo falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem, in suæ perversionis pœnam, nullum ex illis literis commodum consequantur ; ita videlicet quod delegatus, postquam sibi super hoc facta fuerit fides, nullatenus de causa cognoscat. Inter alios autem, qui posteriori modo literas impetrant, duximus distinguendum, quæ falsitas suggesta fuerit, vel quæ veritas fuerit suppressa: nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quæ quamvis fuisset tacita vel expressa, Nos nihilominus, saltem in forma communi, literas dedissemus, delegatus non sequens formam juris in literis ipsis appositam, secundum ordinem juris in causa procedat. Si vero per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis, literæ fuerint impetratæ, qua tacita vel expressa, Nos nullas prorsus literas dedissemus, a delegato non est aliquatenus procedendum. »

Dicimus *generatim :* primo, quia in casu quo allegata est bona fide causa motiva falsa, valebit dispensatio si superior motu proprio dispensaverit propter aliam causam a se notam, quamvis a petente non propositam (1) ; secundo, quia multi exceptionem faciunt pro casu quo aliquis jam usus fuerit dispensatione bona fide obtenta, et vi ejus positus fuerit actus alias invalidus, v. g. matrimonium celebratum (2), — *b/ Si bona fide plures causæ allegatæ fuerint, quarum una motiva vera est, aliæ motivæ vel impulsivæ falsæ sunt, α/ dispensatio est certo invalida, quando, ex collatione rescripti cum postulatione, vel aliunde apparet, superiorem motum fuisse præcise per unam ex causis falsis ; β/ certo autem valida est, quando e contra apparet, superiorem motum fuisse præcise per causam veram ; γ/ quando vero non apparet per quam causam motivam, veram an falsam, superior motus fuerit, adhuc censetur dispensatio valida, saltem probabilius.* Prima et altera pars assertionis probatione non indigent : ratio tertiæ est, quia, quando plura copulative concurrunt, quæ de jure non sunt necessaria, resolvitur copulativa in disjunctivam ; in casu autem plures causæ proponuntur, cum de jure una sola sufficiat : ergo, in sensu disjunctivo est accipienda talis propositio (3). — *c/ Si mala fide simul cum causa motiva vera allegatæ sint aliæ causæ falsæ, sive motivæ sive impulsivæ, dispensatio videtur invalida,* propter generalem Innocentii III declarationem (4), quam tamen auctores non pauci in alium sensum explicare conantur (5). — *d/ Demum valida videtur dispensatio, si bona vel mala fide allegata fuerit causa motiva, quæ tempore quidem petitionis non existebat, postea tamen supervenit et tempore concessionis sive fulminationis verificabatur* (6). Disputant autem Auctores utrum oporteat illam verificari tempore quo datur commissio ad dispensandum in aliquo casu : at hæc quæstio directe respicit validitatem delegationis potius quam validitatem ipsius dispensationis (7).

Quoad dispensationis subjectum, certum est, *dispensationem* *subjectum.*

1. Cfr Suarez, *De legibus,* lib. VIII, c. 12, n. 14 ; Castropalao, disp. 4, p. 2, § 6. — 2. Cfr. Feije, *op. cit.,* n. 726.

3. Cfr. Sanchez, *De matr.,* lib. VIII, disp. 21, n. 41 ; Suarez, *De relig.,* tr. VI, *De voto,* lib. VI, c. 27, n. 10 ; Salmanticenses, *De matr.,* c. XIV, p. 3, n. 36 ; S. Alphonsus, lib. I, n. 185.

4. *Decretal.* lib. I, tit. 3, c. 20, *Super literis.*

5. Cfr. Sanchez, *De matr.,* lib. VIII. disp. 21, n. 73.

6. Cfr. Feije, *op. cit.,* n. 727. — 7. Cfr. Feije, l. c., sub 2°.

invalidam reddi errore bona vel mala fide commisso circa personæ individuationem: si enim persona, cui dispensatio applicatur, non sit illa quam superior dispensare voluit, evidenter dispensationis concessio effectu caret (1).

modum jure aut consuetudine præscriptum.

Præterea circa dispensationis objectum, causam, subjectum, multa sunt *jure, stylo curiæ, vel consuetudine* ad validitatem exprimenda; *error* autem, *sive bona, sive mala fide* in iis *commissus, dispensationem reddit invalidam, etiamsi constet superiorem alias similiter illam fuisse concessurum.* Agitur enim quasi de forma requisita ad substantiam actus, qua non observata, iste corruit (2). Recte autem monent Auctores, duplici modo fieri posse ut jura exigant expressionem alicujus qualitatis vel circumstantiæ, nimirum *directe,* præcipiendo ejus declarationem, vel *indirecte,* prohibendo ne in quapiam materia dispensetur (3). — Quænam autem sint illa quæ de jure, stylo curiæ vel consuetudine declarari debeant, variis in locis explicatur, ubi de varia dispensationis materia, præsertim vero in tractatu de matrimonio (4).

193. *Quomodo influat metus in dispensationis valorem.*

Deinde quoad influxum metus in dispensationis valorem, sequentia breviter advertantur: *a/* Dispensationi non nocet metus *levis,* a quocumque proveniat et quemcumque ob finem incutiatur. — *b/* Nec dispensationi *per se* nocet metus *gravis* si *juste incussus* fuerit, sive ad alium finem, sive ad debitam dispensationem obtinendam. — *c/* At dispensationi omnino nocere videtur metus *gravis ab ipso dispensato legislatori injuste incussus ad dispensationem sine causa obtinendam:* repugnat enim legi naturali ut quis liberetur ab obligatione vim et violentiam superiori inferendo. — *d/* Non ita tamen certum est dispensationi nocere metum gravem injustum, si vel incussus fuerit *ab alio* præter

1. Cfr. Feije, *op cit.*, n. 698 et seq.

2. Cfr. Laymann, c. 22, n. 18. — 3. Cfr. Sanchez, *De matr.*, lib. VIII, disp. 21, n. 15; conc. Trid., sess., XXIV, c. 5.

4. Cfr. Feije, *op. cit.*, n. 697 et seq. — Sapientissime jure, stylo curiæ, consuetudine statutæ sunt plures formalitates in petitione et concessione dispensationum adimplendæ; earum enim observatione plurimi defectus præcaventur; contingere tamen potest ut quæ olim inductæ sunt, postea, mutatis circumstantiis, minus conveniant: hinc earum mutationem aliquando Episcopi postulant, ut videre est ap. Martin, *op. cit.*, p. 164, 186, item in *rescripto* 25 junii 1885; aliquando ipsa Sancta Sedes ultro eam efficit: cfr. *Nouv. Rev. théol.*, XIX, 141.

dispensatum, vel ad finem a dispensatione *diversum,* vel in casu *causæ sufficientis* (1).

§ V.

De effectu dispensationis.

Examinandum superest *ad quid* præcise valeat dispensatio, *quo loco* ea uti liceat, per *quantum tempus* duret.

194. *Dispensationis efficacia,*

Potest vis legis relaxari *totaliter,* quoad ea omnia quæ statuuntur, vel *partialiter,* quoad nonnulla ex iis quæ sunt præscripta. — In specie lex mixta relaxari potest quoad vim *coactivam,* remanente vi directiva, et e contra, quoad vim *directivam,* remanente vi coactiva, ita scilicet ut lex mixta in mere pœnalem mutetur. Lex autem irritans mixta relaxari potest quoad vim *annullatoriam,* remanente vi directiva, et vicissim, saltem sub certis conditionibus, quoad vim directivam, remanente vi annullatoria. — Præterea datur aliquando dispensatio pro *utroque foro,* interno simul et externo, aliquando pro solo foro *interno* (2) : ita, v. g., in re matrimoniali S. Pœnitentiaria præcipue dispensat super impedimentis occultis pro solo foro interno, Dataria vero dispensat pro foro etiam externo super impedimentis publicis (3).

1. Cfr. Suarez, *De leg.*, lib. VI, c. 21, n. 5 ; *De rel.*, tr. VI, *De voto*, lib. VI, c. 27, n. 17.

2. Ita Suarez, *De leg.*. lib. VIII, c. 6, n. 11 : « Hæc autem duo membra ita sunt intelligenda ut se habeant tanquam includens et inclusum, non tanquam mutuo se excludentia. Nam privilegium (et idem omnino dici debet de dispensatione) pro interno foro exclusive sumitur, id est, pro illo quod in conscientia habet effectum, in foro autem exteriori nihil operatur : aliud vero quod in foro exteriori valere dicitur, accumulative (ut sic dicam) accipiendum est, seu non ad excludendum forum internum, sed ita ut sensus sit non tantum in interno, sed etiam in externo operari. Nam in hac materia, privilegium, quod in foro exteriori valet, etiam in interiori operatur, quia non in præsumptione fundatur hic valor, sed in veritate. Ut autem utrumque membrum melius intelligatur, oportet advertere, duobus modis posse contingere ut privilegium valeat in foro interiori et non in exteriori, sc. per se et per accidens. Per se appello, quando ex intentione dantis cum illa limitatione datur, quæ debet ex verbis privilegii constare ; alioquin privilegium simpliciter concessum in utroque foro valere censendum est, nisi ex subjecta materia vel circumstantiis, adjuncto usu, aliud sufficienter constet. Per accidens autem contingere dico privilegium non valere in foro exteriori, quia ex solo defectu probationis vel instrumenti non admittitur ; hoc enim accidentarium est et extrinsecum... et ideo non variat qualitatem privilegii secundum se, ideoque divisio proprie intelligitur de privilegio per se limitato ad forum internum. » — 3. Cfr. Feije, *op. cit.*, n. 603 et seq.

195. *usus.* Dispensatione a Summo Pontifice obtenta ubique uti licet, nisi ad aliquam regionem restricta fuerit (1). Quoad dispensationem ab inferiore concessam in jure communi, distinguendum est: vel enim per eam sublata est aliqua inhabilitas, vel suspensa est lex jugiter obligans; in primo casu dispensatione uti licet in quocumque loco (2); in altero casu ulterius videndum est utrum concessa fuerit facultas aliqua generalis, an vero data sit facultas personalis: si concessa fuerit facultas generalis, ea uti non licet extra territorium dispensantis: exemplum habetur in dispensationibus quadragesimalibus pro unaquaque diœcesi factis; at si data fuerit facultas personalis propter perseverantem rationem personalem, ea uti licere videtur quocumque loco, saltem privatim (3).

196. *duratio.* Licet dispensatione uti per totum tempus pro quo concessa est, nisi perierit *revocatione, renuntiatione,* aut *causæ cessatione,* de quibus sequentia advertantur: *a*/ Dispensatio illegitime concessa revocari potest et debet; legitime autem concessa licite revocari nequit sine justa causa; imo, si concessa fuerit ab inferiore in lege superioris, ne valide quidem potest sine justa causa revocari. — *b*/ A quocumque dispensato fieri potest renuntiatio dispensationi, nisi hæc concessa fuerit in favorem

1. Exemplum restrictionis habes in bulla *Cruciatæ,* qua uti non licet extra Hispaniam: cfr. Suarez, lib. VIII, c. 26, n. 4.

2. Hinc, ut explicat Suarez, lib. VIII, c. 26, n. 12, « dispensatus in irregularitate occulta a suo Episcopo, licite ministrat ubique...; ratio est facilis, quia per dispensationem sublatum fuit a persona impedimentum, et ideo pro quocumque loco libera manet. Unde videri potest non esse illum proprie usum privilegii in alieno territorio, quia privilegium (seu dispensatio) semel habuit effectum, et postea libera persona manet, et privilegium jam non operatur nisi ut causa per accidens et remota, quæ abstulit impedimentum. Sicut absolutus a censura ubique licite communicat vel ministrat, non quia absolutio ibi operetur, sed quia abstulit impedimentum. Nihilominus tamen respectu radicis impedimenti, quæ manet, potest non incongrue dici, tunc aliquem uti semper et ubique tali privilegio, quia v. g. vitium manet et nihilominus non impedit ratione privilegii. »

3. Cfr. Suarez, lib. VIII, c. 26, n. 13-18, qui tamen advertit « posse prælatum territorii prohibere ne aliquis advena ibi utatur talibus dispensationibus sine sua notitia et ratihabitione, quando usus earum est publicus et in actibus et moribus communibus toti populo: quia hoc est valde consentaneum rationi, et ad debitum ordinem et ad tollenda inconvenientia, quæ sequi possent, esse potest necessarium; tunc ergo non poterit quis uti tali dispensatione sine assensu prælati loci: ipse autem (prælatus) tenebitur dispensationem acceptare nisi habeat legitimam causam præsumendi vel subreptionem vel causæ mutationem. »

tertii aut communitatis; et quidem fieri potest expresse vel tacite, (ubi tamen advertendum est, tacitæ renuntiationis signum non esse dispensationis non usum aut usum contrarium); ut autem sit renuntiatio consummata, debet acceptari a superiore, a cujus voluntate pendet obligationis existentia. — *c*/ Causa dispensationis cessare potest ante omnem ejus usum, vel usu jam inchoato. Jam vero α/ si causa totaliter cesset ante omnem dispensationis usum, consentiunt fere omnes ipsam dispensationem cessare, quando per illam remissa est obligatio divisibilis, tractum successivum habens, v. g. obligatio jejunii quadragesimalis; hujusmodi enim dispensatio merito censetur concedi sub conditione causæ perseverantis (1); utrum vero, cessante causa, cesset dispensatio, quando per illam sublata est aliqua inhabilitas, valde controvertitur inter doctores, aliis pro cessatione stantibus (2), aliis pro perseverantia (3):

1. Rem explicat Suarez, lib. VI, c. 20, n. 18 : « Lex jejunii quadragesimalis, licet per modum unius concipiatur, revera virtute est multiplex, et singulis diebus quasi novam obligationem imponit ; et ideo dispensatio in illa lege non fit absolute tota simul, et virtute est multiplex dispensatio, et pro singulis diebus veluti singulæ dispensationes conceduntur, et unaquæque propriam causam pro suo tempore seu die requirit. Atque ita, quamvis in eo casu videatur dari simul pro tota quadragesima, non ita datur ut statim auferat totum vinculum legis pro tota quadragesima, sed ut successive illud auferat, prout successive obligaverit, si eadem ratio perseveret. Neque in illa materia potest aliter considerari causa justificans dispensationem, nisi ut habens tractum successivum cum ipsa lege, et ideo in talibus dispensationibus regulariter solet explicari illa conditio ; quod si interdum non exprimatur, ideo est quia vel duratio causæ tanquam moraliter certa supponitur, vel quia ex qualitate materiæ tanquam nota relinquitur. Et idem est in similibus præceptis habentibus tractum successivum. »

2. Ita Sanchez, *De matr.*, lib. VIII, disp. 30, n. 11 et seq.; Bonacina, *De leg.*, disp. 1, q. 2, p. 10, § 1, n. 5. Unde, juxta ipsos, si quis ob pupertatem, irregularitatis dispensationem obtinuisset, cessaret dispensatio illa, casu quo dispensatus ante susceptum primum ordinem fieret dives ; pariter si quis, prolis legitimandæ causa, dispensationem impedimenti obtinuisset ad matrimonium contrahendum, cessaret illa dispensatio casu quo proles moreretur ante contractum matrimonium.

3. Ita Suarez, lib. VI, c. 20, n. 15 : « Non est verisimile solum fuisse sublatam (sc. irregularitatem), quasi sub conditione, si causa illa duraret usque ad ordinum susceptionem : talis enim restrictio ex forma dispensationis colligi non potest : nam absolute conceditur ; neque est necessaria ad justitiam dispensationis, quia non tenetur dispensans prævenire effectus contingentes et accidentarios, sed satis est quod eo tempore quo fit dispensatio habeat justam causam : nam dispensator legis, sicut et legislator, non tenetur considerare rarum et contingentem eventum, sed ea quæ in plurimum accidunt ; et ideo restrictio est nimis dura et scrupulosa : ergo admittenda non est. »

priores existimant dispensationem concedi sub conditione, posteriores tenent concedi absolute. β/ Si causa totaliter cesset usu dispensationis jam inchoato, consentiunt omnes dispensationem ipsam non cessare quando inter rei concessæ partes separatio fieri nequit sine incommodo : secus ex dispensatione gravia mala oriri possent (1); at quando inter rei concessæ partes separatio potest sine incommodo fieri, alii generatim affirmant dispensationem cessare, alii distinguunt, ut supra, casum quo per dispensationem remissa fuerit obligatio tractum successivum habens, a casu quo per dispensationem sublata fuerit aliqua inhabilitas.

Sectio III.

De cessatione legis ecclesiasticæ.

Cessationis nomen adhibemus in sensu lato, ut eo comprehendamus omnem legis *mutationem*, sive completa ea sit sive etiam incompleta; triplici autem capite expendemus an mutari possit lex ecclesiastica, quomodo mutari valeat, qua via mutatio efficiatur (2).

1. Exempla præbet Sanchez, l. c., n. 10 : « Si is, qui virtute dispensationis in voto castitatis ex justa causa obtentæ iniit matrimonium, teneretur postea, cessante causa, servare votum in quantum potest, nempe non petendo debitum, vel deberet discedere ab uxore cum magno illius ac filiorum detrimento et aliorum scandalo ; vel si in matrimonio permaneret, esset cum magno animæ periculo. Similiter si irregularis ex justa dispensatione ad omnes ordines obtenta recepit subdiaconatum, si cessante tunc causa dispensationis, ea cessaret, nec posset ille ad ulteriores ordines ascendere, cogeretur ad rem valde difficilem, cum jam ligatus sit, nec retrocedere valeat, alio statu assumpto. »

2. Cfr. S. Thomas 1-2, q. 97, a. 1 et 2, ubi Commentatores ; Suarez, lib. 1, c. 20, lib. VI, c. 9, 25 et 26 ; Laymann, *De leg.*, c. 21 ; Bonacina, disp. 1, q. 1, p. ult.; Sporer (suppl.) s. 1, c. 4, n. 307 ; Lacroix, lib. 1 n. 863 ; Roncaglia, q. 5, c. 3; Collet, c. V, a. 1, s. 6 ; *Conf. d'Angers*, Lois. 8e conf.; Wirceburgenses, c. V, a. 5 et 6 ; — et ex Jurisperitis, Paulutius, *Jur. sacr.*: lib. IV, tr. 4, c. 5 ; Schmalzgruber, lib. 1, tit. 2, § 8, n. 50; Reiffenstuel, lib. 1, tit. 2, § 10, n. 484 et seq. — Exstat insigne opusc. Zaccariæ, cui titulus : *Lasciamo stare le cose come stanno, ossia diss. sulla mutabilità poco intesa da' più della disciplina ecclesiastica*, cujus summa habetur ap. Tarquini, *Jur. publ. eccl. inst.*, c, 11, n. 15.

Caput I.

De mutabilitate legis ecclesiasticæ.

197. *Omnis lex humana ex natura sua mutabilis;*

Licet *legi humanæ conveniat aliqua perpetuitas negativa, nulla tamen ei competit perpetuitas positiva.* Perpetuitas *negativa* in eo consistit quod lex *indefinite* duret; tali perpetuitate gaudere legem humanam manifestum est, cum lex sit regula *stabilis* [1]; videlicet perpetua est lex humana tum ex parte *legislatoris,* quia non tollitur eo sublato, tum ex parte *subditorum,* quia non solos præsentes attingit, sed etiam posteros, tum ex parte *materiæ,* quia non statuitur intuitu circumstantiæ particularis et transeuntis. *Positiva* autem perpetuitas in eo consistit quod lex *semper* duret; tali perpetuitate minime gaudere legem humanam manifestum est, cum ex natura sua non sit necessaria. Est igitur lex humana natura sua mutabilis.

198. *triplex mutationis causa*

Jam vero *ratio* legitima eam mutandi aliquando provenit ex parte *legislatoris,* cui proprium esse videtur « ut gradatim ab imperfecto ad perfectum perveniat. Unde videmus in scientiis speculativis quod, qui primo philosophati sunt, quædam imperfecte tradiderunt, quæ postmodum per posteriores sunt tradita magis perfecte. Ita etiam et in operabilibus; nam primi qui intenderunt invenire aliquid utile communitati hominum, non valentes omnia ex seipsis considerare, instituerunt quædam imperfecta in multis deficientia, quæ posteriores mutaverunt, instituentes aliqua, quæ in paucioribus deficere possunt a communi utilitate [2]. » — Etiam aliquando provenit ratio mutandi legem ex parte ipsius *materiæ,* quæ propter diversas temporum et locorum circumstantias, minus utiliter ad finem ordinabilis evadit. — Præterea aliquando provenit ratio mutandi legem ex parte *subditorum,* « quibus secundum diversas eorum conditiones diversa expediunt, sicut Augustinus ponit exemplum quod si populus sit bene moderatus et gravis, communisque utilitatis diligentissimus custos, recte

1. Cfr. supra, n. 54-56; Suarez, lib. 1, c. 10, n. 7.
2. S. Thomas, 1-2, q. 97, a. 1.

lex fertur, qua tali populo liceat creare sibi magistratus, per quos respublica administretur. Porro, si paulatim idem populus depravatus habeat venale suffragium, et regimen flagitiosis sceleratisque committat, recte adimitur populo talis potestas dandi honores, et ad paucorum bonorum redit arbitrium (1). »

Adverti autem debet, ad legis mutationem non sufficere quamcumque rationem ex quacumque parte provenientem, sed necessariam esse rationem *justam* et *gravem*. Etenim « lex humana in tantum recte mutatur, in quantum per hujus mutationem communi utilitati providetur. Habet autem ipsa legis mutatio, quantum in se est, detrimentum quoddam communis salutis, quia ad observantiam legum plurimum valet consuetudo ; in tantum quod ea quæ contra communem consuetudinem fiunt, etiam si sint leviora de se, graviora videntur. Unde quando mutatur lex, diminuitur vis constrictiva legis in quantum tollitur consuetudo. Et ideo nunquam debet mutari lex humana, nisi ex alia parte tantum recompensetur communi saluti, quantum ex ista parte derogatur (2). » Huc pertinet sententia S. Augustini : « Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est (3). » In quem sensum etiam scribit Benedictus XI : « Plerumque pariunt novitates discordiam, præsertim dum ab eo, quod diu æquum visum est, per novam constitutionem receditur : nec quare recedatur, utilitas evidens vel alia causa subest (4). »

199. *quæ verificatur in ordine etiam ad disciplinam ecclesiasticam.*

Triplex modo indicata mutationis ratio verificari potest etiam relate ad leges ecclesiasticas. Non solum enim frequens contingit in rebus præceptis et in personis dirigendis variatio, verum aliquis in ipso legislatore profectus admitti potest; nam quamvis illud, quod in Ecclesia generali regula semel statutum est,

1. S. Thomas, l, c.; cfr. S. Augustinus, *De lib. arb.*, lib. I, c. 6, cujus tamen sententia ad sensum, non ad litteram, ab Angelico refertur.
2. S. Thomas, 1-2. q. 97, a. 2.
3. S. Augustinus, *Epist.* LIV, (ad Jan.) c. V, n. 6.
4. *Extr. comm.* lib. V, tit. 7, c, 1, *Inter cunctas.*

malum esse non possit, tamen non est necessario optimum : quinimo, sicut in veritatis revelatæ intelligentia progressus deprehenditur, ita suam evolutionem habet ipsa disciplina (1). Hinc « alma mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat et consulte, quæ, suadente objectorum utilitate, postmodum consultius ac rationabilius revocat in meliusve commutat (2). » Et sane « non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum, statuta quandoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit : quoniam ipse Deus ex his quæ in Vetere Testamento statuerat, nonnulla mutavit in Novo » (3). Imo, « misericors Dei Filius, qui, suavi jugo et levi onere hominibus imposito, omnium vitæ et saluti consuluit, Ecclesiam a se conditam non potestatis solum sed etiam misericordiæ suæ reliquit hæredem, ut parta per ipsum beneficia ad omnes sæculorum ætates eodem semper charitatis tenore propagarentur. Propterea quemadmodum in iis, quæ Jesus Christus in omni vita vel gessit vel præcepit, mitis illa sapientia et invictæ magnitudo benignitatis eluxit, sic pariter in singulis christianæ reipublicæ institutis mira quædam eminet indulgentia et lenitas, ut plane vel in hac ipsa re similitudinem Dei, qui *charitas est,* gerere Ecclesia videatur. Illud est autem munus pietatis hujus maternæ maxime proprium, accommodare sapienter leges, quoad fieri potest, ad tempora, ad mores, at in præcipiendo exigendoque summa semper æquitate uti. Atque hujusmodi consuetudine charitatis simul et sapientiæ efficitur, ut immutabilitatem doctrinæ absolutam et sempiternam cum prudenti disciplinæ varietate Ecclesia conjungat (4). »

200. *Nonnullæ ordinationes moraliter immutabiles.*

Nihilominus quædam sunt ordinationes ecclesiasticæ quæ etiam qua tales moraliter immutabiles reputantur quoad suam substantiam. Hujusmodi sunt *a/* ordinationes, quæ ab ipsis Apostolis factæ,

1. Ita progressum licet deprehendere in disciplina quoad electionem Episcoporum, administrationem Eucharistiæ, matrimonii impedimenta, statum professionis religiosæ.
2. *Sexti* lib. v, tit. 11, c. 24, *Alma mater.*
3. *Decretal.* lib. iv, tit. 14, c. 8, *Non debet.*
4. Leo XIII, const. *Misericors Dei Filius.*

semper ab eorum tempore observatæ sunt, v. g. de sanctificatione diei dominicæ, de auditione missæ et abstinentia ab operibus servilibus; de lectione scripturarum, recitatione psalmorum, usu paramentorum in sacrificii celebratione; de observantia jejunii quadragesimalis, etc. — *b*/ Etiam hujusmodi sunt ordinationes, quæ ab ipso quasi sensu christiano profectæ, perpetua et universali experientia comprobatæ sunt, v. g. de cœlibatu clericorum (1), de horarum canonicarum persolutione (2). — *c*/ Præterea hujusmodi sunt ordinationes, quæ extrinsecam cum Ecclesiæ doctrina et auctoritate connexionem obtinuerunt, eo quod fuerint hæretice vel schismatice impugnatæ, v. g. de consecratione in pane azymo, de communione sub una specie, etc. — *d*/ Dicimus autem prædictas ordinationes esse moraliter immutabiles *qua tales,* id est, ut proprie sunt *ecclesiasticæ*, nemo enim dubitat illas omnes quæ sunt determinationes juris divini, esse, pro parte qua illud jus divinum continent, immutabiles; v. g. lex decimarum est ecclesiastica determinatio legis divinæ jubentis ut ministri altaris a fidelibus sustententur; etsi ergo variari possit hæc determinatio, variari tamen nequit, sed semper eadem manet obligatio aliquo modo ministros sacros alendi (3), etc. — *e*/ Dicimus etiam prædictas leges esse moraliter immutabiles quoad suam *substantiam;* nam quoad *formam, modum* et *accidentia* multis variationibus obnoxiæ sunt, ut patet ex historia sacrorum rituum, observantiæ quadragesimalis, etc. — *f*/ Cæterum nonnisi caute pronuntianda est ordinationis mere ecclesiasticæ moralis immutabilitas; tot enim supervenire possunt rerum perturbationes ut, quod prius repugnare videbatur, postea necessarium, vel saltem tolerabile appareat; exemplum habes in lege decimarum, quam sæculo decimo sexto gravissimi theologi immutabilem arbitrabantur (4). — *g*/ Denique advertimus Ecclesiam, ut legum mutationes admittat vel eis obsistat, præter causas speciales, duo maxime præ oculis habere

1. Cæterum non pauci viri eruditi cœlibatus disciplinam ipsis *Apostolis* tribuunt; cfr. v. g. Bickell, *Der Cölibat eine apostolische Anordnung* (ap. *Zeitschrift für Kath. Theologie*, 1878).
2. Cfr. tract. noster *De virt. rel.*, I, 231.
3. Cfr. tract. noster *De virt. rel.*, II, 40-44.
4. Cfr. Suarez, *De relig.*, tr. 2, lib. I, c., 12-14.

consuevisse, nempe fidei securitatem (1) et cultus uniformitatem (2).

Caput II.

De modo quo lex ecclesiastica mutatur.

201. *Mutatio legis ex toto et ex parte.*

Mutari lex ecclesiastica potest *ex toto* vel *ex parte:* in primo casu habetur legis *abrogatio,* in altero *derogatio;* ut enim in jure dicitur, « derogatur legi, cum pars detrahitur, abrogatur legi, cum prorsus tollitur (3). » Nequit autem abrogatio aut derogatio confundi cum *irritatione:* hæc enim est legis ab inferiore latæ annullatio facta a superiore, ita ut illa vim non obtineat.

202. *per ablationem vel per substitutionem.*

Præterea mutari potest per meram ac simplicem obligationis sublationem, de quo casu nihil specialiter notandum occurrit; vel per impositionem novæ obligationis cum priore incompossibilis, de quo casu sequentes regulæ advertantur (4): *a*/ Lex posterior *generalis* per se et ordinarie abrogat legem

1. Fidei securitas potest exigere non solum ut disciplina aliqua retineatur, sed etiam e contra ut mutetur : exemplum adest in epistola S. Gregorii ad Leandrum. I, 43 : « Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus personarum trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari. Sed quia nunc usque ab hæreticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo, ne, dum mersiones numerant, divinitatem dividant, dumque quod faciebant, faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur. » Cfr. etiam *Decreti* p. III, dist. 2, c., 12.

2. Ita conc. Toletanum IV, ann. 633, c. 2 : « Post rectæ fidei confessionem, quæ in sancta Dei Ecclesia prædicatur, placuit, ut omnes sacerdotes, qui catholicæ fidei unitatem complectimur, nihil ultra diversum aut dissonum in ecclesiasticis sacramentis agamus, ne quælibet nostra diversitas, apud ignorantes seu carnales, schismatis errorem videatur ostendere, et multis existat in scandalum varietas ecclesiarum. Unus igitur ordo orandi atque psallendi nobis per omnem Hispaniam atque Galliciam conservetur, unus modus in missarum solemnitatibus, unus in vespertinis matutinisque officiis, nec diversa sit ultra in nobis ecclesiastica consuetudo, qui in una fide continemur et regno : hoc enim et antiqui canones decreverunt, ut unaquæque provincia et psallendi et ministrandi pacem consuetudinem teneat. » Cfr. Zaccaria et Tarquini, ll. cc.

3. Cfr. *Digesti,* lib. 50, tit. 16, *De verb. sign.,* l. 102. Hæ voces desumptæ sunt a vetere statu reipublicæ Romanæ ; ita Ulpianus, *Fragm.,* l. 3 : « Lex aut *rogatur,* id est fertur : aut *abrogatur,* si prior tollitur : aut *derogatur,* si aliqua pars tollitur : aut *subrogatur,* si adjicitur aliquid legi : aut *obrogatur.* si mutatur aliquid ex priore lege. »

4. Has regulas explicant Schmalzgrüber, l. c., n. 53; Reiffenstuel, l. c., n. 496 et seq.

generalem priorem ipsi directe contrariam, sive scripta hæc sit, sive non scripta, sive conciliaris sive pontificia (1); — *b*/ Lex posterior *generalis* non abrogat priorem *specialem*, quin potius per hanc limitatur, nisi tamen contineat clausulam aliquam derogatoriam, v. g. *non obstante quocumque statuto, nulla obstante consuetudine* (2); imo, si agatur de consuetudine immemoriali, requiritur expressa ejus mentio, v. g. *non obstante quacumque consuetudine, etiam immemoriali* (3); — *c*/ lex posterior *specialis* non abrogat priorem *generalem*, sed ipsi derogat in quantum est contraria; — *d*/ Lex *specialis* posterior ordinarie abrogat *specialem* priorem ipsi contrariam (4).

Quatuor istæ regulæ innituntur duplici principio, quod nimirum ab una parte voluntas superioris debeat aliquid efficere, ab altera vero parte juris correctio, utpote odiosa, vitanda sit quantum rationabiliter fieri potest; deducuntur autem ex verbis Bonifacii VIII: « Licet Romanus Pontifex, (qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur: quia tamen locorum specialium et personarum singularium consuetudines et statuta (cum sint facti et in facto consistant) potest probabiliter ignorare: ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare (5). »

Caput III.

De via qua mutatio legis ecclesiasticæ efficitur.

« Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur (6) »: cum ergo ad legem constituendam requirantur materiæ convenientia, legislatoris voluntas, et subjecti aptitudo moralis, mutatio ejus oriri poterit vel ex parte

1. Cfr. Reiffenstuel, lib. 1, tit. 2, n. 491-495, 519-532; tit. 4, n. 182; Schmalzgrüber, lib. 1, tit. 2, n. 52; tit. 4, n. 37.
2. Cfr. Reiffenstuel, lib. 1, tit. 2, n. 496-499; tit. 4, 184.
3. Cfr. Reiffenstuel, lib. 1, tit. 4, n. 188-194.
4. Cfr. tamen Schmalzgrüber, lib. 1, tit. 4, n. 37; Suarez, lib. VI, c. 27, n. 12.
5. *Sexti* lib. 1, tit. 2, c. *Licet*.
6. Reg. 1. juris.

materiæ et *causæ* finalis, per ejus desitionem, vel ex parte *legislatoris,* per revocationem, vel ex parte *subditorum,* per desuetudinem.

ARTICULUS PRIMUS.

De mutatione legis ecclesiasticæ per materiæ et finis desitionem.

203. *Cessatio legis,*

Mutatio fit in materia legis, quando id quod prius justum erat, moraliter possibile et utile, postea, propter diversas supervenientes circumstantias, evadit iniquum, vel nimis difficile toti communitati, vel plane inutile et illusorium; desinit autem causa finalis legis, quando bonum a legislatore intentum vel plene acquisitum est, vel amplius acquiri non potest, licet legis adimpletio nec nociva, nec nimis difficilis, nec aliunde omnino inutilis evaserit.

204. *per materiæ mutationem,*

Jam vero *certum est legem tolli, si mutatio fiat in tota ejus materia.* Etenim « lex de re iniqua, impossibili, vel non conferente aliquid ad bonum commune, est injusta ac nulla... sed per mutationem contrariam in objecto factam res præcepta incipit esse iniqua, impossibilis vel inutilis..., ergo si lex ulterius duraret, jam esset de re iniqua, ac subinde, ipsa esset iniqua aut esset de re inutili vel impossibili, ac consequenter ipsa esset injusta. Unde fit in ejusmodi eventu non esse necessarium ut princeps illam revocet, ut licite possit non servari, neque etiam ut consuetudine tollatur : nam priusquam consuetudo introducatur, juste incipiet non observari ([1]). »

205. *per desitionem finis.*

Certum etiam videtur legem tolli, si desinat ejus causa finalis : nam cessante ratione quæ superiorem movit ad imponendam obligationem, cessat hæc voluntas obligandi, adeoque et ipsa obligatio jam non existit. Ad hoc tamen quædam conditiones sunt necessariæ : et primo quidem *a/* requiritur ut causa finalis legis positivæ desinat *totaliter;* unde quando aliquid præceptum fuit, tum propter finem generalem, tum propter finem specialem et accidentalem, v. g. oratio ob cultum Dei et peccatorum conversionem, non tollitur obligatio si tantum desinat finis accidentalis ; similiter quando aliquid præceptum fuit

1. Suarez, *De leg.*, lib. 6, c. 9, n. 3.

propter plures fines accidentales. v. g. jejunium ad obtinendam pacem et aëris serenitatem, non tollitur obligatio, si alteruter finis desinat. — Deinde *b*/ requiritur ut causa finalis desinat *adæquate*, pro omnibus scilicet legis articulis, si plures habeantur ; alias obligatio ejus tantum articuli tolletur cujus causa finalis cessat, cæteris vigorem retinentibus, ne utile per inutile vitietur (1). — *c*/ Requiritur etiam ut causa finalis desinat *generaliter*, nimirum pro tota communitate, non pro uno tantum alterove privato (2). — *d*/ Demum requiritur ut causa finalis desinat *constanter ;* secus enim non tolletur lex, sed solum ad tempus suspendetur et quasi sopietur, resumptura vires sine nova promulgatione ubi causa incœperit reviviscere.

ARTICULUS SECUNDUS.

De legis mutatione per revocationem.

206. *Revocandi potestas.*

Principium generale est, legis revocandæ *potestatem* esse penes ipsum *legislatorem*, quia sicut lex ab ejus voluntate orta est, ita ejus voluntate perseverat : penes ejus *successorem*, quia hic parem cum antecessore auctoritatem habet : penes istorum *superiorem*, quia universaliori et eminentiori jurisdictione potitur : non autem penes *inferiorem*, quia inferior voluntatem superioris irritare nequit (3).

207. *Romano Pontifici competens,*

Itaque Romanus Pontifex, sacro approbante concilio, potest, intra limites supra indicatos (4), *revocare quascumque Ecclesiæ leges :* patet ex ipsa notione auctoritatis ecclesiasticæ et legis positivæ : revocationis exempla præbet concilium Tridentinum (5).

relate ad canones conciliorum.

Etiam extra concilium potest Romanus Pontifex revocare canones disciplinares conciliorum œcumenicorum. Assertio sequitur ex notione primatus (6); immerito autem et gratis olim a Gallicanis

1. Reg. jur. 37, in 6.
2. Cfr. supra, n. 165. S. Alphonsus tamen minus absolute loquitur, lib. 1, n. 199.
3. Cfr. Suarez, lib. VI, c. 26.
4. Cfr. supra, n. 200.
5. Cfr. Conc. Trid., sess. XXIII, c. 12, sess. XXIV, c. 2, *De Reform.* — Notum est, a pluribus concilii Vaticani Patribus postulatam fuisse quarumdam legum mutationem : cfr. Martin, *op. cit.*, p. 162, 167, 176, 180-183.
6. Conc. Vat. const. *Pastor æternus*. c. 3.

negabatur (1); nam Pontificibus semper ea auctoritas agnita est « ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis ecclesiis relaxanda exposcit, adhibita diligenti consideratione, quantum fieri potest, auxiliante Domino » temperent (2); quando vero ipsi Pontifices cum quadam verborum emphasi dicunt se non posse canones solvere, unice significant sibi non licere canones solvere pro arbitrio (3), sine urgente et evidente necessitate (4), se canonum defensores esse ac vindices (5); se omnibus in exemplum esse debere quoad observantiam disciplinæ (6).

A fortiori potest Romanus Pontifex ea revocare quæ a Sede Apostolica statuta sunt, etiamsi Ecclesiæ acceptatione et praxi corroborata fuerint, vel juramento firmata (7), vel per modum pacti promulgata (8) : nulla enim consuetudo, nullum juramentum, nullum pactum Pontificem impedire valet quominus urgenti Ecclesiæ necessitati provideat ; quin potius talis necessitatis casus a juramento et pacto exceptus censetur. *et sanctæ Sedis statuta.*

Episcopi revocare possunt ordinationes a se vel extra synodum promulgatas vel etiam in synodo diœcesana editas; dummodo tamen hæ non fuerint a Summo Pontifice in bonum commune confirmatæ (9) ; at ordinationes nationales et provinciales revocare *Potestas competens Episcopis relate ad constitutiones synodales.*

1. Huc. pertinet art. 3, declar. gall. : cfr. Bossuet, *Défens.*, p. III, lib. II, quem plene confutatum videre potes tum apud alios tum apud Pet. Ballerini, *De potestate ecclesiastica Rom. Pontif.*, c. 3, et Palmieri, *De Rom. Pont.*, th. XV. — 2. S. Gelasius, *Epist.* IX, c. 1, ad Episc. Lucaniæ.

3. Secus enim verificaretur quod S. Bernardus non dubitavit modeste scribere ad Eugenium : « Sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ forte non ita. Facitis hoc, quia potestis ; sed utrum et debeatis quæstio est. » *De consid.*, lib. III, c. 4, n. 14.

4. Hoc sensu scribit S Gelasius, cit. epist., c. 9, illa decreta non immutanda quæ nec ulla necessitas, nec ecclesiastica prorsus extorquet utilitas. »

5. Ita loquitur S. Martinus I, *Epist.* V.

6. Unde S. Gelasius, *Epist.* XIII ad Episc. Dardaniæ: « Confidimus quod nullus jam veraciter christianus ignoret uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quam primam, quæ unamquamque synodum et sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit. »

7. In antiqua *fidei professione,* cujus formula reperitur in *Libro diurno,* Summus Pontifex profitetur se velle, « si qua emerserint contra disciplinam canonicam, emendare, sacrosque canones et constituta Pontificum nostrorum ut divina et cœlestia mandata custodire. » Quæ etiam hodie jurat Pontifex Romanus, indicantur in tractatu *De virt. relig.*, I, 663.

8. Cfr. Auctores qui agunt de concordatorum rescissione ; supra, n. 143. pag. 348.

9. Cfr. Reiffenstuel, l. c., n. 540-549; Schmalzgrüber, l. c., n. 54.

nequeunt nisi collective in synodo nationali vel provinciali ; nihil autem decernere valent contra jus commune et apostolicas sanctiones ; nam « si integrum esset Episcopo, legem relaxare a concilio generali aut a Summo Pontifice rogatam, tota everteretur Ecclesiæ disciplina, caput subjiceretur membris, et proinde actum jam esset de ecclesiastica hierarchia divinitus instituta.(1). »

208. *Revocandi causa.*

Non potest legis revocatio licite fieri sine *justa* causa; causa autem justa revocandæ legis habetur quando hæc, licet plane inutilis aut iniqua non evaserit, tamen jam onerosa apparet communitati, aut sæpius violatur, aut fructus exspectatos non affert, aut opportune perfici posse videtur, etc. (2). Ad cujus causæ prudentem æstimationem gaudet Ecclesia assistentia Spiritus Sancti, ut providæ ordinationes non tollantur cum notabili fidelium detrimento (3). Cæterum « ita fert Sedis Apostolicæ institutum et consuetudo ut, in peculiaribus quidem casibus, si graves causæ ita suadeant, dispensationes a

1. Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. IX, c. 1, n. 6 ; cfr. ibid., c. 15, lib. XII, c. 1, etc.

2. Ita Suarez, lib. VI, c. 26, n. 6 : « Licet ad tollendam vel abrogandam legem causa justa necessaria sit, nihilominus non est necessaria tam urgens et gravis, ut propter illam lex ipsa statim cesset, sicut etiam ad dispensandum requiritur causa justa, quæ per se solam legis obligationem auferre non valet. Neque repugnat abrogationem esse justam, licet lex non fuerit injusta, quia justum etiam potest omitti vel mutari propter magis justum, sicut aliquid etiam omitti potest, quamvis non sit inutile, propter aliud utilius. Ac denique multa hujusmodi sunt quæ ex humano arbitrio pendent ita ut et juste statuantur, et, si derogentur, injustitia non fiat, quia prudenti aliqua ratione abrogari possunt. »

3. « Intulit Soto, lib. I *De Justit.*, q. 71, a. 1, in fin., Summum Pontificem non posse errare in abrogandis legibus canonicis sine justa causa, quando leges illæ necessariæ sunt populo christiano, quia non potest errare in his quæ ad fidem et mores pertinent. Quod est pie et prudenter dictum quantum ad leges quasi fundamentales, et maxime necessarias, et quantum ad universalem abrogationem earum. Est autem sciendum, Pontificem non posse errare in ferendis legibus, approbando, seu proponendo Ecclesiæ quod malum est, vel bonis moribus contrarium. Et cum eadem proportione non potest errare abrogando legem, reprobando tanquam malum, quod bonum est vel bonis moribus utile. Potest tamen aliquando esse excessus in multitudine legum, quia hoc pendet ex prudentia humana in particulari judicante. Et eadem proportione possunt leges nimium diminui, vel aliqua abrogari eo tempore quo erat utilis, quia hoc etiam pendet in particulari ex arbitrio prudentiali. Nunquam tamen, ita providente Spiritu Sancto, id fiet cum notabili Ecclesiæ detrimento. » Suarez, l. c., n. 7

legibus generalibus aliquando concedere non recuset, ipsas tamen leges pro cæteris casibus in suo vigore subsistere velit : cum Romanus Pontifex sacrorum canonum, atque constitutionum a prædecessoribus suis editarum, quoad licet, custodem se ac vindicem præbeat, ac etiam sanctioris illius disciplinæ adsertorem, quæ gravium theologorum aliorumque sapientum piorumque virorum consensu comprobatur » (1).

ARTICULUS TERTIUS.

De mutatione legis ecclesiasticæ per desuetudinem.

209. *Mutantur leges usu contrario.*

Mutari posse legem ecclesiasticam per usum ei contrarium facile colligitur ex dictis de vi et ratione juris consuetudinarii (2) : videlicet « quia tota lex ordinatur ad bonum commune subditorum, si longa experientia, optima rerum magistra, constet, legem sive canonem a subditis non observari, sicque eam non esse moribus hominum accommodatam, imo potius deservire ad laqueum conscientiarum, quam ad utilitatem subditorum : tunc ea a legislatore subditorum infirmitati condescendente, censetur per consensum, saltem tacitum atque legalem, denuo revocari, cum sit destituta fine suo (3). » Jam in specie quædam notanda sunt de conditionibus requisitis ut usu contrario lex mutetur : præcipuæ sunt usus *rationabilitas, libertas, duratio et approbatio;* etenim « licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis et legitime sit præscripta (4). »

210. *Rationabili.*

Et primo quidem *rationabilitas* usus æstimatur attenta ejus materia et considerata causa. — Nimirum *a/* ille usus generatim censetur rationabilis qui versatur circa id quod lege sanciri posset utpote quod nec malum in se sit, nec bono communi nocivum. Advertatur tamen, posse usum rationabilem esse, non solum si lex, cui opponitur, aliunde facta sit minus utilis aut nimis difficilis, sed etiam si, in rigore, maneat

1. Benedictus XIV, *De Syn.* lib. XII, c. 5, n. 14.
2. Cfr. n. 118, 123, 129.
3. Reiffenstuel, lib. I, tit. 4, n. 11.
4. *Decretal.* lib. I, tit. 4, c. 11, *Cum tanto.*

justa et populo accommodata : satis est quod prædictæ legis violatio aliqua ratione honestetur et non proveniat ex mera malitia (1). Præterea advertatur, strictiorem adhiberi rationabilitatis normam in usu quam in privilegio æstimando : nempe non omnia quæ rationabiliter privilegio conceduntur, usu rationabiliter introducuntur (2). — *b*/ E contra irrationabilis censetur ille usus, cujus objectum est in se malum aut bono communi nocivum, utpote quod opponitur legi naturali, vel legi positivæ divinæ, vel alicui ex legibus ecclesiasticis moraliter immutabilibus, vel etiam cuicumque ordinationi ecclesiasticæ pro loco et tempore valde necessariæ. — *c*/ In specie, si varia consideretur juris ecclesiastici materia, irrationabilis censetur usus α/ qui fidei periculum affert, prout est mos non curandi positivam librorum prohibitionem (3); β/ qui cultus majestatem ejusdemque vim ad plebem christianam pietate et doctrina imbuendam minuit, cujusmodi est mos cantus profanos in missæ sacrificio adhibendi (4); γ/ qui vitam christianam destruit, qualis est mos non observandi festa et jejunia ;

1. Hæc revera est sententia sancti Thomæ, 1-2, q. 97, a. 3, ad 2, licet primo aspectu paulo strictior appareat : « Leges humanæ in aliquibus casibus deficiunt. Unde possibile est quandoque præter legem agere, in casu scilicet in quo deficit lex : et tamen actus non erit malus ; et cum tales casus multiplicantur propter aliquam mutationem hominum, tunc manifestatur per consuetudinem quod lex ulterius non est utilis ; sicut etiam manifestaretur si lex contraria verbo promulgaretur. Si autem adhuc manet ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit ; nisi forte propter hoc solum inutilis lex videatur, quoniam non est possibilis secundum consuetudinem patriæ, quæ erat una de conditionibus legis. Difficile enim est consuetudinem multidinis removere. » Suarez autem, lib. VII, c. 18, n. 10, explicat « necessarium esse ut aliquo modo illa consuetudo, vel potius abrogatio legis ratione illius, aliqua ratione fulciatur. Quia abrogatio justæ legis expressa non potest fieri sine aliqua honesta causa... : ergo nec tacita, quæ per consuetudinem fit ; ergo, ut consuetudo sit rationabilis, non satis est quod non sit contra jus divinum, nec quod non sit jure reprobata, sed necessarium est ut voluntas carendi tali lege aliqua ratione honestari possit in subditis, quæ honestet etiam in principe consensum abrogandi illam. Et hæc est ratio et necessitas hujus conditionis, quia nisi consuetudo sit aliquo modo rationabilis, non præsumitur princeps condescendere subditis, quia non præsumitur velle sine ulla justa causa, seu sufficienti ratione, tollere legem, cum id licite facere non possit, nec debeat. »

2. Cfr. Reiffenstuel, l. c., n. 64, 65.

3. Cfr. *Nouvelle Revue théol.* IV, 218.

4. Cfr. Conc. Trid. sess. XXII, *Decr. de observ. et evit. in celeb. Missæ.*

b/ qui præbet peccandi ansam et occasionem, qualis est mos permittens marito prodigo alienationem bonorum uxoris, relinquens mulieri adulteræ mediam bonorum partem, homicidia aliaque gravissima delicta levioribus pœnis coercens (1) ; *c*/ qui rectam societatis religiosæ gubernationem impedit, ut est mos non servandi interdictum generale (2), non admittendi visitationem (3), restringendi libertatem et immunitatem ecclesiasticam (4), non recipiendi legatos Sanctæ Sedis (5), constitutiones Apostolicas *placito* subjiciendi (6) ; *d*/ qui gravamen ecclesiis affert (7) : verbo, qui fini societatis supernaturali, sc. sanctificationi animarum, obstat. — *d*/ Cæterum sæpe difficile est in particulari definire utrum aliqua consuetudo legi contraria rationabilis sit, nec ne ; adeoque præstat discretionem petere a competente auctoritate ; « quia judicare inter sanguinem et sanguinem, inter lepram et lepram, inter causam et causam, atque secernere virtutem a vitio, veritatem ab errore, salubria pascua a noxiis, vel maxime ad Sedem Apostolicam, ipsumque Christi in terris constitutum Vicarium, et conditorem canonum, spectare dignoscitur (8). »

211. *libero.*

Usus autem *libertas* importat quod legis transgressio non proveniat unice ex metu aut ignorantia, sed oriatur ex subditorum dispositione aliquo modo legi adversa. Juxta sententiam communius receptam non est minus necessaria hæc usus libertas ad obligationem abolendam quam ad eam inducendam (9). Hinc non solum incipere potest, sed imo plerumque incipit consuetudo per actus peccaminosos, adeoque

1. Cfr. *Decretal.* lib. I, tit. 4, c. 10, *Ex parte ;* Reiffenstuel, l. c., n. 71-74.
2. Cfr. *Decretal.* lib. I, tit. 4, c. 5, *Cum inter.*
3. Cfr. *Decretal.* lib. I, tit. 31, c. 13, *Irrefragabili ;* lib. II, tit. 26, c. 16, *Cum ex officii.*
4. Cfr. *Decretal.* lib. I, tit. 4, c. 3, *Ad nostram ;* tit. 6. c. 14, *Cum terra ;* lib. II, tit I, c. 8, *Clerici ;* lib. V, tit. 39, c. 49, *Noverit ;* Const. *Apost. Sedis*, I, 6, 7.
5. Cfr. *Extr. comm.* lib. I, tit. I, c. unic. *Super gentes.*
6. Cfr. supra, n. 122.
7. Cfr. *Decretal.* lib. III, tit. 11, c. 1, *Cum in cunctis;* lib. I, tit. 1, c. 7, *Quæ in Ecclesiarum ;* Reiffenstuel, l. c., n. 84-86.
8. Reiffenstuel, l. c., n. 37.
9. Cfr. supra, n. 118 ; Suarez, lib. VII, c. 18, n. 4-8 ; Schmier, lib. I, tr. I, c. 9, n. 48 et in suppl. n. 10 ; Reiffenstuel, l. c., n. 126, etc., quorum doctrinam crisi ex parte subjicit Bockhn, lib. I, tit. 4, n. 19-25.

sub hoc respectu rationabilis esse non debet. — Advertatur tamen, etiam involuntaria legis transgressione, si publica sit et diuturna, effici posse ut lex communitati non conveniat et superior censeatur eam tollere (1).

212. *approbatio,*

Usus *approbatio,* seu consensus superioris, potest esse *generalis* vel *specialis* (2) Consensus *generalis*, ut jam notatum est (3), ille dicitur qui datur cuivis observantiæ rationabili: in casibus autem pro quibus iste consensus verificatur, lex mutatur via *præscriptionis,* seu consuetudinis stricte sumptæ. *Specialis* consensus ille dicitur qui expresse vel tacite alicui observantiæ determinatæ datur : in casibus autem in quibus habetur, lex mutatur via *conniventiæ*, seu consuetudinis late sumptæ (4). Ubi autem omnis consensus deest, mutatio legis non efficitur; jam vero consensum excludit *reprobatio* usus, tanquam corruptelæ (5), quousque saltem circumstantiæ mutatæ non fuerint (6) : non tamen eum excludit mera usus *prohibitio*, nisi forte hæc fuerit absoluta et perseverans (7) ; (arbitramur autem plerasque consuetudinis prohibitiones variis legibus ecclesiasticis additas non esse absolutas (8)) ; a fortiori consensum usui futuro per se non excludit *revocatio* usus anterioris (9). — Ex his principiis solvi debet quæstio gravissima an usu contrario abrogari

1. Cfr. supra, n. 123.
2. Cfr. supra, n. 118.
3. Cfr. supra, n. 118.
4. Cfr. Bouix, *De princ.*, s. VI, c. 2, § 3, p. 1-5.
5. Cfr. Suarez, lib. VII, c. 7, n. 7-10 ; c. 19, n. 18 ; Reiffenstuel, l. c., n. 44-46.
6. Cfr. S. Alphonsus, lib. I, n. 108.
7. Cfr. Suarez, lib. VII, c. 19, n. 19-22 ; Reiffenstuel, l. c., n. 47, 51 ; S. Alphonsus, lib. I, n. 108, qui tamen non admittunt exceptionem prohibitionis absolutæ.
8. Si autem quæratur quis sit effectus talis prohibitionis, responderi potest cum Suarez, l. c., « primum effectum esse ut talis consuetudo in dubio semper præsumatur irrationabilis, quando oppositum non constiterit... Alter effectus esse potest ut gubernatores et custodes legum magis invigilent, et non permittant talem consuetudinem iterum introduci. Tertio verisimile est subditos majori obligatione teneri ad abstinendum a tali consuetudine propter voluntatem superioris specialiter declaratam. Quarto et maxime potest deservire ut talis consuetudo vix aut nunquam possit derogare tali legi nisi post longum tempus et legitimam præscriptionem, quia antea vix potest præsumi de voluntate Principis, etiamsi consuetudinem sciat. »
9. Cfr. Suarez, lib. VII, c. 7 et c. 19 ; Reiffenstuel, l. c., n. 51.

valeant leges Tridentinæ (1) et leges liturgicæ (2) ; affirmativæ sententiæ adhærendum putamus.

213. *diuturno.*

Ad legem usu contrario mutandam via *conniventiæ* et consuetudinis late sumptæ non requiritur determinatum temporis spatium : lex cessare censetur statim ac de superioris consensu expresso vel tacito satis constat (3) ; ad legem vero mutandam via *præscriptionis* et consuetudinis stricte sumptæ, temporis duratio necessaria est; quanta autem ea esse debeat, non liquet : aliis sufficit decennium, alii exigunt spatium quadraginta annorum (4) ; nobis videtur præferenda sententia eorum qui tenent rem non nisi prudenti judicio definiri posse (5) ; existimamus ergo in omni casu requiri veram temporis *diuturnitatem,* quæ tamen pro variis circumstantiis major vel minor esse debebit ; v. g. nonnisi usu diuturniore mutabuntur leges quæ versantur circa res gravissimi momenti, quæ latæ sunt a concilio generali, quæ formula prohibente munitæ sunt (6), quæ favorem tertii important (7).

1. Cfr. in utramque partem Bouix, *De princ.*, c. IV, § 2, p. 2 ; Gousset, *Exp. des princ. du droit can.*, c. 26 ; Aichner, *Comp. jur. can.*, § 17 ; Icard, *Præl. jur. can.*, tom. I, n. 18 (ed. 2a) ; Debrabandere, *Jur. can., et jur. can. civilis comp.*, tom. I, p. XIV ; *Acta S. Sedis*, IV, 26; *Zeitschrift für kath. theol.*, VI, 438, 608.

2. Cfr. Suarez, lib. VII, c. 19, n. 25-26 ; Schmalzgrüber, lib. I, tit. 4, n. 21; Gousset, *op. cit.*, c. 28 ; Bouvry, *Exp. rubr.*, tom. I, p. 50 ; *Etudes relig.*, 1860, p. 620 ; 1861, p. 101 ; Icard, l. c., n. 19 ; Deherdt, *Sacr. lit. praxis,* I, 10-11 ; Thalhofer, *Handb. der Kath. Lit.*, I, § 23, pag. 360. — 3. Cfr. Bouix, l. c.

4. Cfr. Suarez, lib. VII, c. 15 ; Schmalzgrüber, l. c., n. 9, 10; Reiffenstuel, l. c., n, 102 et seq.

5. Cfr. Soto, *De just. et jur.*, lib. I, a. 2 ; Sylvius, 1-2, q. 97, a. 3, concl. 8 ; Vasquez, in 1-2, disp. 157, c. 5, n. 46 ; Schmier, lib. I, tr. 1, c. 9, n. 67-71 ; Bockhn, lib. I, tit. 4, n. 36 ; Gousset, *op. cit.*, c. 22.

6. Cfr. Reiffenstuel, l. c., n. 47-50. — 7. Reiffenstuel, l. c., n. 109.

LIBER SEPTIMUS.

DE LEGE CIVILI.

LEX civilis, prout contradistinguitur a lege ecclesiastica (1), est ordinatio facta per auctoritatem a Deo naturaliter homini communicatam, qua societas ejusque membra immediate diriguntur ad perfectionem et felicitatem temporalem, mediate vero etiam adjuvantur ad finem ultimum consequendum (2) : derivatur a lege naturali, cujus est quoddam supplementum, et subservit legi divinæ et ecclesiasticæ. — Plura ex iis quæ de lege ecclesiastica in præcedentibus statuta sunt, utpote cuivis legi positivæ communia, applicari possunt legi civili : idcirco jam satis erit nonnulla magis propria breviter perstringere (3).

1. Cfr. supra, n. 44-51. Præsens tractatus de *lege civili* omnino pendet a tractatu de *civitatum constitutione christiana*, quem ibi paucis complexi sumus. Plura suppeditabunt Auctores indicati *Intr.*, n. 148, pag. 86, n. 165, pag. 106, n. 176, pag. 124, n. 186, pag. 148, n. 188, pag. 152, n. 194, pag. 163.

2. Cfr. supra, n. 50. Egregie scripsit Card. Sfondratus, in *Regali sacerdotio*, lib. I, § 17, n. 3 : « Finis (immediatus et directus) regni et temporalis gubernationis est felicitas temporalis, quæ in pace, divitiis, mutuis commerciis, quieta rerum suarum possessione, aliisque, quæ civem reddere possunt felicem, consistit ; ita tamen, ut hæc ipsa felicitas temporalis, ad finem altiorem et supernaturalem reducatur, veram videlicet fidem, religionem, cultum Dei, exercitium omnium virtutum, quæ hominem decent, et quibus ad æternam felicitatem pervenitur. Cum autem regna sint a Deo constituta, idem finis regnantium esse debet, qui fuit Dei ; hic autem propter seipsum suamque gloriam regna constituit. Et ideo principes sæculi prius oportet ut quærant regnum Dei et justitiam ejus quam bona temporalia, cum ista sint media tantum, et illud finis. »

3. De lege civili præ cæteris cfr. S. Thomas, 1-2, q. 95-97, ubi Commentatores, et Suarez, *De leg.*, lib. III. — Nonnulla de hac materia plus minus feliciter prolata præbent Gerson, *De vita spir. anim.*, et Almainus, *Quæstio de dom. temp. civ. et eccl.*; egregia autem, pro more suo, tradidit Franc. de Victoria, in utraque relectione *De potest. temp.* et *De Indis*. — Plura quidem exhibent Moralistæ de lege humana in genere, at nonnisi pauca de lege civili in specie ; consulendi tamen sunt non solum ubi *de legibus* agunt, verum etiam ubi de *justitia* et *jure*, v. g. Soto, lib. I et 2, Molina, tr. II, disp. 23 et seq., tr. V, disp. 68 et seq., etc. — E Polemistis legantur Driedo, *De lib. christ.* et Bellarminus, *De laicis*. — Inter Jurisperitos vero optima habent Schmier, *Jurispr. can. civ.*, lib. I, tr. I, c. 7 ; Domat, *Traité des lois*, c. II et suiv. — De legibus scripserunt tum veteres Philosophi Plato, Tullius, et alii, tum recentiores Politici, v. g. Montesquieu, *Esprit des lois ;* de Haller, *Restauration de la science politique*, c. XXXIII ; de Bonald, *Législation primitive*, c. IV ; H. Summer Maine, *Dissertations on early law and custom ;* qui tamen Theologo pauca suppeditabunt vere utilia ; meliora mutuabit a Pey, *L'auto-*

Sectio I.

De causa legis civilis.

Dicemus distinctis capitulis de legis civilis causa efficiente, materiali, formali, seu de ejus auctore et objecto, ac de modo eam constituendi.

Caput I.

De causa efficiente legis civilis.

214. *Facultas ferendi leges auctoritati civili propria*

Competit *auctoritati civili facultas præscribendi civili societati leges positivas*. Etsi enim societas primario regatur principiis legis naturalis, hæc tamen abstracta, universalia ac indeterminata sunt, adeoque practica determinatione et sanctione egent ; talis autem determinatio et sanctio non potest esse mere casualis et particularis, sed esse debet communis et stabilis (1).

Hæc facultas exclusive propria est auctoritati civili, non autem per se competit auctoritati ecclesiasticæ : patet ex distinctione utriusque societatis et potestatis (2). Licet autem auctoritas ecclesiastica, finis supernaturalis intuitu, possit aliquando, propter speciales necessitates, tum ipsum legislatorem facultate privare, tum leges irritare aut corrigere, nihilominus ordinationes, vi hujus potestatis indirectæ factæ, leges civiles vero sensu dici nequeunt (3).

Attamen prædicta facultas non ita competit auctoritati civili ut exerceri valeat absque ullo respectu ad auctoritatem ecclesiasticam : id evidenter exinde patet quod finis societatis civilis subordinatus sit fini societatis religiosæ (4) ; sane « ei, ad quem finis ultimi cura pertinet, subdi debent illi, ad quos pertinet cura antece-

rité des deux puissances, 1re p., c. 2, 2e p., c. 1, et maxime a Zallinger, Taparelli, Meyer, Costa-Rosetti, Périn, *opp. citt.*

1. Cfr. supra, n. 44 ; S. Thomas, 1-2, q. 91, a. 3, q. 95, a. 1 ; Suarez, lib. 1, c. 3, n. 18-20 ; lib. III, c. 1-5 ; Th. Meyer, *Inst. jur. nat.*, tom. 1, n. 289 et *Grundsätze der Sittlichkeit und des Rechts*, § 113.

2. Cfr. supra, n. 39.

3. Cfr. Suarez, *De leg.*, lib. 3, c. 6. — De hac Ecclesiæ auctoritate agunt, præter Theologos relatos *Intr.* p. 106, 124, 147, 148, 165, Menochius, *De jur.*, lib. 1, c. 9 ; Bouix, *De Papa*, p. IV ; Jungmann, *Hist. eccl.*, diss. XXX.

4. Cfr. supra, n. 50.

dentium finium, et ejus imperio dirigi » (1) : unde « manifestum est quod rex dominio et regimini, quod administratur per sacerdotis officium, subdi debet » (2); præterea, « potestas sæcularis subditur spirituali sicut corpus animæ : et ideo non est usurpatum judicium, si spiritualis prælatus se intromittat de temporalibus, quantum ad ea in quibus subditur ei sæcularis potestas, vel quæ ei a sæculari potestate relinquuntur » (3).

215. *varia amplitudine existit,*

Facultas leges statuendi varia amplitudine existit pro vario statu in quo reperitur communitas. Potest enim communitas esse vel politice *distincta* a quavis alia, vel alii *superiori unita,* (prout olim erant principatus sub imperio, comitatus et ducatus feudales sub regno, atque hodiedum sunt gubernia quædam debiliora sub gubernio protectore) ; vel cum aliis in aliquod corpus politicum *fœdere juncta,* (prout sunt districtus Helveti et status Americani.). Jam vero potestas leges ferendi plena est in communitate separata ; plena etiam est in imperio et regno, restricta autem in principatu, in comitatu feudali, in gubernio protecto ; pariter plena est in confœderatione, restricta vero in singulis statibus confœderatis (4). — A communitate alii politice unita aut cum aliis fœdere juncta omnino differunt communitatis partes constitutivæ, quales in regno sunt provinciæ et civitates : in his autem partibus non solet esse nisi facultas faciendi ordinationes cujusdam inferioris rationis, quæ non leges sed *decreta, regulæ, statuta* nuncupantur (5). — Tandem in communitate efformari solent et jure efformantur variæ associationes, quibus tamen est sola facultas edendi statuta ex pacto vel ex approbatione superioris valorem habentia (6).

216. *et in variis subjectis residet.*

Residet autem facultas legifera, pro diversa societatis constitutione, modo in uno aliquo capite supremo, modo in pluribus optimatibus, modo

1. S. Thomas, *De regim. Princ.* lib. I, c. 14.

2. S. Thomas, *op. cit.*, lib. I, c. 15. — 3. S. Thomas, 2-2, q. 60, a. 6, ad 3.

4. Cfr. Suarez, lib. III, c. 7 et 8; Schmier, lib. I, tit. I, c. 7, n. 51; Bryce, *The American Commonweth*, tom. I, p. 1 et p. 2; Carlier, *La République Américaine,* tom. II, lib. 3 et 4.

5. Cfr. Suarez, lib. III, c. 9, n. 16-21; Bryce, *op. cit.*, tom. I, p. 11, c. 48; Carlier, *op. cit.*, tom. III, l. 11. — Hujus rationis sunt apud Belgas v. g. ordinationes dictæ *arrêtés ministériels, règlements provinciaux. règlements communaux.* — 6. Cfr. supra, n. 48.

in cœtu a communitate designato, modo in ipsa communitate, modo simul in capite, optimatibus et populi comitiis, etc. Quodnam autem sit legislationis organum omnium præstantissimum, explicat sanctus Thomas : « Circa bonam ordinationem principum in aliqua civitate vel gente duo sunt attendenda : quorum unum est ut omnes aliquam partem habeant in principatu : per hoc enim conservatur pax populi, et omnes talem ordinationem amant et custodiunt. Aliud est, quod attenditur secundum speciem regiminis vel ordinationis principatuum : cujus cum sint diversæ species..., præcipuæ tamen sunt *regnum*, in quo unus principatur secundum virtutem ; et *aristocratia*, id est, potestas optimatum, in qua aliqui pauci principantur secundum virtutem. Unde optima ordinatio principum est in aliqua civitate vel regno, in quo unus præficitur secundum virtutem, qui omnibus præsit ; et sub ipso sunt aliqui principantes secundum virtutem ; et tamen talis principatus ad omnes pertinet, tum quia ex omnibus eligi possunt, tum quia etiam ab omnibus eliguntur. Talis vero est omnis politia bene commixta ex *regno*, in quantum unus præest, ex *aristocratia*, in quantum multi principantur secundum virtutem, et ex *democratia*, id est, potestate populi, in quantum ex popularibus possunt eligi principes, et ad populum pertinet electio principum ([1]). » Sane hujusmodi systemate obtinetur ut ab una

1. S. Thomas, 1-2, q. 105, a. 1 ; cfr. *De reg. princ.*, lib. I, c. 1-3 ; Suarez, *De leg.*, lib. III, c. 4, n. 1 ; Bellarminus, *De Rom. Pont.*, lib. I, c. 1-4 ; Molina, *De just. et jure*, tr. II, disp. 23 ; et, inter recentiores, Périn, *Lois de la société chrétienne*, lib. IV ; Rothe, *Droit nat.*, tom. I, n. 435 et seq., ac præ cæteris Taparelli, *Ordini representativi, nella loro funzione* la legislatura (ap. *Civiltà catt.*, ser. I, vol. 6). — Cum hac Angelici doctrina juverit conferre modum gubernandi a Carolo Magno initum, quem ita describit Kurth, *Les origines de la civilisation moderne*, tom. II, c. 13 : « Charlemagne ne voulut agir en toutes choses qu'avec le consentement du peuple. Comme tous ses prédécesseurs, il ne prit pas une seule mesure et ne promulgua pas une seule loi qui fût en opposition avec les vœux du public. Dans sa pensée, la loi ne devait être que le résultat d'un accord entre le souverain et les sujets, et l'expression de leur volonté collective. C'est son esprit à lui qui a dicté à l'un de ses successeurs cette belle formule : *lex consensu populi fit et constitutione regis.* (Edict. Pistense an. 864, c. 6)... Ce n'était pas une vaine formule, en effet, la noble parole qui voyait dans le consentement populaire l'une des conditions essentielles (?) de toute législation. Tous les ans elle devenait au champ de mai une belle et vivante réalité... La loi qui s'élaborait dans ces rencontres familières du roi et de la nation était l'expression de la plus parfaite harmonie qui régnait entre une autorité aimée et une libre obéissance.

parte populi necessitates et justæ expostulationes libere manifestentur, ab altera vero parte media apta sapienter excogitentur et efficaciter applicentur : quæ sunt conditiones bonæ *ordinationis* (1).

217. Auctoritatis usurpator, statim ac est in quieta possessione, valide ordinationes præscribit subditis et conventiones init cum aliis societatibus : utrumque necessarium est ad bonum commune et ubique observari solet (2). — Cæterum auctoritatis legitimitas per se non pendet a fide et moribus subjecti, licet ab iis pendere possit per accidens, ratione juris specialis et principii superioris (3) ; a fortiori non pendet a subjecti sexu et ætate (4).

Sans qu'aucune constitution écrite traçât les limites des compétences respectives, il y avait comme un accord tacite qui abandonnait l'initiative à la tête, mais qui réservait à tous les membres une part d'action. Le pouvoir n'était pas partagé, il était exercé en commun par le souverain et par son peuple, et chacun y intervenait pour la part que lui assignait la nature même des choses. » Cfr. etiam Paul Viollet, *Histoire des Inst. politiques et administratives de la France*, I, p. 281.

1. Cfr. supra, n. 45. Præclare scribit Taparelli, l. c., n. 39 : « Secondo gli insegnamenti del senso comune abbiam concluso che i bisogni sociali debbono manifestarsi da chi *ne sente il peso*, soddisfarsi da chi ne ha la *perizia*, autenticarsene le leggi da chi *è maestro di onestà* : e queste tre funzioni abbiam detto debbano avere organi distinti, giache sarebbe assurdo corregere il sentimento dei bisogni colla scienza di chi non li sente, o regolare la scienza del medico colla ignoranza dell'infirmo, o finalmente mescolare ai giudizi della onestà qualche elemento d'interesse affine di pervertirne la sentenza. »

2. Cfr. supra n. 47 ; Zallinger, *Inst. jur. nat.*, lib. III, c. 3, n. 210 ; *Civiltà catt.*, ser. I, vol. 3, pag. 221 *Sul' possesso dell' autorità*. — Eamdem regulam sequitur Ecclesia in suis relationibus cum gubernis civilibus, ut declaravit Gregorius XVI, Const. *Sollicitudo Ecclesiarum*, 7 Aug. 1831. Ad rem etiam Leo XIII, *Epist.* 22 Oct. 1880, ad Arch. Parisien. : « Sedes Apostolica, quæ in variis vicibus flexibusque rerum publicarum, negotia expediat necesse est cum iis qui populo præsunt, hoc spectat unice, rem christianam salvam esse : lædere vero jura imperii, cujuscumque tamen ea sint, nec vult, nec velle potest. In rebus autem non injustis parendum eis esse, qui præsunt, conservandi causa ordinis, in quo est publicæ fundamentum incolumitatis, nemo dubitat : nec tamen est consequens, obtemperando approbari, si quidquam est aut in constitutione aut in administratione civitatis non justum. »

3. Cfr. S. Thomas, 2-2, q. 10, a. 10 ; Suarez, lib. III, c. 10.

4. Cfr. Suarez, lib. III, c. 9, n. 8-15 ; inter antiquiores canonum collectores de principatu fœminarum agit Bonizo Sutriensis ; cfr. Pitra *Anal. noviss.*, pag. 136-139.

Caput II.

De causa materiali legis civilis.

218. *Objectum legis civilis est bonum temporale, intellectus,*

Lege civili regulantur ea omnia « quæ civile et politicum genus complectitur (1) », quæ nimirum hominum vitam ac perfectionem temporalem spectant, et præsupponuntur altiori vitæ et perfectioni religiosæ (2).

Hujusmodi sunt : *a*/ ipsa societatis *constitutio :* lex eam determinans vocatur *constitutionalis ; — b*/ regiminis socialis *functiones :* lex eas determinans vocatur *politica,* ac distingui potest in *administrativam, fiscalem, judicialem, militarem ; — c*/ civium ad invicem *relationes :* lex eas definiens *civilis* stricto sensu dicitur (3). Varia hac legislatione societas civilis rite ordinatur ad sui conservationem, perfectionem ac finem, qui est sociorum bonum commune (4).

Jam vero bonum illud commune, quod hujusmodi ordinationibus procurari debet, complectitur *a*/ bona *intellectus :* hinc ad auctoritatem civilem pertinet providere institutioni in litteris, scientiis et artibus *humanis,* quæ tantopere necessariæ sunt tum singulis individuis tum toti communitati (5) ; — *b*/ bona

1. Leo XIII, encycl. *Immortale Dei.*

2. Cfr. supra. n. 50 et n. 111.

3. Strictiori adhuc sensu lex *civilis* opponitur legi *commerciali,* etc. : unde apud populos modernos distinguuntur *code civil, code de commerce, code forestier,* etc.

4. Optime Th. Meyer, *Inst. jur. nat.*, n. 374 ; « In omni ente organico *primus* gradus finalis operationis consistit in *conservatione* sui ipsius, arcendo mortem ac dissolutionem ; *alter* in *evolutione* interna et externa ad statum essendi perfectum, cui et perfectus vigor vitalis operationis respondet ; *tertius* denique et summus est, propria entis organici (in se jam perfecti) *fructificatio,* seu immediata ejus adaptatio ad finem operis quem vulgo externum appelant, et in quo proxime sita est causa finalis tum existentiae tum internæ perfectionis totius entis. Ad hunc igitur tertium boni gradum uterque præcedens finaliter ordinatur in eoque completur. — Simili ratione in societate activitas socialis secundum triplicem gradum ac modum ad bonum sociale completum dirigitur : quatenus ipsam internam societatis conservationem respicit... ; quatenus ad societatem in sua specie evolvendam ac perficiendam pertinet... ; quatenus directe ordinatur ad socialiter juvanda membra societatis, eis copiam faciendo emolumentis socialibus tanquam vero bono communi fruendi. »

5. Ita concilii Vaticani *Theologi* in suo de Ecclesia schemate, c. xv, not. 47: « Non negatur jus potestatis laicæ providendi institutioni in litteris ac scientiis ad suum legitimum finem, et ad bonum sociale, ac proinde etiam non negatur eidem postestati laicæ jus ad directionem scholarum,

voluntatis. *voluntatis :* adeoque ad auctoritatem civilem etiam pertinet morales virtutes sociales promovere, vitia oppugnare, delicta *corporis.* coercere (1); — *c/* bona *corporis :* idcirco auctoritatis civilis est publicæ sanitati invigilare, nosocomia ædificare, et alia simi- *fortunæ.* lia (2); — *d/* bona *fortunæ :* unde auctoritatis civilis est disponere quæ concernunt rerum acquisitionem et transmissionem, industrias et commercia, vias aperire, etc. (3).

Ampla igitur est sphæra auctoritatis civilis (4) : ne tamen ultra suos limites extendatur, advertendum est, societatis civilis finem non esse ut prædicta bona omnia immediate civibus procuret, sed potius ut eos ad illa comparanda adjuvet (5) : quapropter munus auctoritatis erit aptis ordinationibus singulorum activitatem excitare ac dirigere, associationes promovere, infirmos protegere, malevolos coercere, ordinem externum tueri. Hæc est vera et traditionalis idea gubernationis : in documentis enim revelatis princeps dicitur « vindex in iram ei qui malum agit (6); » a Patribus autem leges declarantur factæ « ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, et in ipsis improbis, formidato supplicio, refrænetur nocendi facultas (7). »

---

quantum legitimus ille finis postulat. » — Cfr. Zigliara, *Phil. mor.*, lib. II, c. 1, a. 6 ; Costa-Rosetti, *op. cit.*, th. 175 ; Hammerstein, *De Ecclesia et statu*, pag. 146 ; Sauvé, *Questions relig. et soc.*, c. 10.

1. Cfr. S. Thomas, *De regim. Princ.*, lib. I, c. 14, 15 ; Leo XIII, *Encycl. Rerum novarum.*

2. Zallinger, *Inst. jur. nat.*, lib. III, c. 5, n. 219, notat a Gubernio « providendum, ut aptis mediis intra justum gradum conservetur et augeatur numerus subditorum. Nam *in multitudine populi dignitas regis : et in paucitate plebis ignominia principis...* Eum in finem vitæ civium conservandæ, salubritati locorum, removendis periculis pestilentiæ, etc. provideri necesse est. »

3. Huc pertinet tota *œconomia politica* seu *socialis ;* cfr. *Civiltà catt.*, ser. I, vol. VIII, 247, *Della economia sociale alla moderna ;* ser. 2, vol. VII, 46, *L'Autorità sugli averi ;* ser. 3, vol. VIII et seq., *Analisi critica dei primi concetti dell'economia sociale ;* Costa-Rosetti, *op. cit.*, p. IV, c. 2, s. 2, § 2.

4. Liberalismi erroribus late nostro tempore disseminatis, notio auctoritatis socialis obscurata est apud plurimos, qui ejus sphæram in ordine morali, scientifico, œconomico nimium restrixerunt. Cfr. *Civiltà catt.*, ser. 8, vol. 2, *Del fine della società civile.*

5. Cfr. *Civiltà cattolica*, ser. I, vol. 4, pag. 75, *Sfera d'azione dell' autorità*, et pag. 291, *Limiti della competenza ;* Costa-Rosetti, *op. cit.*, th. 159 et seq. — Socialistis prælusit Montesquieu dum scripsit : « L'état doit à tous les citoyens une subsistance assurée, la nourriture, le vêtement convenable et un genre de vie qui ne soit point contraire à la santé. » *Esprit des lois*, I, XXIII, 29 — 6. Rom. XIII, 1-6 ; I Pet. II, 13.

7. S. Isidorus, *Etym.* V, 20, et apud Gratianum, *Decreti* p. I, dist. IV.

219. In hac sphæra potest auctoritas civilis *a| legem naturalem positivis præscriptionibus sancire :* sic jus habet cogendi parentes ad filios enutriendos, imo ad eos, juxta suam conditionem, instruendos (1) ; pariter jus habet pœnis coercendi non solum fures et homicidas, sed etiam adulteros et fornicatores : attamen urgere nequit observationem *omnium* præceptorum naturalium, sed multa bona sunt quæ privatorum arbitrio relinquere debet, multa mala quæ, pro temporum et personarum circumstantiis, prudentia dictat toleranda vel etiam positive permittenda (2) : exempla prostant in publicatione scriptorum moribus nocivorum (3), in meretricio (4), etc. — Postest etiam *b| legem naturalem aptis determinationibus et conclusionibus explicare :* sic jus habet statuendi conditiones ad rerum præscriptionem, ad filiorum successionem in bonis parentum, et alia hujusmodi, de quibus non occurrunt nisi generalia naturalis legis principia, cum tamen necessario in specie definienda sint. — Præterea potest *c| legem naturalem additionibus supplere :* sic jus habet præscribendi multa quæ ex se indifferentia sunt, ratione tamen circumstantiarum opportuna videntur bono communi conse-

In ordine ad hoc bonum temporale lege civili naturalis lex sancitur.

determinatur.

suppletur.

1. Judicio gravium Doctorum, v. g. Hammerstein et Sauvé, ll. cc., instructio *obligatoria* nihil in se continet quod sanis principiis absolute repugnet : et revera quæ nonnulli, v. g. Janssen, *De facultate docendi*, n. 227, Costa-Rosetti, *op. cit.*, th. 176, *Civiltà catt.* ser. 8, vol. 1, *Sull'istruzione primaria obligatoria*, in contrarium urgent, non omnino persuadent.

2. Hinc intelligitur quid sit sentiendum et quomodo sit loquendum de *libertate* extrinseca et civili. Videlicet libertas seu expedita facultas ad bonum, ad virtutem, ad perfectionem, ad finem, bona est et quævis legislatio tendere debet ad eam homini asserendam et tuendam ; libertas autem seu facultas ad malum, ad vitium, ad finalem defectum, non est ex se bona, et quævis legislatio tendere debet ad eam prudenter minuendam. Igitur absentia legis malum morale et religiosum prohibentis ordinarie non denotat socialem perfectionem, sed communius signum est imperfectionis, sive in regimine ipso quod non sit communitati appropriatum, sive in subditis, qui non sint melioris gubernationis capaces.

3. Cfr. Leonis XIII, encycl. *Immortale Dei ;* Sauvé, *op. cit.*, c. 4 et seq.

4. Ita S. Thomas, 2-2, q. 10, a. 11 : « Humanum regimen derivatur a divino regimine et ipsum debet imitari. Deus autem, quamvis sit omnipotens et summe bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quæ prohibere posset, ne eis sublatis majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala sequerentur. Sic ergo et in regimine humano, illi, qui præsunt, recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur, sicut Augustinus dicit, in libro de *Ordine* (II, 4) : Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus. » Cfr. 1-2. q. 101, a. 3, ad 2 ; Auctor opusc. *De regim. Princ.* lib. IV, c. 14 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 434.

quendo (1). — At vero *d/ nullo modo potest legem naturalem oppositis ordinationibus lædere :* sane jus non habet ea præcipiendi quæ lege naturali prohibita sunt vel ea prohibendi quæ lege naturali sunt præcepta. Unde Augustinus proclamat nec dici *leges* posse nec reputari, iniqua hominum constituta, quæ de justitiæ fonte non manaverunt (2). Et juxta Angelici doctrinam, « omnis lex humanitus posita in tantum habet de ratione legis, in quantum a lege naturæ derivatur : si vero in aliquo a lege naturali discordet, jam non erit lex, sed legis corruptio (3). » A philosophia autem materialistica et pantheistica ortus est plurium modernorum pessimus error legislationi publicæ quasi omnipotentiam attribuentium (4). — Nec potest *c/ lædere æquitatem,* præscribendo ea quæ privatæ quorumdam utilitati inserviunt potius quam bono communi conducant; vel onera inæqualiter distribuendo; vel jubendo ea quæ plerisque moraliter impossibilia sunt (5).

Bonum temporale lege civili ad bonum spirituale refertur.

Licet auctoritas civilis sit in determinata sua sphæra independens, tenetur tamen ita de rebus temporalibus statuere ut rationem habeat bonorum spiritualium. Quod præclare expressit Angelicus : « Cuicumque incumbit aliquid perficere, quod ordinatur in aliud, sicut in finem, hoc debet attendere, ut suum opus sit congruum fini; sicut faber sic facit gladium, ut pugnæ conveniat, et ædificator sic debet disponere domum, ut ad habitandum sit apta. Quia igitur vitæ, qua in præsenti bene vivimus, finis est beatitudo cœlestis, ad regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam procurare, secundum quod congruit ad cœlestem beatitudinem consequendam; ut scilicet ea præcipiat, quæ ad cœlestem beatitudinem ducunt, et eorum contraria secundum quod fuerit possibile interdi-

1. Cfr. Suarez, lib. III, c. 12.

2. S. Augustinus, *De civit. Dei,* lib. XIX, c. 21.

3. S. Thomas, 1-2, q. 95, a. 2.

4. Huc pertinent *Syll.* prop. 39, 56. Cfr. Suarez, lib. I, c. 9 ; lib. III, c. 12 ; Theod. Meyer, *op. cit.,* n. 296, 297. — Erroris, quem hic notamus, vestigia passim reperiuntur apud recentiores Jurisperitos ; ita v. g. Aubry et Rau, *Cours de droit civil français,* tom. I, p. 3 ; « Le droit coutumier ne peut, en principe, être contraire au droit naturel tel que nous le comprenons. Il en est autrement du droit écrit, donc la force obligatoire est toutefois indépendante de sa conformité avec le droit naturel. »

5. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 95, a. 3.

cat » (1). — De rebus autem mixtis statuere nequit nisi communi cum auctoritate ecclesiastica consensu ; v. g. in legislatione scholari sic providendum est scientiis et artibus humanis ut eminentiori scientiæ religionis suus relinquatur dignitatis gradus; sic exercenda in magistros et discipulos vigilantia sæcularis ut simul admittatur Ecclesiæ vigilantia relate ad fidem et mores (2); in legislatione matrimoniali, sic disponendum de effectibus civilibus, nempe de mutuis conjugum juribus ad bona, de statu filiorum etc., ut contractus substantia ab Ecclesia accipiatur (3) ; in conventionibus et pactis, sic favendum proficuis relationibus commercialibus ut non ineantur novicæ relationes religiosæ, etc. — De ipsis vero ordinis religiosi bonis auctoritas civilis nihil quidem directe et propria potestate definire valet (4); potest tamen, imo et debet, indirecte, ministerialiter, et potestate quadam delegata, civium bona spiritualia tueri, hæreticos v. g. aliosque seductores compescendo, Ecclesiam adjuvare, canones ejus sanciendo etc. (5) ; contra Ecclesiæ autem statuta nihil præcipere potest.

1. S. Thomas, *De regim. Princ.*, lib. I, c. 15 ; cfr. Suarez, *Defensio*, lib. III, c. 22 ; Tarquini, *Jur. Eccl. publ. inst.*, n. 52 ; *Civiltà catt.*, ser. 7, vol. 5, *Della subordinazione dello Stato alla Chiesa.*

2. Hinc damnandæ scholæ *neutrales :* cfr. *Syll.* prop. 45-48 ; Leonis XIII encycl. *Quod multum* et *Officio sanctissimo.* Ita Theologi Pontificii qui in concilio Vaticano schema *de Ecclesia* paraverunt, c. 15, not. 47 : « Non asseritur potestati ecclesiasticæ velut ex divina constitutione consequens auctoritas ad *positivam* directionem scholarum, quatenus in iis litteræ et scientiæ naturales traduntur ; sed vindicatur Ecclesiæ auctoritas ad directionem scholarum quantum ipse finis Ecclesiæ postulat, adeoque asseritur jus et officium prospiciendi fidei et christianis moribus juventutis catholicæ, hocque ipso cavendi ne pretiosa hæc bona per ipsam institutionem corrumpantur : hoc jus Ecclesiæ in se spetactum non minus ad superiores quam ad inferiores scholas extenditur. »

3. Cfr. Leonis XIII encycl. *Arcanum.* Videlicet debet auctoritas civilis, generatim et per se, matrimonium christianum recognoscere eique soli tutelam præbere et civiles effectus attribuere. Attamen *a)* propter eas causas, quæ legitimam faciunt cultuum falsorum libertatem, poterit effectus civiles attribuere et tutelam offerre unioni invalidæ, v. g. ab hæreticis initæ cum impedimentis dirimentibus ; *b)* propter rationes speciales poterit etiam aliquando tutelam et effectus civiles denegare unioni validæ : cfr. Perrone, *De matr. christiano*, lib. II, s. 2, c. 1.

4. Huc pertinent *Syll.* prop. 44, Leonis XIII encycl. *Immortale Dei*, *Iampridem nobis*, *Officio sanctissimo*, etc. Cfr. Suarez, lib. IV, c. 11, n. 16.

5. Cfr. supra, n. 50, 108 ; item tract. *De virtutibus theol.* n. 290. Ad rem S. Augustinus, *Epist.* 185, (ad Bonif.) c. 5, n. 20 : « Cum itaque nondum

Quid de internis et de præteritis.

Cæterum regiminis civilis objectum sunt soli per se actus *externi;* interni ei non subsunt nisi in quantum essentialiter cum externis conjuguntur, ut est intentio relate ad juramentum, voluntas relate ad contractus, etc. (1). Quid vero de præteritis statui valeat, patet ex principiis supra explicatis (2).

Caput III.

De causa formali legis civilis.

220. *Legis civilis efformatio,*

Lex civilis *scripta* esse potest vel *consuetudinaria.* — Scripta vario processu pro variis temporibus, apud varios populos efficiebatur, et inde varia etiam sortiebatur nomina (3); processus hodie receptus sequens est : ordinatio ab iis, quibus id competit, *proponitur,* in comitiis publice *discutitur,* suffragio *acceptatur,* a potestate suprema *sancitur* (4). — Consuetudinaria olim frequentissima erat, nunc autem vix non prorsus rejicitur (5).

promulgatio,

Lex scripta rite *promulgari* et *publicari* debet (6); solet autem fieri legis *promulgatio* actu supremæ auctoritatis; *publicatio* vero

reges Domino servirent temporibus Apostolorum... non utique tunc possent impietates legibus prohiberi, sed potius exerceri... Postea vero quam cœpit impleri quod scriptum est, *Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient illi,* quis mente sobrius regibus dicat : Nolite curare in regno vestro a quo teneatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri; non ad vos pertineat in regno vestro quis velit esse sive religiosus, sive sacrilegus : quibus dici non potest : Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit pudicus esse, quis impudicus ? Cur enim cum datum sit divinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, et sacrilegia permittantur ? An fidem non servare levius est animam Deo quam fœminam viro ? »

1. Cfr. Suarez, lib. III, c. 13.

2. Cfr. n. 115 ; Jurisperiti moderni satis confuse de retroactivitate legum loquuntur : legantur tamen v. g. Aubry et Rau, *op. cit.,* p. 66 ; Arntz, *Cours de droit civil,* tom. I, n. 38.

3. Ita apud Romanos nominabatur *constitutio, plebiscitum, senatus-consultum.*

4. Cfr. modernæ constitutiones passim. De confectione legis scriptæ in Statibus Unitis Americæ, cfr. Carlier, *op. cit.,* tom. II, lib. III, c. 10.

5. Cfr. Aubry et Rau, *op. cit.,* tom. I, pag. 6 et 56. De consuetudine in statibus Unitis, cfr. Carlier, *op. cit.,* tom. IV, lib. 14, c. 2.

6. Cfr. Suarez, lib. III, c. 16. De promulgationis modo in Statibus Unitis Americæ, cfr. Carlier, *op. cit.,* vol. III, lib. 10, c. 19. — Ita const. Belgicæ art. 129 : « Aucune loi, aucun arrêté ou règlement d'administration générale, provinciale ou communale, n'est obligatoire qu'après avoir été publié dans la forme déterminée par la loi. »

insertione in diario *officiali* (1); præterea non nisi post aliquos dies a publicatione incipit obligatio (2).

Legis civilis interpretatio doctrinalis esse potest, usualis, judicialis, vel authentica, de quibus sufficiunt principia quæ supra exposuimus (3); adverti tamen debet authenticam jam ubique fieri a sola auctoritate legislativa, aliis non committi (4). *interpretatio.*

221. *Quousque necessaria sit legis civilis acceptatio a communitate,*

Hisce breviter præmissis vel suppositis, quædam paulo distinctius notanda veniunt de necessitate *acceptationis* legis civilis ad vim ei tribuendam.

Acceptatio approbativa *ex parte communitatis* necessaria esset si populus apud se habitualiter retineret auctoritatem supremam, republicæ vero gubernator non esset nisi ejus mandatarius et delegatus ad nutum revocabilis; vel si populus transferendo auctoritatem, talem ejus exercitio restrictionem legitime apposuisset; vel (supposito etiam quod populus nullo modo penes se auctoritatem habuerit), si legislator non posset prudenter præcipere nisi sub tali conditione; vel demum, si, propter graves rationes, non vellet absolute præcipere, sed consensum communitatis provocaret et exspectaret. Jam vero acceptationem requiri pro legibus civilibus quia quivis legis-

1. Advertatur, nomine *promulgationis* non id præcise intelligi apud Jurisperitos modernos quod intelligitur apud Philosophos, Theologos et Canonistas. His enim promulgatio est ordinationis intimatio facta subditis ; illis vero est mandatum ordinationis exequendæ factum a suprema auctoritate (un ordre d'exécution emané du chef de l'Etat, en qui réside la puissance exécutive); Theologorum et Canonistarum *promulgationi* valde similis est recentiorum Jurisperitorum *publicatio*, quam idcirco ad legis obligationem essentialiter requisitam pronuntiant. Cfr. Aubry et Rau, *Cours de droit civil*, Int. § 26. — Ita v. g. definitur lege Belgica 28 feb. 1845 : « Art. 1 : La sanction et la promulgation de la loi se feront de la manière suivante : « Léopold, roi des Belges, à tous présents et à venir salut. Les chambres ont adopté et nous *sanctionnons* ce qui suit (textus legis). *Promulguons* la présente loi, ordonnons qu'elle soit revêtue du sceau de l'Etat et *publiée* par la voie du *Moniteur*. » Art. 2. Les lois, immédiatement après leur promulgation, seront insérées au *Moniteur*, qui remplacera pour la *publication* le *Bulletin Officiel*. »

2. Cfr. Suarez, lib. III, c. 17. — Ita in cit. lege, art. 2 : « Elles (les lois) seront obligatoires dans tout le royaume, le dixième jour après celui de la publication, à moins que la loi n'ait fixé un autre délai. »

3. Cfr. supra, n. 124 ; Aubry et Rau, tom. I, pag. 124.

4. Const. Belg. art. 28, statuitur : « L'interprétation des lois par voie d'autorité n'appartient qu'au pouvoir législatif. »

lator est merus populi mandatarius cujus acta a mandante rata haberi debent, nemo vere catholicus unquam docuit (1); eam vero requiri quia populus sub hac conditione auctoritatem contulit, arbitrati sunt nonnulli antiquiores (2); eamdem requiri quia priceps generatim non potest nisi sub hac implicita conditione prudenter præcipere, etiam veteres quidam censuerunt (3); tandem haud pauci tenuerunt requiri acceptationem, quia princeps, licet possit, tamen communiter non vult absolute præcipere (4). Quid de his doctrinis sentiendum sit, patet ex principiis supra expositis (5): videlicet generatim et per se ad vim legis civilis necessaria non est populi acceptatio: quia superiori inest potestas et inesse etiam potest voluntas regulam imponendi independenter a subditorum consensu; et quidem inest *potestas:* nam superior suam auctoritatem non tenet a communitate, et si admittatur eam a communitate teneri, saltem non est in suo excercitio ad libitum subditorum restricta; secus impossibilis esset efficax illa societatis directio, quæ est cujusvis auctoritatis finis et ratio; inesse etiam potest *voluntas:* nam bonum commune aliquando postulat ut superior absolute præcipiat et resistentias frangat (6). Hinc merito damnata est sequens propositio: « Populus non peccat etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam (7). » Nihilominus ipsi indoli auctoritatis civilis et boni regiminis conditionibus conforme est ut, quantum fieri potest, legi sanciendæ prævie concilietur populi consensus (8).

1. Cfr. supra, n, 46, pag. 209, cum not. 1, p. 210.

2. Ita docuerunt Major, in IV, dist. 15, q. 4; Alph. a Castro, *De pot. legis pœn.*, lib. I, c. 1; Molina, *De just. et jure*, tr. 11, disp. 23; cfr. supra, n. 46, pag. 210, cum nota 2.

3. Cfr. Valentia, disp. VII, q. 5, p. 5; Driedo, *De lib. christ.*, lib. I, c. 9, doc. 2. — 4. Cfr. Suarez, lib. III, c. 19, n. 3. — 5. Cfr. n. 46, n. 122.

6. Cfr. Suarez, lib. III, c. 19; Schmier, lib. I, tr. 1. c. 7, n. 113-122; Sporer *(suppl.)*, c. 1, sect. 3, n. 190; *Conf. d'Angers*, Lois, 3e conf., art. 1.

7. Prop. 28 ex damnatis ab Alex. VII: cfr. Dom. Viva, in h. p. — Huc etiam referri posset *Syll.* prop. 63.

8. Cfr. supra, n. 123. — Ne quorumdam veterum Jurisperitorum et Theologorum asserta minus æqua sententia reprobentur, juverit perpendere quæ de legislatore vere christiano, Carolo Magno, scribit Kurth in opere: *Les origines de la civilisation moderne*, tom. II, c. 13. « Le gouvernement mettait un soin extrême à ce que tout le monde fût bien convaincu de son respect pour la liberté publique. Aussi ne se contentait-il pas d'un simple vote de l'assemblée, lorsqu'il s'agissait de mesures importantes où les intérêts de tout le monde étaient en jeu. Avait-on, par exemple, voté au champ

ab auctoritate religiosa.

Nulla necessaria est acceptatio approbativa *ex parte potestatis spiritualis* seu ecclesiasticæ ; est enim potestas civilis in sua sphæra suoque ordine suprema, et proinde ad res suas agendas libera atque expedita (1). Cum tamen societas civilis sit, ratione proprii finis, societati religiosæ subordinata, contingere poterit ut civilis potestatis ordinationes corrigi vel irritari debeant a potestate religiosa (2).

Quoad acceptationem *executivam,* manifestum est eam non minus pro legibus civilibus quam pro legibus ecclesiasticis posse indirecte esse necessariam ; quo sensu recte dictum est, leges « nulla alia causa nos tenere quam quod judicio populi receptæ sunt (3). »

Sectio II.

De vi obligatoria legis civilis.

Suppositis iis quæ jam de lege ecclesiastica late tractata sunt, tribus distinctis capitulis illa pauca exponemus quæ de obligationis indole, objecto et subjecto, legi civili magis propria videntur (4).

---

de mai une modification quelconque à la coutume nationale, le pouvoir ne se bornait pas à la promulguer comme un fait accompli, qui aurait échappé dès lors à toute contradiction. Il voulait qu'en une matière aussi grave l'universalité des hommes libres pût avoir l'occasion de se prononcer. En conséquence tous les officiers royaux convoquaient le peuple de leur ressort, et là, en assemblée publique, ils lui communiquaient les lois nouvelles, et lui demandaient son consentement, que les notables donnaient par écrit en apposant leur signature au bas du texte de la loi. Sans doute on ne prévoyait guère le cas d'un refus, et il ne devait venir à l'esprit d'aucun homme libre de protester, de quelque manière que ce fût, contre les délibérations émanées d'un champ de mai formé par l'élite de la nation. Néanmoins on aurait tort de regarder ces démarches du pouvoir comme de simples formalités officielles, exclusivement destinées à donner aux lois la publicité nécessaire. Elles nous fournissent, tout au moins, la preuve de sa déférence envers la nation, et de ses sincères efforts pour l'associer tout entière aux sollicitudes et aux préoccupations du gouvernement. »

1. Leo XIII, encycl. *Arcanum.*

2. Notum est haud paucas leges romanas a Pontificibus emendatas fuisse, quarum elenchum exhibet Maschat, in fine suarum *Institutionum canonicarum ;* cfr. etiam Benedictus XIV, *De Synodo,* lib. IX, c. 11-13 ; Emin. Sanfelice, *Fund. jur. can.,* p. 11, pag. 35.

3. *Digest.* lib. I. tit. 3, l. 32, *De quibus ;* cfr. supra, n. 123.

4. Consulantur auctores citati, pag. 330, nota 2, ac præ cæteris Suarez, lib. III, c. 21 et seq. ; inter recentiores plures quæstiones ad hanc materiam pertinentes expendit Waffelaert, in egregia diss., *Etude de théologie morale sur l'obligation en conscience des lois civiles.*

Caput I.

De indole obligationis legis civilis.

222. *Obligat in conscientia lex civilis,*

Lex *civilis vere moralis est, quippe quæ non meram coactionem importat sed obligationem producit in conscientia et coram Deo.* Fertur enim auctoritate a Deo communicata, nomine Dei et a Deo sancitur (1). Sane in documentis inspiratis habemus, principum potestatem a Deo esse (2), et principes esse Dei ministros (3), ab ipso missos (4) ; proinde illis obediendum esse necessitate (5), propter Deum (6) et concientiam (7) ; consequenter eos, qui principibus resistunt, ipsi Deo resistere et damnationem sibi acquirere (8). Sancti Patres autem unanimiter docent sic audiendum esse superiorem, qui est Dei vicarius, quomodo ipse Deus, quia obedire superiori jussit Deus (9), et quia Deus a non obtemperantibus pœnas haud leves repetet (10). Idem recta ratio facile evincit : licet enim lege civili homo immediate ordinetur ad solum bonum temporale, mediate tamen etiam ordinatur ad bonum æternum, siquidem, juxta divinam dispositionem, temporale æterno subservit (11) : ideoque ejus violatio a fine avertit.

223. *qua talis,*

Obligationem in conscientia producit lex civilis *qua talis,* non autem solum quatenus legem naturalem, divinam aut ecclesiasticam continet et applicat : id evidenter colligitur ex textibus modo allatis (12). — Producit autem obligationem in

1. Cfr. supra, n. 44. — 2. Rom. xiii, 1 ; Sap. vi, 4. — 3. Rom. xiii, 4, 6 ; Sap. vi, 5. — 4. I Pet. ii, 13. — 5. Rom. xiii, 1, 5. — 6. I Pet. ii, 13. — 7. Rom. xiii, 5. — 8. Rom. xiii, 2.

9. Cfr. S. Augustinus, *In psalm.* lxx, serm. 1, n. 2 ; S. Bernardus, *De præc. et disp.*, c. 9, n. 19.

10. S. Joannes Chrys. *In Epist. ad Rom.*, hom. 23, n. 2 ; huc etiam referri solent verba S. Augustini, *Epist.* clxxxv, c. 1, n. 8 : « Quicumque legibus imperatorum quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium » ; adverti tamen debet ibi a S. Doctore directe non agi nisi de legibus in tutelam religionis promulgatis.

11. Cfr. Theod. Meyer. *op cit.*, n. 292 ; Costa-Rosetti, *op. cit.*, th. 165.

12. Omissis antiquioribus nonnullis jurisperitis, quid de obligatione legis civilis senserit Gerson, supra, pag. 331, nota 10, ostendimus. Almainus autem pronuntiat principes, quia non sunt *vicarii Christi,* non posse in conscientia obligare : « Dico quod summus Pontifex, quia est vicarius Christi, habet auctoritatem ab illo cognoscendi in suo foro de crimine, et aliquid etiam præcipiendi sub obligatione ad pœnam æternam ; et non est

conscientia lex civilis *ipsa vi imperii,* non autem vi specialis voluntatis imperio additæ ; videlicet ad obligationem sufficit ut superior intendat vere imperare, non requiritur ut expresse intendat obligationem in conscientia imponere : hæc enim necessario sequitur ex imperio ; unde immerito nonnulli aliquando videntur dubitare de legum civilium obligatione in conscientia, eo quod moderni legislatores consientiam, imo et Deum ipsum minime curent (1). — Præterea obligationem producit lex civilis *ex se, propria efficacia,* et *independenter ab Ecclesiæ approbatione* (2). *ipsa vi imperii.* *et propria efficacia :*

224. *hæc obligatio potest esse gravis.*

Potest lex civilis in conscientia obligare *sub gravi,* ut demonstrant auctoritates supra allegatæ (3). — Pendet autem obligationis gravitas, tum a gravitate materiæ, tum etiam a mente legislatoris, modo jam explicato (4). Adverti autem etiam in præsenti debet, materiam gravem aliquando constitui posse re quæ ex se videretur levis, quum videlicet res ista multum conducit ad finem magni momenti : exemplum adest in obedientia militari. Adverti prætera debet quod, propter

simile de prælato civili, puta rege vel alio temporali jurisdictionem habente in temporalibus, cum talis non habeat potestatem aliquem obligare ad aliquid cujus transgressio inducat pœnam æternam, quia non est immediate vicarius Christi, sicut summus Pontifex, cui potestas immediate ab ipso Christo commissa et collata est. » *De potestate Eccles. expositio circa decisiones M. G. Ockam* (ap. Dupin, *opp. Gers.*, t. II, col. 1051-1052).

1. Cfr. Lehmkuhl, tom. I, n. 24.

2. S. Alphonsus, si verba ejus stricte sumerentur, videretur insinuare legum civilium obligationem ab Ecclesiæ approbatione pendere. Ad quæstionem enim « an leges civiles obligent in conscientia ? » respondet, lib. I, n. 106 : « De hoc puncto, valde scitu necessario, opportet aliqua principaliora hic adnotare. Aliæ leges civiles sunt expresse a jure canonico approbatæ, aliæ expresse correctæ, aliæ vero neque approbatæ. Hinc dicendum : I. Leges approbatæ sine dubio in conscientia obligant... Dicendum II. Leges civiles a jure canonico correctæ, non obligant quidem in conscientia... Dicendum III. Leges civiles non reprobatæ videntur tacite approbatæ a jure canonico. » Verum adverti debet, ea quæ hic a sancto Doctore proferuntur, desumpta esse fere ad litteram ex Benedicti XIV, *De syn.* lib. IX, c. 10-14 ; jam vero Benedictus XIV ibi non agit de obligatione legum civilium in conscientia, sed de usu legum civilium in rebus ecclesiasticis et de earum allegatione in Synodis. Incaute igitur S. Alphonsus ad suam quæstionem applicavit responsum quod Benedictus dederat ad quæstionem diversam. Cæterum mens S. Doctoris dubia non est ; supra enim, n. 104, scripserat reges et principes posse « leges civiles ferre in suis ditionibus, et ad eas in conscientia obligare. »

3. Cfr. n. 222. — 4. Cfr. supra, n. 135.

finis nobilitatem et necessitatem, multo facilius sub gravi obliget lex ecclesiastica quam lex civilis (1). — Discernitur obligationis gravitas ex consideratione elementorum legis, ex pœnis comminatis, ex populi sensu : notant quidem plures auctores quod, in ordine civili, pœna valde gravis, quæ ad legis transgressionem proportionem non habet, indicat indolem legis mere pœnalem potius quam obligationis et delicti gravitatem (2) ; verum hoc non potest admitti nisi ad summum pro casu quo pœna illa non habeat vim mere coactivam, sed valeat ad compensandum actus præcepti defectum (3).

Caput II.

De objecto obligationis legis civilis.

Inquirendum hic venit quæ sit *propria* vis legis civilis quatenus est præcipiens aut prohibens, permittens, puniens, irritans.

Articulus primus.

De obligatione legis civilis præcipientis et prohibentis.

225. Ad leges simplicem ac nudam actuum *positionem* aut *omissionem* jubentes etiam hic referimus illas quæ *præstationes* exigunt (4). Et de prioribus quidem nihil occurrit dicendum, nisi quod legislator civilis non præscribit *modum virtutis,* ut aiunt, sed conservationem ordinis socialis, adeoque contentus est physica seu externa præcepti adimpletione (5). De solis ergo posterioribus agendum est, in specie iis quæ militiam et tributa respiciunt.

226. *Lex exigens præstationem personalem,*

Imprimis potest auctoritas a membris societatis exigere personalem cooperationem ad obtinendam legum excecutionem, justitiæ administrationem, totius corporis defensionem adversus hostes tum internos tum externos. Sic novimus olim civibus impositam fuisse magistratus

1. Cfr. Lehmkuhl, tom. I, n. 147.
2. Cfr. S. Alphonsus, lib. I, n. 147, lib. III, n. 616 ; Lehmkuhl, tom. I, n. 215.
3. Cfr. supra, n. 144, pag. 353. — 4. Cfr. supra, n. 137.
5. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 100, a. 9, ubi Commentatores ; Suarez, lib. III, c. 20.

gestionem (1) ; nunc eis apud varias gentes imponi solet gra-
viorum criminum judicium (2), fere ubique militia (3). — *in specie militiam,*
Attamen hæc non possunt exigi nisi in quantum *necessitas*
urget, ac proinde generatim in defectu illorum qui sponte ea
præstarent, et cum justa *compensatione :* tanto autem gravior *si justa fuerit,*
debet esse illa necessitas et tanto major hæc compensatio
quanto onerosior est cooperatio. Jam vero valde onerosa est
cooperatio ad reipublicæ defensionem per militiam, tum
propter pericula quæ continet, tum propter varia impedimenta
quæ affert, v. g. eligendi vitæ statum, familiam constituendi,
bona acquirendi, etc. ; consequenter imponi nequit hujus-
modi cooperatio nisi quatenus bonum commune bono privato
prævalet, et jura singulorum eliduntur superiore jure societatis
ad finem suum (4). — Cæterum lex militaris, si justa fuerit,
in conscientia obligat subditum tum ut maneat sub vexillis et *in conscientia obligat,*
ordinaria officia adimpleat, tum etiam ut in bello partem
habeat (5) ; obligat autem non solum ex obedientia, sed etiam

1. Cfr. *Digesti* lib. L, tit. 4 et 5 ; *Codicis* lib. X, tit. 45-47 ; ita Champagny, *Les Césars du troisième siècle,* tom. II, p. 153 : « Il fallut édicter des peines contre le décurion réfractaire, contre le dignitaire qui ne voulait pas de sa dignité ; désigner ceux à qui incombait telle ou telle charge, rendre celle-ci héréditaire pour que le fils suppléât le père, celle-là patrimoniale pour que le vendeur fût remplacé par l'acheteur ; interdire à ces corvéables la fuite, la désertion, le changement de situation qui eût pu les décharger ; régler les exemptions et en réduire le nombre autant que possible. »

2. Intelliguntur judices *jurati* (le Jury).

3. In societate bene ordinata, sicut non omnes cives debent esse *judices* et apti ad causas dirimendas, ita *per se* non omnes debent esse *milites* et apti ad præliandum ; per accidens tamen contingere potest ut omnium concursus ad communitatis defensionem necessarius sit. Cæterum necessitas omnes ad militiam inscribendi arguit magnam imperfectionem sive in ipsa societate, quæ a suis timet et in vi physica præcipue fundatur, sive saltem in societatibus vicinis, a quibus est metuendum.

4. Equidem præferendum est bonum commune bono privato ; advertatur nihilominus, commune bonum diversum esse posse et magis vel minus grave, v. g. religionis, civilitatis, commercii et industriæ, politicæ independentiæ, etc. Non statim ac pronuntiatur bonum commune, concludendum est, onus, qualecumque illud sit, civibus legitime imponi.

5. Cfr. S. Thomas, 2-2, q. 40 ; Suarez, *De char.* disp. 13 ; *Molina,* tr. 11, disp. 98 ; Bellarminus, *De laicis,* c. 14 et 15 ; Schiara, *Theol. Bellica.* — De hæsitationibus quæ relate ad militiam extiterunt apud veteres christianos, cfr. Chr. Lupus, *De ant. disc. mil. christ.* ; Edm. Leblanc, *De quelques principes sociaux rappelés dans les conciles du IVe siècle,* (ap. *Bulletin de l'académie des sciences morales et politiques,* 1879). — Militiæ obligationem sæculo elapso inculcavit Episcopus Gandavensis, (*Syn. Belg.* IV, 414.)

ex justitia legali,

ex justitia legali, qua cives erga rempublicam tenentur (1), non tamen ex justitia commutativa, adeoque ejus violatio (sine injusta læsione aliorum) non importat onus restitutionis;

etiam cum gravi incommodo.

præterea, ex rei natura obligat cum gravi detrimento et vitæ periculo; « cum enim unus homo sit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipsum quod est et quod habet, est multitudinis : sicut et quælibet pars id, quod est, est totius; unde et natura aliquod detrimentum infert parti, ut salvet totum ; et secundum hoc leges hujusmodi onera proportionabiliter inferentes justæ sunt, et obligant in foro conscientiæ, et sunt leges legales (2) ».

227. *Potestas exigendi contributiones.*

Potest etiam auctoritas a membris societatis exigere collationem pecuniæ qua subveniatur expensis gubernationis, defensionis et operum publicæ utilitatis. Profecto hujusmodi expensæ legitimæ sunt, imo et prorsus necessariæ, cum ab una parte principibus eorumque ministris conveniens sustentatio et æqua retributio debeatur, ab altera vero parte plura a communitate qua tali præstanda sint in omnium et singulorum commodum. Jam vero prædictis expensis subveniri nequit nisi vel bonorum communium reditibus (3), vel fructibus industriæ nomine status exercitæ (4), vel beneficiis ex negotiatione et commercio perceptis (5), vel mulctis in cives delinquentes aut in populos extraneos juste subactos impositis, vel demum membrorum communitatis contributionibus. Atqui, quomodocumque olim in hac re processum fuerit (6), hodie priores viæ vel non sufficiunt, vel non conveniunt, vel ordinarie deficiunt : idcirco postrema, id est contributionum, via sequenda (7).

1. Cfr. Costa-Rosetti, l. c.

2. S. Thomas 1-2, q. 96, a. 4. — Cave tamen ne verba Angelici in sensu nimis absoluto interpreteris; si enim accurate loqui velimus, dicere non possumus absque restrictione, *quemlibet hominem, hoc ipsum quod est et quod habet esse multitudinis;* cfr. supra, n. 7 et 8 ; et tr. *De virt. theol.*, n. 429, ubi agitur de ordine charitatis.

3. Huc pertinent Status proprietates quæ *domania* (domaines) vocantur.

4. Hujusmodi sunt apud modernos *Postes, télégraphes et téléphones, chemins de fer, etc.* — 5. Apud Gallos, v. g. *La régie des tabacs.*

6. Cfr. de Haller, *Restauration de la science politique*, tom. II, c. 37.

7. Leges tributarias docte expendit Suarez, lib. v, c. 13-19. — Moralistæ et Angelici Commentatores de iis agere solent in tractatu de *Justitia* potius quam in tractatu de *Legibus;* cfr. præ cæteris Molina, tr. II, disp 661; Lessius, *De virt. card.*, lib. II, c. 33; J. De Lugo, *De just. et jure*, disp. 36; S. Alphonsus, lib. III, n. 616; Waffelaert, *De Just. et Jur.*, II, 414. — Jurisperiti rem tangunt in *Decretal.* lib. III, tit. 39. — Inter philosophos

directas vel indirectas.

Contributiones illæ varia nomina sortitæ sunt et vario modo fuerunt distinctæ, ratione *modi* quo exiguntur, *personarum* a quibus solvuntur, *rerum* ex quibus petuntur, *titulorum* propter quos imponuntur, etc. (1); nunc distingui solent in duas præcipuas species, nempe in *directas* et *indirectas* : directæ vocantur quæ immediate et primario personis imponuntur et statis temporibus solvuntur propter bona, facultates, artis aut negotiationis exercitium; indirectæ vocantur quæ primario et immediate attingunt bona et solvuntur non statis temporibus sed occasionaliter, v. g. occasione transmissionis per contractum aut successionem (*droits de succession,* etc.), transvectionis, *(droits de douane et de transit),* fabricationis, *(accises),* etc. (2).

sub certis conditionibus.

Ut contributiones, sive directæ sive indirectæ, sint legitimæ, sequentes requiruntur conditiones : *a*/ imponi debent a competente auctoritate nationali, provinciali, municipali ; — *b*/ imponi debent ad bonum commune, quod sphæram ordinis civilis non prætergrediatur, et tale sit cujus acquisitio onera subditorum compenset; — *c*/ imponi debent ex necessitate, quatenus nempe bonum intentum acquirere oporteat, et sine ipsis non valeat obtineri ; — *d*/ imponi debent singulis proportionaliter ad cujusque facultates. Quod si prædictæ conditiones non serventur, contributionum exactio erit contra justitiam legalem, quatenus civitas male gubernatur, contra justitiam distributivam, quatenus onerum et facultatum proportio non servatur, contra justitiam commutativam, quatenus cives bonis suis spoliantur (4).

legi possunt Costa-Rosetti, *op. cit.,* pag. 631 et maxime Taparelli, *Essai théor. de droit nat.* lib. v, c. 6, § 3. — Speciali opere *quæstiones de tributis canonicas* explicavit Ant. Soell.

1. Cfr. Molina, *De justitia et jure,* tr. II, disp. 661 et seq.

2. Cfr. Taparelli, *Essai théor. de droit naturel,* lib. v, c. 6, § 3, n. 1175 et seq. — 3. Cfr. Suarez, lib. v, c. 14-17.

4. Est igitur contributionum exactio pars gravissima publicæ gubernationis: idcirco olim præscribi non poterat nisi de consensu populi; cfr. Suarez, lib. v, c. 17; Balmes, *Le protestantisme comparé avec le catholicisme,* tom. II, not. 12, etc. Ecclesia autem sæpe populos tutata est adversus nimias principum exactiones: huc pertinent, v. g. *Decretal.* lib. III, tit. 39, c. 10, *Innovamus ;* lib. v, tit. 40, c. 26, *Super quibusdam ;* in bulla vero *Cœnæ* § 5, ita statuitur: « Excommunicamus et anathematizamus omnes qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas, præterquam in casibus sibi a jure, seu speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis imponunt, vel augent. » Cfr. Reiffenstuel, lib. III, tit. 39; Schmalzgrüber, eodem lib. III, tit. 39, n. 98 etc.

228. *Lex exigens contributiones, si iusta sit,*

Certum est, sensui christiano conforme, et ab omnibus admissum, legem civilem, qua contributiones subditis juste præscribuntur, aliquomodo obligatoriam esse in conscientia. In sacris enim litteris docemur, potestati a Deo ordinatæ, cui resistere nefas, deberi censum, tributum, et vectigal (1); hæc autem doctrina tam alte mentibus primorum fidelium insita fuit, ut diceretur, « vectigalia gratias agere christianis ex fide dependentibus debitum, qua alieno fraudando abstinetur (2) » ; cæterum sancti Patres prædictam obligationem inculcant, ejusque intimam rationem declarant ; scribunt nempe in magno errore versari qui putat « non sibi vectigal reddendum aut tributum (3) ; non ideo fraudem non fieri, quia fit fisco (4) ; tributa regi pendi pro beneficiis ab eo receptis, in « mercedem sollicitudinis (5). »

per se moralis est, non mere pœnalis,

Obligantur autem communitatis membra directe et absolute ad solvendas contributiones juste præscriptas, non autem solum disjunctive ad contributiones solvendas vel ad mulctas subeundas : aliis verbis, per se lex contributionum est moralis, non mere pœnalis. Profecto *a/* a *priori,* omnino rationabile videtur ut in materia tanti momenti superior absolute præcipiat illud quod æquum et necessarium est ; si enim subditis relinqueret optionem solvendi taxam vel periculum mulctæ subeundi, generatim finem suum obtinere non posset, et aliunde occasionem præberet innumeris fraudibus et dolis, cum maximo ærarii et morum publicorum detrimento. — Hinc *b/* de facto et a *posteriori,* ex textibus et auctoritatibus modo allatis nec non ex communissima theologorum et jurisperitorum sententia constat, quovis tempore,

1. Cfr. Matth. XXII, 15-22 ; Rom. XIII, 1-7. — 2. Tertullianus, *Apol.*, c. 42. — 3. S. Augustinus, *Exp. quarumdam quæst. in Epist. ad Rom.* 72. — 4. S. Augustinus, *Epist.*, 96, n. 2.

5. Præclara sunt verba S. Chrysostomi, ad Rom., *Hom.* XXIII, n. 2. « Omissis beneficiis singulis, quæ a magistratibus præstantur civitatibus, ut sunt bonus ordo, pax, alia ministeria, quæque milites spectant, quæ communia officia ; ex hoc uno totum ostendit : Quod enim ab illo beneficia accipias, inquit, tu testificaris, mercedem illi persolvens. Vide sapientiam prudentiamque beati Pauli ! Quod enim onerosum videbatur esse et grave, nempe exactiones, hoc argumentum facit illorum providentiæ. Cur enim, inquit, tributa regi pendimus ? Annon ut providenti ? Annon ut præposito sollicitudinis suæ mercedem damus ? Atqui non penderemus, nisi a principio novissemus, ex tali principatu nobis lucrum accedere : verum ideo jam olim ex communi decreto statutum est, ut magistratus a nobis alerentur, quia domesticis neglectis rebus, de publicis solliciti sunt, et in his otium totum impendunt, quo nostra servantur. » Cfr. S. Irenæus, lib. V, c. 24, n. 1.

apud quosvis populos, sub quibusvis reipublicæ formis, legem contributionum habitam fuisse ut moralem, id est, ut immediate et directe obligantem ad ipsas præstationes : hoc nempe sensu lata est a prudentibus legislatoribus, et eodem sensu intellecta fuit a saniore populi parte (1). — Nominatim *c/* id clarum est in jure moderno : solet enim obligatio solvendi absolute imponi (2), et hujus obligationis adimpletio urgeri non solum pœnis quæ habent vim compensativam, ut sunt mulctæ, sed etiam pœnis quæ meram vim coactivam habent, ut est incarceratio (3); frustra autem in contrarium argueretur, sive ex multitudine præpositorum invigilantium perceptioni tributorum, quasi nempe legislator nihil conscientiæ subditorum vellet relinquere, sed omnia vi et timore obtinere intenderet; frustra, inquam, hæc objicerentur : nam gravitas mulctarum, si extraordinaria sit, potius videtur obligationem denotare : aliter vix rationabilis et justa esset; multitudo autem præpositorum minime ostendit nolle legislatorem immediate et absolute præcipere, sed ostendit eum non posse in hac re bonæ voluntati subditorum confidere : aliunde tanta præfectorum multitudo directe opponitur fini legis tributorum, cum valde onerosa sit, et stipendiis absumat bonam pecuniæ perceptæ partem : non igitur electione, sed necessitate admittitur, adeoque ita tandem dirigendi sunt et corrigendi mores populi, ut quam paucissimi gabellarum ministri requirantur. — Licet autem in materia tributorum per se non possit legislator disjunctive præcipere, nec ordinarie disjunctive præcipiat, potest tamen ita præcipere et ita præcipere censetur *per accidens,* quando nimirum a priori certum est, legem aliter a maxima populi parte non fore intelligendam : si enim in tali casu legislator directe præciperet tributi solutionem, ex una parte nihil proficeret, ex altera occasionem daret transgres-

1. Cfr. S. Alphonsus, lib. III, n. 616. — Dicimus hanc sententiam fuisse semper inter Doctores *communissimam,* a *saniore* populi christiani parte admissam ; non enim negamus suos fuisse oppositæ patronos. Cæterum manifeste excedunt qui scribunt, leges tributarias sensu communi, qui est optimus legum interpres, semper intellectas fuisse ut mere pœnales : cfr. v. g. Berardi, *Praxis conf.* n. 477.

2. Cfr. quoad Belgas, *Code des contributions directes, douanes et accises,* cum lege 26 aug. 1822, et ulterioribus additamentis.

3. Cfr. supra, n. 144, pag. 353.

sionibus multis (1). Propter eamdem rationem consuetudo efficere potest ut lex tributorum, quæ ex primitiva intentione superioris moralis erat, postea evadat mere pœnalis.

et obligat ex justitia commutativa,

Obligantur subditi ad solutionem tributorum non ex sola justitia legali, sed ex justitia commutativa, adeo ut qui obligationi non satisfecerint, restituere teneantur. Ratio est, quia expensæ in favorem communitatis factæ ab iis qui pro ipsa jure agunt, incumbunt toti communitati et sigulis ejus membris pro cujusque facultatibus : hæc ratio utpote a rei visceribus petita, valet pro quacumque regiminis forma (2) : idcirco, quoad substantiam, merito allata est tum a SS. Patribus (3), tum a theologis omnium ætatum et regionum (4); luculentior autem apparet ubi populus majorem habet partem in reipublicæ administratione, v. g. ubi quotannis per suos legatos determinat quæ sint publicæ expensæ faciendæ, et quæ pecuniæ a civibus exigendæ (5). Vere igitur « in crimine rapacitatis includuntur, qui, quæ Ecclesiæ præsidibus, et magistratibus debentur, vectigalia, tributa, decimas, et reliqua hujus generis non dissolvunt, vel intervertunt et ad se transferunt (6). »

229. *post legalem definitionem.*

Quidquid sit de jure antiquiori, ex legibus recentioribus jam fere ubique receptis, obligatio solvendi tributum non urget subditos, nisi post legalem hujus *definitionem* pro unoquoque eorum. Ad obtinendam vero justam definitionem

1. Cfr. Lugo, l. c., n. 41.

2. Minime verum est, hanc rationem vim tantum habere, si supponatur regimen *feudale;* cfr. Suarez, lib. v, c. 13, n. 2, c. 18, n. 7.

3. Cfr. v. g. S. Chrysostomi textus modo relatus *Ad Rom.* hom. xxiii, n. 2.

4. Cfr. Molina, t. ii, disp. 674; Lessius, *De Just. et jur.* lib. ii, c. 33, n. 57; Lugo, *De Just. disp.* 36, n. 38 et seq.; Reiffenstuel, lib. iii, lit. 39, n. 45; S. Alphonsus, lib. iii, n. 616 etc.

5. Nonnulli recentiores, præ oculis habentes modernas reipublicæ formas, præsentem quæstionem solvunt ex principiis de mandante et mandatario; verum necessarium non est, et fortasse prudens non esset, huic considerationi nimium insistere: sane illi qui populum repræsentant, plerumque proprio sensu non sunt *mandatarii*, licet electione auctoritatem obtineant ; multo minus sunt mandatarii omnium et singulorum qui tributa solvere coguntur!

6. *Cat. ad Par.* De 7 præc. — Hæc sententia merito a S. Alphonso, lib. iii, n. 616, dicitur *communissima.* Ab ea quidem recedunt nonnulli recentiores, v. g. Schwane, *Gerechtigkeit* s. 184; Costa-Rosetti, *op. cit.*, pag. 634 ; Prüner, *Theol. mor.* 3 p. 2 sect. c. 3, § 5: verum isti nec suam sententiam solide adstruunt, nec oppositam ullo modo evertunt.

a/ aliquando imperatur ut cives ipsi res suas tributis, præsertim indirectis, subjectas declarent, fisci autem custodes res omissas aut fraude celatas pro munere suo investigent: sic declarare jubentur, in ordine quidem ad tributum portorii *(droit d'entrée)*, quantitatem, qualitatem et valorem mercium quas in regionem invehunt; in ordine ad tributum fabricationis *(accises)*, quantam materiam primam adhibeant aut importent ex qua merces fabricant; in ordine ad tributum successionis, pretium rerum quas ex hæreditate adepti sunt; in ordine ad tributum inscriptionis *(droit d'enregistrement)*, pretium aut valorem rei quæ acquiritur, etc.; *b*/ aliquando decernitur ut magistratus, absque ulla declaratione ex parte civium, hanc quotam, præsertim pro tributis directis, determinent: sic nullam cives declarationem facere debent in ordine ad tributum prædiale *(contribution foncière)*, nec in ordine ad tributum industriæ vel commercii *(patente)*; *c*/ aliquando optio inter utramque viam civibus relinquitur: sic in ordine ad tributum personale *(contribution personnelle)*, exspectari potest ut taxæ determinatio fiat a fisci custodibus vel ultro declarari debent pretium locationis domus, numerus focorum, fenestrarum, portarum, equorum, rhedarum, numerus et conditio famulorum, etc. — Prædictæ declarationis obligatio non stricte interpretanda est, sed accipi potest secundum communiter receptam consuetudinem; est autem per se et directe obligatio obedientiæ (1), ejus tamen violatio mediate occasionem dare potest debitæ restitutioni, quatenus nempe causa fuit cur fiscus taxam lege statutam non potuerit acquirere (2); præterea eadem obligatio aliquando munitur *juramento* (3).

ARTICULUS SECUNDUS.

De obligatione legis civilis permittentis (4).

Sub præsenti titulo nonnulla trademus tum de proprie dicta lege *permissiva*, quæ libertatem homini asserit, tum de

1. Cfr. Waffelaert, *De justitia*, 1, n. 421. — 2. Cfr. Lehmkuhl, 1, n. 984.
3. Cfr. Marres, *De justitia*, n. 209; tr. *De virt. relig.* 1, 689.
4. Litteratura generalis variis locis indicata fuit in historia theologiæ moralis; specialiter cfr. S. Thomas, 2-2, q. 10, a. 8; a. 12; q. 11, a. 3; Suarez, *De Fide, spe et ch.* disp. 18; Bellarminus, *De locis*, c. 21 et 22;

lege juris *concessiva*, quæ facultatem præbet; de privilegiis vix aliquid occurrit specialiter notandum.

230. *Debita libertas ad quædam:* *Lege civibus asseri ac protegi debet libertas relate ad ea quæ voluit Deus uniuscujusque conscientiæ relicta.* Hujusmodi v. g. est fidei susceptio ; unde « magnopere cavere Ecclesia solet ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia, quod sapienter Augustinus monet, *credere non potest homo nisi volens* (1). »

ad alia libertas non debita, nec concedenda *Error inter modernos late grassans est, externam hanc libertatem civibus esse necessario et semper asserendam relate ad ea omnia quæ societati non nocent* (2) : aiunt scilicet « optimam esse conditionem societatis, in qua imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis pœnis violatores catholicæ religionis, nisi quatenus pax publica postulet (3) » : « libertatem conscientiæ et cultuum esse proprium cujusque hominis jus, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate, et jus civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque sive voce sive typis sive alia ratione palam publiceque manifestare ac declarare valeant » (4) : at quantopere ista rectæ rationi et sensui christiano repugnent, ex supra dictis manifestum est (5); ex Pontificum autem præscriptis omnino intelligi necesse est « officia religionis nullo loco numerare vel uno modo esse in disparibus generibus affectos, nefas esse privatis hominibus, nefas civitatibus : immoderatam sentiendi sensusque palam jactandi potestatem non esse in civium juribus neque in rebus gratia patrocinioque dignis ulla ratione ponendam (6). »

Lugo, *De Fide*, disp. 19 et seq. ; Becanus, *Man. contr.*, lib. v, c. 14 ; Godard, *Les principes de 89 et la doctrine catholique* ; Sauvé, *Questions religieuses et sociales* ; Cavagnis, *Inst. Juris eccl. publici*.

1. Leo XIII, const. *Immortale Dei* : cfr. tr. *De virt. theol.*, n. 282 ; S. Thomas, 2-2, q. 10, a. 8 et a. 12 ; Suarez, *De fide*, disp. 18, s. 3 ; Canonistæ passim ad *Decretal.* lib. v, tit. 6.

2. Gallorum cœtus constitutivus *(assemblée constituante)* articulo suo 5 ita decernebat : « La loi n'a le droit que de défendre les actions nuisibles à la société. »

3. Pius IX, encycl. *Quanta cura* ; Syll., pp. 77-79. — 4. Cfr. encycl. *Quanta cura*. — 5. Cfr. n. 219.

6. Leo XIII, encycl. *Immortale Dei*.

Nihilominus, propter sufficientes causas, lege civili asseri potest externa libertas ad illa quæ in conscientia et coram Deo libera non sunt : tali lege, ea non fiunt licita, sed non puniuntur; non datur civi facultas moralis ad ea, sed datur jus ne in iis impediatur; et jus quidem hoc non datur ut absolute debitum, sed ut circumstantiis conveniens (1); cæteri cives obligantur assertam hujusmodi libertatem illæsam servare, judices eam vindicare (2).

nisi ex gravibus motivis : legum libertatem asserentium indoles et obligatio.

Tandem lege asseri ac protegi debet exercitium jurium essentialium quæ cives a natura vel a religione habent, v. g. victum labore comparandi et bona possidendi (3), veritatem quærendi ac communicandi (4), familiam constituendi (5), filios educandi (6), fidem suscipiendi (7), Christum adimpletione consilio-

1. Ita Leo XIII encycl. *Immortale Dei :* « Revera si divinus cultus varia genera eodem jure esse quo veram Religionem Ecclesia judicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui magni alicujus aut adipiscendi boni, aut prohibendi causa mali, moribus atque usu patienter ferunt ut ea habeant singuli in civitate locum. » Ubi tamen adverte sermonem directe esse de *tolerantia,* non de æqualitate ; de *usu* et *moribus,* non de lege. Cæterum optime scriptum legitur apud *Civilta cattolica,* ser. 9, vol. 4, pag. 705 : « Il Papa non condanna la libertà di conscienza et di culto in se, ma condanna chi sostiene, che tal libertà sia un *diritto proprio di ciascun uomo,* e che si debba proclamare per legge in ogni ben costituita società : non condanna la libertà di parlare, ma condanna chi difende che i cittadini abbiano il *diritto* ad una totale libertà. Due cose *essenzialmente* diverse. »

2. Sicut mali tolerantia, ita concessio libertatis ad malum, non est intrinsece et absolute mala. Tamen promulgatio et executio legum quibus hujusmodi libertas protegitur, sæpe occasionem præbent gravibus difficultatibus moralibus.

3. Cfr. S. Thomas, 2-2, q. 66. — Hinc Leo XIII, encycl, *Quod apostolici :* « Ecclesia... jus proprietatis ac dominii, ab ipsa natura profectum, intactum cuilibet et inviolatum esse jubet. »

4. Cfr. Sauvé, *Questions religieuses et sociales,* c. 10, a. 1, n. 4.

5. Cfr. supra, n. 140.

6. « Velint (parentes) animadvertere, quam magna sanctaque officia sibi cum Deo intercedant de liberis suis... Hisce in officiis simul cum procreatione liberorum susceptis, noverint Patres familias, totidem jura inesse secundum naturam et æquitatem, atque esse ejusmodi, de quibus nihil liceat sibi remittere, *nihil cuivis hominum potestati liceat detrahere.* » Leo XIII, encycl. *Officio sanctissimo.* Cave tamen ne jura hæc illimitata censeas aut ad malum transferas, ut monet idem Pontifex, epistola ad Vicarium Urbis *In mezzo alle ragioni de letizia.*

7. « Veram amplecti religionem maximum officium est, quod nulla hominum ætate potest esse circumscriptum. *Nulla Dei regno infirma ætas.* Ut illud quisque novit, ita debet sine ulla cunctatione efficere : ex efficiendi autem voluntate jus unicuique sanctissimum gignitur, quod violari sine summa injuria non potest. Simili de causa eorum qui curam gerunt anima-

rum sequendi (1), verbo, per verum et bonum ad perfectionem tendendi : hujusmodi tamen lex nonnisi sensu minus proprio *permissiva* dici potest (2).

231. *Concessio jurium variæ speciei :*

Possunt civili lege concedi jura varii generis, quæ ex lege naturali non habentur. Ita *a/* conceduntur extraneis *jura civilia,* seu capacitas bona acquirendi intra limites territorii (3); — *b/* ipsis civibus conceduntur *jura politica,* seu aptitudo ad munera publica gerenda, facultas partem exercendi in communitatis directione, per suffragium, etc. (4); — *c/* conceduntur etiam *jura ad rem,* seu potestas, saltem externa, nonnulla exigendi ab aliis (5); — *d/* tandem conceduntur aut determinantur *jura in re,* seu bonorum proprietas, v. g. casu accessionis, inventionis, præscriptionis et hujusmodi (6). Jam vero talis lex in conscientia obligat ex stricta justitia, non quidem civem jurium possessorem ad ea exercenda, sed alios ad ea non lædenda, nemque ad actionem competentem non impediendam, ad rem debitam præstandam, ad bonum attributum non auferendum : judices vero et gubernii ministros obligat ad eadem tuenda et vindicanda (7).

legis concessivæ vis et obligatio.

232. *Privilegia.*

Lege civili etiam conceduntur privilegia sive late sumpta sive etiam proprie dicta. Privilegia late sumpta, ut jam explicatum est, sunt favores, directe intuitu boni communis attributi certæ

rum, verissimum itemque permagnum officium est in Ecclesiam cooptare, quotquot matura ad judicandum ætate, ut cooptentur petant. Quamobrem si animarum curatores alterutrum malle cogantur, necesse est eos humanarum legum severitatem potius subire, quam vindicis Dei iram lacessere. » Leo XIII encycl. *Quod multum.* — 1. Cfr. Pii IX encycl. *Quanta cura.*

2. Hinc intelligitur, nunquam eodem loco ponendum verum et falsum, bonum et malum : nam etsi aliquando utrique par tribuatur libertas, uni tribuitur ex merito, alteri ex rerum et circumstantiarum necessitate : in hoc est concessio, in illo est jus.

3. Cfr. v. g. *Code civil,* a. 7-16. — Ex adverso juri naturali non repugnat ut in criminis vindictam, reus privetur capacitate sibi acquirendi : huc pertinet pœna *servitutis* quam aliquando illatam constat ; item pœna mortis civilis de qua legatur cod. art. 22 cum art. 13 Const. Belg. ; cfr. Aubry et Rau, *op. cit.,* tom. I, § 80. — 4. Cfr. v. g. Const. Belg., art. 47 et seq.

5. Ita v. g. ubi unioni invalidæ (mere civili vel inter hæreticos cum impedimentis dirimentibus contractæ) attribuuntur effectus civiles, uni parti confertur externa facultas exigendi ab altera cohabitationem et, in circumstantiis a jure determinatis, etiam sustentationem ; proli autem in tali unione susceptæ confertur facultas exigendi hæreditatem.

6. Cfr. *Codicis civilis* art. 712, 2219 etc.

7. Hujus loci non est explicare, sub quibus conditionibus liceat ad quarumdam legum excutionem concurrere.

personarum classi : hujusmodi favores ubique attribuuntur personis infirmioribus, v. g. minoribus ; olim autem non pauci a principibus catholicis attribuebantur clericis (1). — Privilegia proprie dicta, seu favores attributi individuis personis, communitatibus, directe in earum favorem, nostro tempore apud plerosque populos vix locum habent.

ARTICULUS TERTIUS.

De obligatione legis civilis punientis.

233. *Lege civili statui potest pœna*

Posse lege civili pœnam delinquentibus contra ordinem civilem statui, manifestum est : punitio enim est actus gubernationis, et puniendi facultas est pars essentialis auctoritatis socialis, quæ non a consensu hominum sed a Dei, naturæ auctoris, voluntate pendet in sua existentia suaque efficacia et extensione (2). « Coactio legis ad hoc necessaria est, ut illi qui persuasionibus ad bonum non inclinantur, per pœnas cogantur : unde cohibitio legis se extendit quantum pœna inflicta per legem (3). »

234. *sive proprie dicta propter veram culpam,*

Non potest lege civili pœna proprie dicta statui nisi propter veram culpam, id est, propter liberam obligationis legalis violationem : culpa autem, quatenus lege civili punitur, distinguitur, pro sua gravitate, in *crimen, delictum, transgressionem* (contravention) : infra culpas ponuntur *disciplinæ* violationes (4).

sive improprie dicta propter defectum.

Potest tamen lege civili statui pœna improprie dicta propter culpam late sumptam, ita scilicet ut præcepto disjunctivo imponatur vel operis executio vel saltem oneris susceptio : quo in casu habetur lex mere pœnalis (5). — Quænam leges civiles sint mere pœnales discerni debet attenta voluntate legislatoris, et præsertim considerata utraque legis parte, nimirum natura

1. Tales erant facultates dirimendi causas fidelium *civiles,* episcopis concessæ : cfr. Cod. Theod. lib. XVI, tit. 2 ; Cod. Just. lib. I, tit. 4 ; Thomassin, *Anc. et nouv. disc.,* p. 11, lib. 3, c. 101-103 ; p. 111, lib. I, c. 26-27 ; Petit-Pied, *Traité des droits et des prérogatives des ecclésiastiques ;* Gosselin, *Pouvoir du Pape,* Intr. a. 2, § 5 et 6. — Cave tamen ne favores confundas cum juribus quæ clerici habent a Deo vel ab Ecclesia, et a Principibus agnoscebantur et protegebantur : de his mox verbulum dicetur ubi de *immunitate.*

2. Cfr. supra, n. 44, n. 144, n. 218. — 3. S. Thomas, in III, dist. 40, quæst. un., a. 2. — 4. Plura dabit Haus, *Code pénal belge,* lib. II. — 5. Cfr. supra, n. 144.

actus primario impositi et vi compensativa oneris (1). Arbitrati quidem sunt nonnulli antiquiores, leges civiles censendas mere pœnales nisi contrarium a legislatore exprimatur (2) : at vero ex generalibus principiis sæpius declaratis oppositum esset potius affirmandum ; inefficax autem prorsus est ratio, qua illi suam confirmabant opinionem, nempe « æquum non esse aliquem pati et pœnam temporalem gravissimam et æternam, neque id in intentione rationabili legislatoris situm esse, proinde pro minimo standum (3) : » quasi ab una parte pœna æterna de facto semper incurreretur, ab altera vero parte pœna temporalis non tenderet ex natura sua ad pœnam æternam evadendam ! (4)

235. *Decerni potest pœna temporalis, delictis proportionata,*

Lege civili statui non potest nisi pœna temporalis, quæ consistit in privatione bonorum fortunæ, libertatis, societatis, famæ, corporis. — Eæ autem a prudenti legislatore pœnæ eligi debent quæ sint ex se honestæ, delictis proportionatæ, triplici punitionis fini assequendo aptæ, circumstantiis temporum et locorum accommodatæ (5). Quod in specie attinet pœnam capitalem, existimavit Scotus, eam inferri non posse nisi ex positiva Dei dispensatione, adeoque solum in casibus determinatis (6) ; nostro autem ætate, qua ex variis rationibus tenditur ad pœnas forte plus æquo moderandas (7), multi dubitarunt non solum de opportunitate pœnæ capitalis, sed etiam de ejus intrinseca legitimitate. Verum competere auctoritati sociali nativam et naturalem potestatem reos morte puniendi, omnis generis argumentis evincitur. Sane *a/* si *ratione* arguamus, facile perspicimus, posse pœnam mortis necessariam esse sive ad ordinis *reparationem*, quum aliquando sola sit crimini proportionata ; sive ad societatis *defensionem,* quum pravi aliquando

etiam capitalis.

1. Cfr. ibid. — 2. Cfr. S. Alphonsus, lib. I, n. 147.
3. Huic tamen rationi aliquid deferre videtur cl. Lehmkuhl, t. I, n. 211.
4. Cfr. supra, pag. 352.
5. Cfr. supra, n. 144. — Moderni plures rationem expiativam pœnæ rejiciunt ; ita v. g. legitur in cit. opere *Code pénal belge,* n. 61 : « Ce n'est pas l'état qui est chargé d'accomplir l'œuvre de l'expiation, qui est constitué gardien de l'ordre moral dans ce monde. Sa mission se borne à maintenir l'ordre social, à garantir la liberté de tous en protégeant le droit de chacun. » Cfr. etiam Tarquini, *Jur. eccl. publ. inst.* 26.
6. Scotus, in IV, dist. 15, q. 3.
7. Cfr. Taparelli ap. *Civiltà catt. Della mitezza dei governi ammodernati.*

hujus solius timore a malo arcentur, executione a delicti iteratione efficaciter impediuntur ; sive ad delinquentis *emendationem,* quum, teste experientia, certæ et instantis mortis cogitatio multum valeat ad moralem reorum conversionem (1). — *b*/ Si vero *auctoritati* innitamur, α/ scripturæ et SS. Patres nos instanter docent, non solum apud Hebræos sub regimine theocratico, sed etiam apud cæteras gentes sub quacumque regiminis forma, *gladium* principi concessum ut vindex in iram (2). β/ Idcirco opinionem, qua auctoritati civili universaliter denegatur facultas inferendi mortem, theologi catholici habent ut hæreticam; opinionem vero, qua hujusmodi facultas auctoritati civili non agnoscitur nisi ex speciali et positiva Dei dispensatione, « dicunt temerariam et erroneam in fide (3), » « plus quam periculosam in fide (4), » « minus consentaneam fidei (5) » « minus sanæ fidei conformem et ab omnibus rejectam (6) » etc. γ/ Unde in professionne fidei Waldensibus ad Ecclesiam reducibus præscripta ab Innocentio III, ita legitur : « De potestate sæculari asserimus quod sine peccato mortali potest judicium sanguinis exercere, dummodo ad vindictam non odio sed judicio, non incaute sed consulte procedat (7) ; » et in articulis Lutheri a Leone X anathematizatis : « Hæreticas comburi est contra voluntatem spiritus (8) ».

236. *Quo modo lex pœnalis obliget judices, justitiæ ministros, reos.*

Lex civilis pœnam statuens *judices* obligat ad eam in casibus particularibus imponendam (9) ; *justitiæ ministros* ad eam infligendam vel exigendam ; *reum* ad eam sine positiva resistentia sustinendam vel etiam ex parte exequendam (10). — Licet autem jure ordinario et in societate bene ordinata pœnæ inflictio solis justitiæ ministris competat post sententiam rite

1. Cfr. Taparelli, *Essai théor. de droit naturel,* n. 830-842 ; Haus, *Droit pénal belge,* n. 566 ; *Civiltà catt.,* ser. VII, vol. II, *La pena di morte.* et ser. IX, vol. 4.

2. Cfr. Gen. IX, 6 ; Lev. XX, 27 ; Deut. XIX, XXI ; Rom. XIII, 4, etc. — S. Innocentius I, *Epist.* VI, *ad Exsup.*, c. III. n. 7 ; S. Hilarius, *In Matth.*, c. XXXII, n. 2 ; S. Hieronymus, *In Jerem.*, c. 22. vy. 1-5 ; S. Augustinus, *De civit. Dei,* lib. I, c. 21. Cfr. plura apud Bellarminum, *De laicis,* c. 13.

3. Bannez. in 2-2, q. 64, a. 2, concl. 1. — 4. Molina, *De just. et jure.* tr. III, disp. 5, n. 1. — 5. Sylvius, in 2-2, q. 64, a. 2. — 6. Wiggers, tr. 2, dub. 2. c. 1, n. 6. — 7. *Epist.* ann. 1210. (Ap. Denzinger, LIII.)

8. Bulla *Exurge, Domine,* ann. 1520, art. 33.

9. Cfr. S. Thomas, 2-2, q. 66, a. 5, q. 67, a. 7 ; Suarez, lib. V, c. 11 ; S. Alphonsus, lib. IV, n. 205, etc. — 10. Cfr. Suarez, lib. V, c. 10.

prolatam (1), notant auctores contingere posse, ut unicuique fiat copia interficiendi malefactorem jam rite condemnatum, quando nimirum ex una parte attingi nequit, ex altera vero expedit ut moriatur, propterea quod nimis noceat (2). Imo non videtur absolute repugnare ut unicuique juste concedatur facultas malefactorem interficiendi statim post crimen patratum, et non expectata sententia judicis, si nempe periculum habeatur in mora : manifestum autem est ad hoc requiri gravissimam causam, quæ profecto deest in casu adulterii : unde leges civiles, quæ aliquid hujusmodi permittere videntur marito et patri (3), vel ita intelligendæ sunt ut solam impunitatem asserant (4), vel habendæ sunt ut irritæ et a Summis Ponficibus rescissæ, ut patet ex sequenti propositione ab Alexandro VII damnata : « Non peccat maritus occidendo propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam (5). »

ARTICULUS QUARTUS.

De obligatione legis civilis irritantis.

237. *Potestas irritandi statui competens.*

Certum est competere auctoritati civili potestatem irritandi subditorum actus qui non sunt jure naturæ invalidi (6). Profecto *a|* hujusmodi potestas nessaria est ad efficacem societatis directionem, atque haberi debet velut quoddam complementum facultatis prohibendi et puniendi (7) ; — hinc *b|* apud omnes populos

1. Cfr. Lugo, *De just. et jure,* disp. x, s. 3.

2. Huc pertinet Num. xxxv, 19-21 ; cfr. Molina, tr. III, disp. 7 et 25 ; Lugo, disp. x, s. 2, n. 82 ; Ducange, v° *Bannitus,* v° *Diffidatus.*

3. Ita v. g. *Digesti* lib. 48. tit. 5, l. 20, *Patri ;* cfr. Molina, tr. III, disp. 99 ; Lugo, disp. x, § 3.

4. Ad rem S. Thomas, in IV, dist. 37, q. 2, a. 1 : « Lex civilis quasi licitum computat quod in ipso actu eam vir interficiat, non quasi præcipiens, sed quasi pœnam homicidii non inferens, propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occisionem uxoris. Sed Ecclesia non est adstricta legibus humanis, ut judicet eum sine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ ecclesiastico judicio inferendæ, ex hoc quod est sine reatu pœnæ infligendæ per judicium sæculare. » Deinde occurrit S. Doctor difficultati quæ peti poterat ex. c. *Si vero,* 3, de *sent. excomm.* immunem scilicet esse ab excommunicatione canonis eum qui in clericum cum uxore, matre, sorore vel filia propria turpiter inventum manus injecerit violentas : respondet autem : « Ex hoc non probatur quod (uxoricidium) licitum sit simpliciter, sed quantum ad immunitatem ab aliqua pœna, quia etiam excommunicatio quædam pœna est. » — Cfr. Cod. Belg. pœn. art. 413.

5. Prop. 19. Cfr. Viva, in h. p. — 6. Cfr. supra, n. 74.

7. Cfr. supra, n. 147.

exercita est ; — adeoque *c/* a theologis catholicis quasi unanimiter admissa (1) ; — imo *d/* ab Ecclesia theoretice et practice agnita (2).

Sicut lege ecclesiastica, ita lege civili irritatio fieri potest vario *modo*, vario *gradu* et ex varia *causa*.

238. *Duplex modus irritationis : personas inhabilitando.*

Et quidem duplici *modo* fit irritatio, nempe directe attingendo personam *agentem*, vel magis directe attingendo *actum* ipsum. — Priori modo agentis voluntas inefficax redditur sive *absolute* sive *relative :* ita, secundum legem gallicam, *minor,* qui sexdecim annos non supergressus est, *absolute* incapax est de bonis suis disponendi per donationem aut testamentum (3) ; *uxor* generatim absolute inhabilis est ad firmiter contrahendum sine speciali consensu mariti vel sine auctoritate judicis (4) ; *indigni* sunt incapaces succedendi *relative,* scilicet relate ad eos quos crimine læserunt (5) ; *tutores* et *medici* sunt *relative* incapaces recipiendi, nempe relate ad pupillos vel ægrotos (6). — Posteriori modo præscribuntur conditiones et formæ sine quibus actus vel non est firmus vel non consistit : hujusmodi, in jure Gallorum, sunt conditiones et formæ ad sic dictum

formas actuum præscribendo ;

1. Talem potestatem theologi ac jurisperiti aperte supponunt vel ex professo propugnant sive in tr. *De Legibus,* v. g. Laymann, c. 16, n. 1 ; Sporer *(Supp.)* c. 1, s. 3, n. 272 ; Reiffenstuel, lib. 1, tit. 2, n. 239, etc. ; sive in tr. *De contr. et testamentis,* v. g. Rebellus, *De oblig. just.,* lib. III, q. 1 ; Molina, tr. 2, disp. 81 ; Lugo, disp. 22, s. 9, n. 252 ; Bonacina, *De contr.,* disp. 3, q. 2, p. 3 ; Schmalzgrüber, lib. III, tit. 26, n. 37, 38 ; sive in tr. *De matrim.,* v. g. Sanchez, lib. III, disp. 4 ; Pontius, lib. V, c. 5, etc. — Diximus, *quasi unanimiter :* nam « quod possit princeps irritos facere contractus... etiam quoad naturalem obligationem et in foro conscientiæ, non est ita communiter admissum, ut desint Theologi qui istud negant, nec argumenta quibus negatio hæc propugnari posset. Unde non est assertio illa ita explorata ac certa, ut loco principii assumi possit ». Ita quidem P. Martin, *De matr.,* tom. II, n. 203, qui tamen quorumdam antiquiorum placitis nimium deferre nobis videtur : cfr. etiam Martinet, *Theol: mor.,* lib. 1, a. 10, § 5 et 6.

2. Jam agnovit S. Gregorius M. *Epist.* IX, 7 (ap. Gratianum, *Decr.* p. II, c. 25, q. 2, c. 13) : « Imperiali constitutione aperte sancitum est, ut ea quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint. » — Novissime, 21 Jan. 1873, ad quæstionem « an simplex conditio adjecta in chirographo de restitutione non aliter facienda, quam in sonante pecunia, vim suam amittat etiam in foro conscientiæ per subsequentem legem illam irritantem, » S. Pœnitentiaria respondit « regulariter affirmative. » (Ap. *Acta S. Sedis,* VII, 209.)

3. Cfr. *Cod. civ.,* art. 903. — 4. Cfr. *Cod civ.,* art. 217, 776, 905, 1124.

5. Cfr. *Cod. civ.,* art. 727. — 6. Cfr. *Cod. civ.,* art. 907, 909.

matrimonium civile (1), ad donationes et testamenta (2) etc.

multiplex gradus irritationis: Multiplici gradu valor actus lege attingi potest. *a*/ Aliquando actus lege sola plenissime irritatur, quin ulla necessaria sit

nullitate radicali, sententia judicis : in eo casu actus dicitur *ipso facto nullus, radicaliter nullus* (3), *non existens* (4). — *b*/ aliquando actus irritus

annullatione, quidem lege decernitur, ita tamen ut ad irritationis effectum necessaria sit sententia judicis : in eo casu actus, in codice Gallorum, dicitur nullus *jure,* vel *pleno jure,* simpliciter *nullus, annullabilis* (5). — *c*/ Aliquando lege non irritatur actus ratione

rescissione, sui, sed decernitur eum irritari posse quatenus est jurium *læsivus :* in eo casu actus dicitur *rescindibilis* (6) ; cæterum idem

1. Cfr. *Cod. civ.*, art. 191. — 2. Cfr. *Cod. civ.*, art. 931, 967-980.

3. Ita Mourlon, *Répétitions écrites sur le code Napoléon,* tom. II, ad art. 1304, quem secutus est Carrière, *De contr.* (Comp.), n. 28 : « Nullitates *radicales* eæ sunt quæ ab initio impediunt ne contractus efformari possit et existat nisi tantum quoad apparentiam. In exemplum talium nullitatum afferri possunt... contractus destituti formis quæ dicuntur requiri ad solemnitatem, v. g. in donationibus et testamentis. etc. »

4. Ita Aubry et Rau, § 37 : « L'acte qui ne réunit pas les éléments de fait que suppose sa nature ou son objet, et en l'absence desquels il est logiquement impossible d'en concevoir l'existence, doit être considéré non pas seulement comme nul, mais comme non avenu. Il en est de même de l'acte qui n'a pas été accompagné des conditions et des solennités indispensables à son existence, d'après la lettre ou l'esprit du droit positif. *L'inefficacité de pareils actes est indépendante de toute déclaration judiciaire.* Elle ne se couvre ni par la confirmation, ni par la prescription. Il appartient à tout juge de la reconnaître même d'office. »

5. Cfr. Carrière, *op. cit.*, n. 29. Ita Aubry et Rau, l. c. : « Toute nullité (proprie dicta) doit, en règle générale, être prononcée par jugement. A cet égard il n'y a pas lieu de distinguer entre les cas où la loi se borne à ouvrir contre un acte une action en nullité (art. 1117, 1304) et ceux où elle en déclare elle-même la nullité (art. 896, 931, 943, 944, 945, 1001, 1099, 1596, 1597, 2055, 2063), soit d'une manière pure et simple, soit avec addition des mots *de droit* ou *de plein droit. Les actes entachés de nullité restent donc efficaces tant que l'annulation n'en a point été prononcée par le juge. — La conséquence de tout jugement qui annule un acte est de le faire considérer comme n'ayant jamais eu d'existence juridique.* L'acte déclaré nul ne peut donc par lui-même, et en vertu du caractère sous le rapport duquel il a été annulé, produire aucun effet juridique, soit pour l'avenir, *soit pour le passé,* à moins que par exception le législateur n'ait statué autrement. » Cfr. ib. § 333 et seq.

6. Ita Aubry et Rau, § 333 : « L'action en nullité est la voie juridique par laquelle on demande l'anéantissement d'une obligation qui ne réunit pas toutes les conditions requises pour sa validité, c'est-à-dire toutes les conditions exigées à peine de nullité littérale ou virtuelle. — L'action en rescission est, dans le sens propre de ce mot la voie juridique par laquelle on demande la rétractation d'une obligation, d'ailleurs valable en elle-même, mais par suite de laquelle on a éprouvé quelque lésion. — Ces deux actions diffèrent l'une de l'autre tant sous le rapport du fondement sur lequel elles reposent et de la preuve que doit administrer celui qui les intente, que sous

fere est effectus rescissionis juridicæ qui annulationis (1) ; pariter aliquando actus ex se validus irritari posse decernitur quatenus est *fraudulentus,* et in eo casu actus dicitur *revocabilis* (2). *et revocatione ;*

Varia de causa decerni potest actus irritatio : nempe *a/* aliquando decernitur directe *in bonum commune :* hac causa irritantur donationes et testamenta quibus formæ legales desunt ; — *b/* aliquando decernitur in *favorem* et *protectionem tertii :* hac causa irritantur contractus ab uxore initi, donationes factæ a parentibus ultra legitimam, etc. ; — *c/* aliquando decernitur in *bonum et specialem tutelam agentis :* hac causa irritantur contractus initi a minoribus, donationes a pupillo factæ suo tutori, ab ægrotis suo medico ; actus positi ex errore, vi aut metu ; — *d/* aliquando decernitur in pœnam criminis : huc pertinet indignitas ad succedendum, legalis interdictio (3), etc. *causa irritationis : bonum commune, tertii, agentis; crimen.*

Actus inexistentia, nullitas, rescindibilitas, revocabilitas, quocumque modo et quemcumque in finem statuantur, possunt esse vel *mere civiles,* ita ut solum importent negationem externæ sanctionis, quæ secus actui adderetur, vel *naturales,* ita ut omnem vim actus impediant, vel auferant. — Quænam autem de facto *mere civiles* sint, quænam *naturales,* generali regula *Irritatio civilis et naturalis.*

le rapport de l'office du juge. — L'action en nullité est fondée sur ce que l'obligation attaquée ne réunit pas toutes les conditions nécessaires à sa validité. Celui qui la forme est tenu de prouver l'absence de l'une ou de l'autre de ces conditions. Cette justification une fois faite, son action doit être accueillie, quoiqu'il n'ait éprouvé aucune espèce de lésion. — L'action en rescission est fondée sur la lésion. La preuve à faire par celui qui intente cette action est uniquement celle de la lésion dont il se plaint. Lorsque la loi n'a pas elle-même déterminé l'importance que doit avoir la lésion pour autoriser l'action en rescission, le juge peut rejeter cette action, si la lésion, quoique prouvée, est trop peu considérable. — L'action en rescission et l'action en nullité diffèrent encore en ce que la première peut, à la différence de la seconde, être arrêtée par l'offre d'une indemnité suffisante pour faire disparaître la lésion. »

1. « La nullité ou la rescission prononcée en justice, a pour effet de remettre les choses au même et semblable état où elles étaient avant la formation de l'obligation annulée ou rescindée. » Ibid. §.336.

2. « Tout créancier chirographaire ou hypothécaire peut... demander en son nom personnel la révocatiou des actes faits par le débiteur au préjudice ou en fraude de ses droits. » Art. 1167. Ibid. § 313.

3. « Cette interdiction enlève d'abord au condamné la jouissance et l'administration de ses biens. Ensuite, l'interdit est incapable d'en disposer, si ce n'est par testament... Il ne peut donc s'obliger, ni aliéner entre vifs, à titre gratuit ou onéreux. » Haus, *op. cit.*, n. 624.

definiri nequit, sed in particulari dijudicandum est consideratis materia et fine legis ac præsertim attenta voluntate legislatoris. Jam vero, peracto tali examine quoad jura sui temporis, veteres theologi et jurisperiti in diversas abibant sententias (1); pariter quoad jura nostri ævi ancipites sunt theologi et jurisperiti recentiores (2). Quod ad nos attinet, arbitramur recta ratione ordinarie postulari ut, ubi causa adest irritandi, legislator irritet quantum potest, nempe non solum civiliter sed etiam naturaliter. Sane irritatione mere civili, seu sanctionis negatione, potest quidem aliquando sufficienter occurri iis quæ protectionem non merentur, licet tolerari queant, ut sunt jura ludo vel mediis turpibus acquisita; at generatim non potest ea sufficienter consuli bono communi, nec prospici indemnitati infirmorum, cum hujusmodi imperfecta irritatio magis prodesset malis quam bonis : boni enim, qui conscientiæ vocem audiunt, ea non uterentur adversus alios, mali e contra, qui soli foro externo attendunt, ea uterentur quoties ipsis faveret. Præterea tali divortio inter forum internum et externum, occasio peccatis præberetur, scilicet multi inducerentur in tentationem sibi vindicandi rem alienam (3).

1. Cfr. Molina, *De just. et jure*, tr. II, disp. 81 et 88 ; Suarez, lib. V, c. 32, n. 6 et 7 ; Lugo, disp. 22, s. 9 ; Wirceburgenses, *op. cit.*, n. 184-185 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 711.

2. Cfr. inter theologos, Carrière, *Comp.*, n. 29-32 ; Gousset, tom. I, n. 795-796. Lehmkuhl, I, 1072 ; Waffelaert, I, 350 et seq. ; — inter jurisperitos, Aubry et Rau, § 297, ubi in censu obligationum *naturalium* ponunt : « *a*/ Les engagements contractés librement par les personnes moralement capables de s'obliger, mais qui, à raison d'une incapacité de droit positif dont ces personnes se trouvaient frappées, sont susceptibles d'être annulés ou rescindés. Tels sont, par exemple, les engagements contractés par un mineur parvenu à l'âge de discernement, par une femme mariée non auctorisée, ou par un interdit dans un intervalle lucide. De pareils engagements conservent, malgré leur annulation ou leur rescission, la force d'obligations naturelles. (Talem revera fuisse legislatoris *mentem* demonstrari putant illi auctores tum ex codicis contextu, v. g. art. 2012, tum ex legis latæ circumstantiis, nempe *exposé de motifs*). — *b*/ Les engagements résultant de conventions ou de dispositions qui, réunissant toutes les conditions requises pour leur validité intrinsèque, n'ont pas été revêtus des formes extrinsèques exigées par la loi pour leur efficacité civile. Tel est notamment le devoir pour l'héritier de respecter et d'exécuter les dernières volontés de son auteur, quoiqu'elles aient été consignées dans un acte nul en la forme comme testament, ou que même elles n'aient été exprimées que verbalement ». — 3. Ita arguunt Wirceburgenses, *l. c.*; cfr. Audisio *Jur. nat. et Gent. fund.*, lib. II, tit, 13,

239. *Comparatio irritationis cum prohibitione.*

Si, relate ad leges civiles hujus præsertim ætatis, comparetur *irritatio* cum *jussione* et *prohibitione,* sequentia videntur admittenda : *a/ Non ideo lex censenda est irritans quod actum prohibeat vel formam præscribat :* hinc illæ solæ nullitates admittendæ sunt, quæ vel in lege exprimuntur vel saltem in ea, ratione propriæ indolis, implicantur : in primo casu dicuntur *explicitæ,* (gallice *littérales, textuelles) ;* in altero *implicitæ,* (gallice *virtuelles)* (1). — *Vicissim non ideo lex censenda est prohibens quod actum irritet :* sed tunc solum irritatio prohibitionem implicat, quando actus non potest esse bonus nisi validus sit, vel quando ratio postulans irritationem postulat etiam prohibitionem : sic prohibens nobis videtur lex irritans donationes a parentibus factas ultra legitimam, forte etiam lex irritans contractus ab uxore initos sine consensu mariti, non autem lex irritans testamentum sine solemnitatibus etc. (2).

240. *Legis irritantis obligatio.*

Lex tum civiliter tum naturaliter irritans generatim obligat ad non innitendum actui inefficaci ; et quidem si actum radicaliter nullum efficiat, vim exserit a principio, quin ulla necessaria sit vel condemnatio vel declaratio vel etiam petitio ; si vero actum annullabilem reddat, vim non habet nisi prolata sententia ; contingere tamen forte poterit ut, dum exitus certus est, ex charitate standum sit petitioni, lite omissa (3). —

1. Cfr. supra, pag. 363, ubi agitur de jure canonico et occasionaliter de jure romano. Ita Aubry et Rau, § 37 : « On ne trouve au code Napoléon aucun article qui déclare par voie de mesure générale, la nullité des actes faits contrairement à ses préceptes : les dispositions de ce code ayant pour objet de prononcer des nullités sont toutes spéciales. Mais comme d'un autre côté, il ne renferme aucun texte portant que les cas prévus par ces dispositions sont les seuls dans lesquels la violation de la loi entraîne nullité, il faut admettre avec la doctrine et la jurisprudence, que le juge peut et doit quelquefois déclarer nuls des actes dont la nullité n'a pas été expressément prononcée par le législateur. Les nullités sont donc textuelles ou virtuelles. — Les nullités virtuelles, c'est-à-dire, celles qui ne découlent que de l'esprit de la loi, tiennent, soit au caractère intrinsèque, soit au but spécial de telles ou telles dispositions législatives. La violation des préceptes établis par les lois intéressant l'ordre public ou les bonnes mœurs, emporte, en général, d'après le caractère même de ces préceptes la nullité virtuelle des actes par lesquels on les a enfreints. Quant aux lois d'intérêt privé, qu'elles aient en vue de protéger les tiers ou les parties elles-mêmes, la contravention à leurs préceptes entraîne nullité virtuelle, lorsque cette contravention porte sur des conditions ou des formalités dont l'accomplissement est indispensable à la réalisation complète du but que le législateur s'est proposé d'atteindre, et ne l'entraîne que dans cette supposition.

2. Cfr. Waffelaert, I, n. 320. — 3. Cfr. Waffelaert, *op. cit.,* I, 352-353.

Lex solum civiliter irritans, ipsi actui non nocet, nisi quatenus legali sanctione eum privat.

Caput III.

De subjecto obligationis legis civilis.

241. *Societas territorialis.*

Societas civilis est natura sua *territorialis,* seu territorio affixa, ad certam terræ plagam determinata : sicut enim singuli homines a solo pendent in sua vita et evolutione, ita a solo pendet integer populus : et sicut habetur soli occupatio et possessio a singulis individuis, ita admitti debet superior quædam occupatio et possessio a tota gente ; unde, ut obiter illud notemus, facile intelligitur ratio et fundamentum juris, quod dici solet *altum* (1).

Societatis civilis membra vocantur *nationales* et *cives ;* tales autem sunt vel ipsa nativitate (2), vel jure (3), vel cooptatione (naturalisation) (4), vel adnexione (5) : qui membra communitatis non sunt, vocantur *exteri.* — Jam vero cives considerari possunt prout actu territorio *præsentes* sunt, vel prout sunt *absentes ;* vicissim exteri vel in societatis, de qua agitur, territorio degunt, vel non ; si in societatis territorio versantur, ibi habent suum *domicilium* legale, vel solum *resident* habitualiter, vel mere *transeunt.* — Præterea membra societatis civilis possunt, imo debent esse simul membra superioris societatis religiosæ : qua tales autem ditinguuntur in *laicos* et *clericos.* Examinandum igitur est, quousque civili alicujus nationis lege teneantur *cives, exteri, clerici.*

Cives et exteri, absentes et præsentes, clerici et laici.

242. *Quousque patriæ legibus teneantur cives absentes ;*

Cives, quando in proprio territiorio morantur, per se subjiciuntur omnibus legibus suæ conditioni convenientibus (6). Quod si *absentes* sint, *a*/ subjecti manent legibus respicientibus

1. Cfr. Theod. Meyer, *op. cit.*, n. 416, 417.
2. Cfr. *Cod. civ.*, art. 10.
3. Cfr. *Cod. civ.*, a. 9 ; a. 10, § 2 ; a. 12.
4. Cfr. *Const. Belg.* a. 5, cum lege 27 sept. ann. 1835.
5. Cfr. Aubry et Rau, § 72.
6. Cur dicamus *per se* et *suæ conditioni convenientibus*, patet ex principio explicato supra, n. 156 ; huc pertinent *Const. Belg.*, art. 6, 44, 65 et *Code pénal Belge,* art. 72 et seq. : cfr. Haus, *op. cit.*, n. 180 et n. 504.

statum quem in propria communitate habent (1), officia quæ ibi gerunt, bona quæ possident (2), onera quibus gravantur (3), etc.; — *b*/ item subjecti manent legibus pœnalibus, ita scilicet ut in patriam reversi puniri possint propter crimina ubicumque et adversus quoscumque commissa (4) ; — *c*/ at non manent subjecti legibus quæ respiciunt ordinem et tranquillitatem publicam ; — *d*/ nec subjecti manent legibus quæ formam contractuum determinant.

243. *exteri in territorio degentes,*

Exteri, quando in alicujus communitatis territorio domicilium habent, aut resident, aut per illud transeunt, *a*/ subjiciuntur legibus quæ respiciunt ordinem et tranquillitatem publicam (5) ; — *b*/ item subjiciuntur legibus quæ respiciunt bona a se ibi possessa (6) ; — *c*/ præterea subjiciuntur legibus

1. Hoc principium exprimitur *Cod. civ.*, art. 3, § 3 : « Les lois concernant l'état et la capacité des personnes, régissent les Français même résidant en pays étrangers ». Ita Mourlon, *Répétitions écrites sur le code Napoléon*, 3e rép., § 6 : « Telles sont les lois sur la nationalité, le mariage, la filiation, la légitimité, la bâtardise, la puissance maritale ou paternelle, la majorité, l'interdiction et l'émancipation... Les lois personnelles régissent les Français partout où ils se trouvent, à l'étranger comme en France : ainsi, par exemple, ils ne peuvent ni se marier avant dix-huit ans, ni adopter avant cinquante, bien qu'ils soient domiciliés dans un pays où le mariage est permis à quinze ans et l'adoption à vingt-cinq. » Cfr. Aubry et Rau, § 31.

2. Cfr. *Cod. civ.*, art. 3, § 2.

3. Huc pertinent præstationes tum personales, ut est militia, tum pecuniariæ.

4. Cfr. Suarez, lib III, c. 32, n. 5, et supra, n. 160 in fine. — Hoc principium admittunt moderni jurisperiti non pauci, v. g. Haus, *op. cit.*, n. 192-215 : « La loi pénale est essentiellement personnelle à l'égard des nationaux ; elle les oblige en leur qualité de citoyens ; elles les suit même sur le territoire étranger tant qu'ils n'ont pas abdiqué cette qualité... Tout Belge qui s'est rendu coupable, hors du territoire du royaume, d'un crime ou d'un délit contre un Belge, peut, s'il est trouvé en Belgique, y être poursuivi, et il y est jugé et puni conformément aux lois en vigueur dans le royaume... La loi dispose que tout Belge qui s'est rendu coupable, hors du territoire du royaume, contre un étranger, d'un crime ou d'un délit prévu par la loi sur les extraditions peut, s'il se trouve en Belgique, y être poursuivi. »

5. Hoc principium exprimitur *Cod. civ.*, art. 3, § 1 : « Les lois de police et de sûreté obligent tous ceux qui habitent le territoire : » quem art. sic explicant Aubry et Rau, § 31 : « On entend par lois de police et de sûreté, toutes celles qui ont pour objet la sûreté des personnes ou des propriétés et le maintien du bon ordre, peu importe qu'elles soient prohibitives ou impératives, et que leurs dispositions soient ou non sanctionnées par voie de répression pénale. »

6. Cfr. *Cod. civ.*, art. 3, § 2.

pœnalibus (1) ; — *d*/ tandem sequi possunt leges quæ formam contractuum determinant (2) ; — *e*/ at non subjiciuntur legibus quæ civilem statum et capacitatem definiunt (3).

vel alibi existentes;

Etiam si non versentur in communitatis territorio, ejus tamen legibus subjiciuntur exteri *a*/ ratione bonorum quæ ibi possident (4) ; — *b*/ ratione criminum adversus hanc communitatem patratorum, saltem si ista crimina a proprio reorum superiore non fuerint sufficienter castigata (5).

Jure internationali *extra territorium* reputantur, adeoque ab ejus legibus eximuntur, principes aliarum nationum quacumque de causa in eo degentes, nec non ipsorum legati (6).

244. *viri ecclesiastici,*

Non ideo cives a legum sæcularium observatione eximuntur quia christiani sunt : quin potius christiana fides ipsos admonet ut civilibus obligationibus religiose satisfaciant (7). — Nihilominus nonnulli sunt inter christianos, qui ita specialiter Deo sunt consecrati, tam stricte in servitum Ecclesiæ addicti, tanta potestate supernaturali præditi, ut, licet non desinant esse pars, eaque nobilissima ac præcipua, societatis civilis, tamen

1. Cfr. supra, n. 161, sub *b)*. — Idem principium admittunt moderni plerique : « La loi pénale oblige tous ceux qui se trouvent sur le territoire, nationaux ou étrangers. Toutefois à l'égard de ces derniers elle est exclusivement territoriale ; elle ne leur commande obéissance que dans le pays où elle a été portée ; au delà des frontières ils cessent d'être soumis à son empire. » Haus, *op. cit.*, n. 195.

2. Ita Mourlon, *l. c.* : « La forme extérieure des actes est régie par la loi du pays où on les fait : *locus regit actum*. Notre code fait lui-même l'application de cette règle dans les articles 47, 170, et 999 ». Cfr. Aubry et Rau, *l. c.*

3. « La disposition de l'al. 3 de l'art. 3 autorise à croire que le législateur français a entendu laisser les étrangers, même résidant en France, sous l'empire de leurs lois nationales pour tout ce qui concerne leur état et leur capacité ». Aubry et Rau, *l. c.*

4. Ita *Cod. civ.* art. 3, § 2 : « Les immeubles, même ceux possédés par un étranger, sont régis par la loi française ». Cfr. Aubry et Rau, *l. c.*

5. Ita Haus, *op. cit.*, n. 208 : « Les étrangers qui ont commis des infractions hors de notre territoire ne sont point justiciables de nos tribunaux à raison de ces faits... Le principe que nous venons d'établir souffre exception en ce qui concerne les *crimes* commis contre la sûreté de l'Etat ; la contrefaçon du sceau de l'Etat, de monnaies ayant cours légal en Belgique, de billets de banque au porteur dont l'émission est autorisée par une loi ou en vertu d'une loi, ou de papiers nationaux. Les étrangers qui, auteurs ou complices de ces crimes, sont arrêtés en Belgique, peuvent y être poursuivis, et ils y sont jugés et punis conformément aux lois belges. »

6. Cfr. Haus, *op. cit.*, n. 182.

7. Cfr. Suarez, lib. I, c. 18 ; lib. III, c. 5 et c. 31 ; supra, n. 222.

recta ratio non patiatur eos communibus obligationibus subjici. — Hisce titulis prælati, clerici, monachi a communibus obligationibus plus minusve *immunes* esse possunt, sive *jure divino,* quatenus per immediatam Dei voluntatem ab imperio sæculari subtracti sunt, sive *jure canonico,* quatenus ab imperio sæculari subtracti sunt per supremam potestatem ecclesiasticam, sive *jure civili,* quatenus per ipsam potestatem sæcularem a suo imperio sunt subtracti (1). — Secundum doctrinam autem catholicam, « Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constituta est (2). »

Summus Pontifex,

Et quidem imprimis Summus Pontifex est jure divino in omnibus et per omnia exemptus a quavis lege sæculari : Ecclesiæ enim dignitas, sanctitas, libertas absolute exigunt ut ipsius caput supremum nulli terrenæ postati subjiciatur (3) : adeoque jure divino seu immediata Dei voluntate illud Ponti-

1. De immunitatis ratione, origine, objecto, extensione, cfr. inter Theologos, Suarez, *De leg.* lib. III, c, 34, *Def. fidei,* toto libro IV, et op. *De immunitate eccl. a Venetis violata;* Molina, *De just. et jure,* tr. II, disp. 3, et disp. 674 ; Lessius, *De just. et jure,* lib. II, c. 33, dub. 3-5 ; — inter Polemistas, Bellarminus, *De cler.,* c. 28 ; — inter eruditos, Thomassin, *Anc. et nouv. disc.,* p. III, l. I, c. 33-44 ; Gosselin, *Pouvoir du Pape au moyen-âge,* Intr. art. 2, § 4 ; D. Chamard, *De l'immunité ecclésiastique et monastique,* (ap. *Rev. des quest. hist.,* tom. 22). — Jurisperiti materiam tractant in *Decretal.* lib. III, tit. 49, ubi. v. g. Barbosa, Schmalzgrüber, Reiffenstuel, etc. et, præter ipsos, Menochius, *De jurisd.,* lib, I, c. 15 et seq. ; Paulutius, *Jurispr. sac.,* lib. VII, tract. 12 ; Schmier, *Jur. can. civ.,* lib. 3, tr. I, p. 3, c. 4. — Egregia opera specialia ediderunt Andreas Muscara, *Defensio immunitatis ecclesiasticæ ;* Æg. Rambeck, *Panoplia immunitatis et libertatis ecclesiasticæ;* Gund. Adorno Hinijosa, *Dell'origine dell'immunità del clero ;* P. Govarts, *Certamen immunitatis ecclesiasticæ.*

2. Conc. Trid. sess. XXV, c. 20 ; cfr. conc. Later. V, sess. 9.

3. Cfr. Suarez, *De leg.* lib. V, c. 35, n. 22 ; *Defens. Fidei,* lib. IV, c. 4 et 5 ; Paulutius, *Jur. Sacr.* tr. XII, c. 2, § 3 ; aliisque omissis, Palmieri, *De Rom. Pont.,* th. 24. — Præclara in luce hanc veritatem posuit Leo XIII, tum ante pontificatum in Epist past. *De civili princ. Sanctæ Sedis,* tum suscepto pontificatu, in celebri epist. 15 jun. 1887 ad Card. Rampolla : « L'autorità dell sommo Pontificato istituita da Gesù Cristo et conferita a S. Pietro, e per esso ai suoi legittimi successori, i romani Pontefici, destinata a continuar nel mondo, fino alla consumazione dei secoli, la missione riparatrice del Figlio di Dio, arrichita delle piu nobili prerogative, dotata di poteri sublimi, propri et giuridici, quali si richiedono pel governo di una vera et perfettissima società, non puó per la sua stessa natura e per espressa volontà del suo divin Fondatore sottostare a veruna potestà terrena, deve anzi godere della piu piena libertà nell' esercizio delle sue eccelse funzioni. » Legi etiam merentur quæ ea de re habet card. Pie, opp. V, p. 343.

fici concessum est quod jure gentium et communi hominum voluntate conceditur principibus quando in alieno territorio versantur (1). — Ut autem completa hæc exemptio et perfecta independentia sarta tecta esset, divinæ providentiæ dispositione Romano Pontifici civilis principatus attributus est (2).

Episcopi. Idem forte, servata proportione, de Episcopis dici posset, cum et ipsi principes sint, et in muneris sui exercitio amplissima egeant libertate ; cæterum omnimoda eorum de jure divina exemptio a legibus sæcularibus non æque certo constat ac Pontificis ipsius immunitas (3).

Clerici et monachi. Quoad clericos vero inferiores et monachos, videtur distinguendum : *a/* Jure divino clerici et monachi exempti sunt a legibus ea præscribentibus quæ cum ipsorum statu non congruunt cujusmodi v. g. est militia (4) : hanc exemptionem Ecclesia ut sibi debitam semper vindicavit (5), principes autem christiani pro munere agnoverunt (6). — *b/* Juri divino omnino conforme est, ut clerici et monachi eximantur a sæcularium legibus forensibus et pœnalibus (7) : hanc exemptionem Ecclesia constanter suis asseruit, imo et propria auctoritate attribuit (8), principes vero plus minusve sanxe-

1. « Un usage constamment observé par toutes les nations de l'Europe affranchit les souverains étrangers de la juridiction du pays où ils se sont rendus pour traiter de quelque affaire d'Etat ou dans tout autre but. En effet le chef de l'Etat étant inviolable, parce que le gouvernement repose sur sa personne, l'intérêt international commande à chaque peuple de reconnaître sur son territoire le principe de cette inviolabilité, même en faveur des souverains étrangers, pour ne pas troubler le mécanisme politique d'un état étranger et, par suite, les rapports des autres nations avec cet Etat. » Haus, *op. cit.*, n. 181.

2. Cfr. Leonis XIII, epist. 15 junii 1887 ; supra, n. 47, pag. 212.

3. Quanto cum zelo Episcoporum exemptionem custodiat Sancta Sedes, patet ex concordato Austriaco, a. XIV.

4. Cfr. *Decretal.* lib. III, tit. 1, c. 2, *Clerici ;* S. Thomas, 2-2, q. 40, a. 2.

5. Cfr. Syll. prop. 32 ; Concord. Colombianum ann. 1887, a. 7. — 6. Cfr. Thomassin, p. III, lib. I, c. 40. — 7. Cfr. Suarez, *Def. fid.*, lib. IV, c. 9.

8. Huc pertinent conc. Carth. III, c. 9 ; *Decretal.* lib. II, tit. 1, c. 4, *At si clerici ;* c. 8, *Clerici ;* c. 17, *Qualiter ;* tit. 2, c. 2, *Nullus judicum ;* c. 12, *Si diligenti ;* c. 18, *Significasti ; Sexti* lib. II, tit. 2, c. 2, *Sæculares ;* Pii IX *Syll.* pp. 30, 31 ; Const. *Apostolicæ Sedis*, 1, 7. — Nihilominus aliquando, « temporum ratione habita, Sancta Sedes consentit ut clericorum causas mere civiles, prout contractuum, debitorum, hæreditatum, judices sæculares cognoscant et definiant. Eadem de causa Sancta Sedes haud impedit, quominus causæ ecclesiasticorum pro criminibus seu delictis, quæ pœnalibus legibus animadvertuntur, ad judicem laicum deferantur ». Ita in concord. Austriaco, art. 13 et 14 ; concord. Colomb., a. 8.

runt (1). — *c*/ Christianæ æquitati convenit ut clerici et monachi eximantur a legibus contributiones exigentibus (2) : hanc exemptionem Ecclesia, pro temporum et locorum opportunitatibus, postulavit, imo propria auctoritate statuit (3) ; principes vero christiani varia amplitudine concesserunt aut confirmarunt (4). — *d*/ Æquitati christianæ et juri divino conforme est ut clerici et monachi observent leges sæculares quæ pacem et tranquillitatem publicam respiciunt : hanc observationem Ecclesia suis constanter vel imposuit vel inculcavit (5).

245. *Obligationis civilis limites.*

Hisce de obligationis civilis *indole, objecto* et *subjecto* propositis, quædam notanda remanerent de ejus *limitibus*. Verum, quoad hanc partem, legi civili applicari possunt fere omnia ea quæ exposuimus occasione legis ecclesiasticæ (6). — Sic *ignorantia* excusare potest a trangressione et a pœna, raro tamen in foro externo admittitur (7). — Pariter suspenditur obligatio casu *impotentiæ*, et restringitur per *epichiam* (8) ; est autem epichiæ species theoretice et practice longe gravissima

1. Cfr. Justiniani *Cod.*, lib. I, tit. 4 ; *Novell.*, 123, c. 21 ; Caroli M. *Capit. eccl.*, ann 789; *Capit. Francof.*, ann. 794; Friderici II *Const.*, ann. 1230; Thomassin, p. II, lib. 3, c. 102.

2. Ita S. Thomas, in epist. ad Rom. c. XIII, l. 1 : « Ab hoc debito (tributi) liberi sunt clerici ex privilegio principum, quod quidem æquitatem naturalem habet. » Cfr. Suarez, *Def. fid.*, lib. IV, c. 22 et seq. ; Lessius, lib. II, c. 33, dub. 4 ; Molina, *De just. et jure*, tr. II, disp. 670 et seq. ; Lugo, *De iust. et jure*, disp. 36, etc.

3. Huc pertinent v. g. *Decreti* p. II, c. 12, q. 2, c. 69, *Ecclesiarum ; Decretal.* lib. III, tit. 49, c. 4, *Non minus ;* c. 7, *Adversus ; Sexti* lib. III, tit. 20, c. 4, *Quanquam ; Clem.* lib. III, tit. 13, c. 3, *Præsenti.* — Diximus *pro temporum et locorum opportunitatibus ;* de facto enim nunquam hæc exemptio completa fuit ; hodie vero fere ubique sublata est vel ad arctissimos limites redacta ; *concordata* autem novissima vel altum de *immunitate* ista silentium servant, vel explicite concedunt oneribus publicis subjici bona ecclesiastica ; cfr. concord. Colomb , a. 6.

4. Cfr. Thomassin, p. III, lib. I, c. 33-44.

5. Huc referri potest notissimus S. Chrysostomi textus *Ad Rom. hom.* 23, n. 1, in quo facile deprehenditur verborum exaggeratio oratoribus consueta: « Et ostendens hoc (obedire) omnibus imperari, sacerdotibus etiam et monachis, nec sæcularibus tantum, hoc ab exordio declarat, dicens : *Omnis anima potestatibus sublimibus subdita sit ;* etsi Apostolus sis, etsi evangelista et propheta, etsi quivis alius : neque enim hæc subjectio pietatem subvertit. » — Cfr. Suarez, *De leg.*, lib. III, c. 34, n. 6 et seqq. ; Schmalzgrüber, lib. I, tit. 2, n. 37 ; Reiffenstuel, lib. I, tit. 2, n. 300 etc.

6. Cfr. supra, pag. 381-424. — 7. Cfr. n. 164-167 ; Haus, *op. cit.*, n. 547-559. — 8. Cfr. n. 168-172 ; Haus, *op. cit.*, n. 534-546.

ea qua in societate publica aliquando præsumptio altioris juris contra observationem ipsius legis fundamentalis invocari contingit, et quæ vulgo actio salutis publicæ *(coup d'état)* appellatur (1). — Etiam obligationem tollit *defectus facti* particularis, in cujus *præsumptione* lex, vel etiam, ut frequentius contingit, judicis *sententia* fundatur (2) — Ubi modernæ vigent reipublicæ formæ, *dispensationes* proprie dictæ satis raro conceduntur, dantur tamen facultates seu *licentiæ* secundum leges (3).

Legis civilis cessatio.

Quoad legis civilis *cessationem,* pauca notanda occurrunt (4) : *a|* Apud modernos theoretice passim non admittitur nisi una cessationis causa, nempe revocatio explicita vel implicita (5) ; practice tamen coguntur etiam aliquid tribuere circumstantiis et moribus, seu attendere ad desitionem materiæ et finis et ad desuetudinem (6). — *b|* in censu legum jam poni solent ordinationes ad tempus determinatum factæ : harum igitur obligatio, transacto tempore, per se cessat (7). — *c|* Multo facilius mutari possunt leges *stricte civiles* et *politicæ* quam leges *constitutionales :* harum enim mutatio per se non competit nisi corpori sociali seu auctoritati ex consensu saltem legitime præsumpto sociorum (8).

1. Cfr. Theod. Meyer, *op. cit.*, n. 301. — 2. Cfr. n. 173-175.
3. Cfr. *Const. Belg.*, a. 67 ; *Cod. civ.*, a. 164, cum lege 28 Feb. 1831.
4. Cfr. supra, p. 424-439.
5. Ita Aubry et Rau, *op cit.* § 29 : « La loi n'est susceptible d'être abrogée que par une loi nouvelle. — On admettait autrefois que la loi pouvait être abrogée par un usage contraire, et que d'autre part elle pouvait tomber en désuétude par le non-usage. Cette théorie, qui se comprend sous une monarchie absolue, où la loi n'est que l'expression de la volonté du chef de l'état, ainsi que dans un gouvernement démocratique, où elle est votée par la généralité des citoyens, est incompatible avec des constitutions qui établissent la division des pouvoirs et qui, répartissant entre différentes branches, l'exercice de la puissance législative, soumettent à des conditions et à des formes spéciales, la proposition et le vote de la loi. Elle ne peut donc plus être admise aujourd'hui. — D'un autre côté la loi ne perd pas sa force obligatoire par cela seul que les circonstances au milieu desquelles elle a été faite, ont cessé d'exister. — L'abrogation est expresse ou tacite. Elle est expresse lorsque la loi nouvelle prononce littéralement l'abrogation de la loi ancienne. Elle est tacite lorsque la loi nouvelle contient des dispositions contraires à celles de la loi ancienne. »
6. Cfr. n. 118, 221.
7. Cfr. Suarez, *De leg.*, lib. I, c. 10, n. 16.
8. Cfr. supra, n. 47, 218, Theod. Meyer, *op cit.*, n. 366. Huc pertinet *Const. Belg.*, art. 130-131.

Appendix.

DE LIBERALISMI OPPOSITIONE AD MORALEM OBLIGATIONEM.

246. *De legibus agitur in theologia,*

MIRABITUR nemo prudens ac doctus in *theologia fundamentali* studiose a nobis actum esse de sextuplici lege qua homo christianus in finem suum harmonice ordinatur. Si quis tamen hujus consilii rationem exigeret, verbis Suarezii responderemus, eam facile intelligi, « considerando, sicut omnem paternitatem, ita etiam omnem legislatorem a Deo derivari, omniumque legum autoritatem in eum esse ultimo refundendam. Si namque lex sit divina, ab ipso proxime dimanat ; sin humana, ab homine certe ut Dei ministro et vicario sancitur, ut testatur Apostolus ad Romanos. Non immerito igitur, sub hac saltem ratione, omnium legum discussio est theologicæ facultatis : nam cum ejus sit Deum ut legislatorem intueri, Deusque sit universalis legislator, vel supposito immediatione vel virtutis, ut philosophi sermocinantur, eamdem doctrinam sacram universas leges attingere necesse est. — Deinde theologicum est negotium, conscientiis prospicere viatorum ; conscientiarum vero rectitudo stat legibus servandis, sicut et pravitas violandis, cum lex quælibet sit regula, si ut oportet servetur, æternæ salutis assequendæ, si violetur, amittendæ : ergo et legis inspectio, quatenus est conscientiæ vinculum, ad theologum pertinebit. — Tandem catholica fides non solum docet, quatenus parendum sit Deo supernaturaliter præcipienti, sed etiam quid natura vetet, jubeat vel permittat ; et quatenus obediendum sit potestatibus sublimioribus, ut Paulus dixit, atque adeo quatenus parendum sit tum ecclesiasticis legibus, tum laicis, ante oculos nobis ponit. Ergo ex his fidei fundamentis theologi est colligere quid in hoc aut illo legum genere sit habendum. — Atque hinc licet intelligere quomodo theologia munus hoc sine ulla imperfectione vel confusione perficiat, quia nimirum sub altiori lumine de legibus tractat... Nam jus ipsum naturale considerat, ut supernaturali ordini supponitur, et ab illo firmitatem majorem accipit ; leges vero civiles solum vel ut de earum honestate ac rectitudine per altiores regulas dijudicet, vel ut obligationes conscientiæ, quæ ex illis oriuntur, juxta principia

ut Deus legislator noscatur.

ut conscientiis prospiciatur,

ut fides explicetur :

aliter tamen theologi de legibus agunt, aliter Philosophi,

Jurisperiti,

Canonistæ. fidei declaret ; sacros autem canones et Pontificum decreta, ut conscientiam ligant et ad æternam salutem dirigunt, tanquam sibi proprios recognoscit ac vindicat, ac subinde in omnibus his legibus primariam originem et ultimum finem sub divino lumine inquirit, quomodo scilicet a Deo ipso originem habeant quatenus potestas ad illas ferendas in Deo primarie existit, et ab ipso ad homines aut naturali aut supernaturali via dimanet et cum illis semper influat et cooperetur. Ac denique declarat quomodo leges omnes mensuræ sint humanarum actionum in ordine ad conscientiam, et consequenter quantum ad meritum et demeritum æternæ vitæ conferant (1). »

247. *Nostro tempore specialiter de legibus agendum, ut revincatur* Liberalismi *error.*

Addimus, eo studiosius de omni genere legum a Theologo nunc agi oportere, quod universa hæc materia pessimis erroribus jam inficiatur. Horum summa est *naturalismus*, qui hominem constituit sibi plane sufficientem suique juris (2) ; naturalismi autem pars est *liberalismus,* cujus proprium est *independentiam* affirmare, exaggerare *libertatem,* negare *auctoritatem* divinam, verbo « hominis stabilire in societate principatum, posthabito Deo (3). » — Jam vero *liberalismus* est duplex : unus, quo negatur divina auctoritas *docendi,* respicit *intellectum* et dicitur liberalismus scientificus seu *rationalismus ;* alter, quo negatur divina auctoritas *regendi,* respicit *voluntatem* et dicitur liberalismus practicus seu politicus vel simpliciter *liberalismus* (4) ; utriusque sunt varii gradus seu formæ sibi invicem duplici serie parallela in omnibus respondentes.

Liberalismus, qui consistit in legum repudiatione, duplex est, scientificus et practicus.

248. *Liberalismi scientifici gradus varii.*

Et quidem in prima serie : *a*/ liberalismus scientificus *completus* consistit in negatione *divinæ auctoritatis* docentis, et in rejectione omnis *revelationis :* talis liberalismi rei sunt rationa-

1. Suarez, *De leg.*, proœm.

2. Cfr. Leonis XIII encycl. *Humanum genus, Immortale Dei.*

3. Encycl. *Immortale Dei.* — Quæ præcedunt typis expressa erant quando ad manus nostras pervenit encyclica *Libertas.* Statim asserta nostra omnia cum hac doctrinæ *regula* accurate comparavimus, nec accidit aliquid deprehendere, quod videretur correctione indigere. Magno igitur Dei beneficio, nihil jam nobis restat nisi ut dictorum *recapitulationem, confirmationem, illustrationem* a gravissimo documento pontificio repetamus.

4. Ita Leo XIII, encycl. *Libertas :* « Revera quo spectant in philosophia *Naturalistæ* seu *Rationalistæ*, eodem in re morali ac civili spectant *Liberalismi* fautores, qui posita a *Naturalistis* principia in mores actionemque vitæ deducunt. »

listæ ; siquidem « totius *rationalismi* humanæ principatus rationis caput est : quæ obedientiam divinæ æternæque rationi debitam recusans, suique se juris esse decernens, ipsa sibi sola efficitur summum principium et fons et judex veritatis (1) ». — *b*/ Liberalismus *minus completus* consistit in negatione *auctoritatis docendi Ecclesiæ divinitus communicatæ* et in rejectione dogmatum ab ea *definitorum ;* hujus liberalismi rei sunt protestantes, qui Rationalistis viam sternentes, « homini tribuerunt natura tantum, ut de doctrina divinitus data posset quisque pro ratione judicioque suo cognoscere et decernere, minime vero auctoritati subesse deberet Ecclesiæ et pontificis Romani, quorum unice est, divino mandato et beneficio eam doctrinam custodire, eam tradere, de eaque verissime judicare » (2) ; — *c*/ liberalismus scientificus *mitigatus* consistit in *diminutione* doctrinalis auctoritatis *divinæ* vel *ecclesiasticæ ;* hujus liberalismi rei sunt illi qui, revelationem accipiunt quidem, eam tamen a scientia humana separant, vel etiam scientiæ subordinant, quasi fides non esset rationi *stella rectrix ;* item illi qui, licet profiteantur se auctoritatem Ecclesiæ revereri, eam non admittunt nisi in revelatis, minime in connexis cum revelatione ; vel eam attribuunt soli concilio œcumenico, non autem Pontifici Romano, ut faciebant Gallicani ; vel, si eam Pontifici agnoscant, non obediunt nisi definitionibus *ex cathedra,* contemptis mitioribus S. Sedis judiciis ac præsertim Congregationum decretis et Episcoporum sententiis (3).

249. *Liberalismi practici gradus.*

Similiter in altera serie : *a*/ liberalismus practicus *completus* consistit in negatione omnis *legis* divinæ tum *supernaturalis,* tum etiam *naturalis :* hujus liberalismi rei sunt *positivistæ* et quicumque inter rationalistas *autonomiam voluntatis* propugnant (4). — *b*/ Liberalismus *minus completus* consistit in nega-

1. Leo XIII, encycl. *Libertas ;* cfr. etiam encycl. *Humanum genus.* — Huc pertinent Conc. Vat. const. *Dei Filius ;* Pii IX, *Syllabus,* pp. 1-7.

2. Leo XIII, encycl. *Officio sanctissimo :* cfr. *Intr.* n. 92 et seq. et Controversistæ passim.

3. Huc pertinent Conc. Vat. Const. *Dei Filius,* c. IV ; Pii IX *Syllabus,* pp. 8-14, cum ejusdem Pontificis actis ibi allegatis ; Leonis XIII, encycl. *Æterni Patris.* et encycl. *Officio sanctissimo :* cfr. tr. *De Virt. theol.,* n. 143, etc. — De historia moderati illius liberalismi scientifici notatu digna habentur apud Cecconi, *Hist. conc. Vat.,* lib. III, c. 6, n. 4 et seq,

4. Cfr. supra n. 65-69. Ita Leo XIII, encycl. *Libertas :* « Liberalismi

tione *legis divinæ supernaturalis*, admissa naturali (1) ; hujus liberalismi duplex est species : una consistit in repudiatione christianæ legis, tum pro *civitate*, tum etiam pro *individuis* (2) ; altera consistit in repudiatione legis christianæ pro *civitate*, admissa subjectione individuorum (3) : juxta prioris sectatores nec homo christiane vivere, nec civitas christiane regi debet ; juxta sectatores posterioris homo christiane vivere tenetur, sed civitas non debet christiane regi (4). — *c*/ Proxime venit

sectatores in actione vitæ nullam contendunt esse, cui parendum sit, *divinam* potestatem, sed sibi quemque esse legem : unde ea philosophia morum gignitur, quam *independentem* vocant, quæ sub specie libertatis ab observantia divinorum præceptorum voluntatem removens, infinitam licentiam solet homini dare. » Et rursus : « Profecto imperium summi Dei penitus recusare atque omnem obedientiam prorsus exuere, in publicis vel etiam in privatis domesticisque rebus, sicut maxima libertatis perversitas, ita pessimum liberalismi est genus. »

1. Cfr. supra, n. 85 et seq. ; Leo XIII, encycl. *Libertas*.

2. Ita cit. encycl. *Libertas* : « Certe quidem opinionibus (cuivis legi divinæ adversis)... non omnes *Liberalismi* fautores assentiuntur. Quin compulsi veritatis viribus, plures eorum haud verentur fateri, immo etiam ultro affirmant, in vitio esse et plane in licentiam cadere libertatem, si gerere se intemperantius ausit, veritate justitiaque posthabita : quocirca regendam gubernandamque recta ratione esse, et quod consequens est, juri naturali sempiternæque legi divinæ subjectam esse oportere. Sed hic consistendum rati, liberum hominem subesse negant debere legibus, quas imponere Deus velit, alia præter rationem naturalem via. »

3. « Mitiores aliquanto sunt, sed nihilo sibi magis constant, qui aiunt nutu legum divinarum dirigendam utique vitam ac mores esse privatorum, non tamen civitatis : in rebus publicis fas esse a jussis Dei discedere, nec ad ea ullo modo in condendis legibus intueri. » Ibid.

4. Cfr. supra, n. 50, 214, 219 ; *De virt. theol.*, n. 275-300 ; *De virt. relig.*, I, 49. — Quoniam autem in præcedentibus non demonstravimus distincte legis divinæ *subjectum* esse etiam civitatem, id in præsenti efficiemus verbis Leonis XIII, quibus declarat quam absurde dicatur, in rebus publicis fas esse a jussis Dei discedere : « Cum enim clamet ipsa natura, oportere civibus in societate suppetere copias opportunitatesque ad vitam honeste, scilicet secundum Dei leges, degendam, quia Deus est omnis honestatis justitiæque principium, profecto illud vehementer repugnat, posse iisdem de legibus nihil curare, vel etiam quidquam infense statuere civitatem. — Deinde qui populo præsunt, hoc omnino reipublicæ debent, ut non solum commodis et rebus externis, sed maxime animi bonis, legum sapientia, consulant. Atqui ad istorum incrementa bonorum ne cogitari quidem potest quidquam iis legibus aptius, quæ Deum habeant auctorem : ob eamque rem qui in regendis civitatibus nolunt divinarum legum haberi rationem, aberrantem faciunt ab instituto suo et a præscriptione natura politicam potestatem. Sed quod magis interest, quodque alias Nosmetipsi nec semel monuimus, quamvis principatus civilis non eodem, quo sacer, proxime spectet, nec iisdem eat itineribus, in potestate tamen gerenda obviam esse interdum alteri alter necessario debet. Est enim utriusque in eosdem imperium, nec raro fit, ut iisdem de rebus uterque, etsi non eadem ratione,

liberalismus quidam præcedentibus *inferior,* in se tamen gravissimus, consistens in repudiatione *auctoritatis* et *legis ecclesiasticæ,* quatenus Ecclesia vel absolute impetitur, ut fit a Protestantibus, vel non agnoscitur tanquam societas perfecta, ut fit a Politicis (1) : repudiatur autem lex ecclesiastica sive pro ipsis etiam individuis, sive tantum pro societate (2). — *d*/ Accedit liberalismus *mitigatus* consistens non in negatione sed in *diminutione* auctoritatis ecclesiasticæ : sive quoad suum *subjectum*, quatenus potestatis plenitudo attribuitur soli concilio non Pontifici (3), sive quoad *objectum,* quatenus ecclesiastica potestas restringitur ad res fidei et morum, non extenditur ad res externas et disciplinares (4), sive quoad *modum,* quatenus supe-

---

decernat. Id quotiescumque usuveniat, cum confligere absurdum sit, sapientissimæque voluntati Dei aperte repugnet, quemdam esse modum atque ordinem necesse est, ex quo, caussis contentionum certationumque sublatis, ratio concors in agendis rebus existat. Et hujusmodi concordiam non inepte similem conjunctioni dixere, quæ animum inter et corpus intercedit, idque commodo utriusque partis : quarum distractio nominatim est perniciosa corpori, quippe cujus vitam extinguit. » Et paulo inferius : « Dubitari non potest quin sit Dei voluntate inter homines conjuncta societas, sive partes, sive forma ejus spectetur, quæ est auctoritas, sive caussa, sive earum, quas homini parit, magnarum utilitatum copia. Deus est, qui hominem ad congregationem genuit atque in cœtu sui similium collocavit, ut quod natura ejus desideraret, nec ipse assequi solitarius potuisset, in consociatione reperiret. Quamobrem Deum civilis societas, quia societas est, parentem et auctorem suum agnoscat necesse est, atque ejus potestatem dominatumque vereatur et colat. Vetat igitur justitia, vetat ratio atheam esse, vel, quod in atheismum recideret, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem, eademque singulis jura promiscue largiri. » Encycl. *Libertas.*

1. Cfr. supra, n. 41, 50, 108, 214, 219. Huc spectant Leonis XIII Encyclicæ *Immortale Dei, Quam primum, Officio sanctissimo.*

2. Ita Leo XIII, encycl. *Libertas :* « Plures rempublicam volunt ab Ecclesia sejunctam et penitus et totam, ita ut in omni jure societatis humanæ, in institutis, moribus, legibus, reipublicæ muneribus, institutione juventutis, non magis ad Ecclesiam respiciendum censeant, quam si esset omnino nulla ; permissa ad summum singulis civibus facultate ut privatim, si libeat, dent religioni operam. — Alii quominus Ecclesia sit non repugnant, neque enim possent : ei tamen naturam juraque propria societatis perfectæ eripiunt, nec ejus esse contendunt facere leges, judicare, ulcisci, sed cohortari dumtaxat, suadere, regere sua sponte et voluntate subjectos. Itaque divinæ hujusce societatis naturam opinione adulterant, auctoritatem, magisterium, omnem ejus efficientiam extenuant et coangustant, vim simul potestatemque civilis principatus usque eo exaggerantes, ut sicut unam quamvis e consociationibus civium voluntariis, ita Ecclesiam Dei sub imperium ditionemque reipublicæ subjungant. »

3. Cfr. supra, n. 110 : illuc pertinent Cleri Gallicani, art. 1 et 2.

4. Cfr. supra, n. 111-113.

riorum actus subjiciuntur acceptationi populi et placito gubernorum (1), sive quoad *vim* et *efficaciam*, quatenus præcepta ecclesiastica non habentur nisi ut leviter obligantia (2), directiva, non vere coactiva (3), etc. — *e*/ Sub alia multiplici forma liberalismus rejicit omnem auctoritatem civilem (4), vel ejus originem a populo repetit, minime a Deo, adeoque ipsam facit inefficacem et populari voluntate mutabilem (5), vel ipsius attributa indebite restringit, proclamando ei non competere facultatem *coercendi malum morale et religiosum*, sed civibus inesse a natura jus inviolabile quamlibet religionem absque civili impedimento profitendi, quaslibet opiniones et doctrinas verbo et scriptis disseminandi (6). — Tandem *f*/ ad liberalismum pertinet *negatio* aut *diminutio legitimæ auctoritatis domesticæ*, qua fit ut nati obedientiam et obsequium parentibus detrectent (7).

250. *Theologice liberalismus reatum continet,*

Itaque character generalis *liberalismi* est, excusso auctoritatis divinæ immediatæ vel mediatæ suavi jugo, homini asserere jus ut vel absolute pro libitu agat, vel saltem in sua actione non impediatur (8). Patet componi non posse hujusmodi libe-

1. Cfr. supra, n. 122, 123. — 2. Cfr. n. 133. — 3. Cfr. n. 145.

4. Cfr. supra, n. 44, 214, 222, et præsertim Leonis XIII encycl. *Quod Apostolici*.

5. Cfr. supra, n. 44 : huc spectant Leonis XIII encyclicæ *Diuturnum, Humanum genus, Immortale Dei*.

6. Cfr. supra, n. 230; et præsertim encycl. *Immortale Dei, Libertas*.

7. Cfr. supra, n. 104 : huc spectant Leonis XIII encycl. *Quod Apostolici, Arcanum, Humanum genus, Immortale Dei*.

8. Præclare in hunc sensum scripsit Sauvé, *op. cit.*, c. 2 : « Le libéralisme consiste dans la négation plus ou moins accentuée de la dépendance de l'homme envers Dieu et envers ceux qui participent à son autorité souveraine. — Il suffit, en effet, de nier la juste dépendance de l'homme à l'égard de l'autorité divine ou de l'autorité humaine, ou de contester l'un des droits qui compètent à l'une ou l'autre autorité pour être entaché d'erreur libérale; et il suffit de reconnaître la juste dépendance de l'homme à l'égard de toute autorité qui a le droit de lui intimer des ordres ou des lois, et de ne contester aucun droit appartenant à une autorité légitime pour être exempt d'erreur libérale. — D'après cela, on pourrait distinguer autant d'espèces de libéralisme qu'il y a d'autorités légitimes auxquelles l'homme doit être soumis; ainsi on appellerait libéralisme *athée* le libéralisme qui nie Dieu et son autorité ; libéralisme *antichrétien* ou *anticatholique*, le libéralisme qui nie l'autorité de Jésus-Christ, incarnée dans l'Eglise catholique; libéralisme *antisocial*, le libéralisme qui nie l'autorité politique, fondement de la société civile; et libéralisme *antidomestique*, celui qui nie l'autorité conjugale ou paternelle. — Et comme on peut nier la dépendance ou de l'*individu* ou de la *société elle-même* à l'égard de l'autorité légitime, il importe de distinguer

ralismum cum professione fidei catholicæ, siquidem vel apertam hæresim vel gravem errorem continet. Eum alii propugnant expresse et doctrinaliter, alii tenent magis implicite et practice: ita falsis liberalismi principiis imbuti non immerito reputari possunt, qui modernas libertates admittere parati sunt sine stricta necessitate, sine justa moderatione, et ut debitas (1). At nulla perversi liberalismi nota inuri possunt illi qui vindicant gentis independentiam, gubernium democraticum, regimen *parlamentare* seu *constitutionale,* libertates locales et civicas : nec illi qui, propter sufficientem boni publici causam, judicant moderatas cultus, conscientiæ, scriptionis, institutionis libertates, titulo dispositionum legalium, concedendas (2).

251. Innititur autem liberalismi error confusioni rerum prorsus distinctarum, quæ nominibus *independentiæ* et *libertatis* designantur.

logice multiplicem confusionem involvit.

Imprimis nomine *dependentiæ* in ordine physico et morali exprimitur relatio subordinationis effectus ad causam, principiati ad principium, inferioris ad superiorem, subditi ad dominum; nomine autem *independentiæ* hæc relatio negatur. — Jam vero homo essentialiter pendet tum a Deo Creatore et Domino (3), tum ab ordine a Deo constituto in familia, in republica, in Ecclesia : ita filius pendet a parentibus, civis a gubernantibus, fidelis a pastoribus (4).

Deinde *a/* nomine *libertatis* generatim designatur ea prærogativa qua agens est *in manu consilii sui,* et dominium habet

aussi le *libéralisme individuel du libéralisme social,* je veux dire le libéralisme qui consiste dans l'affranchi sement illicite de l'individu à l'égard de l'autorité divine ou humaine, d'avec le libéralisme qui consiste dans l'affranchissement illicite de la société ou du gouvernement en qui elle se personnifie, à l'égard de l'autorité investie du droit de lui commander. »

1. Cfr. cit. encycl. *Libertas;* item encycl. *Immortale Dei.*

2. Leo XIII, encycl. *Libertas.*

3. Cfr. supra, n. 54 ; ita Leo XIII, cit. encycl. : « Nullum velle homini aut societati civili cum Deo creatore ac proinde supremo omnium legislatore intercedere vinclum, omnino naturæ repugnat, nec naturæ hominis tantum, sed rerum omnium procreatarum: quia res omnes effectas cum causa, a qua effectæ sunt, aliquo esse aptas nexu necesse est: omnibusque naturis hoc convenit, hoc ad perfectionem singularum pertinet, eo se continere loco et gradu, quem naturalis ordo postulat, scilicet ut ei, quod superius est, id quod est inferius subjiciatur et pareat. »

4. Cfr. Leonis XIII encycl. *Quod Apostolici, Humanum genus, Immortale Dei.*

suarum operationum : libertati opponitur *servitus, vinculum.* — *b*/ Triplex potissimum libertas distinguenda est, nempe libertas *intrinseca, naturalis* seu liberum arbitrium, quæ est facultas physica eligendi ; libertas *moralis,* seu jus agendi aut non agendi ; libertas *extrinseca,* seu expedita facultas ad operandum : primæ opponitur servitus *determinationis,* secundæ servitus *obligationis,* tertiæ servitus *coactionis.* — Jam vero *c*/ homo libertate *naturali* a Deo donatus est, et quidem tali ut, in præsenti vitæ conditione, non solum possit *eligere,* sed etiam possit deficiendo eligere *malum* (1) ; at libertas ista naturalis minime implicat libertatem *moralem :* nam licet Deus homini conferre potuerit facultatem physicam eligendi malum, non potuit tamen ei conferre facultatem moralem seu jus operandi malum, sed necessario debuit malum prohibere ; unde patet, legem et obligationem esse consectarium quoddam libertatis naturalis et præsidium adversus ipsam (2) ; non magis naturalis libertas *extrinsecam* libertatem implicat ; nam licet Deus malum, quod prohibet, non impediat, ab eo tamen avertit variis mediis, tum internis tum externis ; inter ista autem media est communicatio *potestatis* ad vim legitimam inferendam (3) : quicumque igitur in ecclesia, in civitate, in familia aliquo gradu divinam hanc potestatem participat, ea uti tenetur ad malum impediendum, nec illud potest permittere, nisi quatenus prudenter impedire nequit (4) ; nunquam autem licet jus

1. Cfr. encycl. *Libertas.*

2. Cfr. supra, n. 52 ; præclare Leo XIII, l. c. : « Cur homini lex necessaria sit, in ipso ejus libero arbitrio, scilicet in hoc, nostræ ut voluntates a recta ratione ne discrepent, prima est causa, tanquam in radice quærenda. Nihilque tam perversum præposterumque dici cogitarive posset quam illud, hominem, quia natura liber est, idcirco esse oportere legis expertem : quod si ita esset, hoc profecto consequeretur, necesse ad libertatem esse non cohærere cum ratione : cum contra longe verissimum sit, idcirco legi oportere subesse, quia est natura liber. Isto modo dux homini in agendo lex est, eumdemque præmiis pœnisque propositis ad recte faciendum allicit, a peccando deterret. » — 3. Cfr. supra, n. 39, 44, 144.

4. Cfr. supra, n. 112, 219 ; ita Leo XIII, cit. encycl. « Ipse providentissimus Deus cum infinitæ sit bonitatis, idemque omnia possit, sinit tamen esse in mundo mala, partim ne ampliora impediantur bona, partim ne majora mala consequantur. In regendis civitatibus rectorem mundi par est imitari : quin etiam, cum singula mala prohibere auctoritas hominum non possit, debet *multa concedere atque impunita relinquere, quæ per divinam tamen providentiam vindicantur, et recte.* (S. August., *de lib. arb.*, lib. 1, cap. 6, num. 14.) Verumtamen in ejusmodi rerum adjunctis, si communis boni causa et hac tantum causa, potest vel etiam debet lex hominum ferre tole-

ad malum attribuere (1). — Hinc *d/* facile intelligitur, libertatem, quæ hominem perficit et expeti debet, non consistere in potestate deficiendi, nec in facultate deficiendi impune, sed consistere in expedita facultate operandi bene et conformiter ad finem (2): hanc facultatem sicut gratia roborat, ita lex dirigit ac tuetur (3): unde tandem apparet, in justæ legis imperio non tam *onus* quam *beneficium* agnoscendum, e contra in legis defectu reperiri imperfectionem socialem, non civilem progressum (4).

---

ranter malum, tamen nec potest nec debet id probare aut velle per se : quia malum per se cum sit boni privatio, repugnat bono communi, quod legislator, quoad optime potest, velle ac tueri debet. Et hac quoque in re ad imitandum sibi lex humana proponat Deum necesse est, qui in eo quod mala esse in mundo sinit, *neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, sed vult permittere mala fieri, et hoc est bonum.* (S. Th., p. I, q. XIX, a. 9, ad. 3). Quae Doctoris Angelici sententia brevissime totam continet de malorum tolerantia doctrinam. »

1. Cfr. supra, n. 230; ita cit. encycl. docet Leo XIII : « Nequaquam licere petere, defendere, largiri, cogitandi, scribendi, docendi, itemque promiscuam religionum libertatem, veluti *jura* totidem, quæ homini natura dederit. Nam si vere natura dedisset, imperium Dei detrectari jus esset, nec ulla temperari lege libertas humana posset. »

2. « Igitur in hominum societate libertas veri nominis non est in eo posita ut agas quodlibet, ex quo vel maxima existeret turba et confusio in oppressionem civitatis evasura, sed in hoc ut per leges civiles expeditius possis secundum legis æternæ præscripta vivere. » Leo XIII, cit. encycl.

3. Cfr. supra, n. 52, 65, 85, 108, etc. Ita Leo XIII, l. c. : « Natura igitur libertatis humanæ, quocumque in genere consideretur, tam in personis singulis quam in consociatis, nec minus in iis qui imperant quam in iis qui parent, necessitatem complectitur obtemperandi summæ cuidam æternæque rationi, quæ nihil est aliud nisi auctoritas jubentis, vetantis Dei. Atque hoc justissimum in homines imperium Dei tantum abest ut libertatem tollat aut ullo modo diminuat, ut potius tueatur, ac perficiat. Suum quippe finem consectari et assequi omnium naturarum est vera perfectio : supremus autem finis, quo libertas aspirare debet humana, Deus est. »

4. Cfr. supra, pag. 447, not. 2 ; ita etiam in cit. encycl. : « Sed confitendum est, si vere judicari velit, quanto plus in civitate mali tolerari pernecesse est, tanto magis distare id genus civitatis ab optimo : itemque tolerantiam rerum malarum, cum pertineat ad politicæ præcepta prudentiæ, omnino circumscribi iis finibus oportere, quos caussa, id est salus publica postulat. Quare si saluti publicæ detrimentum afferat et mala civitati majora pariat, consequens est eam adhiberi non licere, quia in his rerum adjunctis abest ratio boni. Si vero ob singularia reipublicæ tempora usuveniat, ut modernis quibusdam libertatibus Ecclesia acquiescat, non quod ipsas per se malit, sed quia permissas esse judicat expedire, versis in meliora temporibus, adhibitura sane esset libertatem suam, et suadendo, hortando, obsecrando studeret, uti debet, munus efficere sibi assignatum a Deo, videlicet sempiternæ hominum saluti consulere. Illud tamen perpetuo verum est, istam omnium et ad omnia libertatem non esse, quemadmodum pluries diximus, expetendam per se, quia falsum eodem jure esse ac verum, rationi repugnat. »

252. *Legis divinæ imperium est veræ libertatis præsidium.*

Sicut destinatio ad Deum fundamentum est humanæ dignitatis omniumque humanorum jurium (1), ita submissio sub lege divina est tutissimum refugium humanæ libertatis : profecto ubi dominatur lex divina, homo non subjicitur vi materiali fortiorum : nemo enim aliis imperare potest, cui non suffragatur legitimus titulus (2); — non oneratur innumeris præscriptionibus : sola enim ea imponi possunt quæ necessaria, quæ vere utilia, quæ justa (3); — non gubernatur arbitrarie, siquidem obligationum quantitas, distributio, duratio, non pendent a mera superioris voluntate (4) : — vere igitur humanæ libertatis tutela est divina auctoritas (5).

Vicissim, sicut in negatione destinationis ad Deum continetur destructio personalitatis humanæ (6), ita ex negatione divinæ legis sponte oritur verae libertatis destructio : « Hoc enim fixo et persuaso, homini antistare neminem, consequitur caussam efficientem conciliationis civilis et societatis non in principio aliquo extra aut supra hominem posito, sed in libera voluntate singulorum esse quærendam : potestatem publicam a multitudine velut a primo fonte repetendam, prætereaque, sicut ratio singulorum sola dux et norma agendi privatim est singulis, ita universorum esse opportere universis in rerum genere publicarum. Hinc plurimum posse plurimos : partemque populi majorem universi juris esse officiique effectricem (7). »

1. Cfr. n. 8. — 2. Cfr. supra, n. 45, 46, 47, 108-110, 216-217.
3. Cfr. supra, n. 45, 46, 104, 111, 112, 218, 219, 226, 227, etc.
4. Cfr. supra, n. 135, 169, 185, 198, 224, etc.
5. Ita Leo XIII, encycl. *Libertas* . « Eorum vero qui præsunt non in eo sita libertas est, ut imperare temere et ad libidinem queant, quod pariter flagitiosum esset et cum summa etiam reipublicæ pernicie conjunctum, sed humanarum vis legum hæc debet esse, ut ab æterna lege manare intelligantur, nec quidquam sancire quod non in ea, veluti in principio universi iuris, contineatur. Sapientissime Augustinus, *(De lib. Arb.*, lib. 1, cap. 6, n. 15) : *Simul etiam te videre arbitror, in illa temporali (lege) nihil esse justum atque legitimum quod non ex hac æterna (lege) sibi homines derivarint.* » Si quid igitur ab aliqua potestate sanciatur, quod a principiis rectæ rationis dissideat, sitque reipublicæ perniciosum, vim legis nullam haberet, quia nec regula justitiæ esset, et homines a bono, cui nata societas est, abduceret. » Et paulo inferius : « Verum ubi imperandi ius abest, vel si quidquam præcipiatur rationi, legi æternæ, imperio Dei contrarium, rectum est non parere, scilicet hominibus, ut Deo pareatur. Sic, præcluso ad tyrannidem aditu, non omnia pertrahet ad se principatus; sua sunt salva jura singulis civibus, sua societati domesticæ, cunctisque reipublicæ membris, data omnibus veræ copia libertatis, quae in eo est, quemadmodum demonstravimus, ut quisque possit secundum leges rectamque rationem vivere. »
6. Cfr. supra, n. 8. — 7. Leo XIII, encycl. *Libertas;* cfr. Syll., pp. 39, 56, 60.

PARS SECUNDA.

DE CONSCIENTIA.

Sectio I.

De conscientiæ definitione et speciebus et vi obligatoria conscientiæ.

253. *Nominis significatio primitiva et derivata.*

PRIMITIVA significatione et vi etymologica conscientia est *communis plurium scientia* (1). — Significatione autem derivata conscientia dicitur tum *sensus intimus,* omnibus communis, quo cognoscimus nos existere, intelligere, velle, agere (2); tum *memoria* eorum, quæ voluimus atque egimus (3); tum generatim *notitia,* quam unusquisque penes se habet alicujus rei (4). — Similiter derivata significatione conscientia dicitur intima illa *cognitio habitualis principiorum legis naturalis,* quæ ab omnibus cum ratione acquiritur (5); item hujus cognitionis *applicatio* ad particularem operationem hic et nunc exercendam (6); insuper operationis transactæ *æstimatio*

1. Sic Tullius, *Cat.* I, 1: « Constrictam jam omnium horum conscientia teneri conjurationem tuam non vides? » Tacitus, *Agr.* 2: « Illo igne conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur. » Eodem fere sensu, Gen. XLIII, 22: « Non est in nostra conscientia quis posuerit eam in marsupiis nostris. »

2. Ratione hujus significationis scriptores medii ævi conscientiam derivabant a *cordis scientia;* ita v. g. *in Tractatu de interiori domo* (qui inter opera Hugonis a S. Victore vel S. Bernardi recenseri solet), c. II: « Conscientia est cordis scientia... Cor enim et se novit sua conscientia, et multa alia. Quando novit se, appellatur conscientia: quando præter se alia, nominatur scientia. » (Migne CLXXXIV, 517).

3. Hoc sensu Eccl. VII, 23: « Scit conscientia tua quia et tu crebro maledixisti aliis. »

4. Ita S. Paulus, II Cor. IV, 2: « In manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. » Et rursus, V, 11: « Spero autem et in conscientiis vestris manifestos nos esse. »

5. Cfr. supra, n. 68; S. Thomas, I, q. 79, a. 12 et 13.

6. Hoc sensu ab Origene, *Rom.,* c. 2, n. 9, conscientia dicitur spiritus corrector et pædagogus animæ, ut de melioribus nos admoneat. — Apud S. Joannem Chrysostomum, conscientia est tum habitualis *cognitio* legis, tum ejus *applicatio* ad operationes; ita v. g. *In Gen.,* hom. LIV, n. 1: « Nullus prætexat quod ignorans virtutem negligat, vel quod non habeat aliquem viæ ducem et demonstratorem. Sufficientem enim magistrum habemus *conscientiam,* et fieri non potest ut quis illo adjumento privetur. Nam simul cum formatione hominis insita est *scientia* faciendorum et non faciendorum. » *In ps.* CXLVII, n. 3: « Scriptam legem nulli alii dedit (nisi populo Israelitico); naturalem enim intus habebant omnes, personantem quid sit bonum, quid secus. Cum enim hominem Deus fingeret, simul etiam hoc illi indidit incor-

moralis secundum legis principia (1). — In præsenti agendum de conscientia prout est regulæ moralis objectivæ habitualiter cognitæ applicatio directiva ad particularem operationem (2).

ruptum judicium, nempe uniuscujusque suum *conscientiæ* calculum. » Similiter *Ad pop. Ant.*, hom. XII, n. 3: « Quid est lex naturalis? *Conscientiam* Deus nobis formavit, et effecit, ut a nobis ipsis sponte haustam haberemus cognitionem bonorum et contrariorum. » Et *De Anna*, serm. I, n. 3: « Duo nobis a principio dati sunt a natura doctores, creatura et conscientia, qui sine voce ulla homines instituebant. Nam et creatura conspectu suo spectatorem obstupefaciens, illum cuncta cernentem, ad ejus, qui ipsam condidit, admirationem traducit: conscientia vero quæ intus dictat, omnia quæ facienda sunt suggerit, ejusque virtutem et judicium ex ipso rerum aspectu deprehendimus. »

1. Hoc sensu Rom. II, 15 conscientia dicitur reddere testimonium. inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus. — Evidens est, conscientiam, prout est moralis æstimatio actionis transactæ, pendere a conscientia prout est applicatio legis ad actum ponendum : utriusque differentiam pulchre exponit S. Thomas, *De veritate*, q. 17, a. 1 : « Secuncum modum applicationis, quo notitia applicatur ad actum, ut sciatur an actus sit rectus vel non, duplex est via. Una secundum quod per habitum scientiæ dirigimur in aliquid faciendum vel non faciendum. Alio modo secundum quod actus postquam factus est examinatur ad habitum scientiæ an sit rectus vel non rectus. Et hæc duplex via in operativis distinguitur secundum duplicem viam quæ est in speculativis : scilicet viam quæ est inveniendi et judicandi. Illa enim via, qua per scientiam inspicimus quid agendum est, quasi consiliantes, est similis inventioni, per quam ex principiis investigamus conclusiones. Illa autem via, per quam ea, quæ jam facta sunt, examinamus et discutimus an recta sint, est sicut via judicii, per quam conclusiones in principia resolvuntur. Secundum autem utrumque applicationis modum nomine conscientiæ utimur. Secundum enim quod applicatur scientia ad actum, ut dirigens ipsum, secundum hoc dicitur conscientia instigare, vel inducere, vel ligare ; secundum vero quod applicatur scientia ad actum per modum examinationis eorum quæ jam acta sunt, sic dicitur conscientia accusare vel remordere, quando id quod factum est, invenitur discordare a scientia ad quam examinatur ; defendere autem vel excusare, quando invenitur id quod factum est, processisse secundum formam scientiæ. »

2. De *conscientia* sæpe loquuntur Sancti Patres, et quidem egregie, non tamen ex professo, nec ita ut quæstiones ad ipsam spectantes sub omni respectu expendant. — Exstant de conscientia opuscula, ascetica potius quam theologica, medio ævo conscripta tum ab Anonymo, quem olim S. Bernardum reputabant (Migne CLXXXIV et rursus idem CCXIII), tum a Petro Cellensi (Migne CCII). — Vix aliquid de conscientia nobis exhibent primi Scholastici, Robertus Pullus, Lombardus, Petrus Pictaviensis. — Plenius rem evolvere incipiunt Alex. Alensis in *Summæ* p. II, q. 74 et etiam q. 121, ac, post ipsum, Magistri *Commentatores*, in II, dist. 24, et præsertim dist. 39, ubi legantur S. Bonaventura, Angelicus, Petrus de Tarentasia, Richardus de Media Villa, Aegid. Romanus, Scotus, Dionysius Carthusianus, Gab. Biel. — S. Thomas conscientiam explicat non solum in Commentariis *super Magistrum*, sed præcipue in *Summa*, I p., q. 79, a. 13 ; I-2, q. 19, a. 5 ; *De verit.*, q. 17 ; *Quodl.* III, a. 26 et a. 27. — Angelici *Commentatores* agere solent de conscientia in I-2, q. 19 ; cfr. *Intr.*, n. 173 et n. 182 ; Moralistæ autem in limine suorum operum : cfr. *Intr.*, n. 175

Hoc sensu intellecta conscientia est *actus,* non *habitus* (1) ; et quidem actus *intellectus,* non voluntatis (2) ; — actus ille est verum *judicium,* seu *dictamen,* non mera intellectus *apprehensio* immo nec *suspensio* mentis inter affirmationem et negationem hærentis (3) ; — versatur autem judicium istud circa operationis liceitatem, scilicet circa ejus relationem ad suam regulam moralem, atque *practicum* est, non *speculativum,* id est, respicit liceitatem actionis in *particulari* et in *concreto* spectatæ, non liceitatem actionis spectatæ *in genere* et in *abstracto ;* immo est *proxime practicum,* nimirum respicit instantem ipsius judicantis operationem, seu in mente operantis prælucet voluntati et operationi. 254. *Conscientiæ descriptio analytica :*

Ex quibus patet, conscientiam differre a synderesi, scientia morali, prudentia, licet ab iis pendeat. — Differt a prædictis, quatenus *synderesis* est habitus primorum principiorum moralium ; *scientia,* cognitio conclusionum generalium ; *prudentia,* æstimatio recta circumstantiarum in ordine ad obligationes. — Pendet ab iisdem, quia earum unaquæque ad ipsam efformandam concurrit (4) : conscientia enim aliud non est quam *con-* *ejusdem distinctio a synderesi, scientia, prudentia :*

184, 192. — Quamvis decursu ætatum hæc materia plene enucleata fuerit, fatendum tamen est, tractatum de conscientiâ, ab Angelico inchoatum, perfectum et absolutum non fuisse nisi sæculo XVI tum a Scholasticis et Casuistis, imprimis a Suarez, in 1-2, tr. III, disp. 12, tum præsertim ab illis qui opera specialia ediderunt: cfr. *Intr.,* n. 176, 185, 186, 193. — Præter Theologos Catholicos, varii scriptores acatholici de conscientia egerunt, sive in operibus generalibus, sive etiam specialibus tractatibus; hujusmodi sunt: Jer. Taylor, *Doctor Dubitantium, The rule of conscience ;* Ladd, *Philosophy of Conduct ;* J. D. Robertson, *Conscience: An essay to work a new analysis, deduction and development of conscience ;* Wilhem Schmidt, *Das Gewissen ;* Elsenhans, *Wesen und Entstehung des Gewissens.*

1. Ita S. Thomas, I p., q. 79, a. 13 ; in II, dist. 24, q. 2, a. 4 ; *De verit.,* q. 17, a. 1. E contra S. Bonaventura, in 2, dist. 39, a. 1, q. 2, docet eam esse habitum, et ib. q. 2, quærit utrum sit habitus *innatus,* an *acquisitus.* — Cæterum potest esse quæstio de nomine ; solet enim etiam *conscientia* vocari *permanens illa obligationum cognitio et sollicitudo,* cui vita moralis tota innititur : sane quando loquimur de conscientia tenera, scrupulosa, laxa, sæpe animi statum et habitum præ oculis habemus. Cfr. Suarez, disp. XII, s. 1, n, 4.

2. Scholastici passim conscientiam ad intellectum referunt ; Gandavensis tamen *Quodl.,* I, q. 18, contendit eam ad voluntatem pertinere : potest iterum hæc quæstio esse de nomine ; nam sæpe conscientia vocatur *prompta voluntas obligationem adimplendi :* cfr. Suarez., l. c,, n. 1 et 2.

3. Solet quidem apud theologos sermo haberi de conscientia *dubia ;* at hujusmodi conscientia non est conscientia proprie dicta.

4. Ita S. Thomas, in II, dist. 24, q. 2, a. 4 : « Sciendum est quod... ratio in eligendis et fugiendis, quibusdam syllogismis utitur. In syllogismo autem

clusio syllogismi, cujus *major* continet principium aliquod generale seu legis præceptum vel prohibitionem cognitam : *minor* autem est aliqua enuntiatio facti, qua hæc vel illa actio aut omissio, hic et nunc voluntati proposita, judicatur sub eadem illa lege comprehendi, vel secus (1).

definitio. Egregia itaque est definitio qua apud Angelicum conscientia dicitur « applicatio scientiæ ad aliquem specialem actum (2). » Optime etiam apud Suarez conscientia describitur « actuale et practicum judicium intellectus discernentis de rebus agendis inter bonum et malum, turpe et honestum, præceptum vel prohibitum (3) » ; et apud Sanchez : « Judicium rationis voluntati proponens objectum tanquam honestum vel turpe (4). »

est triplex consideratio, secundum tres propositiones, ex quarum duabus tertia concluditur. Ita etiam contingit in proposito, dum ratio in operandis ex universalibus principiis circa particularia judicium assumit. Et quia universalia principia juris ad synderesin pertinent, rationes autem magis appropriatæ ad opus pertinent ad habitus, quibus ratio superior vel inferior distinguuntur, synderesis in hoc syllogismo quasi majorem ministrat, cujus consideratio est actus synderesis ; sed minorem ministrat ratio superior vel inferior, et ejus consideratio est ipsius actus ; sed consideratio conclusionis elicitæ, est consideratio conscientiæ. Verbi gratia, synderesis hanc proponit : *Omne malum est vitandum ;* ratio superior hanc assumit : *Adulterium est malum, quia lege Dei prohibitum ;* sive ratio inferior assumeret illam, *quia ei est malum, quia injustum sive inhonestum ;* conclusio autem, quæ est, *adulterium hoc esse vitandum,* ad conscientiam pertinet... Et secundum hunc modum patet, qualiter differant synderesis, lex naturalis et conscientia : quia lex naturalis nominat ipsa universalia principia juris (cfr. supra, n. 71), synderesis vero nominat habitum eorum ; conscientia vero nominat applicationem quamdam legis naturalis ad aliquid faciendum per modum conclusionis cujusdam. »

1. Hæc syllogismi practici expositio non opponitur expositioni datæ a S. Thoma, textu mox allegato, sed eam complet ; Angelicus enim totus est in explicanda ratione qua conscientia descendat a principiis universalibus, non autem expresse ibi memorat elementum facti, quod conscientia continet. Hoc elementum facti distinctius indicatur 1-2, q. 76, a. 1 : « Ratio secundum duplicem scientiam est humanorum actuum directiva, scilicet secundum scientiam universalem et particularem. Conferens enim de agendis utitur quodam syllogismo, cujus conclusio est judicium seu electio vel operatio ; actiones autem in singularibus sunt ; unde conclusio syllogismi operativi est singularis. Singularis autem propositio non concluditur ex universali, nisi mediante aliqua propositione singulari ; sicut homo prohibetur ab actu parricidii per hoc quod scit patrem non esse occidendum, et per hoc quod scit hunc esse patrem. » — Cæterum dum conscientia dicitur conclusio syllogismi, non intelligitur syllogismus formalis ; cfr. Terillus, *De const. prob.*, q. 12, ass. 4.

2. S. Thomas, ll. cc. passim.

3. Suarez. tr. III, disp. 12, s. 1, n. 5.

4. Sanchez, *De præc. Dec.*, lib. I, c. 9, n. 1.

Quibuscumque tandem verbis declaretur, conscientia est *iudicium de formali operationis liceitate voluntati prælucens.*

255. *Conscientia est regula proxima operationum,*

Conscientia modo descripta est regula ad quam humanæ actiones necessario sunt exigendæ. Cum enim intime noverit homo, se a Deo absolute dependere, sub lege Dei plene constitutum, non potest præ oculis non habere Dei voluntatem in omni sua operatione; adeoque consideratio moralitatis quamvis aliam considerationem utilitatis aut delectabilitatis antecedere ac dominari debet (1). Et illa quidem moralitatis consideratio spontanea est, cum animæ innata sit Dei legislatoris ac supremi Domini cognitio (2); contingere tamen potest ut homo vita perversa conscientiam moralem fere aboleat, atque cupiditatibus unice intentus, passim agat absque ullo actuali respectu ad actionis rectitudinem.

256. *a regula remota vim suam mutuans,*

Est autem conscientia regula operationis proxima et subjectiva, inde vim obligandi habens quod regulam remotam et objectivam applicet. Quod brevi et præclara formula expressit S. Bonaventura: « Conscientia est sicut præco Dei et nuntius; et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo, sicut præco cum divulgat edictum regis » (3). Idem luculenter explicavit S. Thomas: « Ita se habet imperium alicujus gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis, illo modo ligationis, qui voluntati accedere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales necessitate coactionis. Actio autem corporalis agentis nunquam inducit necessitatem in rem aliam nisi per contactum coactionis ipsius ad rem in qua agit; unde nec ex imperio alicujus regis vel domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur; attingit autem ipsum per scientiam. Unde nullus ligatur per præceptum aliquod nisi mediante scientia illius præcepti... Sicut in corporalibus agens corporale non agit nisi per contactum, ita in spiritualibus præceptum non ligat nisi per scientiam; et ideo, sicut est eadem vis qua

1. Wirceburgenses, *De act. hum.*, a. 5, n. 179, argumentum ita proponunt: « Cum voluntas tanquam potentia cæca dependeat a ratione, et dirigi ac gubernari debeat; ut voluntas recta sit, debet præcedere recta ratio, quæ per judicium conscientiæ ostendat rectitudinem et honestatem actionis. »
2. Cfr. supra, n. 79.
3. S. Bonaventura, in II, dist. 39, a. 1, q. 3, ad 3.

tactus agit, et qua virtus agentis agit, cum tactus non agat nisi ex virtute agentis, et virtus agentis non nisi mediante tactu : ita eadem virtus est qua præceptum ligat et qua conscientia ligat, cum præceptum non liget nisi per virtutem scientiæ, nec scientia nisi per virtutem præcepti. Unde, cum conscientia nihil aliud sit quam applicatio notitiæ ad actum, constat quod conscientia ligare dicitur vi præcepti divini. » Ex quibus statim resolvit « dicendum quod homo non facit sibi legem : sed per actum suæ cognitionis, qua legem ab alio factam cognoscit, ligatur ad legem implendam (1). »

257. *inviolabilis.* *Ita regula operationum est conscientia, ut eam, si debitæ qualitates adsint, semper sequi liceat, nunquam autem fas sit contra eam præcipientem vel prohibentem agere.* Ratio primæ partis assertionis est, quia operari secundum conscientiam includit voluntatem bonam, quum hoc nihil sit aliud quam facere illud quod judicamus a Deo præceptum vel saltem permissum. Diximus, *si debitæ conditiones adsint,* quia non omnis conscientia est recta operationum regula (2). — Ratio secundæ partis est, quia operari contra conscientiam includit voluntatem malam, quum nihil aliud sit quam facere illud quod prohibitum esse judicamus (3). Huc pertinent verba Apostoli : « Omne quod non est ex fide peccatum est (4) : » quibus consonat Innocentius III : « Quidquid fit contra conscientiam ædificat ad gehennam (5); » item S. Thomas : « Omnis voluntas discordans a ratione, sive recta sive errante, semper est mala; ita quod qui contra conscientiam facit peccat (6); » et S. Bonaventura : « Facere contra conscientiam semper est peccatum, quia semper est in Dei contemptum (7). » Diximus fas non esse contra *conscientiam præcipientem vel prohibentem* agere; quia aliter loquendum, ut patet, de conscientia consulente (8). —

1. S. Thomas, *De verit.*, q. XVII, a. 3.
2. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 19, a. 6; in II, dist. 39, q. 3, a. 3; *De verit.*, q. XVII, a. 4; *Quodl.* III, a. 27; *Ad Gal.* v. lect. 1.
3. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 19, a. 5, aliisque locis modo indicatis; Terillus, q. 15, ass. unic. — 4. Rom. XIV, 23.
5. *Decretal.* lib. II, tit. 13, c. 13, *Litteras;* cfr. tit. 36, c. 20 *Quoniam.*
6. S. Thomas, *Quodl.* III, q. 27; cfr. ll. cc.
7. S. Bonaventura, in II, dist. 39, a. 1, q. 3, ad. 1.
8. Cfr. supra, n. 94-96; S. Thomas, *De verit.*, q. 17, a. 3.

Cum igitur non semper fas sit conscientiam sequi, et nunquam liceat contra eam agere, concluditur eam esse aliquando deponendam seu reformandam.

258. Jam distincte exponendum est, quales dotes habere debeat conscientia ut sit recta operationum regula, et qua via possit conscientia recta ab unoquoque efformari. Ut autem utrumque illud facilius intelligatur, omnisque in re implicata aditus præcludatur æquivocationibus ac importunis quæstionibus verbalibus, prius a *Logica* repetemus nonnullas notiones, quæ in tota hac materia sedulo retineantur oportet (1). Absit ut hujusmodi notiones pro theoriæ necessitatibus effingamus! profecto qui cogeretur principia generalia ad suum particulare systema flectere vel accommodare, eo ipso manifeste convinceretur erroris.

Sectio II.

De notionibus generalibus.

259. Cum conscientia sit *judicium* de moralitate operationis, judicium autem possit esse *verum* vel *falsum, certum* vel *incertum,* etc., ea, quæ ad rectæ conscientiæ qualitates et conditiones requiruntur, rite intelligi nequeunt, nisi præ oculis habeantur varii mentis humanæ status respectu veritatis assequendæ.

Jam vero status mentis humanæ respectu veritatis assequendæ tres præcipui sunt : aliquando enim objectum, puta obligatio, lex, clare *manifestatur;* aliquando penitus *latet;* aliquando habetur quædam ejus *apparentia* plus minusve perfecta : in primo casu objectum *cognoscitur,* in secundo *ignoratur,* in tertio *conjectura apprehenditur.*

Caput I.

De objecti cognitione.

260. *Objecti manifestatio ad mentem immediata vel mediata:*

Objecti manifestatio ad mentem duplex est, immediata vel mediata : immediata habetur, quando objectum manifes-

1. Cfr. Liberatore, *Log.,* pars altera. c. 1; Tongiorgi, *Log.,* pars II, c. 2; Zigliara, *Dialect.,* lib. III, c. 4; Palmieri, *Log. crit.,* c. 1, th. 1, 2, 9, 10; c. v, app.; Pesch, *Inst. log.,* tom. I, n. 471 et seq. etc. Utilia etiam reperiuntur ap. Franzelin, in *App. de habitudine rationis humanæ ad fidem divinam,* c. 1 et 2.

tatur *in se* et, pro sua varia indole, percipitur sive per *sensus externos,* sive per *sensum intimum,* sive per *intelligentiam;* mediata vero habetur, quando objectum manifestatur, non in se, sed in quibusdam *signis*, et percipitur *ratiocinatione* vel *fide.* — Signa hæc objectum menti manifestantia vocantur *motiva,* quia intellectum movent ad assentiendum; motiva autem, prout ab ipso objecto proficiscuntur vel aliunde petuntur, dicuntur *intrinseca* seu *rationes,* et *extrinseca* seu *auctoritates.* — Ut patet, manifestatio per signa extrinseca præsupponit in illis quorum auctoritati credimus manifestationem vel immediatam vel mediatam per signa intrinseca.

261. *ei respondet certitudo,*

Manifestationi objecti respondet firma mentis adhæsio et conquiescentia, seu plenus *assensus :* iste autem assensus appellatur *certitudo :* est enim certitudo « firmitas adhæsionis virtutis cognitivæ ad suum cognoscibile ([1]), » vel « determinatio intellectus ad unum ([2]). » — Illa objecti manifestatio quandoque tanta et tam clara est, ut assensum rapiat, extorqueat, necessitet ; et in hoc casu habetur *evidentia* de objecto ; aliquando tanta quidem non est quæ assensum rapiat, attamen talis est quæ assensum firmum postulet; et in hoc casu habetur *certitudo* simpliciter dicta.

metaphysica, physica, moralis,

Jam vero certitudo, ratione *fundamenti*, distinguitur in *metaphysicam, physicam* et moralem : metaphysica fundatur in ipsa idearum essentia et nexu ; physica, in experientia phœnomenorum ; moralis, in communi modo agendi entium liberorum : sic metaphysice certi sumus totum esse majus sua parte ; physice, ignem adurere; moraliter, filios diligi a parentibus ([3]).

varii gradus.

Præterea, ratione *firmitatis* assensus, distinguitur certitudo in *varios gradus* pro variis gradibus manifestationis veritatis : necesse enim est ut gradus firmitatis in assensu generatim respondeat gradui claritatis in manifestatione veritatis, in specie autem gradui dignitatis in motivis rationis et auctoritatis. Hinc merito communis est apud Theologos comparatio inter

1. S. Thomas, in III, dist. 26, q. 2, a. 4.
2. S. Thomas, in III, dist. 23, q. 2, a. 2, quæstiunc. 3.
3. Cfr. Palmieri, l. c., th. 9, ubi hujus distinctionis crisis instituitur. De certitudine morali, specialiter considerari debent Ferd. Brugère, *De vera religione,* appendix prima, *De evidentia morali ;* Newman, *The grammar of assent ;* Ollé-Laprune, *De la certitude morale.*

certitudinem majorem et inferiorem, ita ut alia dicatur *super omnia*, alia *summa*, alia *ordinaria* (1). — Advertendum autem certitudine stricte dicta, quocumque gradu existat, semper excludi formidinem errandi (2).

262. *Certitudo late sumpta.*

Ad certitudinem stricte dictam accedit aliqua certitudo *late dicta*, quæ etiam *moralis, directiva, prudentialis* nuncupatur, quia præcipue in actione vitæ admittitur. Istiusmodi certitudo moralis est « illa rei probabilitas quæ sufficiens est, ut homines prudenter se regant in pluribus suis operationibus, cum veram certitudinem ipsis foret impossibile, vel difficile sibi comparare. Frequenter enim non potest ratio, sub qua voluntas se determinat, suppeditare motiva quæ omne prorsus dubium per se excludant. Tum, cum certe probabile est verum esse quod concipitur, id dicitur moraliter certum, quia sufficiens est motivum, ut homines dicantur prudenter agere, sintque certi se bene agere. Ita fidimus nos amicis, famulis, utimur rebus emptis absque ullo timore, etc. (3). « Huc pertinent Angelici verba : « In rebus contingentibus, sicut sunt naturalia et res humanæ, sufficit talis certitudo ut aliquid sit verum ut in pluribus (4); » ac rursus : « Certitudo non est similiter quærenda in omni materia. In actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia et exiguntur testimonia, non potest haberi *certitudo demonstrativa*, eo quod sunt circa contingentia et variabilia; et ideo sufficit *probabilis certitudo*, quæ ut in pluribus veritatem attingit, etsi in paucioribus a veritate deficiat (5). » — Quinimo, sensu adhuc minus stricto, jamdiu apud theologos, in rebus controversis, *probabilitas notabiliter major*, in qua licet voluntarie aliquomodo conquiescere, pro morali certitudine habetur : ita docet Gerson, « in moralibus sumendam esse certitudinem grosse et figuraliter, quæ certitudo non removet in una parte omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis, licet magis declinet ad istam vel

1. De variis illis firmitatis gradibus agitur etiam in materia fidei ; cfr. Lugo, *De fide*, disp., VI; et tract. noster *De virt. theol.*, n. 101.
2. Cfr. Franzelin, l. c.
3. Palmieri, l. c., th. 9.
4. S. Thomas, 1-2, q. 96, a. 1, ad 3 : cfr. 1-2, q. 91, a. 3, ad. 3.
5. S. Thomas, 2-2, q. 70, a. 2.

ad aliam (1); » similiter tradit S. Antonius, « non consurgere certitudinem moralem ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis grossis et figuralibus magis ad unam partem quam ad aliam se habentibus »; addit autem tali certitudine non semper scrupulos omnes abjici, sed superari (2); » scribit etiam Suarez, « majorem probabilitatem esse quamdam certitudinem moralem, si excessus probabilitatis certus sit (3); » ipse autem Terillus sæpius asserit « majorem probabilitatem, præsertim quando est notabiliter major, esse certitudinem moralem (4). » Notum est, hunc loquendi modum a S. Alphonso non solum fuisse retentum, verum etiam paulo latius extensum (5). — Ex quibus intelligitur, certitudinem hanc late sumptam, sicut ab una parte ad certitudinem proprie dictam accedit, ita ab altera parte accedere ad opinionem. Fundatur enim non in plena veritatis manifestatione, quæ excludat metaphysicam, physicam, aut moralem possibilitatem oppositi, sed in tanta apparentia, quæ raro fallat, ac proinde sufficiat ad prudenter conquiescendum.

263. *Certitudinis connexio cum veritate.*

Assensus certus est per se objecto conformis seu *verus*, adeoque certitudo merito vocatur *necessarius nexus judicii cum veritate*. Et quidem ubi assensus evidentia extorquetur, non

1. Gerson, *De contr.*, p. II, prop. 13; cfr. ejusdem *Tract. de præparatione ad Missam*, consid. 3. — Quid sit « certitudinem sumi *grosse et figuraliter* », « consurgere certitudinem ex conjecturis *grossis et figuralibus* », explicat S. Thomas, *Ethic.*, lib. I, lect. 3 : « Manifestum est, quod materia moralis est varia et difformis. Et quia secundum artem demonstrativæ scientiæ, oportet principia esse conformia conclusionibus, amabile est et optabile, de talibus, id est tam variabilibus, tractatum facientes et ex similibus procedentes ostendere veritatem, primo quidem *grosse*, id est, *applicando universalia principia et simplicia ad singularia et composita*, in quibus est actus. Necessarium est enim in qualibet operativa scientia, ut procedatur modo composito; e converso autem in scientia speculativa, necesse est ut procedatur modo resolutorio, resolvendo composita in principia simplicia. Deinde oportet ostendere veritatem *figuraliter*, id est *verisimiliter*; et hoc est procedere ex propriis principiis hujus scientiæ. Nam scientia moralis est de actibus voluntariis : voluntatis autem motivum est, non solum bonum, sed apparens bonum. »

2. S. Antoninus, *Summa*, p. I, tit. 3, c. 10.

3. Suarez, *De leg.*, lib. VIII, c. 3, n. 19.

4. Terillus, *De consc. prob.*, q. 22, n. 70, 76, 78, 93, 109, 120. Cæterum iste modus loquendi a theologis cujusvis scholæ admittitur : cfr. v. g. Viva, in p. 3 ex damnatis ab Alex. VIII, n. 2 et n. 13; Collet, *De consc.*, c. V, concl. 4; Gazzaniga, *De consc.*, n. 140-141, etc.

5. S. Alphonsus, *De consc.*, n. 55 etc.

potest ei veritas deesse; nec deesse potest quando datur propter motiva quæ absolute et præ quovis intellectu formidinem errandi excludant; at ubi assensus magis voluntarie imperatur, licet morali prudentia præditus sit, non repugnat ut ei subsit falsitas (1). In primo casu existit tum certitudo subjectiva, sc. adhæsio mentis, tum certitudo objectiva, sc. dignitas rationum, adeoque certitudo adest perfecta et infallibilis; in altero casu existit quidem certitudo subjectiva, at certitudo objectiva vel non est sufficiens, vel est solum apparens.

Caput II.

De objecti ignorantia.

264. *Objecti occultatio ex defectu ipsius objecti vel ex defectu intellectus :*

Objecti occultatio oriri potest ex duplici parte, nempe ex parte ipsius objecti, vel ex parte mentis; nam « in omnibus quæ consistunt in quadam habitudine unius ad alterum, potest impedimentum dupliciter ex uno vel ex alio accidere; sicut si lignum non comburatur, hoc contingit vel quia ignis est debilis, vel quia lignum non est bene combustibile; et similiter oculus impeditur a visione alicujus visibilis, aut quia est debilis, aut quia visibile est tenebrosum. Sic igitur potest contingere quod veritas sit difficilis ad cognoscendum, vel propter defectum qui est in ipsis rebus, vel propter defectum qui est in intellectu nostro (2). » In intellectu autem nostro potest esse defectus capacitatis aut applicationis. — Cæterum objectum aliquando occultatur totaliter et sub omni respectu, aliquando solum partialiter et sub uno vel alio respectu.

265. *ei respondet nescientia et ignorantia,*

Objecti occultationi respondet *nescientia* aut *ignorantia :* nescientia « dicit simplicem scientiæ negationem : unde cuicumque deest aliquarum rerum scientia, potest dici nescire illas; secundum quem modum Dionysius in Angelis nescientiam ponit; ignorantia vero importat scientiæ privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum quæ aptus natus est scire (3). » — Huc autem transferendæ sunt ignorantiæ distinctiones *a/* in vincibilem, voluntariam, culpabilem et invinci- *vincibilis vel invincibilis,*

1. Cfr. S. Thomas, ll. cc. ; Franzelin, l. c.
2. S. Thomas, *In metaph.*, lib. II, l. I. — 3. S. Thomas, 1-2, q. 76, a. 2.

antecedens vel concomitans. facti vel juris.

bilem, involuntariam, inculpabilem; *b*/ in antecedentem et concomitantem, *c*/ juris et facti, de quibus jam satis actum est (1); præterea advertendum, dari posse ignorantiam invincibilem non facti tantum et juris humani, verum etiam juris divini et naturalis (2).

266. *Ab ignorantia provenit error.*

Ab ignorantia tanquam a causa provenit *error,* qui est approbatio falsi, seu discrepantia inter id quod mens judicat et rem de qua judicatur; ut enim notat Angelicus, « homines non decipiuntur nisi circa ea quæ ignorant (3); » et S. Augustinus : « Quisquis ullam rem aliter quam ea est, intelligit, fallitur; et omnis qui fallitur, id in quo fallitur, non intelligit. Quisquis igitur ullam rem aliter quam est intelligit, non eam intelligit (4). » — Sicut ignorantia, ita error distinguitur in vincibilem et invincibilem, antecedentem et concomitantem, juris et facti (5).

Caput III.

De objecti apprehensione conjecturali.

267. *Objecti apparentia,*

Inter objecti sufficientem *manifestationem,* cui respondet *cognitio certa,* et completam *occultationem,* cui *ignorantia* respondet, dari potest, ac sæpe datur quædam de ipso *apparentia.* Hæc autem apparentia, licet infra assignatos limites habere possit gradus indefinitos, solet tamen distingui in duplicem gradum generalem, alium minus perfectum, perfectiorem alium : aliquando enim tam parva est apparentia ut vix de objecto quidquam pronuntiare liceat; e contra aliquando sat magna est ut super eo judicium aliquod, utique formidolosum, proferatur.

et probabilitas.

Jam vero perfectior illa apparentia objectum reddit *probabile;* probabile enim, juxta vim nominis, dicitur *quod probari potest* aut *debet* (6). Et quidem per se illud solum probari debet quod *verum* et *bonum* est; et hoc sensu doctrina christiana interdum vocatur *probabilis,* Timotheus autem ab Apostolo monetur ut

1. Cfr. supra, n. 78, 164.

2. Cfr. supra, n. 79, 103, 165; S. Augustinus, *In Joann.*, c. xv, tract. 89, n. 2; S. Thomas, 2-2, q. 10, a. 1.; Vasquez, 1-2, disp 120, c. 3, disp. 121, c. 2. — 3. S. Thomas, *Metaphys.*, lib. iv, l. 6.

4. S. Augustinus, *Lib.*, lxxxiii *quæstionum*, q. 32.

5. Cfr. supra, ll. cc. et insuper n. 191. — 6. Cfr. Facciolati, h. v.

sollicite curet seipsum *probabilem* exhibere Deo (1); per accidens tamen probari etiam illud potest quod, etsi non sit manifeste bonum et verum, nihilominus habet speciem boni et veri; et hoc frequentiori sensu doctrina *probabilis* eadem est ac doctrina *verisimilis,* probabilitas autem pro verisimilitudine sumitur (2).

Igitur strictiori isto sensu, ea propositio seu enuntiatio *probabilis* dicitur, quæ signa veritatis possidet, quamvis ejus veritas non sit manifesta; signa autem illa talia esse debent quæ virum prudentem vi sua movere possint ad propositionem amplectendam; jam vero non poterit vir prudens moveri nisi ea vis et in se magna sit, et non elidatur sufficienti manifestatione oppositi; præ hujusmodi enim oppositi manifestatione signa antedicta neminem prudentem movere valent ad enuntiationem admittendam ut veram, sed haberi debent tanquam signa fallacia et difficultates contra veritatem. Qua de re ita optime scriptum est : « Quando motivum est certum, intellectus prudentis hominis non potest impelli vel sollicitari ad oppositum : et ita nulla hæresis est probabilis; quamvis enim pro hac sæpe sint difficillima argumenta, quæ ideo etiam aliquo sensu dici possunt gravissima, tamen eliduntur per motivum oppositum fidei, quod est certissimum. Unde ad veram probabilitatem secundum omnes requiritur ut neque Scripturæ, neque Traditioni, neque communi Patrum sententiæ, neque rationi certæ adversetur, imo neque communibus Theologorum placitis, nisi horum auctoritatem refringant novæ et majoris momenti rationes (3). »

1. II Tim. II, 15. — Exempla ejusdem sensus plura e jure Romano affert Ch. Lupus, *De opin. prob.*, c. XI.

2. Ita Tullius, *Inv.*, I, 29; « Probabile est id quod fere fieri solet, aut quod in opinione positum est, aut quod habet in se ad hæc quamdam similitudinem, sive id falsum est, sive verum. »

3. Lacroix, lib. I. n. 108; cfr. *Intr.* n. 73-78 — Ad rem J. de Maistre, *Les soirées de Saint-Pétersbourg*, 4e entretien : « Peu importe qu'on puisse opposer à des vérités prouvées certaines subtilités dont le raisonnement ne sait pas se tirer sur le champ; car il n'y a pas de moyen plus infaillible de donner dans les erreurs les plus grossières et les plus funestes que de rejeter tel ou tel dogme, uniquement parce qu'il souffre une objection que nous ne savons pas résoudre. » Mox egregiam formulam generalem proponit : « Toutes les fois qu'une proposition sera prouvée par le genre de preuve qui lui appartient, l'objection quelconque, même insoluble, ne doit plus être écoutée. » Huc etiam referri possunt quæ tempore Concilii Vaticani

268. *Probabilitatis gradus,*

Sicut generatim in objecti apparentia, ita speciatim in apparentia perfectiori quæ probabilitatem producit, varii gradus distingui possunt ac debent; pro majori enim vel minori sua verisimilitudine propositio in se spectata dicitur *vere ac solide probabilis, valde, admodum probabilis* (1), *probabilissima*. — Notandum autem est, ubi objecti apparentia quasi media est inter levem, quæ nihil sinit pronuntiare, et magnam, quæ permittit judicium formidolosum, propositionem vocari *tenuiter, dubie, vix probabilem;* notandum præterea, multis propositionem *probabilissimam* æquivalere *moraliter certæ,* seu *notabiliter probabiliori* (2).

et distinctio in intrinsecam et extrinsecam,

Propositionis probabilitas distinguitur in *intrinsecam* et *extrinsecam*. Probabilitas *intrinseca* dicitur, quæ fundatur in ratione et oritur ex rei ipsius consideratione; *extrinseca* dicitur, quæ fundatur in auctoritate et oritur ex rei auditione aut acceptione; ut enim loquitur S. Augustinus, « nulli dubium est gemino pondere nos impelli ad discendum, auctoritatis atque rationis » (3). — Est autem intima inter utrumque connexio : nam probabilitas extrinseca supponit intrinsecam, et eo usque durat quousque intrinseca præsumi potest; ideo enim ad rem admittendam movemur aliorum affirmatione, quia eos in tali materia doctos ac veraces habemus; quod si in

in sua *Relatione de observationibus* animadvertebant Theologi Pontificii adversus contendentes infallibilitatem definiri non posse nisi prius omnes difficultates ei oppositæ plene solutæ fuerint; aiebant nimirum : « Ad dogmaticam infallibilitatis pontificiæ definitionem necessarium ac sufficiens est, ut Patribus Concilii ex *propriis divinæ revelationis fontibus*, scilicet ex Scriptura et Traditione, constet, esse illam divinitus revelatam : proindeque patrum officium est et munus, hanc divini depositi veritatem pro suo charactere cum auctoritate declarare et proponere; singulas autem aliunde petitas difficultates, quæ illi opponuntur, dissolvere non tam Patrum Concilii res est, quam scholæ theologorum. » Addebant autem : « Est principium in omnibus scientiis receptum, atque ratione multo majori in causis divinæ fidei ob oculos ponendum, quod si de aliqua veritate ex propriis ejusdem fontibus tanquam de thesi constiterit, probabilem quamvis solutionem, vel gravem quamvis rationem sufficere qua contrariæ difficultates seu hypotheses conciliari cum illa valeant. »

1. Exemplum habes ap. S. Gregorium Nazianzenum, *Orat.* XV *in laudem Mach.* : « Ac simul mysticus et arcanus hic sermo est, mihi quidem atque omnibus Dei amore præditis, admodum probabilis : neminem videlicit eorum qui ante Christi adventum numeros omnes virtutis impleverunt, id citra Christi fidem esse consecutum. » Cfr. tract. *De fide*, n. 169. »

2. Cfr. S. Alphonsus, in *Monito*, item. lib. v, n. 76; supra, n. 262.

3. *Cont. Acad.*, lib. III, c. 20 : cfr. supra, n. 260.

casu particulari deprehenderimus ipsos in errore versari, statim eorumdem auctoritas relate ad istum casum evanescet, nec ullo modo ea movebimur (1). — Præterea de probabilitate extrinseca in specie advertendum est, *a*/ eo majorem esse rei probabilitatem, quo plures et in sua materia præstantiores eam affirmant : major enim est in eo casu veritatis præsumptio; *b*/ attamen per se numerum auctorum non sufficere ad probabilitatem constituendam ; *c*/ aliunde unius auctoritate veram gigni posse probabilitatem, sive is primus rem expenderit, sive eam expenderit post alios, sed propter ingenium, eruditionem ac prudentiam, melius expendisse censeri debeat (2) : ita non solum in materia morali sed in quavis alia, historica, juridica, scientifica judicare solemus (3). — Ex quibus facile intelligitur quare et quo sensu ab Alexandro VII damnata fuerit sequens propositio : « Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem (4). »

absolutam et relativam,

Distinguitur etiam probabilitas in *absolutam* et *relativam,* in *publicam* et *privatam.* Probabilitas *absoluta* iis rationibus fundatur, quibus mens humana generatim considerata possit ad assensum prudenter moveri; *relativa* iis fundatur rationibus, quæ alicujus mentem magis minusve flectunt, propter hujus indolem, aliave adjuncta. — Probabilitas *publica* dicitur, quatenus a viris doctis ac probis communiter agnoscitur;

publicam et privatam.

1. Hinc S. Alphonsus de seipso testatur in suo *Monito ad lectorem :* « In delectu sententiarum ingens cura mihi fuit semper rationem auctoritati præponere » ; lib. autem III, n. 547 : « Pro viribus sum conatus semper rationem auctoritati præponere ; et ubi ratio me convicit, non renui auctoribus plurimis contraire » ; et in quadam epist. apolog. : « Ubi agitur de morali sequor id quod mihi dictat conscientia ; et quando ratio mihi persuadet, auctoritatem moralistarum parvipendo. »

2. Ita S. Alphonsus, *Diss.* anni 1755, n. 117. « Dicunt... quod aliquando, licet raro, auctoritas unius Doctoris poterit constituere opinionem probabilem et adhuc probabiliorem contra communem aliorum : si auctor ille sit valde doctus et prudens, nec novitatum amans, et utriusque partis (momenta) sedulo librarit, validamque rationem adducat... Si auctor sit omni exceptione major, et rationem afferat quam alii non considerarint, aut satis non solverint, et e contrario ipse commode solvat rationes oppositas ; tunc dicunt, posse censeri probabilem illam sententiam, licet sit contra communem... Addunt insuper quod si aliquis magnus Theologus testetur aliquam opinionem esse probabilem, jam reddit nos moraliter certos de illius probabilitate. »

3. Cfr. *Intr.*, l. c. — 4. Prop. 27 : cfr. Viva in h. p.

privata autem dicitur, quatenus ab uno tantum vel paucis admittitur. Quod aliqua sententia possit probabilis haberi publice, quin talis habeatur private, et vicissim, satis per se intelligitur; hic tamen sedulo vitari debent duo extrema : videlicet ab una parte cavendum est a nimia fiducia in proprium judicium, et consequenter a præpropera affirmatione (1); ab altera autem parte cavendum a tali proprii judicii diffidentia quæ scepticismum quemdam implicaret (2). — Probabilitatem *absolutam* et *publicam* præ oculis habet Aristoteles, dum opinionem probabilem definit « quæ vera videtur omnibus, vel plurimis, vel sapientibus, atque his vel omnibus, vel plurimis, vel spectatissimis » (3).

solitariam et simultaneam.

Præterea distinguitur probabilitas in *solitariam* et *simultaneam*. Probabilitas *solitaria* dicitur, quando adsunt in favorem

1. Ita Sanchez, *De præc. Decal.*, lib. 1, c. 9, n. 6 : « Opinio probabilis est quæ rationi alicujus momenti innititur, *ita tamen ut pro opposita parte nihil convincens sit*. Unde refert Valentia, tunc manere apud aliquem intra opinionis latitudinem quidpiam, quando sibi persuadet rationes illius solvi posse aut ab ipsomet aut ab aliis ; at si recte vel per errorem insolubiles credat, non manere intra opinionis latitudinem. Quod optime dictum est quamdiu ille ita tenaciter suæ opinioni inhæret, ut certus sit nullatenus rationes illius solvi posse... Nam licet quis rationem peculiarem habeat contra oppositam sententiam, quam ipse solvere nequit, et sibi solvi non posse videatur, non ideo censeri debet, oppositam aliorum sententiam improbabilem esse... Eo vel maxime quod sibi persuadere debeat quotidie contingere inveniri solutionem rationum quas quis insolubiles putabat. »

2. Ab hoc defectu immunes non sunt moderni nonnulli ; omissis aliis, ultra quam par est, progressi videntur S. Alphonsi *Vindices* in sua *diss. proœm.* § 2, III, dum v. g. n. 75, fatentur quidem impossibile non esse ut aliqua opinio S. Alphonsi amittat suam probabilitatem *publicam* ; at existimant vix id contingere posse alia via, quam decernente legitima auctoritate : Verum quidem est, aiunt, cujuscumque opinionis vere probabilis falsitatem aut improbabilitatem ostendi posse etiam *via demonstrationis*. Sed deficiente, ut supponimus, quocumque auctoritatis documento certo et extra controversiam posito, *quis hanc demonstrationem faciet in rebus sua natura disceptabilibus ?* » Cui interrogationi responderi possset *a/* haud satis intelligi quæ sint res illæ morales *natura sua* disceptabiles ; responderi posset *b/* non repugnare ut, quæ latuerunt viros etiam sapientissimos, deprehendantur et persuadeantur a scriptoribus minoris ingenii et auctoritatis : id quotidie contingit in aliis disciplinis, et sæpe contigisse in theologia historice constat. Hinc ad S. Alphonsum et moralistas applicanda videtur regula quam Leo XIII, enc. *Æterni Patris*, quoad S. Thomam et scholasticos proponit, nimirum amplectendam non esse nisi eorum *sapientiam* : « si quid enim est a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quæsitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris ævi doctrinis minus cohærens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est ætati nostræ ad imitandum proponi. »

3. Aristoteles, *Top.*, lib. I c. 1.

sententiæ rationes aliquæ, non quidem convincentes, graves tamen et solidæ, nullæ autem occurrunt in favorem sententiæ oppositæ; probabilitas vero *simultanea* habetur, quando rationes graves adsunt tum pro una sententia tum pro sententia opposita. In hoc autem secundo casu utriusque sententiæ probabilitas æqualis est, vel probabilitas unius major est probabilitate alterius, atque adeo utraque dicitur *æque probabilis,* vel una dicitur *probabilior,* altera *minus probabilis.* — Advertendum enim est *a) objective et a parte rei* minorem sententiæ probabilitatem minime elidi majore probabilitate oppositæ; sane non ideo rationes uni faventes desinunt esse graves quia graviores favent alteri; excessus autem probabilitatis nec hujus veritatem, nec illius falsitatem manifestat, sed utramque intra limites verisimilitudinis relinquit; aliunde ad sententiam cum prudenti *firmitate* amplectendam mens nostra non movetur valore solum relativo argumentorum, sed præsertim eorum valore absoluto. Et ita tenendum etiamsi prædictus probabilitatis excessus sit certus; certitudo enim probabilioritatis alicujus sententiæ minime confundi potest cum ipsius sententiæ certitudine, etiam late sumpta, *nisi agatur de excessu omnino notabili* (1). Iste perfecto est tum philosophorum (2), tum

1. Cfr. supra, n. 262. — Sententia *notabiliter* probabilior S. Alphonso eadem fere est ac sententia *verior*, ut patet ex ipsius declarationibus, in suo *Monito ad lectorem,* nec non in lib. I, *de consc.,* n. 56, et lib. V, n. 76, etc. Quæ autem S. Doctor in ultimis quibusdam scriptis adjecit de excessu *unius gradus* in probabilitate, si stricte sumantur, difficile admitti poterunt ab iis qui communem judicandi modum rebus moralibus applicant. Profecto in nulla materia, excessus *unius gradus* in probabilitate sufficit ut sententia aliqua tanquam moraliter certa habeatur!

2. Ita Liberatore, *Log.,* pars alt., c. I, a. 4, n. 125: « Arbitrantur aliqui probabilitatem minorem unius propositionis in conflictu majoris, qua contradictoria forte gaudet, prorsus elidi et improbabilem reddi. Sed hi vehementer errant. Nam etsi evidens certitudo propositionis cujuspiam contradictoriam falsam efficiat, eique omnem probabilitatem adimat, simile tamen non contingit cum de mera probabilitate, utcumque majori respectu minoris, est quæstio. Utrinque enim motiva militant prudentis assensus; grave autem et sufficiens motivum suo robore non destituitur, tametsi cum graviore conferatur. Magis enim et minus, ut fert effatum, non mutat speciem; nec dignitas inferior in dedecus degenerat, eo quod a majore dignitate superetur; nec subobscurior lux in tenebras vertitur, si cum vividiore luce confligat. Et re quidem vera, probabile, ut diximus, idem est ac dignum quod probetur, id est, quod habet motiva adeo gravia ut prudentem virum ad assensum suadere possint. Jam vero hujusmodi motiva non cessant esse id quod sunt, id est, gravia et digna viro prudenti, propterea quod graviora militant pro altera parte; nisi hæc sint tanti

virorum in quavis disciplina peritorum (1), sentiendi ac dicendi modus, a quo nonnulli moralistæ recentiores videntur nobis immerito recessisse (2). Nihilominus animadvertendum est *b*/ aliquo sensu majore probabilitate minorem elidi *subjective,* quatenus nempe generatim vir prudens, cui una sententia verosimilior apparet, non possit rationabiliter oppositæ adhærere, adeoque hæc ipsi jam *probanda* seu probabilis non est, non quod verisimilitudine careat, sed quod minore sit verisimilitudine prædita; prudentis enim hominis est veritati accedere quantum est possibile : de qua re mox nonnulla distinctius notabuntur.

juris et facti. Tandem probabilitas distinguitur in probabilitatem *juris* et *facti*. Probabilitas *juris* dicitur, quæ circa ipsam legem seu obligationem versatur; est autem speculativa, si versetur circa jus *universale* et *in abstracto,* vel practica, si versetur circa jus *particulare* et *in concreto* (3). Probabilitas *facti* dicitur, quæ versatur circa existentiam rei, actionis, conditionis, et hujus-

ponderis, ut contrariæ partis fundamenta penitus convellant. Donec id accidat, propositio gravibus fulta momentis in sua probabilitate perdurat, etiamsi cum probabiliore contendit. Præterea nullla est repugnantia in hoc quod sententia probabilior sit falsa. Secus, si id impossibile foret, probabilior sententia in certam commutaretur, quod est contra hypothesim de qua loquimur. Ergo, cum sententia minus probabilis possit esse vera, non est cur eam rationabiliter improbemus, seu dicamus esse improbabilem. »

1. Huc pertinent quæ passim inculcantur de requisita modestia in sententiis rejiciendis, de prudentia in amplectendis.

2. Ita recedunt quidam S. Alphonsi discipuli ; cfr. v. g. *Vindices* in sua *diss. apol.*, § 2, a. 2, et seq., ubi sic arguunt : « Eo ipso quod sine ulla hæsitatione aliquam opinionem pronuntio certo probabiliorem, alteram procul dubio duco certo minus probabilem. Atqui opinio certo minus probabilis ea est quæ, juxta apprehensionem intellectus, magis ad falsitatem quam ad veritatem accedit ; seu majorem ingerit menti formidinem erroris, quam spem veritatis. Itaque jure dubitari potest, num opinio, quæ magis formidinem erroris quam spem veritatis certo ingerit, adhuc dici valeat solide, graviter, vere, absolute probabilis. » Comparationem ducunt ab exercitu ad bellum progrediente : « Cum ambo exercitus sunt in conspectu et inspici possunt, timor aut spes victoriæ crescit vel decrescit, pro ratione cognitionis, quam uterque adversarius habet, virium suarum atque alienarum. Quod si demum robur unius partis, omnibus attentis, evidenter ac notabiliter superat robur alterius, certe spes vincendi non evadit magis dubia penes partem priorem, sed fit potius moraliter certa ; quia ex communiter contingentibus victoria cedit notabiliter fortiori. » In quo hujusmodi argumentum et comparatio peccent, facile ex dictis colligitur ; ulterior confutatio legi potest tum apud alios, tum apud Raphaelem a S. Joseph, *Inst. fund. theol. mor., De consc.*, n. 195 et seq.

3. Cfr. supra, n. 253, 254.

modi. — Advertendum autem est, probabilitatis facti gradus aliquando posse numeris exhiberi, aliquando non posse : non possunt, cum probabilitatis motiva depromuntur ab ipsa natura rerum ; possunt vero, cum motiva probabilitatis desumuntur ab aliqua sive eventuum, sive indiciorum multitudine (1).

269. *Objecti apparentiæ respondent*

Objecti *apparentiæ* plus minusve perfectæ respondent *dubitatio*, *suspicio*, *opinio*, de quibus ita S. Thomas : « Quidam actus intellectus habent cognitionem informem, absque firma assensione, sive in neutram partem declinent, sicut accidit *dubitanti*, sive in unam partem magis declinent, sicut accidit *suspicanti*, sive uni parti adhæreant, tamen cum formidine alterius, quod accidit *opinanti* (2). » Et rursus : « Intellectus noster quandoque non inclinatur magis ad unum quam ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in illis problematibus de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem æqualitatem eorum quæ movent ad utramque partem, et ista est *dubitantis* dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis ; quandoque vero intellectus inclinatur magis ad unum quam ad alterum, sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc quod determinet ipsum ad unam partem totaliter ; unde accipit quidem unam partem, tamen semper dubitat de opposita, et hæc est dispositio *opinantis* (3). »

dubitatio,

Itaque *dubitatio* seu status dubii est suspensio judicii inter utramque partem contradictionis. Dubium autem duplex distingui solet, *negativum* et *positivum* : negativum dicitur, cum ex neutra parte rationes ad judicandum occurrunt, vel sunt tantum leves ; positivum dicitur, cum ex utraque parte rationes quædam adsunt, quæ plus minus aut ex æquo intellectum in suam partem inclinant (4). — Suspicio est initialis quædam adhæsio, seu propensio ad judicandum. — Opinio vero est « actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius (5) » ; vel, aliis verbis, « opinio est quasi pro vero habere aliquid quod falsum esse nescias » ; nam

suspicio,

opinio.

1. Cfr. Palmieri, *Op. cit. App. de probabilitate.*

2. S. Thomas, 2-2, q. 2, a. 1. — 3. S. Thomas, *De verit.*, q. 14, a. 1.

4. cfr. S. Thomas, ll. cc. et passim Philosophi ac Theologi, v. g., Lugo, *De sacr. in gen.*, disp. VIII, s. 9, n. 139 ; *De pœn.*, disp. XVI, s. 2, n. 58 et seq. ; S. Alphonsus, *De consc.*, n. 20.

5. S. Thomas, 1 p., q. 79, a. 9, ad 1 ; 2-2, q. 1, a. 4 ; q. 2, a. 9, ad 2.

« opinio certi nihil habens, verum per verisimilia quærit potius, quam apprehendit (1). » — Sedulo autem advertendum, vocabulo *dubitationis* sæpe apud Auctores lato quodam sensu designari omnem statum *incertitudinis* et *formidinis,* ita ut dubitare dicatur non solum ille qui assensum suspendit, sed ille etiam qui opinatur.

Quandonam in specie rationabiliter locus est suspicioni, Jam vero, ubi habetur veritatis apparentia tantummodo levis, locus non datur nisi dubitationi vel ad summum suspicioni; in tali casu opinio seu adhæsio irrationabilis esset. — Ubi pro utraque contradictionis parte habetur veritatis apparentia æqualis, assensus suspensio seu dubitatio generatim est rationabilior : hæc ipsa enim « natura est mentis, ut et veris annuat et falsa aversetur et in obscuris cohibeat assen-

aut dubitationi, sum (2) » ; insuper « melius est dubitare de occultis quam litigare de incertis (3) » ; attamen in eo casu etiam possibilis est voluntaria adhæsio alterutri parti, et talis adhæsio seu opinatio aliquando poterit menti legitime imperari a voluntate propter motivum extrinsecum pietatis, charitatis, obedientiæ : ita in controversis recte adhæremus parti quæ divino honori, proximi famæ, paci communitatis favet (4). — Ubi veritatis apparentia probabilis habetur pro una tantum parte, vel, si pro utraque habeatur, pro una tamen habetur apparentia pro-

aut opinationi. babilior, generatim rationi conformis est adhæsio parti unice probabili, vel parti probabiliori; nam, « in electione speculativa, quærenda est major securitas sententiæ (5), » seu, dum veritas clare inveniri nequit, tenemur amplecti illud quod propius ad eam accedit (6); nihilominus in utroque casu indicato etiam possibilis est suspensio omnis assensus; imo, in casu concursus partis probabilis cum parte probabiliori, possibilis est voluntaria adhæsio parti minus probabili; talis quidem adhæsio generatim non est rationabilis, potest tamen aliquando rationabiliter imperari per accidens, nempe propter motivum extrinsecum pietatis, charitatis, obedientiæ : sane filius v. g.

1. S. Bernardus, *De consid.*, lib. v, c. 3, n. 5, 6.
2. Epictetus ap. Arrianum, lib. I, c. 2 ; lib. III, c. 3.
3. S. Augustinus, *De gen. ad litt.*, lib. VIII, c. 5.
4. Cfr. tr. *De virt. relig.*, I, 640.
5. Pallavicinus, 1-2, disp. 9, c. 4, a 11, n. 12.
6. S. Alphonsus, *Syst. mor.*, n. 56.

potest, imo et debet, adhærere probabili innocentiæ parentum etiamsi probabilior appareat eorum culpa (1).

270. *Cum dubitatione et opinione conjuncta ignorantia invincibilis vel vincibilis.*

Status dubitationis, suspicionis, opinionis, ignorantiam involvit : hæc autem ignorantia erit vincibilis vel invincibilis prout media ad plenam veritatis cognitionem acquirendam adhibita fuerint vel non; qui enim incertus manet de his quorum certitudinem habere posset ac deberet, profecto in culpa est (2). — Cæterum potest opinio probabilis vera esse vel falsa.

Sectio III.

De qualitatibus conscientiæ rectæ.

271. *Conscientia importat judicium.*

Cuivis *operationi prælucere debet determinata cognitio ipsius honestatis formalis, adeoque nullo modo fas est agere cum dubio proprie dicto de formali actionis honestate.* Profecto qui circa aliquam operationem anceps est utrum hic et nunc a Deo sibi prohibeatur vel non, eamque nihilominus ponit, Deum hoc ipso contemnit atque offendit. In hunc sensum non immerito urgeri possunt tum ea Scripturæ testimonia quibus Dei mandata implere Deumque diligere jubemur ex toto corde et tota

1. Cfr. tract. *De virt. relig.*, 1, 640. — Ex dictis sequitur, nimis absoluta esse quæ habet Laymann, lib. 1, tr. 1, c. 5, § 2, n. 5 : « Si tibi pars opposita quæstionis probabilior videatur, seu majora rationum momenta in illa parte perspicias, licet assensum omnem cohibere tunc possis, tamen ex hypothesi quod alterutri parti assentiri velis, necesse est ut probabiliori assentiaris ; alteri autem, quæ minus probabilis tibi apparet, assentiri tunc non potes. Si enim minus probabili assentiaris, seu veram judices, hoc ipso oppositam falsam æstimas : quod fieri non potest dum ea tibi probabilior, seu verisimilior apparet, propterea quod intellectus judicativus secundum specificationem non omnino liber sit, sed a rationibus et motivis objecti propositi determinetur... Dum pars contradictionis verisimilior apparet, quam pars opposita, non potest intellectus illi dissentire, et huic assentiri : quia id fieret sine ratione, imo contra rationem. »

2. Huc pertinet prop. 4ª ex damnatis ab Innocentio XI : « Ab infidelitate excusabitur infidelis ductus opinione minus probabili. » Videlicet ideo infidelis iste inexcusabilis est, quia manet in statu opinionis ubi veritatem certo attingere posset, si faceret quod in se est. Cave tamen ne ex damnatione hujus propositionis deducas obligationem credendi statim ac revelatio probabilior apparet ; quousque enim revelatio tantum probabilior est, fides possibilis non est, nedum sit obligatoria ; nam, ut idem Innocentius definivit, prop 21a, assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem, non stat cum notitia solum probabili revelationis, nec cum formidine qua quis formidet ne non sit locutus Deus. Cfr. Viva, in hh. pp. ; et tract. noster *De virt. theol.*, n. 101 et seq.

anima [1]), tum eæ sententiæ quibus pronuntiatur in dubio sequendam esse partem tutiorem. Bene igitur « præcipiunt, qui vetant quidquam agere quod dubites æquum sit an iniquum [2]); nam qui v. g. dubitat an sit licitum plures habere præbendas, « si, manente tali dubitatione, plures præbendas habeat, periculo se committit, et sic procul dubio peccat, magis amans beneficium temporale quam propriam salutem [3]). » — Cum itaque conscientia recta necessario importet judicium, jam distincte dicendum est de requisita talis judicii *certitudine* et *veritate* [4]).

Caput I.

De conscientiæ certitudine.

272. *Debet conscientia esse certa,*

Legitima *operationis regula est sola conscientia certa, non autem conscientia mere opinativa.* Ratio ea ipsa est, qua modo evicimus licitum non esse cum dubio de actionis honestate agere : videlicet qui agit, prudenter reformidans ne sua actio hic et nunc sibi a Deo prohibeatur, eam vult etiam si realiter sit prohibita, et consequenter Dei auctoritatem saltem implicite aspernatur ; atqui opinioni de actionis liceitate necessario conjuncta est talis formido de ejusdem prohibitione : nefas ergo est cum conscientia mere opinativa operari. Huc etiam pertinent auctoritates supra allegatæ : solent quidem aliæ ex sacris litteris sumi, quæ tamen parum vel nihil ad rem facere nobis videntur [5]); potiori jure urgerentur canones ii, quibus

1. Cfr. Deut. xxvi, 16 ; Matth. xxii, 37 ; Luc. x, 27.

2. Tullius, *Off.*. lib. i, c. 9, 30. — 3. S. Thomas, *Quodl.* viii, a, 13.

4. Certitudo hic distinguitur a veritate, quia sumitur in sensu lato, prout generatim significat firmitatem adhæsionis, et non implicat necessariam cum veritate connexionem. Cfr. supra, n. 263.

5. Hujusmodi sunt v. g. Eccli iii, 37, *Qui amat periculum, in illo peribit*, ubi agitur de peccati occasione ; item Eccli. xxvii, 20, *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, et ante omnem actum consilium stabile,* ubi inculcatur nihil sine maturo consilio et deliberatione aggrediendum ; I Thess. v, 21, 22, *Ab omni specie mala abstinete vos,* ubi agitur de rejiciendis prophetiis suspectis aut de bono exemplo præbendo. Quod vero pertinet ad Rom. xiv, 23, *Omne quod non est ex fide peccatum est*, ibi quidem clare docetur nihil unquam contra conscientiam agendum, non tamen docetur quænam esse debeant conscientiæ dotes. Theologi solent insistere in necessitatem conscientiæ certæ ; laborant autem et in varia systemata distrahuntur, quando explicare conantur qua ratione casibus particularibus certitudo obtineatur vel obtineri possit.

actioni obstare supponitur malitiæ formido non solum prudens et discreta, verum etiam levis, quousque scilicet non fuerit explosa (1).

273. *saltem moraliter lato sensu,*

Ad conscientiæ legitimitatem non requiritur certitudo absoluta et stricte dicta de honestate operationis, sed sufficit certitudo moralis et late sumpta (2). Ratio est, quia in agibilibus perfectior certitudo plerumque obtineri nequit : unde qui cum imperfecta operatur, prudenter operatur; quod si regula solum moraliter certa aliquando a parte rei deficiat, a Deo tamen ut sufficiens admittitur : secus Dei jugum grave esset ac durum et importabile, contra id quod Christus Dominus pronuntiat (3). Hoc sensu communiter docent theologi cum S. Thoma, in rebus moralibus non requiri certitudinem *demonstrativam* et *fixam*, sed sufficere *probabilem* et *conjecturalem* (4) : rationem practicam, quia est circa singularia et contingentia, non posse infallibilitate gaudere : cæterum non oportere quod omnis mensura operationis sit omnino infallibilis et certa, sed secundum quod est possibile in genere suo (5). » Hinc merito damnata est ab

1. Cfr. v. g. *Decretal.* lib. v, tit. 3, c. 35, *Per tuas ;* tit. 39, c. 44, *Inquisitioni tuæ.* — 2. Cfr. supra, n. 262.

3. Optime Viva, in prop. 3am ex damnatis ab Alexandro VIII, n. 5 ; « Sufficit ad humanas operationes certitudo moralis, quin requiratur certitudo metaphysica, quæ est moraliter impossibilis, et homines ad angustias et desperationem incitaret ; et ob eamdem rationem sufficit opinio probabilissima : quamvis enim utraque opinio, tam probabilissima quam moraliter certa, aliquos scrupulos admittat, nihilominus, ut notat Gerson scrupulos admittit non ut advertendos, sed ut contemnendos, cum ex Philosopho æque vitiosum sit Mathematicum quærere persuadentem, quam Moralem quærere demonstrantem. » Paulo autem inferius, n. 7, notat « opinionem probabilissimam esse formaliter tutissimam, quippe quæ non subest periculo proximo errandi ; unde licitum est eam sequi, cum non teneamur evitare etiam periculum remotum. » Quapropter, ut statim addit, n. 8, « non contemnit legem Dei, qui operatur juxta opinionem communem probabilissimam ; hic enim non dicit intra se : volo quod mihi favet, etiam si subsit periculum transgrediendi legem ; sed dicit : volo hoc quod mihi favet, quia ex Dei benignitate mihi permittitur, illud non positurus si prohiberetur. »

4. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 96, a. 1. ad 3 ; 2-2, q. 70, a. 2 ; supra, n. 262.

5. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 91, a. 3, ad 3. — Fortasse hunc S. Thomæ locum præ oculis non habebat S. Alphonsus, dum in *Syst. mor.* n. 64, iis insistens quæ 1-2, q. 19, a. 4, objiciuntur sub 3, docet, quod juxta Angelicum, lex naturalis, ut possit esse operationis mensura, debeat esse *certissima.*

Alexandro VIII Jansenianorum propositio : « Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam (1). »

274. *indirecte.* *Præterea certitudo ista moralis late sumpta non debet necessario versari circa operationis honestatem materialem et objectivam, sed satis est si versetur circa honestatem formalem et subjectivam ;* aliis verbis, non requiritur ut agens apud se pronuntiare possit : nulla lex est quæ operationem meam prohibeat ; sed sufficit ut prudenter pronuntiare valeat, etsi forte detur a parte rei lex istam operationem prohibens, tamen ab ejus transgressione sum in præsenti excusatus. Jam vero ita pronuntiari non posse nisi ex vi principii generalioris et superioris, cujus applicatio talem in casu particulari determinationem postulet, manifestum est ; occurrere autem casus in quibus hujusmodi principium recte applicatur, etiam manifestum est (2) : sic, juxta communem Theologorum et Ascetarum doctrinam, obtemperari potest superiori etiam in dubio de honestate rei præceptæ ; ut enim scribit S. Bernardus, « quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus (3) » ; tota quæstio

1. Prop. 3ª ex 31 ab Alexandro VIII damnatis. — Eam docuerat Sinnichius in opere *Saul ex-rex*, lib. I, c. 95. n. 357 : « Nemo nescit humanam quamcumque opinionem, eo ipso obnoxiam esse periculo erroris, quod non transcendat limites probabilitatis. Si igitur contingat eam reipsa errare, prout contingere potest, quisquis ei se in operando vel in otiando conformaverit, opinione falsa decipietur. Non ergo ad vitam sed ad mortem verget, dicente Lactantio : in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis aut opinio falsa deceperit. Ubi notatu dignum est, Lactantium non loqui de opinione improbabili, sed simpliciter de falsa : qualis potest esse ea quæ non solum probabilis, sed etiam inter probabiles probabilissima existit. Si enim opinio sive minus probabilis, sive etiam minus quam probabilis, potest esse vera ; ita ex adverso opinio probabilior, vel etiam probabilissima, potest esse falsa. Quamdiu ergo intra limites probabilitatis hæretur, errandi periculo non plene obviatur. In materia autem morum necessaria, prout ex Lactantio mox audivimus, si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur. » Cfr. Wendrochius, *Not. in epist. Prov.* V, et Janseniani passim ; inter antiquiores nonnulla duriuscula habet Alensis, *Summa*. p. II, q. 112, m. 8.

2. Hoc admittunt theologi cujusvis scholæ catholicæ ; cfr. v. g. Gonet, *Man. thom.*, p. II, tr. 3, c. 16, n. 42 ; Berti, *De theol. disc.*, lib. XXI, c. 16, n. 14 ; S. Alphonsus, *Syst. mor.* n. 69.

3. S. Bernardus, *De præc. et disp.*, c. IX, n. 21 ; cfr. S. Augustinus, *Cont. Faustum*, lib. XXII, c. 74-75 ; *Decreti* p. II, c. 23, q. I, c. 4, *Quid culpatur ; Decretal.* lib. IV, tit. 21, c. 2, *Dominus ;* Lacroix, lib. I, n. 432-442 ; S. Alphonsus, lib. I, n. 31, lib. V, n. 47.

est, an in omni casu honestatis objectivæ *incertæ* obtineri possit certitudo de honestate subjectiva : quæ controversia postea late expendetur. Interim prædicta certitudo de sola honestate subjectiva, quia habetur per applicationem principii superioris, vocatur *indirecta* et *reflexa ;* certitudo autem de operationis honestate subjectiva simul et objectiva, vocatur *directa* (1).

Caput II.

De conscientiæ veritate.

275. *Conscientia vera est operationum regula undequaque recta.*

Regula *operationum undequaque legitima est sola conscientia vera.* Hæc enim est præco fidelis, Dei voluntatem, prout in se est, exhibens, adeoque recta est tum formaliter tum materialiter. Hinc, ut scribit Angelicus, ligat simpliciter, id est, absolute et in omnem eventum (2); non solum autem nunquam licet contra eam agere, sed semper fas est eam sequi; imo inest homini essentialis libertas eam sequendi (3).

1. Apud Philosophos certitudo *directa* et *indirecta* sensu paululum diverso explicatur : ita, v. g. Pesch, *op. cit.*, n. 487 : « Certitudo directa est quum veritas tanta claritate sive evidentia nobis affulget, ut nullum de ea dubium exoriri possit. Attamen sæpissime in vita humana contingit, ut veritas rationabiliter ab hominibus admittatur plena cum certitudine, neque tamen ipsa tam evidenter apparet, ut omnes dubitandi rationes exstinguat. Quod evenit quoties menti humanæ ex consideratione adjunctarum conditionum evidens est, rationes omnes dubitandi quæ exoriantur imprudentes esse et plane negligendas. Hæc certitudo indirecta est, quia non est orta ex sola ipsius rei consideratione, sed ex aliis rebus adjunctis. » — Præterea alio etiam sensu apud Theologos et Philosophos certitudo *reflexa* opponitur certitudini *directæ* seu *exercitæ ;* nimirum dicunt haberi certitudinem, non directam solum et exercitam, sed reflexam, quando firmitati adhæsionis accedit quædam reflexio sive distinctior consideratio valoris motivorum ; hæc autem distinguitur in *vulgarem* et *philosophicam :* patet ad conscientiæ legitimitatem minime requiri hujusmodi reflexionem.

2. *De verit.*, q. XVII, a 4 : « Dico autem rectam (conscientiam) ligare simpliciter, quia ligat absolute et in omnem eventum. Si enim aliquis conscientiam habeat de vitando adulterio, istam conscientiam sine peccato non potest deponere ; quia in ipso quod eam deponeret errando, graviter peccaret ; ea autem manente, non potest præteriri in actu sine peccato ; unde absolute ligat et in omnem eventum. »

3. Ita Leo XIII, encycl. *Libertas* . « Potest in hanc sententiam accipi (libertas conscientiæ) ut homini ex conscientia officii, Dei voluntatem sequi et jussa facere, nulla re impediente, in civitate liceat. Hæc quidem vera, hæc digna filiis Dei libertas, quæ humanæ dignitatem personæ honestissime tuetur, est omni vi injuriaque major : eademque Ecclesiæ semper optata, ac præcipue cara. Hujus generis libertatem sibi constanter vindicavere Apostoli, sanxere scriptis Apologetæ, Martyres ingenti numero

276. *Conscientia tum in se tum in causa invincibiliter erronea est regula legitima secundum quid;*

Conscientia invincibiliter erronea non est regula operationum simpliciter et absolute legitima, est tamen legitima per accidens et secundum quid. Non est legitima *simpliciter* et *absolute,* quia discordat a jure quod applicari debet, vel non congruit facto cui jus applicatur (1); legitima est *per accidens* et *secundum quid*, quia, propter erroris invincibilitatem, defectus conformitatis cum jure vel congruitatis cum facto non imputatur (2). Hinc, licet operatio juxta conscientiam invincibiliter erroneam exercita, sit aliquando *materialiter* mala, (quoties nimirum ponitur illud quod a parte rei prohibitum est, vel omittitur quod est præceptum) nihilominus est semper *formaliter* bona; nam « cum actus recipiat speciem ab objecto, non recipit speciem ab eo secundum materiam objecti, sed secundum rationem objecti... Omnis autem actus humanus habet rationem peccati vel meriti in quantum est voluntarius. Objectum autem voluntatis secundum propriam rationem est bonum apprehensum : et ideo actus humanus judicatur virtuosus secundum bonum apprehensum in quod per se voluntas fertur, et non secundum materiale objectum actus (3). » Itaque fas est conscientiam invincibiliter erroneam sequi ; non tamen inest homini jus eam sequendi, et quamvis puniri non possit qui eam secutus est (4), potest tamen qui ea laborat, a legitima auctoritate impediri ne eam sequatur (5). — Doctrinam hoc loco a nobis

sanguine suo consecravere. Et merito quidem : propterea quod maximam justissimamque Dei in homines potestatem, vicissimque hominum adversus Deum princeps maximumque officium libertas hæc christiana testatur. »

1. Conscientiam *erroneam* dicimus quæ efformatur sive *ex majore* sc. principio juris, falsa, sive ex minore, sc. facto, non subsistente. Nonnulli theologi eam solam conscientiam dicunt erroneam quæ efformatur ex principio juris falso. Cfr. v. g. Brocardus a S. Nicolao, *De consc.*, q. 2, a. 2; Raphael a S. Joseph, *De consc.*, n. 23 : qui loquendi modus nobis minus placet.

2. Cfr. S. Thomas, *De verit.*, l. c. ; item in II, dist. 39, q. 3, a. 3: « Conscientia erronea non obligat nisi per accidens, et secundum quid ; si enim dictat aliquid esse faciendum, illud fieri in se consideratum non est bonum necessarium ad salutem, sed apprehenditur ut bonum ; et ideo cum non liget nisi secundum quod est bonum, non obligatur voluntas per se ad hoc, sed per accidens, scilicet ratione apprehensionis, quo judicatur bonum. »

3. S. Thomas, *Quodl.* III, a. 27. — 4. Cfr. supra, n. 144, 165, 166.

5. Nonnulla in materia tolerantiæ apprime attendenda habet Sauvé, *Questions religieuses et sociales,* c. 6 : « Et comme la loi n'est manifestée à l'homme que par sa conscience, il est tenu de suivre ce que lui dicte sa conscience, quand elle est *vraie* et *droite*, et même quand elle est invinciblement erronée, parce qu'alors il agit *prudemment*, par suite de sa persuasion

expositam clare exhibent, *a/* sacræ litteræ, in quibus ignorantes a reatu excusati dicuntur (1) ; *b/* eamdem cum cæteris passim Patribus instanter inculcat S. Augustinus, a quo discimus *nescientem crimine non maculari* (2), *conscientiam lædi non posse ubi nescitur* (3), *neminem peccare in eo quod nullo modo caveri potest* (4) ; *c/* hanc ipsam scholastice illustrans Angelicus docet quod voluntas concordans rationi absque omni negligentia erranti non sit mala (5) ; *d/* at eam post Lutheranos (6) ex parte negarunt Janseniani ; cum enim docerent, ad peccatum formale in posteris Adæ sufficere ipsius Adæ libertatem (7), inde concluserunt, in statu naturæ lapsæ operantem ex ignorantia etiam invincibili juris naturalis, (quæ ex peccato Adæ provenit) non excusari à peccato mortali (8) ; *e/* cum hoc tamen Jansenia-

---

invincible. Si donc, par suite d'une conscience invinciblement erronée, un homme croit que tel acte mauvais est bon ou réciproquement, il n'a pas le droit de poser l'acte bon qu'il juge mauvais ; et il peut ou doit poser l'acte mauvais qu'il juge bon, sans avoir toutefois le *droit* ou la faculté morale de le poser, puisque la morale réprouve cet acte. Il suit de là, que si la conscience invinciblement erronée peut imposer le *devoir* de *mal faire,* quand l'homme croit bien agir, elle ne saurait lui donner le *droit* de mal faire, parce que le droit au mal répugne dans les termes, et que le droit a pour fondement nécessaire la vérité objective, tandis que le devoir peut naître d'une erreur subjective, et qu'il ne répugne pas qu'un homme ait le devoir de faire une action mauvaise qu'il croit invinciblement être bonne et obligatoire pour lui, d'autant plus que s'il s'abstenait de la faire il croirait agir mal, et par là même il violerait la loi divine qui lui commande de ne jamais rien faire contre le *dictamen* de sa conscience. Ainsi être persuadé, par suite d'une ignorance invincible, que tel mensonge est prescrit par Dieu, et ne pas faire ce mensonge, c'est croire désobéir à Dieu, et par suite encourir sa disgrâce ; mais il ne suit pas de là que l'homme qui se trouve en ce cas, ait le droit de mentir, et exerce un droit en mentant ; son erreur lui crée un devoir *per accidens,* mais elle ne saurait être le fondement d'un droit. » Cfr. supra, n. 230. — Sicut autem per accidens conscientia jubere potest quod lege prohibetur et publica potestate impeditur, ita ex adverso poterit per accidens lex præcipere quod recta conscientia prohibet, v. g. casu facti falso præsumpti : cfr. pag. 393, not. 2.

1. Cfr. Joan. IX, 41 ; XV, 21-24. — 2. *Epist.* XCIII, c. 4, n. 15. — 3. *Cont. Cresconium Donat.* lib. II, c. 26, n. 2. — 4. *De lib. arb.,* lib. III, c. 18, 19, 22.

5. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 19, a. 6 ; q. 76, a. 3 ; *De malo,* q. III, a. 8, etc.

6. Ita Lutherus alicubi exclamat : « Scholastici dicunt, invincibilem ignorantiam reddere excusabiles : tanta cæcitas est in Papæ scholis et ecclesiis ! »

7. Prop. 1ª ex 31 damnatis ab Alexandro VIII : « In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali et libertate Adami peccantis. » Cfr. Viva, in h. p.

8. Prop. 2ª ex 31 damnatis ab Alexandro VIII : « Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato mortali. » Cfr. Viva, in h. p.

norum errore damnato confundi nequit falsa quorumdam theologorum doctrina, qui existimabant non excusari operantem ex legis naturalis ignorantia theoretice et quoad dissolutionem invincibili, quia omnis ignorantia ejusdem legis est vincibilis saltem practice et quoad evasionem, quatenus, si homo faceret quod in se est, non poneretur in occasione legem ignoratam transgrediendi; imo non defuerunt inter antiquiores qui ita locuti sunt de quavis ignorantia, etiam juris humani et facti (1).

277. *item conscientia hic et nunc invincibiliter erronea in se, olim tamen erronea vincibiliter.*

Est etiam regula operationum aliquomodo legitima conscientia formata ex errore actualiter invincibili, qui tamen antecedenter vincibilis fuit. Sequitur ex principiis superius expositis : sane actus secundum talem conscientiam positus, est materialiter malus, in quantum discordat a regula præcipiente vel prohibente objectiva; potest etiam dici formaliter malus in sua causa, in quantum error provenit a causa culpabili, at non est in se malus, quoniam exercetur bona fide actuali, nec aliter, considerato præsenti statu agentis, poni posset. Præclare rem explicavit Ballerini : « Fieri... potest... ut error quidem olim fuerit culpabilis, quem tamen in præsens quis amplius non advertat : v. g. si confessarius non satis olim theologiam excoluit, aut hujus studium nimis diu ex negligentia intermisit. Et de hoc verissime dicitur cum S. Thoma (2), quod *nunquam a peccato excusatur*, sive agat juxta conscientiam sive contra. Et ratio patet, quia semper adest vetus illud peccatum, culpabilis nempe ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur. Nec reatus iste incurritur, dum quis acturus nunc est; sed est culpa omissæ olim diligentiæ, et a præsenti actione independens; cujus proinde gravitas desumi debet non ab actione nunc ponenda, sed ex communibus principiis de peccati ignorantiæ. Atque hinc vera etiam ratio patet, cur in casu magis reus sit, qui agit contra conscientiam, quam qui juxta. Nam hic prædictum tantummodo ignorantiæ reatum habet, ille vero præter hunc addit alium nunc reatum actionis contra conscientiam positæ. Quod si quis ignorantiæ culpam per congruam pœnitentiam et additam diligentiam, ut par est, retra-

1. Cfr. supra, n. 78, 79. — 2. *De verit.*, q. 17, a. 4, ad 8.

ctaverit, patet eum illi æquiparandum esse qui invincibili ignorantia laborat (1). »

278. *Legitima operationum regula non est conscientia hic et nunc vincibiliter erronea.*

Conscientia hic et nunc vincibiliter erronea non est per se et qua talis legitima operationum regula. Sane ista conscientia non est cum regula objectiva conformis: defectus autem conformitatis, cum voluntarius sit, minime exusatur. Ita S. Thomas : « Si ratio vel conscientia erret errore voluntario, vel directe propter negligentiam, quia est error circa id quod quis scire tenetur, tunc talis error rationis vel conscientiæ non excusat quin voluntas concordans rationi vel conscientiæ sic erranti sit mala (2). » Eodem sensu S. Augustinus, postquam fassus est neminem peccare in eo quod nullomodo caveri potest, addit quædam tamen « esse per ignorantiam facta quæ improbantur et corrigenda judicantur, » sicut improbantur « facta ex necessitate » illa morali qua homo non facit bonum quod vult et facit malum quod non vult, quia caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem (3) : utraque propterea juste improbantur, quod contra malum ignorantiæ et infirmitatis pugnare nos convenit, illudque vincere possumus cum adjutorio Dei qui est *illuminatio nostra et salus* (4). — Diximus conscientiam vincibiliter erroneam *per se* et *qua talem* non esse legitimam operationis regulam, quia aliquando legitima vel potius non illegitima esse poterit *per accidens,* ut ex sequentibus distinctionibus patebit : *a/* si conscientia erronee *permittit* illud quod est *præceptum,* sane non peccat qui juxta eam actum ponit, peccat tamen qui juxta eam actum omittit ; e contra si *permittit* quod est *prohibitum,* non peccat qui juxta eam actum omittit, peccat autem qui actum ponit (5) ; *b/* si erronee

1. Gury-Ballerini, tom. I, ad n. 37 : cfr. Gab. Daniel, *Traité théol. des péchés d'ignorance ;* Lacroix, lib. I, n. 42, nec non ea quæ de simili quæstione scripsimus ap. *Revue des sciences ecclésiastiques,* tom. 33, pag. 276.

2. S. Thomas, 1-2, q. 19, a. 6; *Quodl.* 8, a. 15 : cfr. S. Bonaventura, in II, dist. 39, a. 1, q. 3.

3. S. Augustinus, *De libero arb.*, lib. III, c. 18, 19, 21 ; cfr. *De pecc. mer. et rem.*, lib. I, c. 36 ; *De nat. et gratia*, c. 17, n. 19; *De gestis Pel.*, c. 18, n. 42 ; *Enchir. ad Laur.*, c. 81 ; *Epist.* 47, n. 4, etc. ; huc etiam pertinent quæ habet S. Bernardus, *De bapt.*, c. 4 ; *De præc. et disp.*, c. 14.

4. S. Augustinus, *Enchir.* c. 81 ; cfr. *De nat. et grat.*, c. 17, n. 19.

5. Cfr. S. Thomas, in II, dist. 39, q. 3, a. 3; *De verit.*, q. 17, a. 1 ; 1-2, q. 19, a. 5.

præcipit illud quod est *liberum*, non peccat qui juxta eam actum ponit, peccat qui contra eam actum omittit ; e contra si *prohibet* illud quod est *liberum*, non peccat qui juxta eam actum omittit, peccat qui contra eam actum ponit ; *c/* tandem si erronee *præcipit* quod est *prohibitum* vel *prohibet* quod est *præceptum*, peccat tum qui contra eam agit tum qui eam sequitur ; inde tamen non fit quod sit simpliciter perplexus, « quia potest aliquid facere, quo facto non incidet in peccatum, scilicet conscientiam erroneam deponere » (1).

279. Ex dictis intelligitur quæ sint tum apud alios Patres, tum præsertim apud S. Augustinum et deinceps apud scholasticos *peccata ignorantiæ*. (2) Nimirum legis transgressiones ex ignorantia involuntaria, peccata dicuntur improprie, quatenus sunt sequelæ peccati originalis (3), vel quatenus sunt peccata mate-

1. S. Thomas, *De verit.*, q. 17, a. 4, ad 8 ; cfr. in II, dist. 39, q. 3, a. 3, ad 5 ; 1-2, q. 19, a. 6, ad 3. — Ad errorem vincibilem pertinent quæ habet S. Thomas, *Quodl.* 9, a. 15, coll. *Quodl.* 3, a. 10 ; *Quodl.* 8, a. 13.

2. De peccatis ignorantiæ, sequentia consideranda :

a. Quæstio agitata a Patribus, variis occasionibus et variis de causis, a tempore S. Augustini usque ad S. Bernardum, *De Baptismo*, c. 4.

b. Agitata est sedulo a Scholasticis, a tempore Hugonis et Lombardi ad Adrianum usque, apud quos non infrequenter reperiuntur formulæ difficiliores. Cfr. Bouquillon, *De l'ignorance des conclusions éloignées de la loi naturelle*.

c. Quæstionem perfecte exposuit et solvit S. Thomas, 1-2, q. 19 et q. 76, cum ll. parall. de malo et de veritate.

d. Controversiam movit vel resuscitavit Jansenius, *De statu naturæ lapsæ*, a cap. 2 ad 6, ubi in examen revocat doctrinam S. Augustini, et conc. Diospolitani. Jansenium secutus est Sinnichius in op. *Saul Ex-Rex*, lib. I, c. 06. Refutarunt Gab. Daniel, *Traité théol. des péchés d'ignorance ;* Steyaert, *Aphorism.*, I part. *Appendix de peccatis ignorantiæ*.

e. Quoad usque permansit tendentia Janseniana, controversia plus minus sedulo considerata est a Theologis, nunc sopita est, et fere neglecta jacet.

f. Eam denuo excitavit Lea, *History of Auricular Confession*, vol. II, pag. 248.

g. In rei examine distinguenda est ignorantia prout est objectum peccati, qua ratione consideratur ignorantia articulorum fidei de necessitate medii, ignorantia præceptorum, ignorantia officiorum, denique ignorantia prout peccati causa.

3. Ita S. Augustinus, *De lib. arb.*, lib. III, c. 19, n. 54 : « Illud quod ignorans quisque non recte facit, et quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum, quod movemus in ore, dum loquimur, sed etiam illud quod hujus membri motum consequitur, id est formam tenoremque verborum : sic non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum, libera enim voluntate et a sciente committitur : sed etiam illud quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est. ».

rialia (1) ; legis vero transgressiones ex ignorantia voluntaria dicuntur peccata formaliter et proprie sive reatus hic et nunc contrahatur sive fuerit olim contractus (2).

Sectio IV.

De efformatione conscientiæ rectæ.

280. *Ad conscientiam rite efformandam requiruntur :*

Duo ad conscientiam efformandam necessario concurrunt : *sufficiens juris intelligentia,* et *æqua facti æstimatio :* est enim conscientia conclusio syllogismi cujus *majorem* constituit principium aliquod juris, *minorem* vero factum cui jus applicatur (3).

1. Huc pertinent quæ habet S. Augustinus, *Retract.*, lib. I, c. 15 : « Nam et qui nesciens peccavit, non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis et ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit : ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum. Quæ voluntas utique sicut definita est, animi motus fuit nullo cogente, ad aliquid vel non amittendum vel adipiscendum ; quod enim si noluisset, non fecisset, non coactus est facere. Quia voluit ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit : ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum fuit ; hoc enim factum est quod fieri non debuit. » Quod autem S. Augustinus oratorie, idem scholastice expressit S. Thomas, *De malo*, q. III, a. 8 : « Si in eodem actu aliquid sit ignoratum et aliquid scitum, potest esse voluntarium quantum ad id quod est scitum, semper tamen est involuntarium quantum ad id quod est ignoratum ; sive ignoretur deformitas actus (puta, cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, sed non voluntarie facit peccatum), sive ignoretur circumstantia actus (sicut cum aliquis accedit ad mulierem quam credit esse suam, voluntarie quidem accedit ad mulierem, sed non voluntarie ad non suam). » Est videlicet ibi voluntas facti, non voluntas peccati : immerito igitur prædictis Augustini verbis innitebantur qui censebant nullam ignorantiam juris naturalis invincibilem esse, adeoque nullam excusare ; ita v. g. Estius, in II, dist. 22, § 15 : « Ignorantia juris naturalis nunquam facit actum prorsus involuntarium, etiam qua ratione peccatum est, quia non facit ut malum prorsus ignoretur, sed semper permittit ipsum aliquo modo sciri. Quamvis enim qui hac ignorantia laborat, ignoret hoc malum quod agit, sub ratione generis, id est, nesciat esse peccatum, novit tamen sub ratione speciei, cui naturaliter et essentialiter tale genus competit ; exempli causa, qui mentitur officiose, putans tale mendacium esse licitum, is quidem nescit tale mendacium pertinere ad genus peccati, ideoque putat non esse peccatum ; scit tamen se mentiri, et proinde actum, qui essentialiter malus est, voluntarie committit... Probatur autem hæc doctrina ex Augustino, qui... *Retract.*, lib. I, c. 15, dicit eum qui nesciens peccavit, volens tamen fecit, nescire quidem id quod fecit esse peccatum, voluisse tamen id quod peccatum est, scilicet natura sua. »

2. Cfr. supra, n. 277. — Totam hanc materiam egregie pertractat Platel, *Synopsis*, tom. II, n. 256-290 ; cfr. etiam Martinonus (Ant. Moraines) *Anti-Jansenius*, disp. 16 ; Steph. Dechamps, *De hær. Jans.*, lib. III, disp. 5, etc.

3. Cfr. supra, n. 254.

Jam vero hujusmodi intelligentia et æstimatio non possunt obtineri nisi studio et consideratione, consilio, oratione, virtutum exercitio vitiorumque cohibitione. Et quidem *a/* requiritur imprimis *propria agentis consideratio,* utique ipsius statui et conditioni proportionata ; homini enim lumen rationis inditum est quo se ipsum dirigat, adeoque proprio judicio uti unusquisque debet (1). *b/* Requiritur etiam *interrogatio peritorum et consilii exquisitio ;* sane consilium est omnibus utile, nonnullis prorsus necessarium ; « aliquis enim parvæ scientiæ magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur (2) » : ita v. g. in obscuris fidelis secure stat judicio parochi vel confessarii (3), ipse autem parochus vel confessarius plerumque conformare se potest sententiæ auctoris probati (4), quin necesse habeat res in seipsis perscrutari (5) ; non tamen licet quosvis doctores sine delectu sequi (6) ; aliunde exstat authenticum aliquod

consideratio,

consultatio,

1. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 90, a. 2 ; q. 100, a. 1, etc.

2. S. Thomas, 2-2, q. 4, a. 8, ad 2.

3. Ita Franzelin, *De trad.*, th. XII, sch. 1, pr. 7, coroll. 4 : « In foro interno et in ordine ad directionem vitæ spiritualis *auctoritas sacra* h. e. vi muneris sacri a Christo instituti, et non solum auctoritas scientifica competit *suo modo* etiam directoribus animarum, adeo ut fideles in rebus dubiis, quæ conscientiam attingunt, possint et aliquando (ubi alia via tuta non patet) teneantur suum judicium practicum conformare auctoritati ministrorum Dei. » Cfr. S. Alphonsus, lib. 1, n. 12, 13.

4. Huc pertinent tum celebris decisio S. Pœnitentiariæ diei 5 jul. anni 1831, qua dicitur, non esse inquietandum confessarium qui in praxi sacri tribunalis sequitur sententias S. Alphonsi ; cfr. *Intr.* n. 81 ; tum multiplices Sacrarum Congregationum responsiones : *Consulat theologos, consulat probatos auctores ;* cfr. *Intr.* n. 82.

5. Arbritramur non esse de quovis confessario intelligenda quæ scripsit S. Alphonsus, *Syst. mor.*, n. 83 : « Confessarius, antequam aliquam opinionem amplectatur, *tenetur utique rationes intrinsecas perpendere :* et cum ei occurrit ratio aliqua conveniens pro tutiori opinione, cui adæquatam responsionem suppetere non aspicit, tunc oppositam minus tutam non potest amplecti, quamvis plurimorum doctorum auctoritas ipsi faveat, nisi auctoritas sit tanti ponderis ut ei videatur magis quam rationi apparenti deferendum. »

6. Cfr. *Intr.*, n. 64-78. — Applicari hic possunt, licet alio directe spectent, ea quæ habet S. Chrysostomus, in II *ad Cor., hom.* 13, n. 4 : « Vulgi opiniones ne circumferamus, sed res ipsas expendamus. An non absurdum fuerit, nos, cum de pecuniis agitur, aliis fidem non habere, sed numero et calculo id committere ; cum autem de rebus judicandum est, in aliorum opiniores temere trahi : idque cum exactam rerum omnium lancem ac normam et amussim habeamus, nempe divinarum legum sententiam ? » Pariter S. Thomas, *Quodl.*, III, a. 10 : « In his quæ pertinent ad fidem et bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus

magisterium, scilicet Pastorum Ecclesiæ, a quo omnes christiani tam docti quam indocti, difficultatum moralium solutionem, etiam in casibus particularibus petere tenentur, et cui se fidenter debent submittere (1). — *c/* Accedere debet *oratio,* quia obtinenda est practica cognitio regulæ cujus pars præcipua, ad quam cæteræ partes ordinantur, a Deo supernaturaliter inscribitur menti et cordi (2). Hinc monet S. Augustinus, contra duplex ignorantiæ et infirmitatis malum rogandum esse illum, cui dicitur in psalmo, *Dominus illuminatio mea et salus mea,* « ut illuminatio detrahat ignorantiam, salus infirmitatem (3) » ; docet, nihil esse cur adversus Deum murmuretur ob ignorantiæ et infirmitatis vulnera ex Adami peccato contracta, quia nulli homini ablatum est scire utiliter quæri quod inutiliter ignoratur, et humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quærenti et confitenti ille subveniat, qui nec errat dum subvenit, nec laborat (4) ; » Pelagium *oratio,*

magistri : in talibus enim ignorantia non excusat : alioquin immunes a peccato fuissent, qui secuti sunt opiniones Arii, Nestorii et aliorum hæresiarcharum. Nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequatur. In rebus enim dubiis non est de facili præstandus assensus... Qui ergo assentit opinioni alicujus magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id quod publice tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari. » Visum est hæc in præsenti referre, quia plures ea in alienum sensum detorserunt.

1. Cfr. *Intr.* n.92-123, præsertim quæ n.113 de S. Pœnitentiaria adnotata sunt. Ex his constat, magisterio authentico dirigi fidelium conscientiam per sanam regulæ objectivæ *explicationem* vel per prudentem ejus *applicationem,* idque aliquando infallibiliter, aliquando non. Quando autem authenticæ illi directioni individualis convictio opponitur, ante omnia videndum est utrum agatur de directione infallibili vel non : si agatur de directione infallibili, profecto ei cedere debet individualis convictio ; si vero non agatur de directione infallibili, ulterius videndum utrum individualis illa convictio sit omnino firma et certa, an non : si non sit omnino certa, rursus prævalebit directio authentica ; si autem sit omnino firma, adhuc videndum erit an forte non possit prudenter deponi per considerationem eorum quæ proprii judicii diffidentiam gignere debent : si deponi possit, consequenter prævalebit authentica directio ; (eo autem facilius deponi poterit, quo præstantiori auctoritati opponatur) ; at si nullo modo deponi possit, prævalebit in formanda conscientia judicium individuale. — Cæterum quæstiones in quibus periculum est ne fideles nimis fidenter innitantur proprio sensui, eæ sunt quæ respiciunt vitam publicam, juramenta politica et hujusmodi. Tale periculum præ oculis habebat Leo XIII quando in suis encyclicis *Immortale Dei, Libertas,* sollicite monebat, honestum esse ad res publicas gerendas accedere, etiam ubi modernum libertatis regimen viget.

2. Cfr. supra, n. 88-90. — 3. S. Augustinus *Ench.*, c. 81.

4. S. Augustinus, *De libero arb.*, lib. III, c. 19, n. 53.

autem arguit quod, loquens de ignorantia culpabili, omnia potius disputet, quam ut oret et dicat : *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua* (1). Eodem modo scribit S. Bonaventura, eum, qui nescit legem Dei, debere « sapientiores consulere vel per orationem se ad Deum, convertere, si humanum consilium deest (2). » Quibus conformis est frequens sacræ Liturgiæ oratio, qua postulatur « ut fideles, quæ agenda sint, videant » (3). — *d*/ Tandem necessaria est *remotio impedimentorum,* quæ sunt passiones et concupiscentiæ ; iis enim « ratio impeditur applicare commune pricipium ad particulare operabile » ; præterea ipsa principia obscurantur propter malas persuasiones, pravas consuetudines et habitus corruptos (4).

virtutum exercitium.

281. *Hæc media si prætermittantur conscientia habebitur male formata, nempe vincibiliter erronea, laxa.*

Ubi prædicta media omittuntur, periculum est ne habeatur conscientia male formata. Conscientia autem male formata generatim dici potest *vincibiliter erronea,* in specie vero est vel *simpliciter erronea,* vel *laxa,* vel *scrupulosa.* — Conscientia *laxa* adest, quando, propter levem rationem, obligatio negatur,

1. S. Augustinus, *De gestis Pelagii,* c. 17, n. 19.

2. S. Bonaventura, in II, dist. 39, a. 1, q. 3.— Primo aspectu S. Alphonsus lib. I, n. 174, minus explicite loqui videtur ; ibi tamen non negat necessitatem a Deo petendi cognitionem legis ; negat tantum petentibus promissam esse a Deo totius legis naturalis cognitionem ; ad objectionem sc. quod, si lucem suam a Deo debitis conditionibus postularemus, eam ipse non denegaret, ita respondet : « Duo sunt distinguenda genera lucis. Altera lux, seu cognitio, est naturalis, vel potius naturæ viribus comparata, qua morales veritates cognoscimus divinæ legis circa imperata et vetita. Altera est lux supernaturalis gratiæ, qua illustramur, ut cognoscamus divinæ gratiæ valorem, maximum æternæ salutis negotium, media ad eam consequendam, occasiones quæ ad ejus jacturam præcipites nos agere possunt, et id genus alia. Cum autem contra legem formaliter delinquitur ex hujus lucis gratiæ defectu, quam a Deo poscere minime curavimus, dubium non est, quin ejusmodi negligentia nobis imputetur ad culpam, quippe tunc nostra oscitantia est voluntaria ; nam si lucem hanc postulavissemus, non defuisset utique ; Deus enim non desinit impertiri gratiam oranti, ut quod bonum esse cognoscit, amplectatur, et quod malum fore noscit, caveat ; atque hæc illa lux est quam petebat David, cum aiebat : *Da mihi intellectum, et discam mandata tua : Doce me facere voluntatem tuam.* Contra vero Deus neque dat, neque se daturum promisit omnibus lucem veritates omnes cognoscendi, quæ naturali lumine cognosci possunt ; ideoque, cum quis materialiter operatur contra legem, sed invincibiliter, ob hujus naturalis cognitionis defectum, tunc ad formale peccatum non imputatur error, contentus cum sit Deus ut nosmet nos dirigamus juxta conscientiæ dictamen, quod per rationem nobis exhibetur, et ostenditur tanquam rectum. » Cfr. supra, n. 79.

3. Cfr. Orat. Dom. inf. oct. Epiph. ; or. fer. IV post Dom. I quad. (sup. pop.) etc. — 4. S. Thomas, 1-2, q. 94, a. 6.

extenditur libertas, præsertim si hoc fiat ex habituali animi dispositione : talem dispositionem producunt defectus considerationis et consilii, orationis neglectus, impetus cupiditatum : inde enim contingit ut simul pereant Dei legislatoris timor, divinæ legis reverentia, et justa rerum æstimatio. Prædicta animi dispositione paulatim plene hebetatur sensus moralis, atque ita descenditur ad conscientiam *cauteriatam* (1), quæ gravissimas etiam obligationes nihili pendet, et bibit quasi aquam iniquitatem (2). Nec ibi semper sistitur : nonnulli enim eousque deveniunt ut lætentur cum malefecerint et exultent in rebus pessimis (3). — Econtra conscientia *scrupulosa* adest, *scrupulosa,*
quando libertas indebite restringitur, exaggeratur obligatio, præsertim si hoc fiat ex habituali animi dispositione : talem dispositionem, præter alias causas naturales et supernaturales, producere possunt mentis imbecillitas, scientiæ defectus, superbia, et judicii proprii pertinacia, indiscreta vitæ austeritas : inde enim facile contingit ut legis christianæ indoles in animo obscuretur, simulque facta non amplius appareant sub vera sua ratione, et sic levi oneri ac suavi Christi jugo multa gratis addantur (4). — Est aliqua conscientia laxa in magnis, scrupulosa in parvis, quam Dominus arguebat in *pharisæis* excolantibus culicem, camelum autem glutientibus, et quæ idcirco dicitur *pharisaica* (5). *pharisaica;*

Adhibitis mediis ad obligationes cognoscendas requisitis, 282.
sæpe obtinebitur certitudo moralis, saltem late sumpta, tum *si adhibeantur, conscientia erit bene formata et certa sive directe, sive saltem indirecte.*
de existentia vel absentia legis, tum de applicabilitate vel non applicabilitate facti ad legem, atque ita directe judicari certo poterit de moralitate actionis in particulari, et proinde efformabitur conscientia recta (6). Sæpe tamen, pro humana

1. I Tim., IV, 2. — 2. Job., XV, 16. — 3. Prov., II, 14.
4. Matth., XI, 30. — Plena expositio eorum quæ conscientiam laxam et scrupulosam respiciunt, non videtur esse hujus loci, sed potius pertinet ad tractatores theologiæ asceticæ et pastoralis : cfr. v. g. Scaramelli, *Dir. asc.*, t. 5. Matth., XXIII, 24.
2, n. 421-467; Reuter, *Neo-confessarius*, n. 255-272, etc.
6. Sunt qui existimant in casu certitudinis moralis late sumptæ conscientiam rectam non efformari nisi indirecte, ope scilicet alicujus principii reflexi; verum hi nomine principii reflexi intelligunt etiam illas rationes quibus supra, n. 273, demonstravimus, in agibilibus non exigi nisi moralem hujusmodi certitudinem! Ita v. g. S. Alphonsi Vindices, in sua *Diss.*

infirmitate, invincibiliter perseverabit dubium sive de ipsa lege, sive de applicabilitate facti ad legem, ita ut directe judicium de moralitate actionis in particulari non possit esse nisi incertum. Videndum igitur est an forte non suppetant principia vi quorum possit dubium illud indirecte solvi, et ita efformari conscientia certa.

Advertatur autem, dubium hic intelligi in sensu lato, prout complectitur tum dubium proprie dictum, seu assensus suspensionem, tum dubium improprie dictum, seu opinionem, adeoque omnem designat mentis statum morali certitudini inferiorem ([1]). Distinguimus autem dubium in *speculativum*, quod ab aliis dicitur *remotum*, et in *practicum*, quod dicitur etiam *proximum* : dubium speculativum (remotum) vocamus, quod versatur circa legem in genere spectatam, vel circa facti existentiam et conditiones in se consideratas ; dubium practicum (proximum) vocamus, quod versatur circa actionis moralitem in particulari, seu circa relationem facti ad suam regulam moralem ([2]). Dubio speculativo per se respondet dubium

apol., n. 125-129: « Certe prudens dici nequit, qui agit innixus sola opinione probabilissima, quin aliud agendi fundamentum saltem implicite habeat (?). Verum quidem est, non opus esse ut operans de hoc alio fundamento seu motivo explicite cogitet ; sed si theologus est et interrogetur, cur cum opinione probabilissima operetur vel alios operari permittat, respondere debebit certam aliquam rationem adducendo, quæ ratio indirecta, sed certa, priori judicio directo superaddita, principium reflexum seu concomitans nuncupatur. » Ut patet, et ipsi scriptores modo citati notant, quæstio est de modo loquendi ; ipsorum autem loquendi modum non amplectimur, quia nobis videtur minus rationabilis esse et occasionem præbere confusionibus. Igitur nos affirmamus prudentem esse qui sequitur sententiam certam certitudine morali late sumpta ; et si quæratur, cur talis *prudens* sit, respondemus: quia in agibilibus certitudo perfectior nec requiritur nec plerumque obtineri potest.

1. Cfr. supra, n. 269.

2. Cfr. supra, n. 254, 268. Immerito cl. D'Annibale, *Summulæ* p. 1, n. 125, not. 6, hunc modum distinguendi dubium speculativum et practicum *Tutioristis proprium* existimat. At vero nemo melius eum proposuit quam Sanchez, *De matr.* lib. II, disp. 41, n. 4 : « Supponemdem est, scientiam, fidem, opinionem et dubium posse esse vel speculative vel practice : scientia *speculativa* est, quæ *in communi* dictat certo et evidenter aliquid esse faciendum vel esse peccatum, v. g. esse usurarium contractum, vel esse illicitum accedere ad non suam : et opinio speculativa est, quæ in communi dictat non certo, sed sub formidine : dubium autem, quando in communi dubitatur : dicitur dubium rei, aut scientia, aut opinio rei secundum se. Scientia autem *practica* est, quæ *in singulari*, et perpensis omnibus circumstantiis rei, dictat aliquid hic et nunc esse licitum vel illicitum ; et opinio, quando quis opinatur ; et dubium quando dubitat an hic et nunc

practicum sicut certitudini speculativæ practica respondet certitudo : hoc tamen non semper contingit (1), adeoque seorsim agemus de utriusque solutione.

sit licitum : appellatur autem scientia, vel opinio, vel dubium rei in particulari, respectu operantis ; et appellatur hæc scientia, vel opinio, vel dubitatio practica, licet prior possit dici et vere sit practica, cum ordinetur ad dirigendum actiones humanas : quia prior dicitur speculativa quoad modum universalitatis, et respectu posterioris particularis, quæ pratica dicitur. » Eodem modo, J. De Lugo, *De just.* et *jure*, disp. XVI, s. 5, n. 97 : « Adverte probabilitatem esse posse duplicem : alteram remotam, alteram proximam. Remota est quæ versatur circa fundamentum, proxima est quæ versatur circa ipsum licitum ut licitum ; v. g. si probabile tibi sit rem, quam Petrus possidet, esse tuam, quia ex aliquibus signis et conjecturis probabiliter judicas esse eamdem, quæ tibi furto ablata fuerat, vel ex conjecturis probabiliter judicas nullum nisi Petrum potuisse rem tibi furari, hæc appellari potest remota probabilitas ; nondum enim habes judicium ultimum quo probabiliter judices rem illam posse a te licite accipi, quam appellamus probabilitatem proximam, quia versatur proxime circa ipsam recuperationem vel compensationem. » Quæ habet S. Alphonsus lib. I, n. 21 in idem fere recidunt : « *Speculativum* (dubium) est, quo quis dubitat de rei veritate, v. g. an bellum aliquod sit justum, vel injustum ; an pingere die festo sit opus servile vel liberale : an baptismus cum aqua distillata sit validus, aut nullus, et similia. *Practicum* autem dubium est, quo dubitatur de rei honestate, v. g. an liceat mihi in tali bello dubie justo militare : an hac die festiva pingere : an hunc puerum aqua distillata baptizare : semper itaque distinguendum verum a licito ; dubium enim speculativum, licet in obliquo, et potius consequenter respiciat licitum, tamen in recto et principaliter speculativum respicit verum, practicum autem respicit licitum. »

1. Optime rursus Sanchez, l. c. n. 5 : « Observandum est, ex scientia vel opinione, vel dubitatione speculativa, quam quis habet, teneri simile judicium practicum formare : ut si speculative et in communi sciat aliquid esse usuram vel dubitet, tenetur practice et hic et nunc scire vel dubitare, nisi ratio aliqua specialis cogat variare judicium practicum. Deviat enim a recta ratione, me credere omnem hominem teneri restituere, et me in eodem casu, absque aliqua speciali ratione, eximere ; deinde, quia cognitio speculativa dirigit voluntatem ad opus : ergo tale debet esse judicium practicum, quale est speculativum, nisi specialis ratio variare cogat. » Quo autem modo possit specialis ratio variationem exigere, in sequentibus late explicabitur. Interim hæc sufficiant ex Joanne De Lugo, l. c. « Potest autem contingere quod detur probabilitas remota sine proxima : quia vel ex lege vel ex ipsa natura rei non sufficiet probabilitas remota ad spoliandum licite possessorem ; nam iidem, qui probabile credunt rem illam esse tuam, non dicunt probabile quod cum illa probabilitate remota possit condemnari Petrus ad reddendam tibi rem quam non constat esse tuam. Hanc autem differentiam utriusque probabilitatis agnovisse videntur Thomas Sanchez, lib. 6, in decalog. c. 3, n. 7, et Suarez, lib. 5, de legib. c. 18, n. 20, dum dicunt nullum posse privata auctoritate rem sibi accipere quam alter possidet, quamvis probabilius judicet rem esse suam ; posse tamen accipere, si habet pro se opinionem dicentem fas esse possidentem spoliare : ubi apparet differentia inter utramque probabilitatem : prima enim est solum remota, quæ non sufficit ad licite operandum, proxima autem *(in sententia Probabilistarum)* semper sufficit. Aliud exemplum ad hoc declarandum peti potest ex sacramentis : potest enim minister probabiliter, immo et probabilius

Caput I.

De conscientiæ certitudine obtenta per solutionem dubii speculativi.

Ratio solvendi dubium speculativum.

Dubium speculativum indirecte solvi dicitur, quando specialis aliqua ratio impedit ne ex illo sequatur dubium practicum ; hoc autem fit quotiescumque, *dubio posito, certa lex charitatis, justitiæ, religionis, etc., intervenit quæ tali vel tali modo operari jubeat ad consequendum bonum aliquod necessarium publicum aut privatum, vel ad malum vitandum.* Ad cujus principii pleniorem intelligentiam, distinctis articulis dicemus de dubio *juris* et de dubio *facti* (1).

ARTICULUS PRIMUS.

De solutione speculativi dubii juris.

283. Ante omnia supponitur, sincere applicatas fuisse omnes interpretationis regulas, tum primarias (2), tum subsidiarias, prout sunt sequentes : « In obscuris minimum est sequen-

opinari aliquam esse materiam vel formam sufficientem ad valorem baptismi, et tamen non poterit sine necessitate materiam illam vel formam probabilem adhibere : quia solum habet judicium probabile quod illa sit materia vel forma valida ; non tamen habet judicium probabile proximum quod licitum sit illam materiam vel formam adhibere. Ratio autem est, quia regula proxima operationis est illa a qua regulatur ejus bonitas ; parum ergo refert sola probabilitas remota, quæ extrinsece et materialiter se habere videtur ad operationem, si desit regula proxima probabilis. E contra vero, quando ultimum judicium et ultima regula probabiliter judicat hic et nunc licere hanc operationem, semper licite operamur. Unde, disp. 7, de pœnit., sect. 23, n. 275, dixi, in ipsis etiam sacramentis baptismi et ordinis sufficere aliquando opinionem probabilem, probabilitate scilicet proxima, ad licite operandum, v. g., quando est opinio probabilis doctorum dicentium non esse obligationem reiterandi baptismum vel ordinem collatum cum tali materia vel forma. Tunc enim probabilitas non versaretur circa materiam vel formam, sed circa obligationem reiterandi ; possum autem semper in qualibet operatione amplecti opinionem probabilem, quæ dicit me hic et nunc omnibus pensatis licite operari. »

1. Cfr. supra, n. 268. Optime rursus J. De Lugo, l. c., n. 98 : « Adverto, probabilitatem ipsam remotam (speculativam) adhuc esse duplicem : altera enim versari potest circa factum, altera circa ipsum jus. Circa factum versatur, quando ego probabiliter credo rem, quam habes, esse illam, quæ mihi furto ablata est ; vel probabiliter credo, te, et non alium, furatum illam fuisse. Circa jus vero versatur, quando habeo Doctores probabiliter docentes, in hoc casu legem, sive naturalem, sive positivam, stare pro me, et juxta legem pro me esse judicandum. » — 2. Cfr. supra, n. 124-132.

dum (1) » ; « Benignius leges interpretandæ sunt, quo voluntas earum conservetur (2) » : his enim non raro dubium superabitur, et pervenietur ad sufficientem certitudinem moralem. — Deinde agitur de solo dubio *positivo ;* dubium enim negativum, cum non repugnet certitudini morali late sumptæ, non impedit quin libertas vel obligatio haberi censeantur, perinde ac si illud ortum non fuisset ; adeoque merito negligi potest ac debet : quod principium expresserunt theologi formula a jure deprompta : « In dubio melior est conditio possidentis » legis sc. vel libertatis (3). Hinc, si levis tantum ratio pro lege militat, permanet libertas ; at, si contra legem non est nisi ratio levis, obtinet obligatio (4). — Præterea præcipue agitur de casu probabilitatis *simultaneæ,* quando nempe pro utraque parte stat gravis ratio : si enim ratio gravis pro una tantum parte stet, facile habebitur illa certitudo moralis late sumpta in qua licet conquiescere (5).

Videndum utrum dubium vere permaneat,

Ut autem secure determinetur quandonam et qua ratione indirecte solvi possit et debeat perseverans juris dubium, sedulo examinandum est ipsius *objectum.* Potest enim versari dubium *a/* circa legis conditiones et causas : v. g. an ordinatio prodierit a legitima auctoritate (6), an formiter edita fuerit (7), an promulgata (8), an acceptata (9) ; an legislator in ordine

284. *et quodnam præcise sit ejus objectum.*

1. Reg. jur. in *Sexto.* — 2. *Digesti* lib. I, tit. 3, l. 18, *Benignius.*

3. Reg. 65 jur. in *Sexto :* « In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis. » Hujus regulæ sensus infra distinctius explicabitur ; interim cfr. Suarez, *De voto,* lib. IV, c. 5, n. 7 ; *De censuris,* disp. 40, a. 5, n. 15 ; Reiffenstuel, in h. r.

4. Cfr. Suarez, *De bonit. et mal. act. hum.,* disp. XII, s. 5, n. 7 ; J. De Lugo, *Resp. mor.,* lib. III, dub. 19 ; S. Alphonsus, lib. I, n. 27, 97, 99, coll. lib. IV, n. 112, q. 3 et n. 290 ; Waffelaert, *De dubio solvendo,* n. 267, 278, etc.

5. Cfr. supra, n. 262. — Minime tamen iis consentire possumus qui probabilitatem solitariam, seu non impeditam, universaliter habent pro morali certitudine ; fieri enim potest ut ratio vim quidem habeat sed non tantam quæ permittat prudenter conquiescere ; quo casu verum dubium profecto manebit. Cæterum libenter fatemur, prædictum loquendi modum occurrere apud theologos variarum scholarum : cfr. Suarez, *De voto,* lib. IV, c. 5, n. 5 ; *De leg.,* lib. V, c. 18, n. 19 ; Brocardus, *op. cit.,* q. 2, a. 6, § 15, s. 2 ; S. Alphonsus, lib. I, *(syst. mor.)* n. 71, 76 ; lib. III, n. 148 ; Billuart, *De consc.,* diss. 5, a. 1 ; Antoine, *De consc.,* c. 4, q. 5.

6. Cfr. supra, n. 108-110 ; 105, 214-217. — 7. Cfr. supra, n. 116-118 ; 220. — 8. Cfr. supra, n. 75, 102, 119-121, 220. — 9. Cfr. supra, n. 122-123, 221.

suo sese continuerit ([1]), an in hoc ordine statuerit licita, justa, communitati utilia ([2]), — Potest etiam versari *b*/ circa legis vim, idolem, objectum, subjectum, limites, dum, v. g. non constat an præceptum obliget sub gravi ([3]), quomodo præstationes et tributa exigantur ([4]), quid præcise permittatur ([5]), quæ jura tribuantur ([6]), quale fuerit privilegium concessum ([7]); an lex sit moralis seu directiva, an mere pœnalis ([8]); an pœna sit latæ sententiæ, an ferendæ ([9]); an lex prohibens sit simul irritans, an irritans sit simul prohibens ([10]); quomodo irritet, an ipso facto, an post sententiam, declaratoriam vel condemnatoriam ([11]); civiliter an etiam naturaliter ([12]); rursus an lex homines talis vel talis conditionis attingat, v. g. pueros ([13]), peregrinos ([14]), absentes ([15]), regulares ([16]), clericos ([17]); item quæ ignorantia a pœna lege statuta excuset ([18]), quæ impotentia a lege præcipiente, puniente, irritante eximat ([19]); an lex sit fundata in præsumptione juris, an in præsumtione facti ([20]); an in lege valide dispensetur a tali superiore ([21]), cum tali persona ([22]), propter talem causam ([23]), tali ratione ([24]). — Præterea potest versari *c*/ circa legis perseverantiam, dum v. g. non satis constat an lex fuerit revocata ([25]), consuetudine rationabili abrogata ([26]), an ejus finis desierit aut mutata fuerit materia ([27]). — Advertatur autem, dubium de lege aliqua in particulari aliquando oriri, per consequentiam necessariam, ex dubio existente circa generalia principia de legibus, v. g. utrum obligentur peregrini; aliquando oriri ex causis particularem illam legem solam afficientibus, ubi generalia principia sunt certa.

285. Jam vero quod pertinet ad legis constitutionem et durationem : *a*/ si dubia sit potestas præcipientis, non semper idcirco

1. Cfr. supra, n. 105, 111-116; 218-219. — 2. Cfr. supra, n. 56, 112, 144, 219, 227.
3. Cfr. supra, n. 133-136, 222-224. — 4. Cfr. supra, n. 139, 225-229. — 5. Cfr. supra, n. 140, 230. — 6. Cfr. supra, n. 141, 231. — 7. Cfr. supra, n. 142, 143, 232. — 8. Cfr. supra, n. 144, 145, 234, 235. — 9. Cfr. supra, n. 146. — 10. Cfr. supra, n. 149, n. 239. — 11. Cfr. supra, n. 148-149, n. 238. — 12. Cfr. supra, n. 238. — 13. Cfr. supra, n. 72, 153. — 14. Cfr. supra, n. 166. — 15. Cfr. supra, n. 160, n. 242. — 16. Cfr. supra, n. 163. — 17. Cfr. supra, n. 142, n. 244. — 18. Cfr. supra, n. 166. — 19. Cfr. supra, n. 168-171. — 20. Cfr. supra, n. 173-174. — 21. Cfr. supra, n. 178-181. — 22. Cfr. supra, n. 182-185. — 23. Cfr. supra, n. 187-192. — 24. Cfr. supra, n. 188-190. — 25. Cfr. supra, n. 202, 206-208. — 26. Cfr. supra, n. 209-213. — 27. Cfr. supra, n. 204-205.

dubia est obligatio obediendi : potest enim in tali casu obligatio certo existere, tum ob voluntatem superioris defectum supplentis, tum ob bonum commune (1), et e contra potest certo non existere (2). — *b/* Si dubia sit in superiore voluntas imperandi, ordinarie quidem dubia etiam erit stricta obligatio obediendi (3); poterit tamen etiam esse certa, v. g. ratione scandali vitandi. — *c/* Si dubia sit ordinationis promulgatio, plerumque dubia erit obligatio : poterit tamen esse certo nulla, casu nempe quo, attenta speciali legis indole, superior rationabiliter præsumatur in tali statu executionem ejus suspendere vel non urgere (4) ; et e contra poterit certo existere, si nimirum malum aliquod timeatur ex non executione legis (5). — *d/* Etsi dubia sit actus præcepti liceitas, non dubia, sed certa est parendi obligatio, recti ordinis et boni communis causa (6). — *e/* Simili causa recti ordinis, si dubia sit præstationis impositæ justitia, non dubia sed certa erit obligatio solvendi (7). — *f/* A fortiori certa erit obediendi obligatio in casu dubii de præcepti utilitate ad bonum commune (8). —

Indirecta solutio dubii de legislatoris potestate,

et voluntate :

de legis promulgatione,

honestate,

justitia,

utilitate,

1. Huc pertinent principia supra, n. 110 et 217 exposita ; cfr. Waffelaert, *De dubio solvendo,* n. 262-266.

2. Si v. g. duo de Pontificatu contendant, nec possit definiri quis sit verus Pontifex, neutri adhærendum, adeoque neutri obediendum, ne schisma foveatur. Cfr. Suarez, *De char.,* disp. XII, s. 1, n. 11 ; Reiffenstuel, *Decretal.,* lib. V, tit. 8, n. 17. — Aliud exemplum habetur *Decretal.,* lib. I, tit. 29, c. 31, *Cum in jure,* ubi decernitur, delegato obediendum non esse, nisi constet de delegatione : cfr. Reiffenstuel in h. t. n. 97 ; Schmalzgrüber, in h. t. n. 26, 27.

3. Ita diu disputatum est utrum Pontifices usum Ritualis Romani præceperint, an vero tantum hortando proposuerint : cfr. Bouix, *De jure liturgico,* p. IV, c. 3, § 5.

4. Exemplum habes in decreto Tridentino de matrimoniis clandestinis, cujus promulgationem Ecclesia peculiari sollicitudine imperavit : cfr. Perrone, *De matr. christ.,* lib. II, s. 1, c. 4, a. 3, (tom. II, pag. 246.) — Non possumus tamen iis consentire qui universaliter contendunt, legem habendam esse ut non sufficienter promulgatam, adeoque ut objective nullam, eo ipso quod publicum existat dubium de facto promulgationis : sane multiplici de causa fieri potest ut incerta maneat promulgatio debite peracta. Quamvis ergo admittamus, legem non sufficienter promulgatam esse nullam, non tamen admittimus habendam esse ut objective nullam legem de cujus promulgatione non constat : cfr. supra, n. 56, 75, 102, 119, 130.

5. Huc forte referri potest *Decretal.,* lib. V, tit. 27, c. 5, *Illud,* licet ibi non agatur de lege, sed de sententia.

6. Cfr. supra, n. 274 ; Suarez, *De leg.,* lib. I, c. 9, n. 11 ; *De virt. relig.,* tr. X, lib. IV, c. 15, n. 17 ; J. De Lugo, *Resp. mor.,* lib. III, dub. 19.

7. Cfr. Suarez, *De leg.,* lib. V, c. 18, n. 13 et seq. ; Lugo, *De just. et jure,* disp. 36, s. 6. — 8. Cfr. Waffelaert, *op. cit.,* n. 283.

g/ Idem generatim dicendum videtur, si legislator statuat in materia sibi dubie competente (1). — *h*/ Si dubia sit legis *extensione;* extensio ad talem vel talem casum, per se vis ejus erit dubia : poterit tamen esse certo nulla, casu nempe quo superior, attenta legis indole speciali, rationabiliter præsumatur extensionem ejus nolle, durante tali dubio; hoc autem præcipue *de hominis subiectione;* contingit quando agitur de dubio publico (2). — *i*/ Si dubia sit subjectio, dubia pariter erit obediendi obligatio; poterit tamen, in materia speciali, etiam esse obligatio certa (3). — *de ordinationis duratione.* *j*/ Si dubia sit legis perduratio, sive in generali, eo quod probabiliter abrogata fuerit aut desierit, sive in particulari, eo quod in ea probabiliter fuerit facta dispensatio, privilegium concessum, licentia data, dubia per se erit obligatio (4) : poterit tamen aliquando vel certo deesse, vel certo existere.

286. *Indirecta item solutio dubii de ege media præscribente,* Quod vero pertinet ad legis naturam : *a*/ ubi dubia est lex medium ordinans ad finem necessarium consequendum, non idcirco dubia, sed certa est obligatio medium adhibendi, ne

1. Cfr. Waffelaert, *op. cit.*, n. 285.

2. Exemplum multi reperiunt in matrimonii impedimentis; ita v. g. S. Alphonsus, lib. VI, n. 901 : « Quando adest opinio probabilis de jure, quod non subit impedimentum, tunc Ecclesia ex antiqua consuetudine præsumitur contractum matrimonii approbare, et omne removere impedimentum. » Cfr. Gury, tom. II, n. 789; Lehmkuhl, tom. II, n. 729, etc. Canonistæ tamen minus absolute loquuntur; v. g. Feye, *De imped. et disp. matr.*, n. 377-378, ubi exposuit controversiam ad quem gradum se extendat affinitas ex matrimonio consummato sed invalido, concludit, « casu occurente ultra secundum gradum, consulendam esse Sedem Apostolicam; » simili modo n. 274 (1æ edit.) in controversia (nunc authentice soluta) num ex matrimonio mere civili oriatur impedimentum publicæ honestatis, concludit « nunquam tuto posse impedimentum considerari ut non existens, vel ut tantum in primo gradu existens » ; et n. 434 censet, dubium, num ex adoptione imperfecta oriatur impedimentum cognationis legalis, ejusmodi esse ut casu occurrente consulenda sit Sedes Apostolica. »

3. Ita v. g. redeuntibus ad fidem catholicam est obligatio confitendi peccata post baptismum apud hæreticos dubium commissa; cujus obligationis ratio est « difficultas conversorum, intellectum ad obsequium fidei ipsius captivandi, nisi per animi humilitatem et submissionem, quas in sacramento pœnitentiæ Christus Dominus reponere dignatus est;... impossibilitas sciendi, nisi per integram peccatorum manifestationem, utrum neo-conversus rite sit ad ipsum baptismum dispositus, velitque ex. gr. restitutionem famæ vel bonorum (si ad eam teneri contigerit) facere, occasionem proximam peccandi vitare, a matrimonio nulliter contracto resilire... » Cfr. *Decretum S. Off.* 17 dec. 1868, ap. *Acta S. Sedis*, IV, 320.

4. Cfr. S. Alphonsus, lib. IV, n. 290; Sanchez, *De matr.*, lib. II, disp. 41, n. 37.

scilicet finis consecutio in discrimen adducatur (1), — *b*/ Ubi dubia est lex rei proprietatem attribuens, non idcirco necessario sunt dubie licitæ vel illicitæ vindicatio, acceptio, occupatio, retentio, dispositio hujus rei, sed, vi principii possessionis, illi proprietatis actus poterunt aliquando esse certo liciti, aliquando certo illiciti : idem a fortiori dicendum erit de rei adjudicatione per judicem (2). — *c*/ Ubi dubia est lex facultatem, potestatem, jurisdictionem concedens, non idcirco dubie licitus est usus talis facultatis aut jurisdictionis, sed aliquando certo licitus esse poterit, si v. g. defectus a superiore auctoritate suppleatur (3), certo illicitus, si exinde mali cujusdam effectus periculum habeatur (4). — *d*/ Ubi dubia est lex actuum conditiones præscribens, non eo ipso dubie licita est positio actus probabiliter irriti, sed aliquando certo licita esse poterit, v. g. si in eo statu irritatio auferatur (5), aliquando vero certo illicita, v. g. si habeatur periculum detrimenti vel pravæ alicujus sequelæ (6). — *e*/ Ubi dubia est lex pœnam infligens, non propterea dubie licita est hujus pœnæ applicatio per judicem, sed ordinarie certo illicita est (7).

proprietatem attribuente,

potestatem concedente,

actuum conditiones determinante,

pœnam infligente.

ARTICULUS SECUNDUS.

De solutione speculativi dubii facti.

287. *Expendenda dubii existentia*

Etiam hic supponitur applicatas fuisse omnes prudentiæ regulas tum ad cognoscendum facti existentiam, utrum locum

1. Exemplum habes in quæstione an cognitio mysterii Trinitatis et Incarnationis imposita sit tanquam medium ad salutem : cfr. tract. noster *De virt., theol.*, n. 169-171. — 2. Exempla legis proprietatem dubie attribuentis haud pauca occurrunt in materia *inventionis, successionis, præscriptionis,* etc. ; cfr. Viva, in p. 2 ex damnatis ab Innocentio XI ; S. Alphonsus, lib. IV, n. 210.

3. Cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 573.

4. Ita theologi nonnulli tradunt quod summi Pontifices non potuissent solvere fidelium matrimonium ratum non consummatum, si suam dispensandi potestatem tantum probabilem existimassent ; cfr. Perrone, *De matr. christ.*, lib. III, sect. ult., c. 6, a. 4 (tom. III, pag. 480). — Idem de solutione voti solemnis pronuntiat Suarez, *De relig.*, tr. VII, lib. 6, c. 16, n. 6.

5. Sic plures theologi docent licitum esse matrimonium contrahere cum impedimento dubio juris ecclesiastici : v. g. S. Alphonsus, lib. VI, n. 901 : cfr. tamen supra, n. 285 sub *h.)*

6. Sic communiter docent theologi licitum non esse matrimonium contrahere cum impedimento dubio juris naturalis vel divini : cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 902 ; Feye, *op cit.*, n. 366.

7. Cfr. S. Alphonsus, lib. IV, n. 210 ; Haus, *Droit pénal Belge*, n. 133 : Huc pertinet reg. 11 Jur. in *Sexto :* « Cum sint partium jura obscura, reo

habuerit : tum ad percipiendas facti conditiones et qualitates, utrum nempe tale sit quod sub lege cadat. Et quidem facti existentiam respiciunt recepta axiomata : « In dubio factum non præsumitur sed probatur » ; « In dubio standum est pro eo pro quo stat præsumptio » ; « In dubio judicandum est ex ordinarie contingentibus ». Facti vero conditiones : « In dubio nemo præsumitur malus nisi probetur » ; « Ea facta quæ dubium est quo animo fiant, in meliorum partem interpretemur » (1) ; « In dubio standum est pro valore actus » ; « In dubio præsumitur recte factum quod de jure faciendum erat », etc. — Etiam hic agitur de solo dubio *positivo* : cum enim negativum negligi possit ac debeat, factum, eo non obstante, reputatur moraliter certo existere vel deficere, validum esse vel invalidum; adeoque lex applicatur vel non applicatur, perinde ac si dubium ortum non fuisset. Ita v. g. si pro voti aut juramenti emissione, non militet nisi ratio levis, votum aut juramentum reputatur non emissum, et nulla adest obligatio; pariter, si pro voluntate ac intentione promittendi aut vovendi, levis tantum ratio occurrat, deesse censetur promissio aut votum; e contra, si levis tantum ratio militet pro voti adimpletione, votum censetur non adimpletum, et obligatio remanet (2) ; si levi ratione videatur quis attigisse annum ætatis vigesimum primum, vel vigesimum quartum, reputatur non attigisse, ac consequenter non debet jejunare, nec potest sacerdotium suscipere (3) ; si pro damni illatione ex parte tua non adsit nisi levis ratio, censetur damnum non fuisse a te illatum, et nulla est obligatio reparandi (4) ; e contra si pro debiti solutione sit tantum ratio levis, censetur solutum non fuisse, et remanet obligatio (5) ; si levi indicio baptismus collatus appareat, censetur non collatus, adeoque conferendi obligatio urget ; si vero collatus fuerit, et levi indicio timeatur ne fuerit collatus invalide, censetur validus, nec denuo conferri potest (6) ; si levi ratione credatur peccatum commissum,

et natura.

favendum est potius quam actori, » et 49 : In pœnis benignior est interpretatio facienda. » — 1. Reg. 2 jur.

2. Cfr. Suarez, *De voto*, lib. IV, c. 5 et 6, ubi plura expenduntur de dubio facti circa votum ejusque conditiones ; *De juramento*, lib. II, c. 33, etc.

3. Cfr. Laymann, lib. I, tr. 1. c. 5, n. 31 et seq. ; S. Alphonsus, lib. I, n. 32. — 4. Cfr. S. Alphonsus, lib. III, n. 562.

5. Cfr. S. Alphonsus, lib. I, n. 34. — 6. Cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 134.

censeri potest commissum non fuisse, et nulla videtur obligatio confitendi (1) ; si vero levi indicio credatur peccatum clavibus submissum, censetur non submissum, et permanet confitendi obligatio (2) ; si ratio tantum levis militet pro impedimento matrimoniali, censeri potest non adesse, et licita videtur matrimonii celebratio (3); at si ratio levis militet pro impedimenti cessatione, v. g. per dispensationem vel per mortem conjugis, permanere censetur, et matrimonium illicite celebratur (4), etc. — Tandem præcipue agitur de casu probabilitatis *simultaneæ :* si enim pro una tantum parte graves sint rationes, facile adest, maxime in quæstionibus facti, certitudo moralis late sumpta (5).

Ut determinetur quandonam et qua ratione in casu facti positive dubii, indirecte, vi principii superioris, possit vel exurgere obligatio certa, vel libertas certo permanere, advertendum est facta distingui posse in duplicem classem : alia enim sunt quibus obligationes et jura *inducuntur,* alia quibus obligationes et jura *tolluntur.*

288. *Indirecta solutio dubii quoad baptismi receptionem.*

Facta, quibus obligationes et jura inducuntur, sunt præsertim baptismi receptio, ordinatio, matrimonii celebratio, procreatio prolis, parvuli susceptio e fontibus, voti aut juramenti emissio, promissio aut contractus pactio, damnificatio, et alia hujusmodi. Jam vero *a/* in casu baptismi dubie recepti, certa est obligatio iterum sub conditione recipiendi, ne defectu medii necessarii consecutio finis ultimi in discrimen adducatur (6) : certa in neo-converso obligatio peccata post baptismum dubium commissa confitendi, ne periculum incurratur varii detrimenti spiritualis (7) : certa obligatio standi matrimonio contracto, ne ordo familiæ perturbetur (8) : certa obli-

1. Cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 474. — 2. Cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 477. — 3. Cfr. Viva, in p. 1am ex damnatis ab Innocentio XI, n. 31. — 4. Cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 901.

5. Adverte præterea, in casu tum probabilitatis solitariæ, tum probabilitatis simultaneæ, eo promptius animum conquiescere quo de re minoris momenti agatur ; v. g. certitudo moralis de dispositione pœnitentis, quæ sufficit ad absolutionem dandam, inferior est certitudini morali de sinceritate vini, quæ sufficit ad consecrandum, vel de realitate aquæ, quæ sufficit ad baptizandum. — 6. Cfr. Suarez, *De bapt.,* disp. 21, s. 2, n. 8 et 9; S. Alphonsus, lib. VI, n. 134. — 7. Cfr. supra, n. 285, sub *i.*

8. Cfr. Feye, *op. cit.*. n. 464, ubi refertur resolutio *S. Officii* 17 nov. 1830 : « Q. An Calvinistæ et Lutherani... quorum baptisma dubium et suspectum

gatio abstinendi generatim ab aliis sacramentis, ne periculo
ordinationem, nullitatis exponantur (1), etc. — *b*/ In casu dubiæ ordinationis sacerdotalis, certa est obligatio vel abstinendi a ministerio vel ordinationis iterandæ, idque ob reverentiam functionum sacrarum bonumque fidelium (2) ; item certa, in utriusque sacramenti reverentiam, prohibitio matrimonium ineundi (3). —
matrimonii celebrationem, *c*/ In casu matrimonii dubie validi, si dubium sit de aptitudine conjugali, certa est facultas matrimonio utendi per triennium experientiæ (4) ; si vero dubium sit de aliarum conditionum verificatione, certa etiam est facultas debitum reddendi parti non dubitanti (5), imo, diligentia adhibita, certa in parte dubitante facultas petendi (6) : ita ab Ecclesia resolvitur vi
voti emissionem, principii possessionis, quod matrimonio favet (7). — *d*/ In casu voti vel juramenti dubii, dubia generatim est obligatio adimplendi (8) : at, si agatur de professione religiosa, ratio est recurrendi ad superiorem et obtinendi ab eo dispensatio-
promissionem et contractum, nem (9). — *e*/ In casu dubiæ promissionis vel contractus dubii, non habetur nisi dubia obligatio ; imo plerumque in foro externo, et consequenter etiam in foro interno, actus non admittitur nisi sufficienter probetur : (10) ad promissiones enim,

est, infideles habendi sint, ita ut inter eos et catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur? R. Quoad hæreticos, quorum sectæ Ritualia præscribunt collationem baptismi absque necessario usu materiæ et formæ essentialis, debet examinari casus particularis... Quod si dubium persistat, censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii. » Novissima *S. Officii* resolutione, de die 5 sept. 1888, statuitur, in causis matrimonalibus, dum agitur de valore baptismi forsitan collati, semper recurrendum ad sanctam Sedem.

1. Cfr. *Decretal.*, lib. III, tit. 43, c. 3, *Veniens.* — 2. Cfr. *Decreti*, p, 1, dist. 68, c. 2, *Presbyteri ;* S. Alphonsus, lib. VI, n. 757. — 3. Cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 902. — 4. Cfr. *Decretal.*, lib. IV, tit. 15, c. 5, *Laudabilem.*

5. Cfr. *Decretal.*, lib. IV, tit. 21, c. 2, *Dominus ;* lib. V, tit. 39, c. 44, *Inquisitioni.* — 6. Cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 904.

7. Hinc in *Instr. de judiciis eccl. circa causas matrimoniales* a S. C. de Propaganda Fide emanata, p. alt. § 40, sic legitur : « Cæterum de hac re judex sciat, matrimonium esse per se factum quoddam solemne et publicum, quod semper validum censeri debet, *nisi evidentes rationes ejusdem nullitatem demonstraverint.* Ideo curandum quidem omni studio atque diligentia, ut rationes istæ colligantur, sed judicium contra matrimonium nunquam erit pronuntiandum, nisi earum complexio omne prudens dubium de existentia impedimenti excludat. » — 8. Cfr. Suarez, *De voto*, lib. IV, c. 5, n. 5.

9. Exempla habes ap. *Acta S. Sedis*, tom, III, pag. 116 ; tom. VIII, pag. 39.

10. Exemplum habes in sponsalibus, contra quæ pronuntiatur quoties de eorum validitate plene non constet; cfr. *Acta S. Sedis*, tom. II, p. 142; V, 77 ; VIII, 308 ; Aichner, *Comp. jur. eccl.*, § 162.

contractus et testamenta directe pertinent juris regulæ et sententiæ : « Contra eum qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda » (1) ; « In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius » (2) ; « In ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet » (3) ; « Ubi de obligando quæritur, propensiores esse debere nos, si habeamus occasionem, ad negandum : ubi de liberando, ex diverso, ut facilior sis ad liberationem » (4). — *f*/ In casu dubiæ damnificationis, dubia est obligatio reparandi (5). — *g*/ In casu peccati mortalis dubie commissi, multis dubia est obligatio confitendi, aliis tamen videtur obligatio certa, ne persona exponatur periculo manendi in pravo statu (6).

damnificationem,

peccati commissionem ;

289. Ad facta, quibus obligationes et jura inducuntur, accedunt rerum et factorum circumstantiæ necessariæ ut leges suam habeant applicationem : hæ circumstantiæ afficiunt objecta, loca, tempora, personas, etc. Jam vero *a*/ in dubio num adsit sacramenti materia sufficiens, non est necessario dubia ministri obligatio : etenim certo tenetur, in reverentiam sacramenti et in bonum fidelium, ea materia abstinere si sufficientem præ manibus habeat ; quod si sufficiens non adsit, certo tenetur a sacramento conficiendo abstinere quotiescumque sacramenti reverentia bono fidelium præponderans est, ut si agatur de Eucharistia ; at certo tenetur conficere, etiam cum tenui spe validitatis, quotiescumque fidelium bonum reverentiæ sacramenti præponderat, ut in casu infantis proxime morituri, moribundi sensibus destituti (7). — *b*/ In dubio num profutura sit medicina, non necessario est dubia obligatio medici : nam, vi quasi contractus ex munere suscepto, generatim certo non potest eam adhibere, si efficacior occurrat ; certo potest, imo tenetur eam adhibere, si nulla efficacior adsit, et hæc non timeatur nocitura ; quod si forte profutura, forte nocitura existimetur, res definienda erit attento morbi

quoad sacramentorum materiam,

medii necessarii efficaciam,

1. Reg. 57 jur. in *Sexto*. — 2. *Digest.* lib. L, tit. 17, reg. 192. — 3. *Dig.* lib. XXXIV, tit. 5, l. 10, *Si fuerit*. — 4. *Dig.* lib. XLIV, tit. 7, l. 47, *Arrianus*. — 5. Cfr. Waffelaert, *De just.*, II, 317-319. — 6. Cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 473.

7. Cfr. Viva, in p. I ex damnatis ab Innocentio XI.

operationis periculum, caractere (1). — *c*/ In dubio num actio sit tertio nocitura, non necessario dubia est agentis obligatio: etenim certo debet ab actione abstinere, si præponderans utilitas propria vel tertii actionem non exigat; certo autem agere potest, si talis *proximi innocentiam,* utilitas adsit (2). — *d*/ In dubio num vita proximi sit mala, dubia non est ratio agendi cum ipso: nam certo tenetur unusquisque famam ejus illæsam conservare; quoad obsequia præstanda, certo debet dubium in meliorem partem interpretari; quoad cautiones vero adhibendas, certo potest dubium *objecti proprietatem,* interpretari in deteriorem partem (3). — *e*/ In dubio num res aliqua propria sit, non necessario dubia est ratio eam tractandi: nam si ipse dubitans bona fide hucusque possidebat, certo potest eam retinere, quousque non demonstretur aliena; si vero bona fide alter eam possidebat, certo non potest eam occupare privata auctoritate (4); lite autem mota, judex debebit aliquando rem dividere, aliquando uni adjudicare (5). — *actus positionem,* *f*/ In dubio num contigerit factum sub lege cadens, non necessario dubia est legis applicatio: nam aliquando lex certo non applicatur, v. g. si agatur de pœna subeunda (6); aliquando e contra certo poterit applicari, si id requirat finis legis et bonum *rerum et personarum qualitates;* commune (7). — *g*/ In dubio num verificentur conditiones requisitæ ad legis applicationem, hæc sæpe dubia remanebit: v. g. in dubio num dies sit festivus, num labor sit servilis, num cibus sit esurialis, etc. dubia erit obligatio audiendi missam, abstinendi a labore, cibo non utendi; sæpe tamen etiam poterit esse applicatio certa, præsertim quando agitur de valore sacramenti, de personarum debilium favore, etc.: sic in dubio num quis adhuc impubes esset, quando vovit, certo potest voti irritatio fieri a parentibus (8), in dubio num ætatem præscriptam attigerit, num domicilium vel quasi

1. Cfr. Platel, p. II, n. 147; S. Alphonsus, lib. I, n. 44-46.
2. Cfr. Waffelaert, *De just.*, tom. II, n. 316. — 3. Cfr. S. Thomas, 2-2, q. 60, a. 4.
4. Cfr. Waffelaert, *op. cit.*, tom. II, n. 255-256.
5. Cfr. J. De Lugo, disp. 37, sect. 10; Platel, tom. II, n. 138; S. Alphonsus, lib. IV, n. 210. — Huc etiam pertinet quæstio utrum bellum indicere liceat ex causa dubie justa: eam tractant, Victoria, *De jure belli*, n. 27; Molina, tr. II, disp. 103; Suarez, *De char.*, disp. 13, s. 6.
6. Cfr. supra, n. 286, sub *e*); n. 287, sub *c*), not. 7.
7. Exemplum forte habes in *Decretal.* lib. V, tit. 12, c. 12, *Ad audientiam.*
8. Cfr. Suarez, *De voto,* lib. VI, c. 6, n. 4.

domicilium acquisierit, etc. certo non potest matrimonium celebrari (1).

Facta, quibus obligationes tolluntur aut suspenduntur, sunt legis adimpletio, redditio voti, debiti solutio, peccati confessio, adimplendi aut solvendi impotentia. Jam vero *a/* in casu dubiæ adimpletionis legis, multi existimant, vi principii possessionis, certo remanere obligationem adimplendi, si nimirum ipsum factum adimpletionis dubium sit, non tamen si de facto constet, dubia autem sit facti sufficientia (2); alii e contra, quibus adhærendum putamus, existimant in hujusmodi casu locum non esse applicationi principii possessionis, adeoque obligationem habent incertam (3). — *b/* Similiter et propter eamdem rationem, in casu dubiæ redditionis voti, multi arbitrantur certo remanere reddendi obligationem (4); at neque huic casui applicandum esse principium possessionis alii merito tenent (5). — *c/* In casu vero dubiæ solutionis debiti, res obscurior est : alii, principio possessionis innixi, censent certo remanere obligationem integre solvendi (6); alii, arguentes ab æquitate et jurium æqualitate, censent adesse obligationem solvendi pro rata dubii (7); alii arbitrantur locum non esse applicationi horum principiorum, saltem applicationem non esse claram, adeoque obligationem habent incertam (8). — *d/* Item in casu dubiæ confessionis peccati mortalis, juxta alios, ad gravia pericula vitanda, remanet certa obligatio confitendi, juxta alios vero obligatio non est nisi dubia (9). — *e/* In casu causæ excusantis dubiæ, non nisi dubia videtur obligatio (10).

290. *quoad legis adimpletionem,* *voti redditionem,* *debiti solutionem,* *peccati confessionem,* *causæ excusantis existentiam.*

Hucusque generalem dubii speculativi solvendi methodum, 291.

1. Cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 902, quær. 3. — Huc etiam pertinent quæstiones de homine dubio, in ordine ad baptismum, de qua S. Alphonsus, lib. VI, n. 125; de sexu dubio in ordine ad matrimonium, de qua Sanchez, lib. VII, disp. 106, et aliæ similes.

2. Cfr. S. Alphonsus, *Quæst. rec. reform.*, n. 1.

3. Ita prius existimavit ipse S. Alphonsus, lib. I, n. 99, lib. IV, n. 150.

4. Cfr. S. Alphonsus, lib. I, n. 29-30. — 5. Cfr. Suarez, *De voto*, lib. 4, c. 6, n. 14.

6. Cfr. S. Alphonsus, lib I, n. 34, lib. III, n. 700, q. 2.

7. Cfr. Lehmkuhl, tom. I, n. 960.

8. Cfr. Waffelaert. tom. II, n. 261, 359. — 9. Cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 476. — 10. Cfr. S. Alphonsus, lib. III, n. 290, lib. IV, n. 154.

theologis omnium fere scholarum communem, exposuimus, eamque variis exemplis illustrare conati sumus; animus tamen non fuit difficultates universas in legibus et factis specialium materiarum occurentes explicare; hoc enim in tractatu generali de *principiis* nec requiritur nec præstari posset, sed ad proprios tractatus pertinet. Unum autem pro coronide adver-

Solutio authentica.

timus, nempe : contingere posse ut ratio, quæ per se non sufficit ad dubium solvendum in hunc vel illum sensum, præbeat tamen sufficiens fundamentum ut superior authentica quadam directione vel etiam lege positiva dubium solvat. Et quidem quod dubium *juris,* exemplum hujusmodi determinationis forte habetur in controversia de vi obligatoria quarumdam partium regulæ Franciscanæ (1); quod dubium vero *facti*, luculentius exemplum suppeditat materia irregularitatis (2).

1. Ita *Clement.* lib. v, tit. 11, c. 1. *Exivi :* « Quia præter ea, quæ expresse verbo præcepti ac exhortationis seu monitionis ponuntur in regula, nonnulla verbo imperativi modi negative vel affirmative apposito inseruntur, hactenus exstitit dubitatum an tenerentur ad ista, ut ad habentia vim præcepti... Nos itaque, qui in sinceris horum conscientiis delectamur, attendentes quod in his, quæ salutem animæ respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda : dicimus, quod, licet fratres non ad omnium, quæ sub verbis imperativi modi ponuntur in regula, sicut ad præceptorum seu præceptis æquipollentium observantiam teneantur : *expedit,* tamen ipsis fratribus *ad observandam puritatem regulæ et rigorem,* quod ad ea sicut æquipollentia præceptis, se noverint obligatos, quæ hic inferius annotantur. » — Iterum de hoc cap. sermo infra recurret ; in præsenti non nisi ultima verba respicimus.

2. Ita *Decretalium* lib. v, tit. xii, c. 12, *Ad audientiam :* « Ad audientiam Apostolatus nostri pervenit, quod, cum quidam presbyter volens corrigere quemdam de familia sua, cingulo, quo cingi solebat, ipsum verberare tentaret; contigit quod cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapsus, eum in dorso aliquantulum vulneravit : postmodum vero cum ille vulneratus aliaquamdiu vixisset, et convaluisset a vulnere, alia graviori, ut dicitur, infirmitate percussus, viam est universæ carnis ingressus. Quia vero utrum occasione vulneris decessisset, dubium habetur : tuæ discretioni duximus respondendum, quod, cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, te convenit injungere presbytero memorato ut in sacris ordinibus non ministret, et eidem injuncta pœnitentia congruenti, sibi poteris concedere, ut minoribus ordinibus sit contentus. » Eodem fere modo ib. c. 16, *Significasti.* Quos canones optime interpretatur Suarez, *De censuris,* disp. 40, s. 6, n. 8-9 : « Est (ibi) sermo de dubio speculativo, ex quo pendet dictamen conscientiæ ut est in casu illorum textuum, an Petrus, v. g., fuerit mortuus ex vulnere inflicto a Paulo, nec ne. Ex quo infero, quando in illis textibus dicitur una pars securior et in altera esse aliquid periculi, non esse sermonem de periculo culpæ, quia de hoc ipso versabatur quæstio, an ibi esset periculum culpæ, nemoque dubitavit quin operari cum periculo culpæ sit malum : peteret ergo Pontifex principium, vel non rectam rationem afferret, si in illo sensu illo principio uteretur. Vocat ergo tutiorem partem illam

Caput II.

De conscientiæ certitudine obtenta per solutionem dubii practici.

292. *Ratio solvendi dubium practicum.*

Ex dubio speculativo juris vel facti, si indirecte aliquo modo solvi non potuerit, sponte enascitur dubium practicum et vera incertitudo de *objectiva* moralitate actionis particularis (1), ita ut quærenti utrum a *parte rei* obligatio adsit, an vero maneat libertas, vir prudens ac sincerus respondere debeat: fortasse adest obligatio, fortasse manet libertas: nihil absolute pronuntiare valeo. In hoc autem casu, quo nulla, etiam late dicta, certitudo obtineri potuit, aliquando objectiva obligatio probabilior erit, minus autem probabilis libertas, aliquando e contra libertas erit probabilior, minus probabilis obligatio, aliquando æque probabiles erunt obligatio et libertas (2).

---

quæ pauciora habet incommoda, et minoris momenti, omnibus pensatis; periculum autem quod immenere dicit, non est aliud, nisi quia accidere posset ut verus homicida celebraret aut ordinaretur, quod est contra decentiam ipsius rei et Ecclesiæ intentionem. Ex quo principio sic intellecto et ex judicio prudentiali in tali materia, nimirum tutius esse abstinere a ministerio sacro, colligit Pontifex legem quæ statuit ut ita fiat. Ut autem hoc statuat, necesse non est ut illud principium, in quo fundatur, *in dubiis tutiorem partem esse eligendam,* sumatur in universum ut necessarium ad vitandam culpam, seu tanquam præceptum, satis enim fuerit quod Pontifex id existimaverit esse convenientius, et magis consentaneum prudentiæ, et juxta illud legem statuerit. Et ob eamdem causam necessarium non est ut id, quod ibi Pontifex statuit ac præcipit, per se esset necessarium ex vi solius rationis naturalis : nam sæpe lex positiva statuit aliquid ex prudentiali ratione, quæ per se sola non induceret necessitatem, est autem sufficiens ad statuendam legem, quæ necessitatem imponat. Si ergo Pontifex judicavit in hac materia expedire, ferri legem de sequenda tutiori parte, quia, in hoc quod dubius de tali facto abstineat, solum illud potest esse incommodum, quod hoc est onerosum tali personæ, et quod aliquando potest contingere, ut ille qui revera homicida non est, abstinere cogatur : at hoc quasi nihil existimatum sit a Pontifice, comparatum cum reverentia debita rebus sacris, et cum periculo quod aliquando homicida ministret. Hæc autem ratiocinatio per se sola fortasse non esset sufficiens ad obligandum hominem dubium ut in eo casu abstineret; fuit autem sufficiens ut Pontifex lege sua id decerneret. Maxime, cum ipse potuerit judicare esse sufficientem causam ad imponendum hoc onus in tali casu, quod homo sua culpa vel negligentia actionem fecerit simili dubio expositam. Item, cum ad summum Pontificem pertineat cavere omnem indecentiam circa ministeria sacra. »

1. Cfr. supra, n. 282, pag. 529, not. 1.
2. Cfr. supra, n. 268, 273, 282.

Itaque examinandum superest, an forte non adsit medium quo ipsum dubium practicum possit indirecte solvi, ita ut ex eo non sequatur dubium *proxime practicum* seu *conscientia dubia* (1). Sic autem dubium indirecte solvetur, si, vi alicujus principii *certi*, in casu objectivæ obligationis particularis incertæ, obtineatur certitudo de obligatione vel libertate subjectiva.

Jam vero relate ad hanc quæstionem diversas theologi sententias tenuerunt, et varia proposuerunt systemata, de quorum *indole* et *valore* in duplici articulo sequenti dicemus (2).

ARTICULUS PRIMUS.

De varia ratione solvendi dubium practicum.

293. *Systemata tutioristarum,*

Occurrunt imprimis illa systemata, quæ dici possunt *absoluta*. Nimirum *a*/ alii arbitrantur, in omni casu objectivæ obligationis particularis incertæ, etiam minus probabilis, intervenire principium, vi cujus certa est subjectiva obligatio partem tutiorem, id est, faventem legi, exequendi : hi vocantur *tutioristæ* (3). — *b*/ Alii (cum tutioristis) existimant, in casu obligationis objectivæ stricte dubiæ, seu obligationis et libertatis æque probabilis, et a fortiori in casu obligationis obje-

1. Cfr. supra, n. 254. — Igitur dubium practicum distingui debet in *remote practicum* et *proxime practicum* ; confundi tamen nequit dubium remote practicum cum dubio remoto seu speculativo.

2. Perfectæ illius sinceritatis causa, quam theologus profiteri et colere tenetur, sententias et systemata in notis referemus ipsis auctorum verbis.

3. Tutioristis ergo ad licite operandum requiritur certitudo late dicta de absentia obligationis objectivæ ; ista autem certitudo ipsis sufficit, in quo distinguitur a rigoristis Jansenianis, supra n. 273, refutatis : hi enim certitudinem moralem stricte dictam requirunt, exclusa etiam opinione probabilissima. Tutiorismum præ cæteris docuerunt Lovanienses sæculi XVII et XVIII ; cfr. v. g. Steyaert, *Aphorism.* I, disp. 3 ; Dens, *De conse.*, n. 188, et cæteri passim, quibus sub fine sæculi elapsi adhæsit doctissimus card. Gerdil, *De conse.*, c. 3. — Ab iis vix discrepant alii, qui primo aspectu probabilioristæ viderentur : hi enim nomine sententiæ probabilioris designant eam quæ notabili suo excessu verisimilitudinem oppositæ offuscat. Ita v. g. Antoine, *De conse.*, c. 4, q. 4 : « Licet sequi opinionem minus tutam de licito, quando post debitam veritatis inquisitionem, apparet certo ac valde probabilis, et multo probabilior opposita, ita ut excludat dubitationem et formidinem rationabilem errandi » ; similia habent Gazzaniga, *De conse. prob.*, n. 140-141 ; Patuzzi, tr. II, c. 9, § 2 ; L. Habert, *De conse.*, c. 4. — Romæ habita est ea de re satis curiosa conferentia inter Fagnanum et Lovanienses, cujus relatio, litteris Martini Steyaert, exstat apud Jac. Boudart, *De conse.*, § 48.

ctivæ probabilioris, intervenire principium, vi cujus certa est subjectiva obligatio exequendi partem tutiorem ; at (contra tutioristas) putant, in casu obligationis objectivæ minus probabilis et libertatis probabilioris, intervenire principium, vi cujus certa est subjectiva libertas sequendi partem minus tutam : isti dicuntur *probabilioristæ* (1). — *c*/ Alii (cum probabilioristis) fatentur, in casu obligationis objectivæ probabilioris, intervenire principium, vi cujus certa est obligatio subjectiva partem exequendi tutiorem ; at (contra probabilioristas) simul propugnant, non solum in casu obligationis objectivæ minus probabilis, verum etiam in casu obligationis objectivæ stricte dubiæ, seu obligationis et libertatis æque probabilis, intervenire principium, vi cujus certa est facultas partem sequendi minus tutam : hi dicuntur *æquiprobabilistæ* (2). — *d*/ Alii tandem tenent, in omni casu obligationis objectivæ incertæ, etiam probabilioris, intervenire principium, vi cujus certa est subjectiva libertas sequendi partem minus tutam : hi sunt *probabilistæ* (3).

probabilioristarum,

æquiprobabilistarum,

probabilistarum;

1. Sententia ista, quæ multos sectatores habuit medio sæculo XVII et toto sæculo XVIII, optime exponitur a Billuart, diss. 6, a. 1 : « *a*/ In concursu duarum opinionum de honestate objectiva actionis, non est licitum sequi minus probabilem et minus tutam, relicta probabiliori et tutiori. » *b*/ « In conflictu duarum opinionum æque probabilium de honestate objectiva actus, tenemur sequi tutiorem. » *c*/ « Quando agitur de sola honestate objectiva actus, licitum est sequi opinionem manifeste et solide probabiliorem minus tutam, seu faventem libertati, in concursu minus probabilis tutioris seu faventis legi. »

2. Sententiam istam, quam jam ab ineunte sæculo XVIII nonnulli propugnaverant, plures vero recentiori ætate amplexi sunt, ita exponit Scavini, *De consc.*, c. 2, a. 4, § 2 : *a*/ « Q. An liceat opinionem minus tutam (faventem libertati) et minus probabilem, in concursu tutioris (faventis legi) et simul etiam certe probabilioris ? R. Negative » *b*/ « Q. An liceat sequi opinionem minus tutam, sed magis probabilem in concursu tutioris, sed minus probabilis ? R. Affirmative *ordinarie loquendo.* » *c*/ Q. An liceat sequi opinionem minus tutam in concursu opinionis tutioris æque vel fere æque probabilis ? Inter duas opiniones æque vel fere æque probabiles potest homo sine peccato eligere et tenere partem minus tutam, relicta tutiori. » Brevius Martinet, lib. 1, a. 13, § 4 ; « Substantia regulæ æquiprobabilismi, hæc est : in dubio quod nascitur ex æqualitate aut quasi æqualitate momentorum utrinque militantium pro opinionibus contradictoriis de existentia vel obligatione legis, locum obtinet effatum : *Lex dubia, lex nulla.* »

3. Bartholomæus de Medina, qui omnium primus probabilismum systematice proposuit, illum sic expressit in 1-2, p. 19, a. 6, concl. 3 : « Si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita probabilior sit. » Clarius Laymann, lib. 1, t. 1, c. 5, § 2, n. 7 : « Ex duabus contradicentibus opinionibus, quæ versantur circa actionem humanam, an ea licita sit, necne, quisque in praxi sive operatione sequi potest quam maluerit, etsi ipsi operanti speculative minus probabilis videatur. » Distinctius adhuc

uniuscujusque formula propria;

Hinc formula tutioristarum est : omnis lex vere probabilis obligat ; — formula probabilioristarum : obligat lex tum probabilior, tum æque probabilis, non vero lex minus probabilis ; — formula æquiprobabilistarum : obligat lex probabilior, non autem lex minus probabilis, neque etiam lex æque probabilis ; — formula probabilistarum : nulla lex mere probabilis obligat (1).

reciproca convenientia et discrepantia.

Statim apparet quæ sit prædictarum sententiarum inter se convenientia et quæ unius ab altera discrepantia : sententia probabilioristarum ex parte convenit cum tutioristarum sententia, ex parte cum sententia æquiprobabilistarum ; rursus æquiprobabilistarum sententia ex parte convenit cum sententia probabilioristarum, ex parte cum sententia probabilistarum ; sententia autem probabilistarum omnino opponitur tutioristarum sententiæ. — Et ita quidem si theoretice res considerentur : nam practice probabilioristæ vix distinguuntur a tutioristis : quam enim hi *moraliter certam*, illi *probabiliorem* opinionem dicunt (2) ; æquiprobabilistæ autem vix distinguuntur a probabilistis : siquidem eam opinionem quam hi dicunt *probabiliorem*, illi *fere æque probabilem* habent. Ex quibus concluditur, de facto tandem non esse nisi duo systemata diversa, *tutioristarum* et *probabilistarum* (3).

Wirceburgenses. *De consc.*, a. 4, n. 233 : « Probabilistæ duo tenent ac defendunt : 1° quod sequi liceat opinionem faventem libertati, si modo vere, certo, ac practice probabilis sit, licet opinio opposita favens legi æque sit probabilis ; 2° quod etiam liceat sequi opinionem vere, certo, et practice probabilem faventem libertati, quamvis opposita favens legi, atque hoc ipso tutior, sit etiam probabilior. » Recentiori ætate, ita Gury-Ballerini, I, 60 : « Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiore æque probabili vel etiam vere probabiliori, ubi de solo licito agitur. »

1. Prædictas propositiones *formulas* vocamus, licet sæpe vocantur *principia ;* revera, si in se spectentur, aliud non sunt quam formulæ seu conclusiones ; possunt tamen dici *principia* in quantum, semel ac demonstratæ fuerint, assumi possunt per modum principiorum ad particulares dubitationes solvendas. In his autem formulis, loco nominis *lex*, melius poneretur *obligatio objectiva* (sc. in actu primo), et loco verbi *obligat*, melius diceretur *parit obligationem subjectivam* (sc. in actu secundo) : agitur enim de casu incertitudinis provenientis sive ex lege dubia, v. g. utrum pingere prohibeatur die dominica, sive ex facto dubio, v. g. utrum dies hodierna sit dominica.

2. Hinc haud immerito a cl. D'Annibale, *Summ.*, p. I, n. 238, not. 18, probabilioristæ dicuntur *ementiti tutioristæ*. Id adeo verum est ut frustra apud eos, v. g. Gonet, Billuart, quæsieris refutationem tutiorismi : non invenies nisi refutationem rigorismi Jansenianorum.

3. Cfr. Meyer, *op. cit.*, n. 317.

294. *Systemata mixta eorum qui distinguunt inter jura,*

Accedunt systemata quæ *mixta* dici possunt. Videlicet *a*/ alii, facta distinctione inter legem et legem aut inter legem et factum, tutioristis adhærent, si agatur de lege naturali, æquiprobabilistis vero si agatur de lege positiva divina aut humana (1) : vel æquiprobabilistis adhærent, si agatur de lege divina naturali aut supernaturali, probabilistis, si agatur de lege humana ecclesiastica aut civili (2): vel etiam probabilistis adhærent pro casu quo dubium practicum oriatur ex dubio speculativo juris, secus pro casu quo dubium practicum oriatur ex dubio speculativo facti (3). — *b*/ Alii probabilistis (vel æquiprobabilistis), adhærent, si agatur de obligatione inducenda contra libertatem quæ sit in possessione, tutioristis vero si agatur de libertate obtinenda contra legem quæ sit in possessione; dicunt enim obligationem non incipere nisi de existentia constet certitudine morali late sumpta, nec desinere nisi eadem certitudine morali constet de cessatione (4). —

vel a possessione normam petunt,

1. Hanc sententiam recentius proposuit Rosmini, *Trattato della coscienza morale,* lib. III, sez. 2, c. 3-4 et post ipsum alii nonnulli, v. g. J. Grassi, *Theol. mor. De consc.*, conclusio, n. 4. Scribit Scavini, *De consc.*, not. o, quod eam primus omnium propugnaverit auctor libri ipsa S. Alphonsi ætate Neapoli editi sub titulo, *Dissertazioni sul diritto naturale,* tom. II, diss. 6, n. 6. Sed revera multo antiquior est, siquidem refutatur a Lacroix, lib. I, n. 302, imo jam indicatur a Lovaniensibus sæculi XVII, v. g. a Steyaert *Aphor.* tom. I, disp. 3, n. 6-8, et satis cohæret cum doctrina eorum qui in jure naturali nullam invincibilem ignorantiam agnoscebant. Unde in Romana illa conferentia cum Fagnano : « Petiimus quid sentiret de opinione probabiliori, *præsertim in jure naturæ*, ubi juxta nostram sententiam nulla ignorantia excusat. »

2. Ita Bonal, *De consc.*, n. 143.

3. Scribit cl. D'Annibale, p. I, n. 244, not. 20, « quosdam hodiernos theologos probabilismum ad solas quæstiones coercere, quæ *in jure* consistunt ».

4. Hanc sententiam proposuit et multis explicavit Bolgeni in diss. *Del possesso,* quam gallice translatam habes in per. *Mélanges théol.*, tom. II-v. Ei novissime adhæsit cl. D'Annibale, *Summ.*, p. I, n. 240, 242 : « Alii freti illa canonici et civilis, immo naturalis juris et æquitatis regula, *In dubio melior est conditio possidentis,* tenent neque semper pro lege, neque pro libertate semper respondendum esse, sed pro ea quæ in possessione est : ideoque si lex possidet, in sententiam tutioristarum; si possidet libertas, in probabilistarum sententiam concedunt. » — Idem principium cum æquiprobabilismo componunt plures S. Alphonsi discipuli; ita v. g. *Vindic.* Auctores, p. I, c. I. a. 3 : « In dubio circa *existentiam legis aut juris,* ubi concurrunt duæ opiniones, quarum una stat pro lege, altera pro libertate, nec licet sequi opinionem probabilem libertati faventem, relicta tutiore certe probabiliore, nec datur obligatio sequendi tutiorem, etiamsi opinio benignior sit parum minus probabilis ; ut autem sequi liceat opinionem pro libertate, requiritur et sufficit ut ipsa sit æque vel fere æque probabilis,

vel compensationem exigunt.

c/ Tandem alii tutioristis adhærent cum limitatione; docent enim omnem quidem legem probabilem obligare, minus tamen stricte quam obligat lex certa: unde notant, generatim levi causa oriri excusationem a tali obligatione, atque eo leviori in singulis causis, quo minus probabilis sit lex (1).

295. *Systemata extrema rigoristarum et laxistarum.*

Quoniam agimus de casu obligationis objectivæ vere incertæ, expendendæ in præsenti non sunt rigoristarum et laxistarum sententiæ. Rigoristis enim non sufficit ad actionis liceitatem certitudo moralis late dicta de absentia legis, sed plena certitudo necessaria est; ex adverso laxistis ad obligationem contrahendam non sufficit certitudo moralis late dicta de legis existentia, sed etiam necessaria est certitudo plena: primi asserunt licitum non esse sequi opinionem etiam probabilissimam (2); alteri contendunt licitum esse sequi opinionem etiam tenuiter probabilem (3): utrique refelluntur

ac illa quæ stat pro lege... In dubio circa *cessationem legis aut juris* certe prius existentis, ut tollatur obligatio, non sufficit per se probabilitas etiam gravis favens libertati, sed requiritur probabilitas talis, quæ fundet certitudinem moralem. »

1. Hanc sententiam nostra ætate ex professo propugnaverunt Laloux, *De act. hum.*, diss. 4 et 5, et Potton, tum in op. latino *De theoria probabilitatis*, tum in diss. gallica *De la théorie du probabilisme*, ac brevius in epist. ad per. *Nouvelle revue théol.*, VII, 372; eidem adhæret Vincent, *De consc.*, c. 2, a. 3, § 4; eam vocaverunt *probabilismum cum compensatione, (probabilisme à compensation)*; potiori jure vocaretur *tutiorismus cum limitatione*. — Cave autem ne existimes novum quid ab istis recentioribus excogitatum fuisse; principium enim compensationis vel restrictionis jam proposuerant veteres Lovanienses; audi v. g. Steyaert, *Aphor.* tom. I, disp. 3, n. 7: « Hoc etiam habet jus positivum etiam humanum, quod in *casu probabilitatis facilius cedat causis quibusdam et rationibus contra illud agendi*; » clarius autem in supracitatis litteris ad Jac. Boudart: « Addidit (Van Viane), sibi videri non promiscue sequendam esse notabiliter probabiliorem, relicta tutiori, nisi adsit legitima aliqua ratio... Suggessi ego exemplum: quid enim, si vir aliquis magnus promoveri possit ad officium in quo maximum Ecclesiæ fructum facturus est, sed promovendus sit per viam, quæ multo probabilius licita sit, non tamen sine aliqua oppositi formidine? Convenit ergo inter nos sperni posse aliquod vix ullius momenti periculum, ne tantum bonum negligatur. Idem cum proportione dicendum putavimus in aliis similibus casibus, sic tamen ut quo bonum illud minus est, ob quod tutior omittitur, eo probabilior magis excedere debeat. » Ex quibus vides illud principium ac ratiocinium quod antiquiores adhibebant in casu opinionis probabilioris, a modernis extensum fuisse ad omnem casum opinionis probabilis.

2. Ita prop. 3ª ex damnatis ab Alexandro VIII: « Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam; » cfr. supra, n. 273 et Viva in h. p.

3. Ita prop. 3ª ex damnatis ab Innocentio XI: « Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quamtumvis tenui, modo a proba-

principiis superius expositis, ubi ostensum est certitudine late dicta constitui legitimam operationum regulam (1). — Cæterum a rigorismo et a laxismo consideratis prout sunt systemata, distingui debent propositiones *rigidæ* et *laxæ;* hujusmodi enim propositiones, quibus absque fundamento obligationes affirmantur vel negantur, traditæ sunt a theologis cujuscumque scholæ (2).

ARTICULUS SECUNDUS.

De legitima ratione solvendi dubium practicum.

Jam veniunt examinanda expositorum systematum fundamenta: illud autem præstabimus agendo successive de principiis quæ vel uni eorum propria sunt, vel quibusdam communia. (3)

296. *Tutioristarum principium de necessitate vitandi peccatum, exponitur,*

Tutioristæ innituntur, velut proprio principio, *necessitati vitandi periculum peccati,* quam necessitatem exprimunt verbis Scripturæ: « Qui amat periculum, in illo peribit »; « Quasi a facie colubri fuge peccatum »; « Ab omni specie mala, abstinete vos » (4).

bilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. » Cfr. Viva, in h. p. Cæterum, ut recte adverterunt Wirceburgenses, n. 273, multa sunt quæ in prædicta propositione reprehendi debent: præterquam enim quod admittatur usus probabilitatis *quantumvis tenuis,* videtur sumi probabilitas extrinseca disjunctive ab intrinseca; præterea innuitur sufficere ad prudenter agendum solam probabilitatem; tandem nulla fit distinctio inter probabilitatem remotam seu speculativam et proximam seu practicam.

1. Cfr. supra, n. 262, 271-273.

2. Olim antiprobabilistæ texere solebant catalogos propositionum laxarum quas e libris probabilistarum depromebant; æquali jure probabilistæ aliquando catalogos texebant propositionum nimis rigidarum quas depromebant e scriptis antiprobabilistarum; vicissim potuissent ostendi propositiones rigidæ apud probabilistas et propositiones laxæ apud antiprobabilistas. Sed hæc arguendi ratio satis vana est: revera propositiones, quæ per rigorem vel benignitatem a veritate exorbitant, debentur non systemati, sed scriptorum ignorantiæ aut imprudentiæ. Cfr. tamen quæ ea de re advertimus in *Intr.* n. 181, pag. 131, 132.

3. Solent in controversiis de hac materia in medium proferri formulæ quædam generales et indefinitæ, quæ nomine *principiorum* et *axiomatum* decorantur, v. g. *Cavendum a periculo peccati, In dubiis tutius sequendum, In obscuris verosimilius eligendum, In dubio favendum possessori,* etc. Conabimur eas accuratæ analysi subjicere atque pro viribus enucleare, ut deprehenso quid precise sub cortice contineant, prudenter applicari possint.

4. Eccli, III, 27; XXI, 2; I Thess., V, 21: cfr. supra, n. 272, pag. 514, not. 5.

et infirmum ostenditur.

Jam vero ut intelligatur quid valeat istud principium, sequentia advertantur: *a/* agnoscunt omnes theologi, existere obligationem vitandi *occasiones* et *causas lapsus,* seu ea removendi quæ nos ad legem divinam transgrediendam allicere possent: ea autem obligatio eo strictior est quo periculum consensus est proximius ac certius et quo gravius est peccatum (1): at in præsenti directe non agitur de hujusmodi periculo. — *b/* Agnoscunt etiam, obligationem existere vitandi periculum peccati *formalis*, seu illud omittendi quo Deum offenderemus, adeoque licitum non esse agere cum *conscientia* dubia vel probabili (2): at neque de tali periculo in præsenti agitur. — *c/* Existere autem obligationem vitandi omne probabile periculum peccati *materialis*, seu adimplendi quamcumque legem incertam, affirmant quidem tutioristæ, non tamen probant; probare autem debent, nisi velint mera petitione principii rem suam agere; cæteri vero negant, et facile ostendunt hujusmodi obligationem nec in sacris litteris exprimi, nec unquam fuisse agnitam ab Ecclesia, quæ in directione fidelium non videtur rationem habere peccati mere materialis (3).

297. *Tutioristarum et probabilioristarum principium de sequenda in dubio parte tutiore, exponitur*

Tutioristis et probabilioristis commune est principium, *In dubio pars tutior est sequenda:* cum hoc tamen (theoretico) discrimine, quod tutioristæ illud applicant dubio lato seu omni casui quo libertas non est certa certitudine morali late dicta, probabilioristæ vero solum dubio stricto, seu casui quo libertas non est probabilior (4).

Ut autem verus ejus sensus intelligatur, sequentia præ oculis haberi debent: *a/ Tutum* dicitur quod removet a malo et *securitatem* præbet. Agi autem potest, vel de securitate a

1. Cfr. S. Alphonsus, lib. I, *(Syst. mor.)* n. 84, lib. VI, n. 456; *Praxis conf.* n. 69, etc.; et huc generatim pertinent quæ habent theologi de *occasione* proxima: videlicet, si in aliquo opere habeatur periculum consensus in peccatum, ab eo abstinendum, etiam quando est in se certo licitum, atque a fortiori quando est dubie licitum; exempla plurima profert S. Alphonsus, v. g. lib. II, n. 29, lib. III, n. 368, etc.

2. Cfr. supra, n. 271-272.

3. Assertio ista distinctius mox demonstrabitur; interim exempla legi possunt supra, n. 274 coll. n. 285 sub *d):* et maxime n. 288, sub *c).* Huc pertinet Christ. Lupi diss. *De opinione probabili.*

4. Cfr. supra, n. 293. — Hoc argumentum, præter theologos, in sui favorem evolvunt Fagnanus, c. *Ne innitaris*, n. 171 et seq.; Bossuet, diss. I; Van Espen, diss. specialis in reg. *In dubiis semita tutior est eligenda.*

detrimento aliquo temporali aut spirituali, publico aut privato ; vel de securitate a *peccato,* sive formali, sive tantum materiali. Deinde contingere potest ut vel in neutra parte securitas habeatur, minus tamen periculum adsit in una parte quam in altera ; vel habeatur in una parte, non in altera ; vel in utraque habeatur : in primo casu, cum neutra pars sit tuta, proprie non potest una dici tutior ; in secundo casu, una pars merito dicitur tuta, sed proprie non potest dici tutior ; in solo tertio casu, cum utraque pars sit tuta, una tutior dici potest. — *b*/ Formula, *In dubio pars tutior est sequenda,* sæpe legitur in actis Pontificum et in jure canonico, non quidem per modum decisionis, sed per modum principii congruentiæ ex quo particulares difficultates resolvuntur (1) : ita autem explicari debet ut conciliari possit cum aliis Juris principiis et regulis, v. g. *benignius leges interpretandæ, in dubio melior conditio possidentis,* etc. (2).

et inefficax ostenditur, distinctione facta inter securitatem a detrimento,

Imprimis ubi occurrit periculum detrimenti vel incommodi temporalis aut spiritualis, non agitur de dubio practico, sed de dubio speculativo. Jam vero *a*/ si ab utraque parte periculum sit, sequenda erit, ut tutior, pars in qua incommodum vel detrimentum minus est : v. g. in casu criminis dubii, hinc periculum est ne innocens damnetur, inde periculum ne reus non puniatur : cum autem damnatio innocentis majus malum sit quam dimissio rei, tutius abstinetur a damnatione (3) ; similiter in casu moribundi sensibus destituti, hinc periculum est ne sacramentum exponatur nullitati, inde periculum ne homo salute privetur : cum autem nullitas sacramenti minus malum sit quam perditio hominis, tutius conceditur absolutio (4) : et huc revera pertinent casus dubii homicidii vel

1. Occurrit in *Decretal.* septies, nempe : lib. III, tit. 42, c. 3, *Veniens :* « Nos, in hoc dubitabili casu, quod tutius est sequentes, mandamus, etc. ; » — lib. IV, tit. 1, c. 3, *Juvenis :* « Quia igitur in his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus, etc. ; » — lib. V, tit. 12, c. 12, *Ad audientiam :* « Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, etc. ; » — ibid. c. 18, *Significasti :* « Cum in hoc casu cessare sit tutius, etc. ; — ibid. c. 24, *Petitio tua :* « Cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, etc. ; » — lib. V, tit. 27, c. 5, *Illud :* « Quia in dubiis via est eligenda tutior, etc. ; » *Clem.* lib. V, tit. 11, c. 1, *Exivi :* « Nos attendentes quod in his quæ salutem animæ respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda. » — 2. Cfr. supra, n. 286.

3. Cfr. supra, n. 289, sub *f*). — 4. Cfr. supra, n. 289, sub *a*).

dubiæ excommunicationis in ordine ad irregularitatem : hinc enim incommodum habetur quod sacerdos forte innocens a sacris abstinere cogatur, inde periculum scandali et irreverentiæ ; hoc alterum Pontifices majus malum putaverunt quam illud, adeoque pronuntiarunt tutius abstinendum a functionibus sacris (1). — *b/* Si ab una tantum parte habeatur periculum incommodi vel detrimenti, altera ut unice tuta erit sequenda : sic in quæstione num fides explicita Sanctissimæ Trinitatis necessaria sit necessitate medii ad salutem, sententia negans, licet forte probabilior, tuta non est, affirmans unice tuta est ac sequenda (2); pariter in quæstione disputata an hæc vel illa substantia sit materia apta sacramenti, puta baptismi, Eucharistiæ, sententia affirmans tuta non est, negans vero unice tuta est, adeoque sequenda, nisi aliud necessitas jubeat (3). — *c/* Si vero ex neutra parte probabile periculum habeatur, una

1. *Decretal.* lib. v, tit. xii, c. 12, *Ad audientiam,* c. 18, *Significasti ;* c. 24, *Petitio tua ;* tit. 27, c. 5, *Illud ;* cfr. supra, n. 291, not. 2. — Quod pertinet ad c. *Juvenis,* illud nihil ad rem facere videtur. Nam, ut notant Wirceburgenses, n. 221 : *a)* « Aliud est esse *tutius,* aliud *certius,* qua voce Pontifex utitur. *b)* Sponsalia juvenis cum puella priore non fuerunt dubia, sed tantum dubitabatur an intervenerit copula, prout colligitur ex verbis capituli : « tum propter honestatem Ecclesiæ, quia ipsa conjux ipsius fuisse dicitur, tum propter prædictam dubitationem : nam quamvis puella non fuerit septennis, tamen cum juvenis illius diceretur *conjux,* et is forsan tentavit copulam, potuit inferri malitiam in puella supplevisse ætatem. Quia vero ante concilium Tridentinum etiam ex sponsalibus invalidis (præter quam ob defectum consensus invalidis) oriebatur impedimentum publicæ honestatis, et hoc usque ad quartum gradum cum consanguineis dirimebat matrimonium, initum postea cum puella consobrina matrimonium erat certo nullum. *c)* Supposito etiam dubio, separatio matrimonii non erat pars tutior, sed potius matrimonium, juxta c. *Licet ex quadam,* 47 *De testibus.* Quamvis enim diceretur etiam intervenisse in secundo matrimonio malam fidem juvenis, de quo tamen Pontifex nihil affert, nihilominus quia bona fides aderat ex parte fœminæ, debuisset decidi ut juvenis quidem redderet, non vero peteret debitum, sicut in simili casu decidit Lucius III. *d)* Pontifex hic loquitur tantum de seipso ut judice ; proin ex hoc casu nihil aliud sequitur quam quod judex in judicando debeat sequi tutius ac certius, non autem quivis alius in quovis dubio. » Cfr. etiam Barbosa, *Coll. Doct.* in h. c.

2. Cfr. supra, n. 286, sub *a) ;* n. 289, sub *g).* — Huc pertinent quæ habet S. Augustinus, *De baptismo contra Donat.* lib. i, c, 3, n. 4 : « Quanquam etiam si dubium haberet, non illic recte accipi (baptisma) quod in catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta præponeret. » Ac rursus, c. 5, n. 6 : « Vera ergo falsis, aut incertis certa præpone. »

3. Cfr. supra, n. 289, sub *a) ;* et huc pertinet *Decretal.,* lib. iii, tit. 43, c. *Veniens,* ubi Pontifex, quod tutius est sequens, statuit reiterandam esse ordinationem de cujus validitate dubitatur.

tamen sit ad bonum obtinendum aptior, adeoque tutior, nulla *per se* obligatio est eam sequendi ; ut enim ait S. Antoninus, « Eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti ; alias oporteret multos ingredi religionem, in qua tutius vivitur quam in sæculo ; non ergo de necessitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via potest eligi tuta (1). »

Deinde ubi occurrit periculum actus *formaliter peccaminosi,* non agitur de dubio remote practico, sed de dubio proxime practico. Jam vero *a/* si una pars periculum habeat, altera non, hæc unice tuta est, atque eligi debet, altera relinqui : huc spectant quæ statui solent de *conscientia* incerta, dubia vel probabili (2) ; atque eo sensu a Clemente V pronuntiatur, in his quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, partem tutiorem esse sequendam (3). — *b/* Si autem utraque pars periculum habeat, ea eligenda est in qua periculum minus deprehenditur, quippe quæ tutior sit : huc spectant quæ statui solent de conscientia perplexa (4) ; nimirum « duo mala, licet sint omnino cautissime præcavenda, tamen, si periculi necessitas ex his unum perpetrare compulerit, id debemus resolvere quod minori nexu noscitur obligare. Quid autem ex his levius, quidve sit gravius puræ rationis acumine investigemus (5) ; » et rursus : « Cum in dubiis constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus (6). »

securitatem a peccato formali

Itaque de dubio remote practico agitur tantum ubi occurrit periculum actus *materialiter peccaminosi,* seu violationis obligationis objectivæ probabilis. Jam vero in hoc casu ab una quidem parte periculum est, ne, obligatione probabili neglecta, ordo perturbetur et bonum publicum vel privatum lege forte intentum non obtineatur, quod sane incommodum est (7) ; et sub hoc respectu, obligationis probabilis adimpletio,

et securitatem a peccato materiali.

1. S. Antoninus, lib. I, tit. 3, c. 10, § 10. — 2. Cfr. supra, n. 271, 272.
3. *Clem.* lib. V, tit. 11, c. 1, *Exivi.* — Difficultas quæ ex hoc textu sumi potest contra sufficientiam principii reflexi ad conscientiam formandam, infra solvetur. — 4. Cfr. Lacroix, lib. I, n. 84 ; S. Alph. I, 10.
5. *Decreti* p. I, dist. 13, c. 1, *Duo mala.* — 6. Ibid. c. 2, *Nervi.*
7. Incommodum esse in legis violatione etiam materiali, nemo negare potest : hac enim violatione fit ut bonum lege intentum non obtineatur, vel ut non præcaveatur malum : quod ut luculentius pateat, satis est tum in memoriam revocare, quod vera lex sit ordinatio ad debitum finem et neces-

qua tale incommodum removetur, tutior est; verum ab altera parte periculum est, ne, obligatione mere probabili imposita, homo gratuito onere obruatur, quod etiam incommodum est, atque idcirco, sub hoc respectu, obligationis mere probabilis impositio minus tuta est ([1]). Quæ cum ita sint, tutioristæ et probabilioristæ demonstrare deberent, adesse legem generalem, qua jubemur amplecti et sequi, tanquam absolute tutiorem, opinionem illam quæ legi particulari mere probabili favet. At vero hoc minime demonstrant : textus enim, quos allegant, alio omnes spectant, ut modo ostendimus. Aliunde adversus eos facile demonstrari potest quod in directione fidelium Ecclesia non agnoscit hujusmodi obligationem cavendi transgressionem legis mere probabilis ; id patet tum ex regulis juris, quibus in dubio humanius, benignius procedendum, vel in favorem possessoris decernendum dicitur ([2]), tum ex resolutionibus authenticis : v. g. ut exemplo luculento utamur, conjugibus de potentia dubitantibus tutius esset vivere tanquam frater et soror : at Ecclesia per triennium eis permittit actus conjugalis tentamen, cum periculo materialis fornicationis et impudicitiæ ([3]); aliud exemplum non minus luculentum nobis præbent Romanæ Congregationes, quando, orta controversia de aliquo puncto legis divinæ, respondent non esse inquietandos qui partem libertati faventem, minus

sariam perfectionem, ut suo loco explicavimus, tum exempla sumere a lege divina temperantiæ, a lege ecclesiastica jejunii, etc. Unde merito scripsit S. Alphonsus, lib. II, n. 36, posita lege, transgressionem ejus, etiam materialem, esse malam, et ideo nos teneri per correptionem eam impedire. Cfr. tract. noster *De virt. theol.*, n. 468.

1. Optime Bancel, *Brev. univ. theol.*, p. II, tr. 5, q. 5, a. 5 : « Multa sunt quæ tutius est facere, sed simul etiam tutius est, non se credere obligatum ad ea facienda, nisi moraliter ipsi constet de tali obligatione ». Et Pallavicinus, 1-2, disp. 9, c. 4, a. 11, n. 12 : « Si induceretur opinio quod semper teneremur facere actionem quæ securior est, etiam a transgressione materiali, hæc opinio non esset tutior, sed maxime exposita periculo frequenti transgressionis formalis : quare tutior est opposita ».

2. Cfr. supra, n. 283, 287.

3. *Decretal.* lib. IV. tit. 15, c. 5, *Laudabilem.* — Mirum est quantum istud exemplum quosdam torqueat! Ecce v. g. explicationem quam excogitavit Billuart, l. c., a. 2, obj. 5 : « Quod in hoc dubio de impotentia unius compartis possint tentare copulam, Deus auctor naturæ specialiter concessit : quæ concessio nobis innotescit per Ecclesiam, cit. cap. *Laudabilem* ». Cæterum ad rem similiter faciunt quæ eodem lib. tit. XI, c. 2, *Si vir* habentur. Cfr. etiam supra, n. 285, sub *d)*, n. 288, sub *c)*.

tutam, sequuntur (1). Et merito quidem Ecclesia tali ratione procedit; ducitur enim spiritu Christi et Evangelii, qui est spiritus libertatis (2).

Duo pro coronide advertimus. Primum: si axioma, *In dubio pars tutior sequenda est,* ad transgressionem legis materialem referri deberet, non valeret tantum in casu dubii proprie dicti, ad quem probabilioristæ illud restringunt, verum etiam in casu dubii late dicti, prout contendunt tutioristæ: in allegatis enim textibus juris sermo est de quacumque incertitudine. Alterum: potest aliquo vero sensu dici quod « Summorum Pontificum semper fuit et est veluti quoddam axioma, *In dubiis via est tutior eligenda,* et: *Quod certius existimamus, tenere debemus* (3) », quatenus nempe ea proponere solent, quibus fidelis populus securius ad salutem perducatur.

298. *Probabilioristarum et æquiprobabilistarum principium de verisimiliori parte amplectenda exponitur,*

Probabilioristis et æquiprobabilistis commune est principium, *Ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur saltem illam opinionem amplecti, quæ propius ad veritatem accedit* (4): cum hoc tamen discrimine, quod plerique probabilioristæ illud in favorem libertatis (contra tutioristas) applicant soli probabilioritati notabili (5), æquiprobabilistæ vero illud in favorem libertatis et legis (contra tutioristas et probabilistas) applicant cuivis probabilioritati certæ (6).

1. Cfr. Responsiones S. Pœnitentiariæ de die 16 sept. 1830, et S. Officii 17 jan. 1838 ad quæstionem num possit ex mutuo lucrum moderatum percipi solo titulo legis civilis. — Verbulum ea de re fecimus *Intr.* p. 63, not. 3.

2. Cfr. supra n. 90, n. 112, page 293, sub *c*). — Ad rem S. Alphonsus, diss. (1765) *Del uso moderato,* c. IV, n. 35; « Pro certo habeo, in tanta varietate innumerorum, quæ in mente humana exurgere possunt dubiorum, ob tenebras quibus natura ex peccato originali obvoluta est, Deum noluisse hominem obligare ad servandas etiam leges incertas, quarum tot existerent, quot sunt dubia, quæ circa leges occurrere possunt.... Si (natura humana) lege teneretur servandi non solum obligationes certas sed etiam dubias, onere premeretur intolerabili, et fragilitati humanæ moraliter impossibili. »

3. Card. Petra, *De sacr. pœn. Apost.,* c. 9.

4. Ita Gonet, *De opin. prob.,* a. 2, § 2 : « Sicut in controversiis et difficultatibus moralibus quotidie emergentibus, tenemur inquirere veritatem dum latet, et eam sequi dum nobis perspecta est..., ita dum eam attingere et assequi non valemus, amplecti et eligere debemus id quod illi propinquius et vicinius nobis apparet. » Scavini autem, l. c.: « Ad licite operandum debemus veritatem inquirere et eam sequi, ac proinde, ubi veritas clare nequeat inveniri, tenemur saltem amplecti opinionem illam quæ verisimilius ad veritatem accedit. » Cfr. Müller, *op. cit.,* § 81, reg. 5 ; Marc, tom. I, n. 89, cum S. Alphonsi Vind. *Diss. apol.,* n. 132, etc. — 5. Cfr. Collet, l. c., concl. 4. — 6. Cfr. S. Alphonsi Vindices, *Diss. apol.* n. 90.

Jam vero ut perspiciatur quousque principium illud in præsenti valeat, sequentia, quæso, distinguantur: *a*/ Nemo negare potest, obligari nos ad veritatem moralem inquirendam, quantum possumus: de qua obligatione abunde supra locuti sumus (1). — *b*/ Pariter ultro admittimus, veritatem moralem, statim ac certitudine late dicta constat, esse amplectendam, eamdemque sequendam esse tanquam legitimam operationum regulam (2). — *c*/ At quando, inquisitione facta, res incerta manet, imprimis, *in ordine speculativo pro directione intellectus,* nulla datur absoluta obligatio alterutram partem amplectendi, sed potest unusquisque vel in dubio consistere, assensum suspendendo propter gravem erroris formidinem, vel opinari, assensum præbendo uni parti propter veritatis apparentiam; in supposito autem quod assensum præbeat, generatim non potest illum rationabiliter præbere nisi parti probabiliori (3). Quod vero pertinet *ad ordinem practicum et ad directionem voluntatis,* quæstio est utrum opinio illa probabilior sit legitima regula operationum, ita ut, si faveat legi, teneamur eam sequi, si vero libertati faveat, eam sequi possimus. Affirmant probabilioristæ et æquiprobabilistæ: utrique videlicet contra tutioristas contendunt licitum esse sequi opinionem probabiliorem libertati faventem, contra probabilistas vero contendunt necessarium esse sequi opinionem probabiliorem legi faventem. In suæ autem affirmationis argumentum α/ advertunt majorem probabilitatem habendam esse pro morali certitudine (4), quod forte admitti potest, si intelligatur de

et disjicitur distinctione facta inter ordinem speculativum et ordinem practicum.

1. Cfr. supra, n. 78, 280.

2. Cfr. supra, n. 262, 268, 273. — Hoc sensu Benedictus XIV, const. *Apostolica constitutio,* monet confessarios « ut in re dubia propriæ opinioni non innitantur, sed antequam causam dirimant, libros consulant quam plurimos, eos quamprimis quorum doctrina solidior, ac deinde in eam descendant sententiam *quam ratio suadet ac firmat auctoritas.* Et in encycl. *Vix pervenit,* c. 8: « Eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligant. » Quomodo autem ipse Benedictus XIV hoc principium suum applicet, intelliget quisquis comparaverit dicta *De syn.,* lib. XI, c. 7, n. 4, lib. XIII, c. 19, n. 10, cum iis quæ habentur ibid. lib. VII, c. 11, n. 2.

3. Cfr. supra, n. 269.

4. Cfr. Scavini, Müller, Vind. S. Alphonsi, ll. cc. — Quam infeliciter verbis ludant et æquivocationibus rem implicent qui certitudinem probabilioritatis alicujus sententiæ cum ipsius sententiæ certitudine confundunt, supra advertimus, n. 268, pag. 509; idem præclare ostendit Raphael a S. Joseph, *De consc.,* n. 224-225.

probabilioritate eminente, offuscante, sed minus fundatum apparet, si intelligatur de probabilioritate ordinaria, stricte dicta, quæ aliquando non constat nisi excessu unius gradus ; jam vero in præsenti agitur de sola probabilioritate ordinaria ; præterea β/ recurrunt ad juris textus et regulas, in quibus tamen solum agitur de legis interpretatione authentica (1), vel de norma judicibus præscripta in facti, contractus, aut testamenti interpretatione (2), vel de quavis alia re (3), minime de obligatione incerta ; insuper γ/ quidam probabilioristæ notant, eum culpari non posse, qui in directione vitæ utitur toto lumine sibi affulgente, toto autem lumine uti qui opinionem sibi probabiliorem sequitur : unde, si errat, ignorantia errat invincibili. Verum etiam hic quædam æquivocatio facile deprehenditur : qui sequitur opinionem probabiliorem, non utitur toto lumine sibi affulgente ; licet enim talis lumen habeat sub quo magis apparet libertas, etiam lumen habet sub quo satis apparet obligatio : si ergo toto lumine uti velit, abstinere ab actione debebit ; aliunde etsi recte is dicatur legem invincibiliter ignorare, quatenus plenam ejus scientiam acquirere non potuit, satis tamen de ea cognoscit ut transgressionem ejus vitet ; adeoque in præsenti urgeri nequit axioma, *Nemo peccat in eo quod vitare non potuit* (4).

1. Sic *Decretal.* lib. II, tit. 9, c. 4, *Capellanus*.

2. Ita reg. jur. 45 in *Sexto :* « Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit. » Quam regulam sequentibus explicat Reiffenstuel : « Quandocumque vera intentio, mens et voluntas statuentis, agentis, contrahentis, disponentis, etc., aliunde certo vel sufficienter non apparet, illud sequendum, judicandum et tenendum, quod, prudenter et æquo animo consideratis considerandis ad cognoscendam veritatem servientibus circumstantiis, veritati magis consentaneum seu conforme apparet ; vel, quod in hujusmodi, de quibus quæritur, actibus, negotiis aut dispositionibus communiter et ordinarie fieri solet, ac in regione fieri consuevit. » Cfr. supra, n. 287 et n. 288 sub *e)*. — Cæterum prædicta juris regula ipsum doctissimum Reiffenstuel non impedivit quin in moralibus ad probabilismum descenderet, minime vero in æquiprobabilismo se contineret. Cfr. *Theol. mor.*, dist. III. q. 4, § 2, n. 52-53.

3. Sic nonnulli, inter quos ipse Bossuet, in sua Diss. prima, exinde arguere audent quod concilium Viennense e duabus sententiis contrariis de informante gratia in baptismo infusa, alteram tanquam probabiliorem duxerit eligendam !

4. Cfr. Gonet, diss. cit. a. 2, § 5, n. 48 : « Ille qui eligit probabiliorem sententiam, habet hoc judicium reflexum et prudentiale : *Qui facit totum quod in se est ad inquirendam veritatem, si forte illam non attingat, excusatur a peccato ratione ignorantiæ invincibilis :* quod judicium omnino certum est,

299. *Probabilistarum et æquiprobabilistarum principium de necessaria ad obligationem scientia præcepti,*

Æquiprobabilistis ac probabilistis commune est principium verbis S. Thomæ expressum, *Nullus ligatur per præceptum aliquod nisi mediante scientia illius præcepti* (1) : cum hoc tamen discrimine, quod æquiprobabilistæ illud applicant soli dubio stricto, probabilistæ autem dubio etiam lato seu omni veræ incertitudini.

exponitur et vindicatur.

Ad hujus principii veritatem evincendam, intelligentiam præbendam, et applicabilitatem præsenti quæstioni ostendendam, sequentia statuimus per modum demonstrationis et explicationis : *a*/ Apud ipsum Angelicum principii enuntiationi præmittitur luculenta ejus expositio : « Ita se habet imperium alicujus gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis, illo modo ligationis qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales. Actio autem corporalis agentis nunquam inducit necessitatem, in rem aliam, nisi per contactum coactionis ipsius ad rem in quam agit. *Unde nec ex imperio alicujus domini ligatur aliquis nisi imperium attingat ipsum cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam* (2). » — *b*/ Jam vero in casu nostro non haberi scientiam præcepti, luce meridiana clarius est ; nam dici nequit *scire* præceptum qui incertus est utrum præceptum existat vel saltem utrum hic et nunc urgeat, adeoque præceptum affirmare non potest, quin simul gravi erroris formidine teneatur (3). Et hæc profecto est mens Angelici ; licet enim in textu allato vox *scientia* intelligi possit ac debeat large de omni « cognitione certitudinali » quæ saltem « probabili demonstratione » obtinetur (4), » nullo modo tamen intelligi potest improprie de mera opinione seu apprehensione conjecturali, siquidem apud S. Thomam

utpote nixum huic principio : *Nemo peccat in eo quod vitare non potest.* » Ubi vides confusionem rursus fieri inter ordinem logicum et ordinem practicum : profecto, in casu, inculpabilis est defectus perfectioris cognitionis legis ; at quæstio est utrum inculpabilis sit transgressio obligationis minus probabilis : defectus cognitionis vitari non potuit, sed vitari potuit transgressio.

1. S. Thomas, *De verit.*, q. 17, a. 3 ; cfr. S. Alphonsus, lib. 1 *(Syst. mor.)*, n. 65. — 2. S. Thomas, l. c.

3. Optime S. Alphonsus, lib. 1 *(Syst. mor.)* n. 76 ; « Quomodo dici potest aliquem scire præceptum, si ipse sciat præceptum esse dubium ? Tunc omnino dicendum quod ille præceptum ignorat, cum dubitat an præceptum adsit, vel non. »

4. Cfr. S. Thomas, *Poster. Anal.* lib. 1, lect. 7 et lect. 44 ; supra, n. 273.

scientia semper opponitur opinioni (1). — *c*/ Penitior ratio, cur hæc præcepti scientia seu cognitio moraliter certa sit necessaria, est quia obligationi objectivæ incertæ directe non respondet nisi obligatio subjectiva æque incerta : obligatio enim objectiva seu *vis ipsa ligandi* est causa, obligatio subjectiva seu *necessitas obediendi* est effectus, effectus autem suam causam superare nequit. Atqui obligatio subjectiva incerta est obligatio nulla ; nam obligatio subjectiva implicat judicium istud absolutum, *teneor hoc facere ;* qui autem judicat se teneri ad aliquid, necessario judicare debet adesse imperium quo tenetur ; impossibile vero est ut quis modo absoluto judicet adesse imperium, et simul incertus maneat utrum imperium adsit (2). — *d*/ Cæterum adversarii haud ægre fatentur legem incertam

1. Ita v. g. 2-2, q. 1, a. 4 : « Assentit intellectus alicui dupliciter : uno modo quia ad hoc movetur ab ipso objecto, quod est vel per se ipsum cognitum, sicut patet in principiis primis, quorum est *intellectus,* vel per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est *scientia.* Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntarie declinans in unam partem magis quam in aliam ; et si quidem hoc sit cum dubitatione et formidine alterius partis, erit opinio ; si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit fides. » Cfr. supra, n. 269, ubi alii textus referuntur, et Sanchez, *De matr.,* lib. II, disp. 41, n. 2, ubi exponitur quæ sit, tum apud theologos, tum in jure significatio vocum *scientia, fides seu credulitas, opinio, dubium, scrupulus.* Unde merito S. Alphonsus, cit. n. 76 : « Quod sub nomine *scientiæ* intelligatur probabilis notitia, hæc est novi vocabularii nova significatio, dum Philosophi omnes cum S. Thoma distinguunt opinionem a scientia, quæ accipitur ut cognitio certa alicujus veritatis. »

2. Hoc argumentum, quo, post alios, in prima hujus operis editione sententiam nostram firmavimus, expolivit et illustravit Raphaël a Sancto Joseph, *op. cit.,* n. 189 ; præclare autem nuperrime expositum est ap. *Civiltà cattolica,* ser. XIII, vol. 9. pag. 336-339 : « Quando si tratta dell'esercizio di un atto, affinche la voluntà sia tenuta a uscire nell'atto tale o tall'altro determinato, si richiede il previo giudizio che esso atto *deve* porsi. Or bene l'intelletto non puó, mentre vede l'obligazione di emettere un atto soltanto *probabile,* giudicare che esso *debba* esser posto. Dunque finatantoche un'obbligazione è riconosciuta comme probabile, essa è inefficace relativamente all'esercizio di un atto piutosto che un altro. In altre parole : L'obbligazione si riferisce essenzialmente all'esercizio di un atto. Ma un obbligazione probabile è, relativamente all'esercizio di un atto, inefficace o nulla. Dunque un'obbligazione probabile, relativamente all'esercizio di un atto, è in realtà una *non-obbligazione.* La conclusione e tanto evidente quanto e evidente che la probabilità non puo essere ne puo dare la certezza. » Iterum hæc omnia confirmari possunt verbis S. Thomæ, l. c. : « Ad videndum autem quomodo (conscientia) liget, sciendum quod ligatio, metaphorice a corporalibus ad spiritualia sumpta, *necessitatem importat ;* ille enim qui ligatus est, necessitatem habet consistendi in loco ubi ligatus est, et aufertur ei potestas alio divertendi. »

non posse obligare *vi propria* (1); contendunt autem eam obligare *vi legis superioris,* nempe vi legis vitandi peccatum, sequendi tutius, accedendi ad veritatem quantum possibile est (2). At vero non satis *demonstrant* talem legem existere : nec satis demonstrant eam *certo* existere, quod tamen facere debent, ne cogantur hanc ipsam legem alia eminentiori firmare, atque ita in indefinitum procedere. Contra rigoristas autem et tutioristas ostenditur nullam hujusmodi legem satis conformem videri spiritui evangelico, qui est spiritus libertatis, nullam de facto ab Ecclesia agnosci (3).

300. *Minus efficaciter in hujus principii confirmationem arguitur ab ignorantia invincibili legis,*

Prædictum principium alii proponunt insistendo considerationi *ignorantiæ invincibilis:* dicunt scilicet ignorantiam invincibilem excusare a formali transgressione legis, in casu autem veræ incertitudinis adesse ignorantiam invincibilem (4).

Equidem inopportuna non est hæc consideratio, videtur tamen æquivocationi obnoxia. Etenim, ut jam notavimus (5), ignorantia duplex distinguitur, una completa, incompleta altera : prima adest, quando objectum penitus latet ; secunda, quando objectum insufficienter apparet, et hæc altera sola est quæ implicatur in dubio vel opinione: cæterum utraque potest

1. Ita v. g. Gazzaniga, l. cit., n. 69: « Obj. Ubi opinio favens libertati est vere probabilis, lex eam prohibens est dubia: atqui lex dubia vel nulla est, vel saltem non obligat: ergo... Resp. Non obligat lex dubia certo ex principiis directis, conc.; probabiliter vel probabilius ex principiis directis, certissime autem ex principio illo reflexo, *In dubiis tutior pars est eligenda,* nego. » Similiter Billuart, l. c., art. 2, ad objectionem quod nulla lex etiam a parte rei existens subditos proxime et in actu secundo obliget, nisi eis fuerit sufficienter intimata, plura respondet, præcipue vero legem esse sufficienter intimatam « si non directe et vi sua, saltem indirecte et vi legis generalis, scilicet in dubio tutiorem partem esse eligendam. » Eodem modo Gerdil, *De consc.,* q. 2, c. 5, prop. 1 : « Lex dubia parit obligationem certam, non directe vi sua et propria, sed vi legis generalis vetantis ne quis exponat se discrimini peccandi. »

2. Cfr. supra, n. 296, 297, 298.

3. Cfr. supra, n. 296, 297, 298. — Solet a probabilistis vel etiam ab æquiprobabilistis principium exprimi verbis S. Thomæ, *De verit.,* q. XVII: a. 3 ; « *Nullus ligatur per præceptum aliquod nisi mediante scientia illius præcepti.* » Quocumque autem modo ea verba intelligantur, certum nobis videtur ea non posse intelligi nec ab Angelico intellecta fuisse sensu probabilistico, ut manifestum est *Quodl.* VIII, a. 13 et *Quodl.* IX, a. 13. Qua in re recedimus a doctrina prius a nobis ipsis proposita.

4. Cfr. Lehmkuhl, tom. 1, n. 92 ; Marc. tom. 1, n. 91, etc.

5. Cfr. supra, n. 259, 264, 267.

esse vincibilis vel invincibilis ; sicut enim defectus omnis cognitionis, ita defectus cognitionis perfectioris aliquando a subjecti voluntate provenit, aliquando est sine ejus voluntate ([1]). Jam vero in casu completæ ignorantiæ, vitari non potest transgressio legis, adeoque necessaria excusatio habetur ([2]) ; in casu autem ignorantiæ incompletæ, quæ propria est statui dubitantis et opinantis, legis transgressio absolute vitari potest, eligendo nempe partem tutiorem ; hinc eatenus tantum habebitur excusatio, quatenus non adest illa obligatio vitandi periculum transgressionis etiam materialis, quam tutioristæ gratis affirmant, alii merito negant ([3]). Patet igitur, ab excusatione propter ignorantiam completam non posse logice concludi ad excusationem propter ignorantiam incompletam, nisi aliquid addatur aut supponatur ([4]).

vel a defectu debitæ promulgationis,

Idem principium proponunt alii insistendo considerationi *necessariæ promulgationis* legis : dicunt legem non obligare nisi sit sufficienter promulgata, legem autem dubiam non esse sufficienter promulgatam.

Absit ut considerationem contemnamus, quæ gravissimis theologis plurimum placuit ([5]) : nobis tamen condonabitur, si candide fateamur, eam, judicio nostro, laborare confusione promulgationis legis cum ejusdem cognitione, obligationis objectivæ seu in actu primo cum obligatione subjectiva seu in actu secundo, exemptionis cum excusatione. *a*/ Sane si

1. Cfr. n. 270. — 2. Cfr. supra, n. 276.

3. Cfr. supra, n. 297, et pag. 557, not. 4.

4. Cæterum non raro reperitur, apud graves etiam probabilioristas, satis inepta hujus argumenti refutatio. Ita v. g. Billuart, art. 2, obj. 3 : « Equidem qui fundate dubitat de existentia legis *ignorat invincibiliter certitudinem ejus existentiæ* seu eam certo existere, *at non ignorat invincibiliter eam existere,* cum de ea habeat dubiam cognitionem ».

5. Sic inter cæteros eximius magister noster Suarez, *De bon. et mal. act. hum.* disp. XII, s. 6, n. 8 : « Existimo illam rationem sufficientem : quia quamdiu est judicium probabile quod nulla sit lex prohibens, vel præcipiens actionem, talis lex non est sufficienter proposita seu promulgata homini ». Norunt omnes quanta cum fiducia S. Alphonsus huic argumento ubique et constanter insistat, v. g. lib. I, *(Syst. mor.),* n. 67 : « Lex non sufficienter promulgata non obligat. Lex dubia non est sufficienter promulgata (quia dum lex est dubia, promulgatur sufficienter dubium sive quæstio, sed non promulgatur lex) : ergo lex dubia non obligat. Qui argumentum hoc inficiari vellet, probare deberet vel quod lex etiam non promulgata obligat, vel quod lex dubia est vere promulgata... ; *sed nunquam harum propositionum ullam probabit in æternum* ».

promulgatio sumatur in suo sensu proprio et juridico, ex variis causis contingere potest ut lex, sufficienter promulgata, remaneat dubia, etiam publice. Id patet ex iis quæ communiter statuuntur tum generatim de promulgatione ipsa, tum speciatim de promulgatione legis naturalis, evangelicæ, ecclesiasticæ, tum de distinctione inter promulgationem, divulgationem et interpretationem legis authenticam (1). — *b*/ Qui principaliter arguunt a defectu promulgationis, suum principium rationabiliter applicare nequeunt innumeris casibus quibus incertitudo de obligatione objectiva oritur sive ex dubio facti, sive ex dubio juris privato et relativo, sed ad summum applicare illud possunt iis casibus quibus incertitudo oritur ex dubio publico juris, imo nec his omnibus, sed iis tantum quibus incertitudo oritur ex dubio de legis existentis sensu et extensione (2). — *c*/ Si lex dubia ideo non obligat quia non est sufficienter promulgata, sequitur eam non solum non obligare subjective et in actu secundo, sed nec objective et in actu primo ; lex enim insufficienter promulgata non est lex ; hinc etiam dicendum erit, in transgressione legis dubiæ ne materiale quidem peccatum reperiri (3). — *d*/ Propter hæc aliaque incommoda, ab hoc loquendi modo abstinendum duximus, sedulo retenta inter promulgationem legis et ejus cognitionem distinctione, quam brevibus æque ac claris verbis indicat Angelicus : « Regula autem et mensura imponitur per hoc quod applicatur his quæ regulantur et mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, (quod est proprium legis), oportet quod applicetur hominibus qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc quod in *notitiam* eorum deducitur ex ipsa *promulgatione* » (4). — *e*/ Ut mentem nostram

1. Cfr. supra, n. 56, n. 75 et seq.; n. 102, n. 103, n. 119 et seq ; n. 127; n. 285 sub c) cum not 4 etc.

2. Cfr. supra, n. 127, ubi actum est de necessitate promulgandi interpretationem authenticam mere comprehensivam.

3. Cfr. supra, n. 72, 102, 120, 165, 297, pag. 553, not. 7.

4. S. Thomas 1-2, q. 90, a. 4. — Crisis hujus formulæ legitur in *Appendice de probabilismo* (ap. Migne, *Curs. compl. theol.*, tom. XI, col. 1498) : « Fatendum quidem promulgationem esse necessariam ut lex aliqua obliget, an vero desit illa promulgatio eo ipso quod grave suboritur dubium, non ita constat, et probabilistæ videntur duo confundere quæ sunt valde distincta : scilicet promulgationem legis, quæ est actus quo legislator curat ut lex a se lata veniat ad notitiam subditorum, cum cognitione legis in

paucis exprimamus, dicemus : α/ de ratione legis est ut sit *cognoscibilis ;* redditur ordinatio cognoscibilis per promulgationem debito modo factam : hinc promulgatio requiritur ad vim legis objectivam, et ideo lex non sufficienter promulgata est lex nulla ; β/ at promulgationi ordinationis non semper respondet ejus *cognitio ;* lex autem non cognita, licet vim habeat objectivam et sit vera lex, tamen non habet vim subjectivam, et ejus transgressio *excusatur ;* γ/ lex promulgata et cognita omnem suam vim exserit, scilicet obligat tum in actu primo, tum in actu secundo.

Antiquiores principium proponere solebant formula fere famosa : *qui probabiliter operatur, prudenter operatur ; qui autem prudenter operatur, non peccat ;* dicebant scilicet unumquemque posse, absque imprudentia et peccato, amplecti et sequi opinionem quæ non est aliena a recta ratione, a recta vero ratione alienam non esse opinionem probabilem (1). *vel a prudentia opinionis probabilis.*

Ut appareat quid desit isti argumentationi, advertatur, prudentia, quæ est *recta ratio agibilium*, perfici actum intellectus et voluntatis, ut, vitato quovis excessu aut defectu, finem suum (verum et bonum) obtineant (2). Igitur *a/ in ordine speculativo quoad directionem intellectus,* prudentia servatur quando cavetur, quantum moraliter fieri potest, periculum erroris : hinc opinio prudens erit, si assensus detur propter grave motivum, et ea detur firmitate quæ dignitati ejusdem motivi respondet ; e contra imprudens erit, si detur motivo, vel sine motivi consi-

subdito. Nihil obstat quin adfuerit promulgatio, et ob varias causas oriatur dubium. Enimvero dubium illud est vel circa existentiam legis, vel circa hujus legis sensum, extensionem, applicationem. Si prius, pronuntiari non potest defuisse promulgationem necessariam ; potius dicendum foret dubiam esse illam promulgationem ; forte lex lata non fuit, fortasse etiam lata et publicata fuit et deinde ortæ sunt difficultates... Si posterius, seu si difficultas sit non de existentia legis, sed de illius sensu, idem dicemus. Multoties certe accidit ut, non obstante promulgatione modo per se valde sufficienti facta, nihilominus emergat dubium de sensu vel de applicatione legis ob circumstantias concurrentes ; v. g. supponamus dubium oriri de sensu cujusdam textus Evangelii, quod deinceps, melius consulta traditione, vel re sedulo perpensa, dissipetur : quis asserat defuisse promulgationem quoad illum textum, quamdiu de illius sensu dubitabatur, intervenisse autem novam promulgationem ex quo, studiis interpretum, sensus ille fuit indagatus et cognitus ? »

1. Cfr. Medina, in 1-2, q. 19, a. 6 ; Laymann, lib. 1, tr. 1, c. 5, n. 7 ; Reiffenstuel, *De consc.*, q. 3, § 2, n. 53, etc.

2. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 57 ; 2-2, q. 47, etc.

deratione, vel sine utriusque partis comparatione ; item si detur parti minus verisimili et magis expositæ periculo erroris, vel si parti etiam verisimiliori detur cum nimia firmitate (1). — *b/ In ordine autem practico quoad directionem voluntatis,* prudentia servatur, quando cavetur quantum moraliter fieri potest, periculum mali moralis : hinc prudens equidem erit operatio illius qui operatur innixus certitudini late dictæ, quæ etiam probabilis dicitur (2) ; at prudens non erit illius operatio qui, incertus de liceitate operationis, dum ab ea abstinere posset, operatur innixus soli probabilitati vel meræ probabilioritati (3); nihilominus prudens est operatio illius qui proprie probabilitatem non sequitur, sed, posita probabilitate, ex principio reflexo certus efficitur de liceitate suæ operationis : jam vero non nisi hoc ultimo sensu, nempe supponendo principium aliquod reflexum, veteres illi affirmabant, prudenter et inculpabiliter operari qui probabiliter operatur (4).

3o1. *Probabilismi principium restringi nequit ad legem positivam vel humanam ;*

Demonstratum principium de necessaria obligationis objectivæ cognitione moraliter certa ad contrahendam obligationem subjectivam, restringi nequit ad casus dubiæ legis *humanæ* vel *positivæ,* sed extendi debet etiam ad casus dubiæ legis *divinæ* ac *naturalis,* et a fortiori ad casus facti dubii.

qui autem restringendum putant, immerito arguunt a legis necessaria cognoscibilitate,

Rationes enim, quibus prædictum principium demonstratur, valent pro quavis lege, et exempla quibus confirmatur, ad quamcumque legum speciem pertinent (5). Quæ autem pro necessitate restrictionis proferuntur, omni prorsus vi destituta sunt. Sane *a/* argui nequit a *vincibilitate ignorantiæ,* ut veteres nonnulli faciebant (6) : ostendimus enim dari posse invincibilem ignorantiam et dubium invincibile, non solum de legibus positivis, verum etiam de lege naturali, et hanc ignorantiam

1. Cfr. Pesch, *op. cit.*, n. 475.
2. Cfr. n. 262, 263. — 3. Cfr. supra, n. 271.
4. Cfr. S. Alphonsus, lib. 1, n. 80.
5. Cfr. supra, præsertim n. 297, p. 554, ubi in quæstione liceitatis lucri ex mutuo, habetur exemplum dubiæ extensionis legis naturalis usuram prohibentis, et in quæstione experientiæ triennalis exemplum dubii facti legem naturalem applicantis.
6. Ita M. Steyaert : « Petiimus quid sentiret de opinione probabiliori, sed minus tuta, an eam sequi liceret, relicta minus probabili sed tutiori, præsertim in jure naturæ, ubi, juxta nostram sententiam, nulla ignorantia excusat a toto ? » Apud Jac. Boudart, *De cons.*, § 48.

excusare operantem ex ipsa (1). — *b/* Nec argui potest a *legum objecto,* ut faciunt quidam recentiores (2) : ex eo enim quod objectum legis naturalis sit intrinsece bonum vel malum, objectum vero legis positivæ possit esse indifferens, concludere utique licet quod actio legi naturali opposita semper contineat inordinationem *materialem*, dum contingere queat ut actio soli legi positivæ opposita tali in ordinatione careat, si nimirum, in casu dubii, regulam a se positam legislator suspendat (3); at minime concludere licet quod ignorantia invincibilis vel invincibile dubium minus excuset a *formali* peccato violationis legis naturalis quam a *formali* peccato violationis legis positivæ; in præsenti autem agitur de excusatione a formali inordinatione, non autem de inordinationis materialis absentia, quæ duo ita distincta sunt ut primum a secundo non pendeat, et nemini fas sit ea confundere (4). — *c/* Non magis argui potest a *dignitate legislatoris* (5) : nam Deus non alligat super creaturarum humeros onera gravia et importabilia : nec ullo modo exigit ut, quando in particulari nescimus quid ipse velit, voluntatem nostram ipsius voluntati conformemus (6). —

vel a legis naturalis objecto.

vel a Dei legislatoris dominio et majestate.

1. Cfr. supra, n. 79 et n. 276.

2. Sic ratiocinabatur Rosmini, l. c. : Ea quæ prohibentur lege duntaxat positiva Dei vel hominum, sunt ex se indifferentia, solaque vi legis illicita fiunt. Unde, si removeatur obligatio legis ope principii verissimi, *lex dubia non obligat,* licita fiunt et honesta. Quæ autem prohibentur lege naturali, sunt intrinsece mala, eorumque malitia revelatur, non vero inducitur, per legem naturalem, seu lumen rationis ; quapropter tolli non potest incerto judicio rationis, sed incerta manet et dubia. Atqui ex confesso æquiprobabilistarum et probabilistarum, nunquam operari licet cum dubio de honestate actus. Quoties ergo positive dubitatur de intrinseca honestate actus, nullaque suppetit intrinseca ratio dubium amputandi, dubitatio removeri non potest ope principii extrinseci, ideoque pars tutior eligenda est. Cfr. Martinet, lib. I, a. 13. — Hanc Rosminii doctrinam doctrinæ S. Alphonsi oppositam esse, facile ostendit Scavini ; cfr. S. Alphonsi Vindices, *Diss. apol.*, n. 111, cum notis 7-10, ubi varia scripta indicantur.

3. Cfr. supra, n. 285, sub *c)* et sub *h)*.

4. Cæterum ipsius legis positivæ dubiæ violatione plerumque haberi peccatum materiale, ex supra dictis patet : cfr. n. 102, 120, 165, 297, pag. 553, not. 7.

5. Bonal, l. c. probabilismo adhæret quoad legem humanam, quia legislator humanus non videtur urgere legis obligationem nisi de ea moraliter constet ; æquiprobabilismo, quoad legem divinam naturalem et positivam, quia non ita constat quod in dubio Deus non magis urgeat legis obligationem ac legislator humanus.

6. Ita S. Thomas, 1-2, q. 17, a. 10, ad 1 : « Volitum divinum secundum rationem communem quale sit scire possumus : scimus enim quod Deus

d] Nihilominus inutilis non est in præsenti quæstione distinctio inter legem divinam et legem humanam, præsertim civilem et minoris momenti : nam, ut modo notabamus, quando agitur de lege humana contingere poterit ut superior rationabiliter præsumatur legem suam dubiam suspendere, ita ut ne in actu quidem primo obliget (1) ; præterea ubi agitur de lege civili facilius locus erit certitudini morali pro libertate (2), strictius urgeri poterit axioma, *Contra eum qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda* (3) ; minus absoluta erit præsumptio pro legislatore, præsertim in nonnullis materiis, puta tributorum (4), et in quibusdam circumstantiis, v. g. quando auctoritas est penes indignos.

302. *Neque idem principium potest ad obligationis introductionem restringi principio possessionis :*

Neque restringi idem principium probabilistarum debet principio *possessionis,* quasi valeret tantum pro casibus obligationis contrahendæ, sed applicari nequiret casibus obligationis extinguendæ. Hoc sibi persuasum habebit, quisquis sequentia attente consideraverit (5).

quidquid vult, vult sub ratione boni... Sed in particulari nescimus quid Deus velit, et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinæ voluntati. » Unde ipse Gonet, *Clyp. theol. thom.*, tom. III, disp. 6, a. 2, n. 37, hanc thesim statuit : « Homo non tenetur conformari voluntati divinæ in volito materiali, nisi quando voluntas divina nobis præcepto vel prohibitione *manifestatur.* »

1. Cfr. supra, n. 285 sub *c)* et sub *h).* — Hoc agnoscebant ipsi tutioristæ; ita v. g. Steyaert, *Aphor.*, tom. I, disp. 3, n. 6: « Quæstio est an nunquam probabilitas de honestate actionis absolute excuset agentem ? Ubi quidam satis liberales videntur dum agitur de probabilitate quæ circa jus dumtaxat positivum versatur. At nec in illo passim excusat probabilitas : sed fere tunc tantum, cum legislator, vel qui illius locum et auctoritatem tenet, novit probabilitatem aliquam circa legem suam passim teneri, et ad praxim deduci nec tamen contradicit ; et ita consentire videtur ut practicari possit. »

2. Cfr. n. 287, pag. 537, ubi not. 5 advertimus eo facilius obtineri certitudinem moralem et animum conquiescere, quo minoris momenti est res de qua agitur.

3. Cfr. supra, n. 283.

4. Cfr. supra, pag. 459, not. 4 ; Suarez, *De leg.*, lib. V, c. 18 ; Lugo, *De justitia,* disp. 36, s. 6 ; Sanchez, *De matr.*, lib. II, disp. 41, n. 39, etc.

5. De explicatione formulæ juridicæ, qua exprimitur principium possessionis, cfr. Reiffenstuel, *De reg. jur.;* Barbosa, *Axiomata juris;* Emin. Sanfelice, *Fund. jur. can.*, p. I. — De possessionis notione et privilegiis in materia dominii, cfr. Molina, *De just. et jure,* tr. II, disp. 12 et seq.; Lessius, lib. II, c. 3, dub. 9 et seq.; Joannes De Lugo, *De just. et jure,* disp. II, s. 4, etc. — De applicatione principii possessionis ad materias morales, cfr. in varium sensum Sanchez, *De matrim.*, lib. II, disp. 41, n. 39 et seq.; *In Decal.* lib. I, c. 10 ; Suarez, *De censuris,* disp. 40, s. 5 ; Terillus, *De conse.*

Principium possessionis varia formula in jure exprimitur. — *a*/ Prima formula juris canonici est : « In pari delicto et causa potior est conditio possidentis ([1]), » quæ respondet duplici regulæ juris civilis : « In pari causa possessor potior haberi debet ([2]) ; » et : « Cum par delictum est duorum, semper oneratur petitor, et melior habetur possessoris causa ([3]). » Sensus est : « Quando duo in eadem causa rei sunt delicti, v. g. si unus ex delicto dat, et alter ex delicto accipit, melior est conditio possidentis, ita ut restituere amplius non teneatur. Item si duo parem causam absque delicto habent, pariter melior est conditio possidentis, adeoque a possessione disjici non potest, donec adversarius legitime probet, se meliori gaudere jure ([4]). » — *b*/ Altera æquivalens formula juris canonici est : « Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori ([5]), » cui respondet regula juris civilis : « Favorabiliores rei potius quam actores habentur ([6]). » Sensus ejus est : « Si partium jura, id est, eorum probationes et allegationes non sunt satis claræ seu manifestæ, sed dubiæ et obscuræ, seu ita constitutæ ut judex, æquo animo consideratis considerandis, prudenter discernere non possit, quænam prævaleant aut pro qua parte justitia magis militet, reo potius quam actori favere, consequenter eum a petitione actoris absolvere debemus ([7]). » — *c*/ Hinc tertia quadam formula dicitur, actori incumbere onus probandi rem esse suam, et « actore non probante, qui convenitur, etsi nihil præstiterit,

prob., q. 23; Fagnanus, in c. *Ne innitaris*, n. 177-220; Lacroix, *De consc.*, n. 495; Sporer, tr. 1, c. 1, sect. 4, n. 75; Van Espen, diss. spec. *in Reg. 65 jur. in Sexto;* Brocardus a S. Nicolao, *De consc.*, q. 2, a. 6, etc. — De possessionis systemate, cfr. Bolgeni, *Del possesso;* Auctor operis, *Confutazione della dissertazione del S. Abate Gian-Vincenzo Bolgeni;* Martinet, lib. 1, a. 13, § 6; *Revue théol.*, II, 600, IV, 620; Vind. S. Alphonsi *Diss. apol.*, n. 113 et seq.; cl. D'Annibale, l. c.; Raphael a S. Joseph, *op. cit.*, n. 212-227.

1. Reg. 65 jur. in *Sexto.* — 2. *Dig.* lib. 50, tit. 17, reg. 128.

3. *Dig.* ib. 50, tit. 17, reg. 154. — 4. Reiffenstuel, in reg. 65 jur. in *Sexto.* — 5. Reg. jur. II in *Sexto.* — 6. *Dig.* lib. 50, tit. 17, reg. 125.

7. Reiffenstuel, in reg. 11 jur. in *Sexto,* ubi ad rectam vocum intelligentiam advertit, in omni judicio, præter judicem, concurrere *actorem* et *reum,* qui dicuntur *partes.* Actor vocatur qui alterum ad judicium provocat et rem aliquam ab eo præstandam petit ; unde a petendo etiam *petitor* nuncupatur, in processu vero criminali *accusator* nominatur. *Reus,* ut habetur *Decretal.* lib. V, tit. 40, c. 10, *Forus,* « a re quæ ab eo petitur nuncupatur, quia quamvis conscius sceleris non sit, reus tamen dicitur quamdiu in judicium pro re aliqua petitur. »

obtinebit (1): » etenim « commodum possidendi in eo est quod etiamsi ejus res non sit, qui possidet, si modo actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio; propter quam causam, cum obscura sunt utriusque jura, contra petitorem judicari solet (2). » — *d*/ Expositum principium frequentissimæ applicationis est in utroque jure (3), ex jure autem Moralistæ suum acceperunt axioma : « In dubio melior est conditio possidentis. »

etenim possessio proprie dicta locum habet solum in materia justitiæ : in hac autem materia valet ad dubium speculativum solvendum ;

Itaque principium possessionis in jure directe proponitur judicibus, et refertur ad litium, præsertim de rerum proprietate, diremptionem ; ad ejus vero intimiorem et pleniorem intelligentiam, hæc præ oculis retineantur : — *a*/ possessio est rei *detentio* animo et affectu dominantis ; — *b*/ possessionis objectum est vel *res corporalis*, ut liber, domus, quo casu habetur possessio simpliciter dicta, vel res *incorporalis*, ut facultas, auctoritas et jurisdictio, quo casu habetur quasi-possessio ; — *c*/ subjectum possessionis non differt a subjecto juris : est nimirum *persona*, eaque physica vel moralis ; — *d*/ possessionis *privilegium*, ratione cujus possidens dicitur melioris conditionis, est rei in suo statu conservatio : videlicet in eo præsertim consistit quod actori incumbat probatio dominii, et, actore non probante, res penes possessorem maneat ; non tamen in eo consistit quod rei dominium in possessorem transferatur, nisi per præscriptionem, accedente lapsu temporis ; *e*/ cæterum privilegii *conditio* est possessionis certitudo et legitimitas ; minime enim competit istud privilegium possessioni malæ

1. *Decretal.* lib. II, tit. 12, c. 3, *Cum Ecclesia.*

2. *Instit* , lib. IV, tit. 15. § 4, *Retinendæ.*

3. Cfr. v. g. *Decretal.* lib. II, tit. 19, c. 3, *Ex litteris :* « Quod si ambarum partium testes sint æque idonei, possessoris testes præferentur, cum promptiora sint jura ad absolvendum, quam ad condemnandum. » — *Ibid.*, tit. 26, c. 6, *Ad aures :* « Tuæ fraternitati tenore præsentium innotescat, quod de jure divino et humano melior est conditio possidentis. » — *Sexti*, lib. III, tit. 4, c. 31, *Si a Sede :* « Si a Sede Apostolica vel Legato ipsius uni, et ab Ordinario alteri eodem die idem benificium conferatur, nec appareat quæ collatio fuerit primo facta, erit potior conditio possidentis. » — *Cod.*, lib. IV, tit. 19, l. 2 : « Possessiones, quas ad te pertinere dicis, more judiciorum prosequere : non enim possessori incumbit necessitas probandi eas ad se pertinere : cum te in probatione cessante, dominium apud eum remaneat. » — *Dig.*, lib. 20, tit. 1, l. 10 : « Si debitor res suas duobus simul pignori obligaverit... inter ipsos autem si quæstio moveatur, possidentis meliorem esse conditionem. »

fidei, qualis est possesssio furum ; — *f|* privilegii *causa* est, tum quia commune bonum postulat ut stabilitati et securitati proprietatum consulatur, et litium multitudini obvietur, tum quia sæpe ipsa possessio præsumptionem justi tituli continet, tum quia aliquando contendentes indigni sunt qui adjuventur, ut in casu *paris delicti ;* — *g|* patet itaque principium possessionis juri naturali conforme esse et merito ab humanis legislatoribus sancitum.

Qui possessionis principio fundant universale systema ad quasvis dubitationes morales solvendas, fictione quadam libertatem et legem *personificant,* si ita loqui fas est ; deinde eis *jura* attribuunt, nimirum libertati jus agendi pro libitu, legi jus libertatem limitandi ; præterea advertunt, inter legem et libertatem *litem* esse perpetuam : ex quibus tandem concludunt, in hujusmodi contentione victoriam esse attribuendam legi vel libertati prout una vel altera in possessionne fuerit (1).

in communi autem materia obligationum

Examinandum ergo est quousque iste concipiendi modus rerum veritati sit conformis, et explicationi difficultatum possit inservire : inquiremus autem quænam sint lex et libertas,

admitti tantum potest

1. Ita ipse auctor systematis *possessionis :* « D'une part la liberté cherche à se soustraire à l'empire des lois, et celles-ci d'autre part s'efforcent d'enchaîner la liberté. Dans un tel conflit, je demande à qui, de la liberté ou des lois, on doit donner raison et attribuer la victoire, et je soutiens que celui-là l'emportera qui sera en possession contre son adversaire. » Rursus : « Nous n'avons à examiner que deux sujets, la liberté et la loi : nous pouvons les considérer comme deux parties litigantes l'une contre l'autre. Celle qui a la possession représentera et tiendra la place de l'*accusé* à qui l'on intente un procès ; celle qui attaque cette possession représentera et tiendra la place de l'*acteur* qui intente le procès. D'après toutes les lois, c'est à l'*acteur* qu'incombe la preuve, et il doit être le premier à faire connaître ses raisons ; l'*accusé,* pour sa défense, n'a qu'à produire et soutenir sa possession. Or, l'*acteur* doit donner des raisons certaines, fournir des preuves convaincantes, s'il veut déposséder son adversaire et gagner sa cause ; telle est la maxime de tous les tribunaux, autorisée par les lois et l'assentiment général des hommes. La certitude donc, et la certitude seule, enlève et détruit la possession. » Bolgeni, *Del possesso,* n. 2, 20, 21, (ap. *Rev. théol.,* II, p. 66 et 83). Similia habet Scavini, *De cons.* not. ad n. 110 : « Nihil prohibet quominus in dubio quædam quasi lis dicatur institui ac moveri inter legem et libertatem : Ego certus sum de libertate mea : surgit lex quæ vult illam exturbare ; quid ergo ? Quamdiu lex certa non proferat argumenta, jus habeo insistendi in illa meæ libertatis possessione. » — Alii recentiores : « Quemadmodum lex dubia, libertati certæ superveniens, hanc non ligat, *quia libertas habet jus certum possessionis ;* sic e converso, libertas dubia, legi certæ superveniens, ipsam non solvit, quia tunc *lex habet jus certum possessionis.* » Apud Raph. à S. Joseph, n. 227.

de quibus sermo est, qualis admitti possit legis et libertatis possessio, et quodnam tali possessioni attribui debeat privilegium. Imprimis *a/* libertas triplex distinguitur, nempe libertas *interna, naturalis*, seu vis electiva, consistens in absentia *determinationis ;* libertas *externa*, consistens in absentia *coactionis ;* libertas *moralis*, seu licentia, consistens in absentia *obligationis* (1) ; quibus adjungi potest libertas *christiana*, consistens in absentia *impedimentorum* ad salutem (2). Jam vero in præsenti agitur, non de libertate interna, naturali, quæ præsupponitur ad obligationem, et sub obligatione manet perfecta et integra : nec de libertate externa, quæ compossibilis est cum obligatione : nec de libertate christiana, quæ est obligationis finis et effectus : sed de libertate morali, quæ sola obligationi opponitur (3). — *b/* Obligatio autem, seu lex obligans, duplex generatim hic attendi debet : una quidem, scilicet positiva, quæ naturæ humanæ supervenit : altera, scilicet naturalis, quæ humanæ naturæ est essentialis; « idcirco enim oportet hominem legi subesse, quia est natura liber, et necessitate fit ut totus homo in verissima perpetuaque potestate Dei sit ac proinde libertas hominis nisi obnoxia Deo ejusque voluntati subjecta intelligi minime potest » (4). — *c/* Libertatis et obligationis subjectum est homo, qui dicitur libertate *frui* seu eam *possidere*, quousque ea privatus non fuerit per obligationem ; quapropter si stricte loqui velimus, libertas dici debet esse in possessione (passiva) hominis, sed ipsa dici nequit possidere (active), nisi eo sensu improprio quod permaneat ; et pariter obligatio dici nequit (active) possidere, nisi eo sensu quod hominem adstringat : unde manifestum est quod illa legis vel libertatis possessio, qua ipsæ dicuntur possidere,

libertatis

aut legis

possessio improprie dicta,

1. Cfr. supra, n. 251.

2. Cfr. supra, n. 251, pag. 491, sub *d).* — Libertas moralis stricte sumpta distinguitur a *jure* agendi : jus enim, præter licentiam, implicat facultatis inviolabilitatem, seu obligationem in aliis ne eam impediant : facultas autem in uno et obligatio in aliis oriuntur a lege superiori : quo sensu lex est jure anterior. Verum in præsenti de hoc non agimus. Cfr. Perin, *De l'ordre international*, lib. II, c. 4, pag. 364.

3. Merito notat Martinet, lib. I, c. 13, § 6, a Bolgenio constanter confundi *libertatem naturalem*, quæ præsupponitur legi et sub lege integra manet, cum *libertate morali*, quæ lege restringitur ; ipse vero Martinet non satis distinguit *libertatem moralem*, seu licentiam agendi, cum *libertate christiana*, seu expedita facultate ad bonum, quam lex tuetur.

4. Leo XIII, Encycl. *Libertas*.

omnino impropria sit, vix analoga, et nihil aliud quam ejusdem legis aut libertatis *existentia* (1). — *d*/ Jamvero passivæ illi libertatis possessioni, qua ab homine dicitur possideri, haud immerito applicari posse videntur quæ generatim admittuntur de *actore et reo :* quamvis enim ideæ obligationis et libertatis sint correlativæ, et quamvis in ordine ontologico ac reali libertas et aliqua hominis obligatio simul coexistant, nec prima præcedat alteram, si quidem nunquam fuit nec intelligi potest libertas nisi limitata ad bonum : tamen in ordine logico libertas concipitur ut prior, obligatio ut posterior : nam obligatio est libertatis restrictio ; quo sensu Deus in Scriptura dicitur hominem liberum constituisse, et ei præcepta addidisse (2) ; ab Angelico autem licitum illud vocatur, « quod nulla lege prohibetur » (3). Hinc in materia obligationis homo haberi potest ut *reus,* a quo nempe aliquid petitur, adeoque adversus ipsum fieri debet obligationis demonstratio : et quidem demonstratio obligationis sive introducendæ, sive permanentis, et non solum in genere, verum etiam pro casibus particularibus ; universaliter enim valet regula licitum esse quod non est prohibitum. — *e*/ Attamen obligationis possessioni activæ et analogæ, qua ipsa improprie dicitur possidere, non videtur idem privilegium posse attribui : nam, ut notavimus, proprie loquendo obligatio eatenus solum fictione quadam *possidere* concipitur, quatenus *antecedenter existebat* (4). Atqui α/ statim ac incerta evadit obligatio, simul incerta fit actualis ejus possessio ; privilegium autem, de quo supra,

quæ valet ad dubium practicum solvendum in favorem libertatis,

non vero in favorem legis.

1. Id agnoscunt ipsi Possessionistæ, v. g. Auctores *Vind. S. Alph. Diss. apol.,* n. 117 : « Possessio igitur in hac materia *analogice* sumitur pro quovis jure certo *dubium præcedente;* unde consequitur vim ac sensum principii possessionis hoc modo reddi posse : jus certum præcedens non tollitur dubio superveniente ; sed perseverat usquedum probetur ejusdem cessatio. » Advertere autem nobis liceat, quod in prædicta enuntiatione pro *jure* melius poneretur *obligatio* aut *libertas;* nomen enim *juris* indicat etiam objectum quasi-possessionis, v. g. facultatem nominandi ad beneficium.

2. Eccli xv, 14.

3. S. Thomas in iv, dist. 15, q. 2, a. 4, quæstiunc. 3, sol. 2.

4. Quæ in sequentibus explicite statuimus de activa possessione obligationis, applicari debent activæ possessioni libertatis : nimirum considerationem activæ possessionis sive obligationis sive libertatis nihil conferre ad dubii solutionem existimamus ; unde in superioribus non arguimus ex eo quod possideat libertas, sed ex eo quod libertatem homo possideat, ex eo quod sit in conditione rei.

valet tantum pro actuali possessione certa ; β/ præcedens obligationis existentia minime constituit præsumptionem pro obligatione subsequente, dum rei possessio vel quasi-possessio præsumptionem fundat in favorem dominii (1) ; γ) bonum commune non videtur postulare ut obligatio incerta valorem retineat obligationis certæ, sicut postulat ut in dubio res possessa non auferatur a possessore. Qui autem dicunt, jus certum præcedens non tolli dubio superveniente, verum dicunt, si id intelligant vel de dubio negativo, vel de jure stricte sumpto, quo aliquis fruebatur ; si autem id intelligant de dubio positivo et de quavis obligatione, probare deberent, obligationem, quæ facta est omnimo incerta, totam vim suam retinere propter antecedentem certitudinem : sed hoc minime efficiunt (2).

Doctrinæ de possessione recapitulatio et probabilismi confirmatio.

Hæc igitur nobis videntur admittenda : *a*/ Principium possessionis applicari debet ad solvendum dubium *speculativum*. Et quidem α/ sæpius applicatio locum habebit in dubio speculativo *facti*, quando scilicet adest vera possessio vel quasi-possessio, prout in materiis justitiæ, jurisdictionis, et hujusmodi (3) ; non autem quando vera possessio desideratur, prout in materia religionis aut charitatis, vel etiam interdum in

1. Ita v. g. in casu voti dubie emissi, *præcedens* libertatis existentia nullam fundat præsumptionem pro libertate *præsente ;* et vicissim in casu dubiæ adimpletionis *præcedens* existentia obligationis nullam fundat præsumptionem pro obligatione præsente.

2. Urgent, v. g. rationem Suarezii *De voto*. lib. IV, c. 5, n. 7. « Quod propter *solum dubium* non sunt immutandæ res ab antiquo statu, in quo bona fide existebant ». At vero a) hac ratione explicat Suarez fundamentum privilegii *veræ* possessionis in materia justitiæ ; b) contendit quidem rationem illam valere pro possessione analoga in cæteris materiis, sed cum aliis antiquioribus hoc limitat ad casus *dubii negativi ;* c) non posse autem idem extendi ad casus dubii positivi, alibi docet ipse Suarez, et satis clare patet ; ut enim notavimus, n. 283 et n. 287, in casibus dubii negativi revera habetur aliqua certitudo moralis pro libertate vel obligatione, secus in casibus dubii positivi. — Advertunt præterea, omnes virtutes participare de natura justitiæ, quia omnibus jus suum alicui redditur, v. g. religione Deo, charitate proximo, temperantia sibi. Verum a/ dubitari potest utrum *qualiscumque* illa cæterarum virtutum cum justitia convenientia sufficiat ut quod de hac admittitur, illis applicetur ; b/ cæterum quæstio directe non est utrum privilegium possessionis locum habeat in his vel illis materiis, sed utrum locum habeat ubi non est vera possessio vel quasi-possessio ; plures, et merito, advertunt ne in omnibus quidem justitiæ quæstionibus licere ad possessionis principium recurrere, ut infra notabitur.

3. Cfr. supra, n. 289, sub *c)* et sub *e)* etc.

materia justitiæ (1) : hinc multum abest ut Ecclesia universalem ejus applicationem faciat (2). β/ Aliquando etiam applicatio locum habebit in speculativo dubio *juris,* si v. g. ex usu sumi possit præsumptio pro legis vigore aut extinctione (3). — *b/* Potest etiam idem principium aliquo sensu applicari ad solvendum dubium practicum, quatenus in dubio de obligatione homo haberi debeat tanquam *reus,* a quo aliquid petitur, adeoque, ut modo diximus, adversus ipsum demonstranda sit obligatio (4). — *c/* Recte etiam, ad solvendum dubium negativum in quavis materia, applicari solet per modum formulæ

1. Nonnulla ad rem sapienter notata videntur in cit. per. *Revue théol.*, IV, 622 : « Le principe de la possession est loin de pouvoir s'adapter à tous les cas en matière de justice ; il est des cas de justice où il ne s'agit même pas de possession ; il en est d'autres où la possession elle-même est douteuse. Comment sortir alors du doute par le principe de la possession ? Supposons qu'un bien, qu'un objet soit possédé de foi douteuse dès l'origine par un individu, et qu'un autre revendique la chose avec des droits au moins égaux à ceux de son compétiteur, sans qu'on puisse sortir du doute : que ferez-vous ?... Quelqu'un a certainement contracté une dette ; mais, sans qu'il y ait de sa faute ou de celle du créancier, il doute s'il a payé cette dette, ou non, et il est impossible au créancier lui-même de faire cesser le doute. Que faire ? Irez-vous décider tout de suite, qu'en vertu du principe de la loi douteuse, le débiteur n'est tenu à rien, et frustrer ainsi le créancier, sans qu'il y ait de sa faute ? Ou bien, en vertu d'une prétendue application du principe de la possession, déciderez-vous qu'il doit tout payer, exposant ainsi un honnête homme à payer deux fois la même dette, sans qu'il y ait eu aucune négligence de sa part ?... Nous disons qu'on ne fait là qu'une *prétendue* application du principe de la possession ; car, pour le dire en passant, nous ne savons quel *droit certain* peut résulter pour le créancier de l'antériorité de la dette contractée, par rapport au paiement. Ce sont de ces solutions que l'esprit accepte d'abord, parce qu'elles semblent bien s'étayer sur un principe ; mais la réflexion en fait bientôt disparaître le prestige ; le bon sens reprend le dessus sur cette inflexibilité logique hors de propos. » — Cæterum alia exempla non desunt quibus absque ulla ratione obtruditur principium possessionis ; v. g. quæstioni « ad quid teneatur adulter, si dubium sit an proles sit sua vel mariti », respondent (ap. S. Alphonsum, lib. III, n. 657) ; eum ad nihil teneri, « quia melior est conditio adulteri possidentis bona sua » ; quasi ageretur hic de lite circa bona adulteri ! Alia occurrunt quibus formula possessionis exprimitur aliud principium ; v. g. quæstioni an, in dubio num tuum consilium fuerit causa damni, tenearis ad restitutionem, respondent (ap. S. Alphonsum, lib. III, n. 562) affirmative, quia in tali dubio possidet delictum pravi consilii : cum enim consilium erat de se aptum ad persuadendum, in dubio præsumitur ipsum fuisse causa damni. » Revera, si considerentur particulares quorumdam auctorum resolutiones, dici absque exaggeratione potest, *possessionem* esse formulam, sub qua quodvis principium intelligunt.

2. Cfr. supra, n. 285, 286, 289 passim ; Brocardus, l. c.

3. Cfr. quæ supra, n. 123, de *acceptatione* dicta sunt.

4. Cfr. dicta paulo superius.

generalis qua significatur, levem rationem attendi non debere contra legem aut libertatem moraliter certam (1).

303. *Non magis restringi potest probabilismi principium principio compensationis,*

Tandem non debet probabilistarum principium principio *compensationis* restringi, quasi nempe illius applicatio iis tantum casibus locum haberet, quibus probabile malum transgressionis legis proportionata utilitate compensatum.

Qui *compensationis* necessitatem affirmant, contendunt hominem lege dubia obligari « pro rata parte dubietatis; » ideo autem obligari « ne se exponat periculo incurrendi incommodum quod præcavere voluit legislator, » ab hac tamen obligatione eximi ratione incommodi quod involvit legis dubiæ observatio (2) : quibus assertionibus sane non continetur probabilismus, sed tutiorismus quidam mitigatus; iste autem tutiorismus proponitur tanquam logica applicatio doctrinæ de actu qui duplicem effectum habet, unum bonum, alterum malum (3). At vero quam infirma sit tota hæc theoria et quibus implicetur æquivocationibus, facile ex sequentibus perspicietur : *a*/ In præsenti non agitur de gemino actus effectu, sed de materiali actus moralitate, quæ duo toto cœlo discrepant (4). — *b*/ Incommodum violationis legis duplex intelligi potest, unum quasi *extrinsecum,* sc. detrimentum ipsi operanti vel aliis imminens; alterum *intrinsecum,* sc. regulæ forte existentis transgressio, inordinatio materialis, et frustratio finis specialis a legislatore intenti : prioris consideratio necessaria est ad solvendum dubium *speculativum* (5), de posteriore solo nunc sermo esse potest. — *c*/ Pariter incommodum necessariæ observationis legis dubiæ duplex intelligi potest : unum quasi *extrinsecum*, consistens in difficultate per accidens conjuncta cum legis observatione; alterum *intrinsecum*, in eo consistens quod homo gratuito oneri forte subjiciatur, quod sua libertate privetur, et propter suam infirmitatem

quin potius eo adjuvatur.

1. Cfr. supra, n. 283, 286. Advertimus tamen, nostro judicio, principio possessionis solvi non posse ea dubia negativa facti in quibus habetur utriusque partis vera ignorantia: v. g. si dubio negativo hinc inde dubites utrum dies hodierna sit dominica, frustra quæres aliquam possessionem.

2. Cfr. Potton, *Theoria prob.*, passim.

3. Cfr. Potton, ap *Nouv. revue théol.*, tom VII, p. 374.

4. De actu qui duplicem effectum habet infra dicetur; cfr. etiam tr. noster *De virt. theol.*, n. 537 et seq., ubi de *scandalo* et *cooperatione*.

5. Cfr. supra, pag. 530 et seq.

periculo offendendi Deum exponatur ; incommodum prius eximit a lege etiam certa, et efficit ut ejus inobservatio non sit proprie dicta transgressio, adeoque ne materiale quidem peccatum contineat (1) ; incommodum posterius exigit ut a legis forte existentis et a parte rei obligantis transgressione subditus excusetur ; malum enim oneris excessivi conjunctum cum periculo peccati formalis longe præponderat malo peccati materialis ; cum autem illud malum sit generale seu in omni casu legis incertæ reperiatur, probabilistæ merito concludunt legem dubiam subjective non obligare, quin specialem rationem agendi requirant (2). — *d/* Ergo rejiciendam arbitramur, compensationis *theoriam ;* fatemur tamen in hac materia posse interdum compensationi locum esse ; videlicet, cum certitudo moralis lata, quæ requiritur et sufficit ad prudenter operandum, satis indefinita sit, et aliquando *vix* in infimo gradu existat, consideratio *momenti* legis valere poterit ad practice affirmandam obligationem, quæ vix sit moraliter certa ; et e contra consideratio difficultatis sive extrinsecæ sive etiam intrinsecæ valere potest ad practice negandam obligationem, quæ sit fere moraliter certa (3).

Traditio :

Remanet ut ratio solvendi dubium practicum qualis a theologis proposita est, catholica traditione plene confirmetur.

304. *principium probabilismi a S. Patribus in praxim deductum,*

Imprimis frustra quidem apud sanctos Patres formulam quæres principii generalis quo dubia solvantur ; si tamen modum investiges quo a dubiis particularibus se expediverint, facile apparebit, ipsis fixum ratumque fuisse *non adstringi fideles lege sive divina sive humana de qua non satis constat.*

Ad hanc nostram affirmationem adstruendam, minime urgebimus ea testimonia quibus dicitur, locorum consuetudines observari posse dummodo non *convincantur* esse contra bonos mores (4) ; — observandum esse regis mandatum quod vel

1. Cfr. supra, n. 168 ubi de *impotentia.* — 2. Cfr. supra, p. 553.

3. Hoc sensu libenter adhæremus iis quæ leguntur apud *Rev. théol.*, II, 609-613.

4. Huc pertinent quæ habet S. Augustinus, *Epist.* 36 (ad Casulanum) n. 2 et 32 ; maxime vero *Epist.* 54 (ad Januarium), c. II, n. 2 et 3 : « Alia vero quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est quod alii ejunant sabbato, alii non ; alii quotidie communicant corpori et sanguini

certum est non esse contra Dei præceptum, vel utrum sit, certum non est (1); — in his, quæ dubia sunt vel obscura, id a Prælatis in regimine sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum (2) : licet enim istiusmodi testimonia non sint omnino inefficacia, tamen exceptionibus obnoxia sunt, et revera directe non pertinent ad præsentem quæstionem.

Domini, alii certis diebus accipiunt; alibi nullus dies prætermittitur quo non offeratur, alibi sabbato tantum et dominico, alibi tantum dominico : et si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes ; nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam ad quam forte devenerit. *Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum,* et propter eorum inter quos vivitur societatem servandum..... Sensi sæpe dolens et gemens multas infirmorum perturbationes fieri per quorumdam fratrum contentiosam obstinationem, vel superstitiosam timiditatem, qui in rebus hujusmodi quæ neque Scripturæ sanctæ auctoritate, neque universalis Ecclesiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate ad certum possunt terminum pervenire (tantum quia subest qualiscumque ratiocinatio cogitantis, aut quia in sua patria sic ipse consuevit, aut quia alibi vidit, peregrinatione sua quo remotiorem a suis eo doctiorem se factum putans) tam litigiosas excitant quæstiones, ut, nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment. » — Quonam casu acciderit, ut supra relatus textus, qui eodem capite unius et ejusdem epistolæ legitur, apud S. Alphonsum duobus operibus, imo et duobus auctoribus diversis attribuatur, deprehendere non potuimus. Sic enim habet: « Item *S. Augustinus* brevibus totum quod dicimus confirmat: « *Quod enim contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur,* (nota *convincitur*) *indifferenter esse habendum.* » *Serm. 294, c. 11, col. 224, edit. Paris.* Quælibet igitur actio nobis permissa est modo convicti aut moraliter certi non simus, illam contra fidem aut bonos mores esse. Item *S. Ambrosius* scribens ad *Januarium* improperat animos nimium timidos habere, qui in dubiis nihil rectum existimant, nisi quod Scripturæ auctoritate, aut Ecclesiæ traditione aut quod pro vitæ corrigendæ utilitate certum esse dignoscitur. En ejus verba: « Sensi etc. »

1. Ita S. Augustinus *Contra Faustum Manichæum,* lib. 22, c. 75 : « Vir justus si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte potest illo jubente bellare, civicæ pacis ordinem servans ; cui quod jubetur vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est ; ita ut fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi. » Cfr. supra, pag. 516, not. 3.

2. S. Leo responsurus, *Epist.* 167, ac Rusticii Narbonensis consultationes, hæc præmittit : « De consultationibus autem dilectionis tuæ... quid sentiendum sit, inter præsentes opportunius quæreretur de singulis, si nobis tui conspectus copia proveniret. Nam cum quædam interrogationes modum diligentiæ videantur excedere, intelligo eas colloquiis aptiores esse quam scriptis. Quia sicut quædam sunt quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari : illa semper conditione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum. «

Hisce igitur omissis, sequentibus innitemur, quæ videntur explicita : *a*/ Probat Lactantius philosophorum præcepta parum conferre ad veram sapientiam, primo quia auctoritate carent, secundo quia nihil certi habent, nihil quod a scientia veniat ; hoc autem alterum ratione aliqua generali explicat quæ omnino ad rem nostram facit : « Cum omnia conjecturis agantur, multa etiam diversa et varia proferantur, stultissimi est hominis præceptis eorum velle parere, quæ, utrum vera sint an falsa, dubitatur ; et ideo *nemo paret quia nemo vult ad incertum laborare* (1). — *b*/ In quæstione primis sæculis agitata, an liceret matrimonium contrahere cum infidelibus, memorat S. Augustinus Beati Cypriani sententiam asserentis « jungere cum infidelibus vinculum matrimonii nihil aliud esse quam prostituere gentilibus membra Christi ; » ipse tamen Augustinus non recolebat « in Evangelio vel apostolicis litteris *sine ambiguitate* declaratum esse, utrum Dominus prohibuerit fideles infidelibus jungi (2) ; » unde notat suo tempore jam id non reputari peccatum, « quoniam revera in Novo Testamento nihil inde præceptum est, et ideo aut licere creditum est, aut *velut dubium derelictum* (3). » — *c*/ Quæstio movebatur de secundis nuptiis, utrum juvenibus saltem viduis licerent ; Novatiano cuidam eas illicitas esse contendenti respondebat S. Gregorius Nazianzenus : « Quo argumento id confirmas? *Aut rem ita esse proba ; aut, si id nequis, ne condemnes. Quod si res dubia est, vincat humanitas et facilitas* » (4). — *d*/ Semper communior in Ecclesia fuit sententia quod matrimonium adulterii causa dissolvi nequeat (5) ; eam S. Augustinus strenue propugnavit (6) ; cum tamen suo tempore non plene esset eliquata, S. Doctor certa, quæ imponi possent, ab incertis, quæ potius suaderi deberent, accurate distinguens, censuit a novis nuptiis removendos quidem esse illos qui adulteram dimiserant, non

1. Lactantius, *Div. inst.*, lib. III, c. 27.
2. S. Augustinus, *De conj. adult.*, lib. I, c. 25, n. 31.
3. S. Augustinus, *De fide et operibus*, c. 19, n. 35.
4. S. Gregorius Naz., Or. 39, *In sancta lumina*, n. 19.
5. Cfr. Perrone, *De matrim. christ.*, lib. III, sect. alt., c. 3. (Tom. III, pag. 221 et seq.)
6. Huc pertinet opus *De conj. adult.*, de quo ita loquitur *Retract.*, lib. II, c. 57 : « Scripsi duos libros de adulterinis conjugiis, quantum potui secundum scripturas, cupiens solvere difficillimam quæstionem. »

tamen, si novas contraxissent, esse omnino a baptismo repellendos, siquidem agebatur de quæstione difficillima et obscura, ubi venialiter quisque fallitur (1). — *e*/ Aliquando disputatum est utrum ex præcepto apostolico irregularis esset bigamus, qui primam uxorem ante baptismum duxerat, alteram post baptismum : sententia affirmans communior et magis fundata erat ; negans tamen haud infrequenter in praxim deducebatur, præsertim apud Hispanos (2) ; huic alteri adhæsit S. Hieronymus, et, interrogatus a fratribus, non obstante S. Siricii decreto, respondit quid sibi videretur, *nulli præjudicans sequi quod velit* (3). — *f*/ Quærebatur a S. Augustino utrum, saltem in necessitate, vesci liceret cibo qui in idolio repertus fuerit :

1. Ita *De fide et operibus*, c. 19, n. 35 : « Quisquis etiam uxorem in adulterio deprehensam dimiserit, et aliam duxerit, non videtur æquandus eis qui excepta causa adulterii dimittunt et ducunt : et in ipsis divinis sententiis ita obscurum est utrum et iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut, quantum existimo, *venialiter ibi quisque fallatur*. Quam ob rem quæ *manifesta* sunt impudicitiæ crimina, omni modo a baptismo *prohibenda* sunt, nisi mutatione voluntatis et pœnitentia corrigantur ; quæ autem *dubia*, omni modo *conandum* ne fiant tales conjunctiones. Quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere ? Si autem facta fuerint, nescio utrum ii qui fecerint, similiter ad baptismum non debere videantur admitti. »

2. Id testatur S. Hieronymus, *Epist.* 83, *Ad Oceanum*, n. 2 : « Carterius Hispaniæ episcopus, homo et ætate vetus et sacerdotio, unam antequam baptizaretur, alteram post lavacrum, priore mortua, duxit uxorem, et arbitraris eum contra Apostoli fecisse sententiam, qui, in catalogo virtutum, Episcopum unius uxoris virum præcepit ordinandum. Miror autem te unum protraxisse in medium, *cum omnis mundus his ordinationibus plenus sit*. Non dico de presbyteris, non de inferiori gradu ; ad episcopos venio, quos si singulatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, ut Ariminensis synodi multitudo superetur. »

3. Ita in sua adversus Rufinum *Apologia*, lib. 1, c. 7 : « Audio præterea objici mihi a Chrysogono, sectatore Rufini, cur in baptismate dixerim universa peccata dimitti, et mortuo bimarito novum virum in Christo resurgere, atque hujusmodi sacerdotes in ecclesiis esse nonnullos. Cui brevi sermone respondebo :.... Quid austeritate frontis, et contractis rugatisque naribus concava verba trutinatur, et *sanctitatem apud vulgus ignobile simulato rigore mentitur ?* Audiat nos iterum proclamantes veterem Adam in lavacro totum mori et novum cum Christo in baptismate suscitari ; perire choicum et nasci supercœlestem. Hæc dicimus non quod ipsi, propitio Christo, hac quæstione teneamur, sed interrogati a fratribus quid nobis videretur, respondimus, nulli præjudicantes sequi quod velit, nec alterius *Decretum* nostra sententia subvertentes. » — Decretum ad quod alludit S. Hieronymus, est S. Siricii in *Epistola* ad Himerium Tarraconensem, c. 10 ; eodem modo loquitur S. Innocentius tum in *Epist.* 2a ad Victricium Rothomagensem, c. 9 ; tum in 3a ad Episcopos Synodi Toletanæ, c. 10 ; cfr. Christ. Lupus, *De opin. prob.*, c. 3.

breviter respondet S. Doctor : « Aut certum est esse idolothytum, aut certum est non esse, aut ignoratur : si ergo *certum est esse,* melius christiana virtute respuitur; si autem vel *non esse scitur, vel ignoratur,* sine ullo conscientiæ scrupulo in usum necessitatis assumitur (1). » — *g*/ Nonnullis videbatur licitum esse in cœna Domini Eucharistiam post cibos accipere; alii oppositum tenebant : stante hac opinionum diversitate, S. Augustinus neminem vult cogere ante dominicam cœnam prandere, *sed nulli etiam contradicere audet* (2). — *h*/ Juramentum non accipiendi ordinationem S. Basilius validum censet; quoad executionem vero monet, in casibus particularibus, consideranda esse et speciem jurisjurandi, et verba, et animum jurantis, et sigillatim quæ verbis addita sunt; ita ut, *si nulla prorsus sit rei leniendæ ratio,* observari debeat (3) ».

Quæ autem ex SS. Patribus in contrarium proferuntur, inefficacia sunt (4) : nihil enim aliud iis continetur quam communis obligatio non negligendi veritatis inquisitionem (5). — a veritate non recedendi (6), — vanas opiniones non sequendi (7), — non audiendi quosvis doctores (8), — bonum et malum pro arbitrio non interpretandi (9), — æternam

1. S. Augustinus, *Epist.* 47 (Ad Publicolam), n. 6.

2. S. Augustinus, *Epist.* 54 (Ad Jan.) c. 7, n. 9.

3. S. Basilius, *Epist.* 188 (canonica 1ª ad Amphiloctium) c. 10.

4. Ea silentio præterire possemus, si a viris etiam eruditis non fuissent adversus probabilismum objecta.

5. S. Augustinus, *De civit. Dei,* lib. 22, c. 23, docet vigiliis continuis excubandum esse ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris effundant, ne quod bonum est malum, aut quod malum est bonum esse credatur.

6. Ita Clemens Alex. *Strom.* lib. VII, c. 16 (Migne P. G. IX, 539) : « Voce Domini erudimur ad agnitionem veritatis... magis declinamus ad ea quæ sunt opinabilia etiamsi sint contraria, quam ad veritatem : est enim austera, gravisque. »

7. Hoc inculcat S. Gregorius Naz., *Or.* XXXVI, n. 7 : « At plerisque secus videtur, inquies. Quid vero mea interest, qui rei veritatem magis curo imo solum curo? hoc enim vel me condemnaverit vel absolverit, hoc miserum vel beatum reddiderit. At quid aliis videatur, nihil ad nos, quemadmodum nec alienum somnium. »

8. Cfr. supra, pag. 524, not. 6.

9. Huc pertinent quæ habet Tertullianus, *De spect.,* c. 20 et 21 : « Erramus: nusquam et nunquam excusatur quod Deus damnat. Nusquam et nunquam licet, quod semper et ubique non licet. Hæc est veritatis integritas, et quæ ei debetur disciplinæ plenitudo et æqualitas timoris et fides obsequii, non immutare sententiam, nec variare judicium. Non potest aliud esse, quod vere quidem est bonum seu malum. Omnia autem penes veri-

salutem periculo non exponendi, — adeoque in materia religionis partem sequendi tutiorem (1). In specie nonnisi per calumniam probabilistis opponi possunt quæ S. Augustinus urget in suis libris contra Academicos (2) ; siquidem libros istos scripsit S. Doctor, « ut argumenta eorum (Academicorum) quæ multis ingerunt veri inveniendi desperationem, et prohibent cuiquam rei assentiri et omnino aliquid, tanquam manifestum certumque sit, approbare sapientem, cum eis omnia videantur obscura et incerta, ab animo suo, quia et ipsum movebant, quantis posset rationibus amoveret (3). »

a scholasticis, casuistis et jurisperitis medii ævi obscurius propositum.

305. Principii generalis formula, quæ apud sanctos Patres desideratur, jam occurrit apud medii ævi scholasticos, casuistas, jurisperitos; nondum tamen apparet accurate definita, nec systematice proposita; unde fateri cogimur veterum illorum scriptorum mentem paulo obscuriorem esse.

Equidem vix aliquid reperies quod rigorismo aut tutiorismo faveat, nisi apud paucos illos qui omnem ignorantiam divinæ legis practice vincibilem docuerunt (4): cæteri enim passim

---

tatem Dei fixa sunt. Ethnici, quos penes nulla est veritatis plenitudo, quia nec doctor veritatis Deus, malum ac bonum pro arbitrio ac libidine interpretantur: alibi bonum, quod alibi malum, et alibi malum quod alibi bonum. »

1. Cfr. supra, p. 552, not. 1. Huc etiam pertinent quæ scribit Lactantius. *Div. inst*, lib. III, c. 13 : « Sciant igitur errare se, qui philosophiam putant esse sapientiam : non trahantur auctoritate cujusquam ; sed veritati potius faveant, et accedant. Nullus hic temeritati locus est : in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis aut opinio falsa deceperit. »

2. Ita nominatim lib. III, c. 16 : « Quid si ergo aliquis adolescens, cum hos audierit dicentes : *Turpe est errare, et ideo nulli rei consentire debemus ; sed tamen cum agit quisque quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat ; illud tantum meminerit, quidquid occurrit vel animo vel sensibus, non pro vero esse approbandum.* Id igitur audiens adolescens, insidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ... Quid aliud dicturus es quam non tibi esse probabile ut id faciat adolescens? At illi probabile est... Taceo de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis omnibusque omnino, quæ fieri aut cogitari possunt, flagitiis aut facinoribus, quæ paucis verbis, et, quod est gravius, apud sapientissimos judices defenduntur : *Nihil consensi et ideo non erravi : quomodo autem non facerem quod probabile visum est.* Qui autem non putant ista probabiliter posse persuaderi, legant orationem Catilinæ. » En quæ per duo fere sæcula, graves auctores non puduit theologis probabilistis objicere !

3. S. Augustinus, *Retract.*, lib. I, c. 1.

4. Ita Gul. Parisiensis, *De coll. benef.*, art. 8: « Si dubium est utrum liceat, hoc, an non, *ipsa dubietas certitudo est et determinatio,* id est certitudinem facit : quia procul dubio non licet alicui se committere discrimini ;

agnoscunt licitum esse agere juxta opinionem probabilem vel probabiliorem; tutius vero sequi esse consilii, esse « de honestate et meriti majoritate, non de salutis necessitate » (1).

At non pauca reperiuntur quæ pro probabiliorismo urgeri possunt: plures enim videntur non aliam admittere conscientiæ rectæ efformationem nisi directam; unde ab una parte notant « quod cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicujus opinionis et secundum eam operari, secluso saltem scandalo, quæ scilicet pars habeat pro se notabiles doctores, dummodo talis opinio non sit contra auctoritatem expressam S. Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ catholicæ: et quod etiam ex contrarietate talium opinionum, non inducatur ad dubitandum, sed bonam sibi conscientiam formet de eo quod credit tanquam de probabiliori parte (2); » ab alia autem parte, nulla facta distinctione inter dubium speculativum et dubium proxime practicum, concedunt « quod dubitans de aliquo an sit illicitum, et, stante dubio, illud agens, peccat, » si nimirum intelligatur « de dubio tali quod sit vehemens et magis aut saltem æque inducit mentem credere quod est mortaliter illicitum, sicut quod est licitum (3). »

---

discrimini autem se committit, qui præsumit aliquid facere, de quo dubitat an sit peccatum. » Expressius idem affirmat in tractatu, *De fide et legibus*, c. 21. — Aliquid simile habet Altissiodorensis Parisiensi fere suppar; is enim, cum dixisset quod *quilibet tenetur scire de quolibet mortali quod sit mortale*, sibi objicit: « Ponatur instantia in subtilissimis laqueis usuræ vel simoniæ, de quibus etiam dubitant maximi magistri: iste laicus non potest scire de hoc mortali quod sit mortale; quid ergo faciendum? » Respondet autem: « Revera ex peccato primi parentis obscurata fuit prima ratio, ita quod non potest homo perspicaciter intueri, quid faciendum sit et quid non, et propter talem pœnam contingit, quod non potest homo scire de quolibet mortali quod si mortale, sed tenetur scire vel *dubitare, et per hoc vitare*; est enim regula quod si quis dubitat de aliquo, an sit peccatum mortale, et facit illud, peccat, quia discrimini se committit. » Cfr. supra, n. 79.

1. Cfr. v. g. S. Antoninus, *Summ.* p. I. tit. 3, c. 10, § 10, reg. 4; p. II, tit. I, c. II, § 28.

2. S. Antoninus, *Summ.*, p. I, tit. 3, c. 10, § 10, reg. 4; Nyder, *Consol.*, p. III, c. II.

3. Gerson, *De præp. ad Missam*, consid. 3. — Eodem modo loquitur Alensis, *Sum.*, p. II, q. 112, *De ign.* cas. 8: « Quæritur de illo qui dubitat de aliquo contractu, utrum sit simoniacus nec ne, ex eo quod quidam auctores dicunt esse simoniacum, et quidam negant. Quid ergo sit facturus, cum ignoret? Respondetur ei abstinendum esse ab hoc contractu, ne se committat discrimini; melius est enim ut incidat in damnum temporale quam spirituale. » Item Scotus, *Prol. sent.*, q. 2, n. 15: « Multa in actibus humanis sunt dubia, utrum sint peccata mortalia, etiam suppositis omnibus

Aliunde multa reperiuntur quæ evidenter favent probabilisimo ; nempe affirmatur nullum ligari per præceptum aliquod nisi mediante scientia hujus præcepti ([1]) ; — illud solum absolute prohibitum supponitur quod clarum est esse contra legem Dei ([2]) ; — declaratur in dubiis amplectendam sententiam humaniorem ([3]) ; — affirmatur cuivis licitum esse sequi sententiam viri docti ([4]) ; — sæpe de gravissimis quæstionibus moralibus sententiæ variæ exponuntur absque ulla reflexione ad obligationem sequendi partem tutiorem vel probabiliorem ([5]) ;

---

doctrinis Doctorum et Expositorum ; tamen non est dubia via salutis, quia a talibus tanquam periculosis debet homo sibi cavere et se custodire, ne, dum se exponit periculo, incidat in peccatum. » — Cfr. ex posterioribus Scholasticis Paludanus, in 4^um^, dist. 37, q. 2, a. 3 ; Durandus, in 4^um^, dist. 17, q. 13 ; Gab. Biel, in 4^um^, dist. 15, q. 8, a. 13, dub. 2 ; Dion. Carthusianus, in 2^um^, dist. 22 ; Major, in 4^um^, prol. q. 2, concl. 3 et 4 ; Adrianus, in 4^um^, pag. 71 (1æ edit.) ; ex Moralistis Joannes Nyder, *De Decal. præc.*, 1, c. 2 et 5 ; *Consol. tim. consc.*, p. III, c. II ; S. Antoninus, ll. cc ; Conr. Summenhart, *Septipart. opus de contr.*, q. ult. ; Ant. Cordubensis, *Quæst.*, lib. II, q. 3, ass. 3, etc. ; ex Summistis Angelus, v° *Opinio* : Sylvester, v° *Dubium* et v° *Opinio* ; Caietanus, v° *Opinionis usus*. — Hos omnes aliosque sibi plus minus adversari candide fatebantur primi probabilistæ, v. g. L. Lopez, *Instr. consc.*, lib. I, c. 20 ; Vasquez, 1-2, disp. 12, c. 1 ; Suarez, *De consc.*, s. 6, n. 6 ; Laymann, l. I, tr. 1, c. 5, §, n. 7 ; Lessius, 1-2, q. 19, a. 6, dub. 7 ; etc. Cfr. Brocardus, *op. cit.*, q. 2, art. 6, § 10, sect. 6.

1. S. Thomas, *De ver.*, q. 17, a. 3 : cfr. supra, n. 299.

2. Ita S. Antoninus, *Sum.*, p. II, tit. 1, c. 11, § 28 : « Si diceretur hic esse usuram, et usura est contra decalogum : respondetur, usuram esse contra præcepta decalogi verum est reductive ; sed hunc contractum esse usurarium non est clarum, cum sapientes contraria sibi invicem in hujusmodi sentiant. »

3. Sic S. Bernardinus Senensis, *Serm. 3 fer. 2æ post Quinq.* : Quando diversæ sunt opiniones, cæteris paribus, humanior est præferenda ». Cfr. S. Alphonsus, lib. I *(Syst. mor.)*, n. 65, 83, ubi plura testimonia legi possunt, quæ tamen accuratiore recognitione indigerent.

4. Ita Nyder, *Consol. tim. consc.*, p. III, c. 1 : « Item reperi in libris veteribus nostri Prædicatorum ordinis responsa plura quæ data esse videntur a domino Alberto, eo adhuc vivente, quæ sic sonant : Item dicit idem quod frater simplex vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus magni doctoris opinionem sequatur. »

5. Insigne exemplum habetur in quæstione de necessitate confitendi circumstantias aggravantes, de qua agit S. Thomas, in 4^um^, dist. 16, q. 3, a. 2, sol. 5 ; item S. Antoninus, p. III, tit. 17, c. 17, § 5, etc. Ita etiam S. Bonaventura, in 4^um^, dist. 38, a. 2, q. 3, de votis agens super quibus Papa dispensare possit : « Quæ istarum trium opinionum sit verior, fateor me nescire ; et satis potest quælibet sustineri : ideo nullam assero. Si quis tamen velit hanc ultimam acceptare, non occurrit ei inconveniens manifestum, ut dicatur, quia nec in omni, nec in nullo, sed in quodam sic, et in quodam non. » Pariter ante definitionem concilii Lateranensis sub Leone X,

— imo ab ipsis summis Pontificibus expresse relinquitur in obscuris libertas (1).

Quibus omnibus sincere propositis et attente consideratis, arbitramur veteres scholasticos non ignorasse veram rationem solvendi dubium practicum. Si quandoque probabilismo videantur contradicere verbis et modo loquendi, illud exinde provenit quod in nonnullis casibus particularibus non satis indicaverint se agere de solo dubio vincibili (2), vel quod ipsorum tempore nondum soleret accurate distingui inter dubium speculativum et dubium practicum, inter dubium remotum et dubium proximum, inter conscientiæ ceritudinem directe comparatam, et certitudinem obtentam indirecte vi principii reflexi. Insuper adverti potest, nonulla scientiæ moralis puncta, a quibus præsentis quæstionis perfecta solutio

---

acriter disceptatum est, utrum *montes pietatis* essent usurarii: qui benigniorem sententiam sequebantur, eam habebant tutam, licet solum probababilis esset; fideles autem sine scrupulo et formidine pecunias suas montibus elocabant.

1. « Hujus rei innumera exstant exempla, inquit cl. D'Annibale, scientia juris peritissimus. Proferam unum vel alterum. Mulier quædam, rumore de morte viri sui falso perlato, solemnia vota nuncupaverat. Viri jussu domum reversa, mox, eo vita functo, cogitur ad monasterium redire. Renuit. Cœlestinus III consultus respondit: *Congruentius ad salutem est, ut ad monasterium redeat, sed invitam credimus non cogendam* (c. 12, *De conv. conj.*). Quidam conjuges proprium filium e sacro fonte susceperunt. Innocentius III consultus an essent separandi, cum jura juribus contraria viderentur, respondit: *Nobis videtur quod non sint ab invicem separandi* (c. 2 *De cogn. spir.*). Regerunt Tutioristæ, Romanos Pontifices heic dispensasse nempe *quia poterant.* Sed esto: idem Innocentius III conjugi impotentia (dubia) laboranti indulsit experimentum triennale (c. 15 *De frig.*)... Num sodes quia poterat ratum facere matrimonium nullum ex capite impotentiæ? » *Summula*, p. 1, n. 242, not. 4. Cfr. supra, n. 299.

2. De dubio vincibili agit S. Bonaventura, *De proc. rel.*, p. 5: « Dubia interpretatio præcepti est periculosa, sicut pons semiputridus aquæ præcipitis et profundæ, de quo dubium est an sub transeunte corruat, an subsistat; velut si is, qui pro Christo majora certamina subire decrevit, et omnia reliquit in sæculo, se periculo committeret pro modico motu propriæ voluntatis, vel pro parvo commodo, in incerta opinione sua vel alterius; ut si Deus approbet illam opinionem, evadat sine lucro meriti, si autem reprobet eam, damnetur; *maxime cum tales opiniones quandoque periculosiores sint quam apertæ transgressiones: quia ubi scit homo se delinquere, inde facile corrigitur; ubi tamen nescit se peccare, et insuper credit sibi licere, inde nec in morte pure convertitur propter falsam spem, quod forte licuerit, vel minus in eo peccaverit, baculo arundineo et confracto innitens;* voluntas bona et plana via regia et secura debet incedere, relictis dubietatum diverticulis, quasi suspectis latronum semitis. » Alio, qui objicitur loco, nempe in 4^{um} dist. 17, non tractat Seraphicus quæstionem generalem, sed particularem de peccato dubie commisso in ordine ad confessionem; cfr. supra, n. 288, sub g).

pendet, non fuisse statim a scholæ initio undequaque enucleata : huc pertinent quæ supra notavimus de possibilitate ignorantiæ invincibilis (etiam practice) legis naturalis et divinæ (1), de differentia ignorantiæ vincibilis et culpabilis ab ignorantia contracta per culpam (2), de necessaria ad ignorantiæ vincibilitatem reflexione ad media cognitionis adhibenda (3), etc.

306. *a theologis sæculi decimi sexti systematice explicatum,*

Sæculo XVI, quo multiplici de causa theologia moralis, notabilem progressum accepit (4), ratio solvendi dubium practicum, per usum principiorum reflexorum, tandem explicite ac systematice proposita fuit (5).

Sub varia autem formula probabilismi, vel probabiliorismi, vel æquiprobabilismi, hæc ratio solvendi dubium statim placuit universæ Ecclesiæ nempe Episcopis (6), Cardinalibus (7), imo ipsis Pontificibus (8) ; recepta est apud omnes religiosos ordines inter se maxime divisos, nominatim apud Benedictinos (9), Dominicanos (10), Fran-

1. Cfr. supra, n. 79, præcipue p. 245, not. 1-3 ; item n. 103. — 2. Cfr. supra n. 78, pag. 243, not. 3. — 3. Cfr. ib. not. 2. — 4. Cfr. *Introd.*, n. 171. — 5. Cfr. supra, pag. 545, not. 3.

6. Probabilismum, hoc tempore, expresse libris scriptis docuerunt : Didacus Alvarez, O. P. archiepiscopus Tranensis, Bartholomæus de Ledesma, episc. Guaxaguensis, Josephus Angles, episc. Bosanus, Thomas Zerola, episc. Minorensis, Joannes Malderus, episc. Antwerpiensis, Martinus Bonacina, episc. Uticensis et Nuntius Apostolicus, Petrus Tapia, archiepisc. Hispalensis, Augustinus Barbosa, episc. Ugentinus, etc. Cfr. Steph. Dechamps, *Quæst. facti.* c. 3, cum notis Ant. Zaccariæ.

7. Satis sit hic nominasse viros ingenio et meritis summos Toletum, Lugonem, Pallavicinum, quibus, ut infra ostendemus, nullo modo refragatur Bellarminus, in *Admon. ad Nepotem ;* quod autem Pallavicinus, uno fere ante mortem anno, suam sententiam reformaverit, absque sufficienti ratione Thyrsus Gonzalez pro suæ causæ necessitate affirmavit.

8. Ita Joanni de Lugo quamdam in favorem missionariorum facultatem postulanti, respondit Urbanus VIII, « non videri sibi speciali sua dispensatione opus esse, sed ubi Doctorum sententiæ *utrinque probabiles* intercederent, sequerentur *opiniones pro conditione locorum ac hominum Barbaris favorabiliores ;* salva interim utriusque partis auctoritate, sinerent *doctis hominibus sentiendi libertatem.* » Cfr. Cardenas, *Crisis Theol.*, diss. II, c. 8, a. 5, n. 550-553 ; De Techo, *Hist. Paraquar.* lib. X, 15, etc.

9. E nobili cœtu Monachorum afferri possunt, Gregorius Sayrus, quem merito quis appellavit « insignis eruditionis virum ; » item Jacobus Graffius, Petrus de Lorca, Petrus a S. Joseph Fuliensis, etc.

10. In altera sæculi XVI parte duo insignes magistri, e Prædicatorum Ordine, Salmanticensem academiam ornarunt, quorum opera integrum constituunt Summæ Angelici commentarium thomisticum, Bartholomæus

ciscanos (1), Augustinianos (2), Carmelitas (3), Jesuitas (4), alios (5); — tradita e cathedris celebriorum universitatum non Hispaniæ tantum et Italiæ, sed Belgii (6) et Galliæ (7), — verbo admissa absque ulla alicujus momenti repugnantia (8), a theologis cujuscumque scholæ, instituti, nationis.

Ex hoc certissimo universalis consensionis facto licet concludere *a/* usum principiorum reflexorum, nominatim probabilismi docrinam, quoad suam substantiam, non esse pravam et falsam, sed sanam esse et veram; nam, ut arguit S. Alphonsus, « si sententia illa fuisset falsa, minime quidem communiter a doctoribus fuisset recepta, ut vere recepta fuit; aut saltem Ecclesia eam non tolerasset permittendo quod animæ communiter per hanc perditionis viam, ut adversarii clamitant, a talibus cæcis ducibus deceptæ incederent. » Quippe agitur

---

de Medina et Dominicus Bannez; scripsit scilicet Medina in 1-2 et in 3 p., Bannez in p. 1 et in 2-2; uterque vero probabilismum tenuit; imo, sicut Bannez est thomismi stricte dicti doctor præcipuus, ita, ut vidimus, Medina est probabilistarum antesignanus. Eos diuturno intervallo secuti sunt omnes ad unum Dominicani qui de rebus moralibus scripserunt, v. g. celeber ille Didacus Alvarez, quem inter Episcopos nominavimus, Didacus Nugnus Cabezudo, Gregorius Martinez, Petrus de Ledesma, Vincentius Candidus, Joannes Ildefonsus Baptista, Joannes a S. Thoma, etc. Cfr. Steph. De Champs, *Quæstio facti*, c. 5.

1. Ad varias Franciscanorum familias pertinent Josephus Angles, supra inter Episcopos relatus, Henricus Villalobos, Laurentius Portel, Joannes Pontius, Petrus Marchantius, Mastrius de Meldula, Eligius Bassæus, etc.

2. Hanc sententiam tenuerunt Michael Salonius, Petrus Arragonius, Lud. de Beja, Basilius Pontius.

3. Ita Petrus Cornejo, Joannes Baptista Lezzana, Urbanus ab Ascensione, et alii.

4. Præter Toletum et Lugonem cardinales, afferendi hic essent omnes illi quos ista ætate aluit Societas Jesu magnorum virorum parens fœcundissima: Vasquez, Gregorius de Valentia, Suarez, Tanner, Amicus, Granadus, Arriaga, Azor, Sanchez, Castro Palao, Laymann, Lessius, Becanus, De Coninck, etc., etc.

5. Ita ex Ordine Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, Leander a SS. Sacramento; e Clericis Regularibus Min. Raphael Aversa; e Theatinis, Antonius Diana, Zacharias Pasqualigo; e Barnabitis, Angelus Bossius; e Somaschis Stephanus Spinola; ex Oratorio, Franciscus Merola, etc.

6. In universitate Lovaniensi probabilismum docebant Malderus (postea Episcopus) et Joannes Wiggers; in Duacena doctissimus ac piissimus Angelici interpres Sylvius.

7. Pauci inde a sæculo XVI doctores Sorbonici celebre nomen in theologia æquisierunt; præcipui autem favebant probabilismo: Philippus Gamachæus, Andreas Duval, Nicolaus Ysambertus.

8. Qui refragati sint citantur duo vel tres, iique obscuri nominis, scilicet Antonius Perez ex Benedictinis, et Andreas Bianchi (candidus Philalethus) ac Paulus Comitolus e Jesuitis.

de quæstione « quæ importat cunctarum conscientiarum directionem circa omnes particulares casus : unde si falsa esset universi populi christiani deceptio invecta fuisset (1). » — Item *b*/ concludere licet eamdem doctrinam non esse peregrinam seu aliunde quæsitam, ita ut in censum *novitatum* reponi debeat, sed (quod cæteroquin explicitis testimoniis directe probavimus) esse a patribus traditione acceptam, perpetuo sensui christiano consonam, quamvis fatendum sit ipsam fuisse ætatum decursu successive illustratam et evolutam ; nam « Christi Ecclesia sedula et cauta depositorum apud se dogmatum (et principiorum moralium) custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit... sed omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter sapienterque tranctando, si qua sunt illa antiquitus informata et inchoata, accuret et poliat ; si qua jam confirmata et definita, custodiat (2). » — Præterea *c*/ concludere licet rationem solvendi dubium communiter receptam, non esse a mente Magistrorum scholæ, et nominatim a mente S. Thomæ alienam, sed potius (prout etiam ostendimus), ei esse apprime conformem : nam admitti profecto nequit viros eruditissimos in gravi materia recessisse omnes a ducibus quibus erant addictissimi, imo in quorum verba jurabant.

Inde autem prædicta consensio prorsus singularis et vere mirabilis apparere debet, quod ea ætate innumeri essent viri summo ingenio præstantes (3) ; — quod acerrima inter scholas de omnibus fere catholice disputabilibus dissidia vigerent ; — quod maxima esset inter familias religiosas æmulatio ; — quod theologi omnimoda libertate uterentur in mutuis scriptis judicandis et censura afficiendis. Addi potest, tanta consensione admissum fuisse probabilismum ea præcise ætate quæ inter omnes gloriatur sanctorum multitudine et catholica morum renovatione (4).

1. Diss. anni 1755 : cfr. *Intr.*, n. 78.

2. Vinc. Lirinensis, *Comm.*, 1, n. 32 : cfr. Franzelin, *De trad.*, th. 8, 33, etc. — 3. Cfr. *Intr.*, n. 171-176.

4. Cfr. quæ de hac re scripsimus in per. *Revue des sciences ecclésiastiques*, tom. 29 (1874), p. 85. — Varias illas considerationes ipse S. Alphonsus, post Terillum, proponit in sua dissertatione anni 1755 : « Si sententia benigna fuisset opposita Traditioni apostolicæ et communi sensui Doctorum, qui Medinam præcesserunt, quomodo mille contradictores non

EQUIDEM inde a medio sæculo XVII inter alias methodos solvendi dubium praticum passus est probabilismus vices adversas. At vero quædam advertenda veniunt circa oppugnationis causam, modum, effectum. 307.

Imprimis *a*/ oppugnationis causa principalis repetenda est a Janseniano influxu : scilicet odium probabilismi cum Jansenistica lue ortum est, cum ipsa crevit, ipsam est comitatum, cum ipsa feliciter interiit (1). — *b*/ Causa impulsiva haud parum efficax extitit in celebri controversia de auxiliis quæ duo instituta religiosa a se invicem divisit et sodalium animos exacerbavit (2) ; — *c*/ oppugnationi ansa data est a nonnullis probabilistis, qui nec satis solide suam doctrinam demonstraverant (3), nec intra justos limites circumscripserant (4), nec prudenter applicaverant (5). *occasione erroris janseniani impugnatum.*

Deinde oppugnationis modus sæpius adhibitus est reprobandus, tum defectu sinceritatis in objecti impetiti descriptione, tum defectu efficaciæ in argumentatione, tum defectu moderationis et æquitatis in forma : diceres, a multis non ipsam doctrinam impugnari, sed invisam illam Societatem, quæ præcipua ejus fautrix immerito habebatur.

Præterea, quoad oppugnationis effectum, *a*/ ab una quidem parte probabilismus a non paucis derelictus fuit (6), rejectus a

---

insurrexissent adversus eam et damnassent ? Tanto magis quod fautores benignæ sententiæ scripserunt paulo post editum Tridentinum, quod ideo coactum fuit, ut morum depravitatem, quæ per orbem christianum irrepserat, eliminaret ; unde Præsules et Pontifices, si illam ut damnosam habuissent, totis certe viribus pro ipsius eliminatione incubuissent. Anne putabimus Deum tunc temporis Ecclesiam deseruisse permittendo hoc errore pernicioso (ut ipsi clamitant) fideles undique decipi ? »

1. Cfr. *Intr.*, n. 181, p. 131, not. 1. — 2. Cfr. *Intr.*, ib. not. 2.

3. Cfr. supra, n. 300, pag. 563.

4. Videbantur admittere usum *cujusvis* opinionis probabilis : cfr. Laymann, lib. I, tr. 1, c. 5, § 13, n. 13. — 5. Cfr. *Intr.*, l. c., pag. 131, not. 3.

6. Cfr. *Intr.*, n. 184, p. 139 ; n. 185, p. 142. — Numerum adversariorum probabilismi immoderate augent Henno, disp. 3, q. 3, a. 4, et maxime Billuart, qui diss. VI, a. 1, nonnullis scriptoribus a se nominatis, jungit « plusquam mille parochos per totum Galliæ regnum, pietate et eruditione præstantes, qui contra probabilismum acriter insurrexerunt, et de illo respective apud suos episcopos conquesti sunt. » Perbelle S. Alphonsus, lib. I (*Syst. mor.*) n. 80 : « Loquendo de iis qui non jam scribant de proposito pro rigido systemate, sed *tantum illud oretenus approbant*, omnes ego veneror et reputo me sapientiores ; sed dico quod tunc hi majorem auctoritatem mihi afferrent, si scirem ipsos mature utriusque sententiæ momenta ponderasse : sed de hoc valde dubito. »

nonnullis Ordinibus religiosis (1) et Academiis (2), damnatus a quibusdam prælatis (3), imo a celebri prælatorum adunatione (4) ; — *b*/ ab altera vero parte multos semper sequaces retinuit, qui ipsum accurate definiverunt et strenue vindicarunt (5) ; eum etiam amplexi sunt viri egregii, ejurata, experientia duce, sententia opposita, quam prius edocti fuerant (6) ;

1. Fagnanus, c, *Ne imitaris*, n. 286 et Billuart, l. c. contra probabilismum arguunt ab Ordinum religiosorum auctoritate ; et revera Dominicani et Augustiniani passim probabilismo infensi fuerunt ; multum tamen abest ut omnia illa *decreta* seu *monita*, quæ proferuntur, illud evincant quod contenditur : pleraque non aliud inculcant nisi prudentiam in quæstionibus moralibus tractandis : cfr. Mannhart, *De ingenua indole probabilismi*, c. 5.

2. Imo alicubi promovendi ad gradus juramento cogebantur adhærere antiprobabilismo : cfr. *Vind. Alph.* diss. proœm. n. 30 ; et tr. noster *De virtute relig.* I, 644.

3. Nomina habes apud Billuart, l. c. ; quædam vero monumenta apud Nat. Alexandrum, *Theol. dogm. et mor.*, tom. II, app. alt. ; et in *Syn. Belg.*, tom. IV, p. 312 et seq. ubi tamen nonnulla in Editoris notis occurrunt quæ antiquata præjudicia nimis redolent. — De personis cfr. Claessens, *Hist. des arch. de Malines*, I, 306, et *Mémoires du P. Rapin*, passim. Unum a nobis hic advertere liceat : multi ex iis qui usum opinionis solide probabilis damnabant, audacter sequebantur opiniones minime probabiles, imo laxissimas de liceitate recursus ad Principem contra Pontificis decreta etiam in materia fidei, de liceitate appellationis ad concilium etc. Cfr. quoad Belgas, Claessens, l. c., p. 286. Optime De Maistre, *De l'Eglise gallicane*, liv. I, c. 11 : « La véritable morale relâchée dans l'Eglise catholique, c'est la désobéissance. »

4. In famoso Gallorum conventu anni 1682, publicandum erat decretum de *morali disciplina* a Bossuet elaboratum, in cujus prima parte doctrina prava proscribebatur, in altera proponebatur sana ; jam vero in prima illa parte, c. 24, notantur propositiones plurimæ (114-140) probabilismum spectantes, vel etiam probabilismum continentes ; in altera, c. 11, inculcatur « in dubiis, an quid verbo Dei scripto vel non scripto, legique sit adversum, nulla præponderante ratione qua dubitare cessemus, eam anteferri partem oportere, in qua certissimum sit nihil esse illicitum aut lege vetitum, atque omnino malum. » Cum autem in prædicto conventu hæc causa tractari non potuerit, resumpta est in adunatione anni 1700, eodem Bossuet principaliter agente, atque *Censura* et *Declaratione* absoluta, ita videlicet ut in *Censura* notaretur varius probabilismi seu laxismi abusus (117-127), ipsa tamen probabilismi doctrina non attingeretur ; in *Declaratione* tamen inculcaretur, unicuique necessarium esse « eligere eam sententiam, quam veritati magis consentaneam duxerit. » Cfr. Bossueti opera (éd. Lachat) tom. 30, p. 675, tom. 31, p. 1.

5. Cfr. *Intr.*, n. 184, 185 ; Wirceburgenses, n. 210. — Ab hoc tempore theologi magis sollicite ostendunt qua ratione in casu dubii certitudo moralis obtineatur per applicationem principii reflexi : unde eorum probabilismus a quibusdam vocatur *reflexus*, et opponitur probabilismo *directo* antiquiorum : verum differentia non est nisi apparens.

6. Ita v. g. Roncaglia, *Theol. mor.*, tr. I, q. 1, c. 2 : « Probabiliora sequenda docuit me meus præceptor, et ego pariter pluribus abhinc annis eamdem docui sententiam. At experientia vidi nihil ad praxim deservire.

imo haud raro in praxi adhibitus est ab iis ipsis qui theoretice eum impugnabant (1) ; eidem fideles fuerunt familiæ regulares pietate et doctrina florentissimæ (2), item Episcopi zelo animarum et theologica scientia præstantes (3) ; Sedes autem Apostolica abusus quidem probabilismi extirpare curavit (4), at si excipias decreta Innocentii XI et Innocentii XII de Jesuiarum doctrina, ejus substantiam intactam sollicite voluit (5), imo non defuerunt Pontifices qui in scriptis privatis eam gravissimo assensu suo confirmarent (6).

Quis enim vel studendo, et præcipue dum audit confessiones, potest omnia momenta utriusque partis librare, et inde definire : hoc est minus probabile, hoc probabilius? Hoc esset onus intolerabile. Satis mihi fuit in praxi sequi sententias quas rationabili fundamento innixas putavi, et ita credidi satisfecisse meæ conscientiæ absque eo quod judicem me constituerem inter minus probabilem et magis probabilem. » Similiter S. Alphonsus, lib. I (*Syst. mor.*), n. 83. « Ego, ut sincere veritatem fatear, cum theologiæ moralis scientiæ vacare cœpi, quia rigidioris sententiæ magistrum me audire contigit, pro hac strenue cum aliis tunc temporis contendebam ; sed postea melius rationes hujus controversiæ discutiens, opposita sententia, quæ pro opinione æque probabili stat, moraliter certa mihi visa fuit. »

1. Factum amare deplorabat Gazzaniga, *De consc. prob.*, n. 137 : « De hoc uno probabilioristæ monendi sunt, ne (ut nonnullos facere non sine magno animi mœrore videmus) tutiorem et probabiliorem sententiam sequendam esse verbis tantum profiteantur, factis autem negent. Argumentum adversariis nostris suppeditamus... quo plerique imperito vulgo fucum facere solent. Nempe dicunt, probabilioristas in praxi tandem probabilistis victas manus dare ; cumque plus moveant exempla quam verba, non facile dictu est, quot hac arte ad benigna probabilistarum castra pertrahantur... Sentiamus igitur ut probabilioristæ, loquamur ut probabilioristæ, sed, quod magis nostræ aliorumque saluti proderit, secundum probabilioristarum principia operemur. »

2. Ita probabilismo fideles perstiterunt Jesuitæ fere omnes, frustra ipsos in contrarium impellente Thyrso Gonzalez, Præposito generali ; item plerique Carmelitæ cum suis Salmanticensibus ; Franciscani, præsertim e Germania, ubi hoc tempore floruerunt egregii theologi Bernardus Sanning, Patritius Sporer, Anacletus Reiffenstuel, Benjaminus Elbel.

3. Tales fuerunt Gulielmus Herinckx, Iprensis episcopus, Ludovicus Abelly, Ruthenensis, Isaac Habert, Vabrensis, et præ cæteris S. Doctor Alphonsus. — De propria S. Alphonsi doctrina infra distincte agimus.

4. Huc pertinent variæ propositiones ab Alexandro VII et Innocentio XI damnatæ, nimirum : ex damnatis ab Alex. VII, 27^{a} ; ex damnatis ab Inn. XI, 1^{a}, 2^{a}, 3^{a}, 4^{a}, 5^{a}, quæ omnes in decursu hujus tractationis explicatæ sunt. Cfr. *Revue Thomiste*, 9e année, *Le décret d'Innocent XI contre le Probabilisme* (Mardonnet); Baudrand, *Bibliothèque sulpicienne ;* Brucker, *Etudes religieuses*, tom. 85. — 5. Cfr. Mannhart, *De ingenua indole probabilismi*, c. I, § I ; Wirceburgenses, n. 273 et seq. et S. Alphonsus, lib. I. (*Syst. mor.*), n. 85, 86, ubi agit de quodam propositionum elencho, anno 1761, a Sancti Officii congregatione proscripto.

6. Ita Benedictus XIV, *De syn.*, lib. VII, c. II, n. 12 : « In tanta opinionum varietate integrum sit parocho eam sententiam amplecti quam volue-

308. *tandem communiter admissum.*

Vetus principiorum reflexorum usus qui per sesqui sæculum igne et cribro purgatus fuerat, et a viris peritissimis sincerus deprehensus, nostro tempore communis, *quoad substantiam,* factus est, inde præsertim a sanioris theologiæ restauratione (1).

Sane theologi passim, paucissimis exceptis (2), cum S. Doctore Alphonso principiis reflexis utentes, agnoscunt : *lege incerta non posse certam induci obligationem : nullam esse obligationem de qua non moraliter certo constat* (3). Jam vero *a/* Ecclesia hanc doctrinam declaravit sanam et tutam, ita ut unicuique liceat juxta ipsam agere (4) ; — *b/* insuper eam satis aperte commendavit, tum in S. Alphonso (5), tum in aliis, qui ipsius vestigia ingressi sunt (6) : quamvis enim generalis commendatio alicujus operis, minime referatur ad singulas ejus sententias, videtur tamen referenda ad illa præcipua capita a quibus suum indolem opus accipit (7) ; — imo *c/* eamdem doctrinam manifeste Ecclesia deducit in praxim, v. g. quando respondet reprehendi non posse confessarium qui sequitur opiniones sive a S. Alphonso, sive ab aliis probatis auctoribus traditas (8) ; quando consulentes remittit ad probatos auctores (9) ; quando decernit inquietandos non esse qui lucrum ex mutuo percipiunt solo titulo legis civilis (10), etc.

Exstat quidem nonnulla inter theologos sententiarum discrepantia : at vero existit hæc discrepantia in theoretica principii expositione potius quam in ejus practica applicatione. Nimirum *a/* in practica ratione solvendi dubium practicum vix ulla deprehenditur discrepantia, ut variarum partium scriptores fatentur (11), et facile perspiciet quisquis eorum opera vel levi-

rit. » Ut autem notat S. Alphonsus, epist. *de maledictione mortuorum,* in plerisque capitibus prædicti operis nihil magis doctissimus Pontifex episcopis inculcat, quam ne unquam peccati gravis eas damnent opiniones quas ut *probabiles* doctores utriusque partis defendunt. »

1. Cfr. *Intr.*, n. 190. — 2. Præcipui sunt Vernier, Palasthy, Sœttler, Vegezzi.

3. Cfr. S. Alphonsus, lib. I, (*Syst. mor.*), n. 75, etc.

4. Cfr. *Intr.*, n. 80, 81. — 5. Cfr. *Intr.*, n. 83, 84.

6. Huc pertinent v. g. Pii IX Litteræ gratulatoriæ ad P. Scavini, 7 april. 1847, item plurium Episcoporum speciales approbationes *Compendio* P. Gury datæ, etc.

7. Cfr. *Intr.*, n. 83, 84. — 8. Cfr. *Intr.*, n. 81. — 9. Cfr. *Intr.*, n. 82. — 10. Cfr. supra, n. 297, p. 554 et seq.

11. Id agnoscit Scavini, *Theol. mor.*, I, 160, edit. Mediol. anni 1865, ubi relata doctrina probabilistarum, sic pergit : « Ita Voit innumerique alii;

ter comparaverit (1); — *b*/ in theoretica vero principii expositione discrepantia est tum *realis,* quatenus nonnulli certitudinem reperiunt ubi non est, vel merito frequentius ad possessionem recurrunt (2), tum etiam verbalis, quatenus alii opiniones æque probabiles dicunt, quas alii probabiliores et minus probabiles declarant (3). Quæcumque tamen sit accidentalis discrepantia, ea non obstante, affirmari potest præsens consensus communis in usu principiorum reflexorum. Luculentior autem profecto appareret consensus, si loco quæstionis, *an licitum sit sequi opinionem probabilem in concursu æque probabilis vel probabilioris,* proponeretur quæstio : *an observanda sit obligatio, quæ, omnibus sincere consideratis, non apparet certa certitudine morali late dicta* (4).

309. *Conclusio totius articuli :*

Ex præcedenti disputatione tandem liceat fidenter conclu-

quorum tamen fere omnes nobiscum conveniunt in re, etsi non in verbis; ut enim patet eorum opera volvendo, non ita facile excludunt opinionem probabiliorem, si ea talis sit quam nos exposuimus, nempe *certe, sine ulla hæsitatione* et *notabiliter* probabilior. Si enim nonnisi levis sit præponderantia, neque a nobis attenditur. Et en quo sensu S. Alphonsus in suis dissertationibus de usu probabili tuetur licitum esse sequi opinionem probabilem in concursu probabilioris, modo illa gravi motivo nitatur, sive intrinseco, scilicet ratione, sive extrinseco, nempe ex auctoritate doctorum. Et hoc sensu plane assentimur Cl. Ballerini. » Pariter fatetur Martinet, lib. I, a. 13, § 3, regulam probabilismi, qualis applicari solet a Gury in sua theologia morali et casuistica, generatim haberi posse ut prudentem et vere moderatam. » Scribit vero Pruner, *De consc.,* § 9, probabilistas, eo ipso quod probabilitatis usum restringunt ad casus quibus agitur de mera honestate operationis, probabilitatemque exigunt veram et solidam, exclusa tenui et dubia, convenire quoad substantiam cum S. Alphonso.

1. Adeo hoc verum est ut vir quidam eruditus integram fere theologiam Alphonsianam depromere potuerit ab opere Guryano. Cfr. *Etudes relig.,* sér. VI, tom. 2 (1878) : *La théologie Gury-Ballerini recommandée par un disciple de saint Alphonse;* ibid., tom. 3, (1879) : *Le compendium du P. Gury et la théologie de saint Alphonse.*

2. Cfr. supra, n. 302. — 3. Cfr. supra, n. 293.

4. Hæc altera quæstionis formula multo aptior videtur, quia rem, de qua agitur, sub oculis ponit, nullumque relinquit locum æquivocationibus. E contra prior formula exigit distinctiones multiplices inter probabilitatem speculativam et practicam, remote et proxime practicam, notabiliter et non notabiliter majorem, etc., quæ omnia, ut experientia constat, tricis et dissidiis facile occasionem præbent. Unde, sicut sæculo elapso existimabat Mannhart, ad vitandas inutiles disputationes, rem totam reducendam ad licitum in praxi usum opinionum æque probabilium, resectis appendicibus, *opinio magis probabilis, opinio minus probabilis, opinio notabiliter magis probabilis, opinio notabiliter minus probabilis :* ita nos arbitramur fore ut multæ præcaverentur controversiæ, si hodie res tota reduceretur ad nullitatem obligationis quæ non est certa certitudine morali late dicta.

dere, dubium practicum solvendum esse aliquo ex principiis reflexis: v. g. quod *nullus ligatur per præceptum aliquod nisi mediante scientia illius præcepti.* Hujusmodi principia invicta satis ratione fundantur (1), et auctoritate confirmantur (2); etiam absolute et generaliter applicanda sunt, ita ut valeant non solum pro casu dubii stricti, sed etiam pro casu dubii lati (3), non solum pro casu dubiæ legis humanæ, sed etiam pro casu dubiæ legis divinæ (4), non solum pro casu obligationis inducendæ, sed etiam pro casu obligationis extinguendæ (5), non solum pro casu specialis necessitatis, sed etiam extra talem casum (6); præterea prædictum principium, nedum possessionis principio recte intellecto restringatur, potius eo adjuvatur (7). — E contra, tutioristarum et probabilioristarum principia sunt nimis indefinita et vaga, et quatenus veritati sunt conformia, non valent nisi ad solvendum dubium speculativum (8); insuper ea simul adhibentur quæ parum inter se cohærent (9).

310. *conscientiæ certæ efformatio.*

Semel igitur admisso, ut moraliter certo, principio reflexo, statim apparet qua ratione in casu obligationis objectivæ incertæ obtineatur conscientia certa. Adest enim major moraliter certa. Adest etiam minor certa. Ex quibus præmissis deducitur conclusio certa (10). Qui autem juxta hujusmodi con-

1. Cfr. supra, n. 299, 300. — 2. Cfr. supra, n. 304-306. — 3. Cfr. supra, n. 299. — 4. Cfr. supra, n. 301. — 5. Cfr. supra, n. 302. — 6. Cfr. supra, n. 306. — 7. Cfr. supra, n. 302, p. 572-573. — 8. Cfr. supra, n. 296, 297, 298.

9. Hoc præsertim verificatur in theoria probabilioristarum: ii enim, quando agunt contra tutioristas, coguntur illa ipsa argumenta urgere quæ refellunt contra probabilistas, illasque objectiones refellere, quas probabilistis objiciunt. Conferatur, quæso, Billuart, et comparetur ejus articulus tertius cum articulis secundo et tertio.

10. Eodem redit principium Antiquorum, *qui probabiliter agit, prudenter agit.* Notatu dignum est, principium illud, quod conclamatum videbatur, iterum a nonnemine præferri cæteris; sic v. g. cl. Berardi, *Praxis conf.*, n. 12: « Deus homines in particulari excusatos habet, quamvis agant contra legem, si post discretas inquisitiones se esse a lege liberos probabiliter existiment. In hac existimatione errare possunt: sed hic error, dum ex una parte eos excusat, ex alia parte neque legem (si forte adsit) destruit, neque aliorum jura (si quæ forte subsistant) extinguit, neque impedit quominus confessarii opinionem probabiliorem aut etiam certitudinem de legis existentia habere possint, illamque pœnitentibus ignaris aut dubiosis patefacere queant. Observa hic per transennam, quod hæc (communi cæteroquin sensu admissa) stare non possunt (?) cum principio hodie

clusionem agit, proprie non sequitur opinionem incertam; sed, opinione incerta supposita, sequitur sententiam moraliter certam; facit quidem illud quod opinio incerta dicit esse licitum, at illud non facit sola vi illius opinionis incertæ. Unde perinde est sive dictæ opinioni adhæreat, sive adhæreat oppositæ, sive judicium suspendat, dummodo prudenter ac sincere pronuntiare possit obligationem objectivam sibi incertam esse.

311. *Notanda quoad probabilismi prudentem applicationem,*

Sicut principia reflexa sunt in se plana et omnibus obvia, ita eorum applicatio generatim haud laboriosa est (1). Attamen difficultates oriri possunt relate ad ea quæ principiorum applicationi præsupponuntur, v. g. utrum sufficiens fuerit veritatis inquisitio, utrum res vere incerta censeri debeat, utrum interveniat, nec ne, ratio superior qua dubium speculativum sit solvendum, etc. Præcipue autem oriuntur difficultates in iis materiis, quæ variis de causis strictiores obligationes habent, nominatim in materiis voti religiosi, juramenti, et nonnullorum contractuum. Ortis igitur hujusmodi difficultatibus, recurritur ad Ecclesiam, quæ vel veritatem declaret, vel partem incertam sequi explicite permittat; interim, cum non potuerit conscientia indirecte certa efformari, pars tutior est sequenda. Et quidem quod pertinet ad vota, in exemplum adduci potest celebre factum Franciscanorum de iis, quæ in regula verbis præcepto æquipollentibus traduntur, dubitantium (2); quod

adeo vulgato : *Lex dubia non obligat ; lex dubia, lex nulla.* Credo redeundum esse ad principium Antiquorum : *qui probabiliter agit, prudenter agit, quatenus, si forte errat, a Deo excusatur.* Hoc principium mihi magis placet, non solum quia est solidissimum, et absurdis consequentiis minime subjectum, sed etiam quia valde latius patet, et longe melius confessariis in praxi deservit. » Cfr. tamen supra, pag. 561-564, ex quibus apparebit quid in his cl. Berardi assertionibus admitti, quid rejici debeat.

1. Sæpe comparantur diversa systemata moralia quoad facilitatem applicationis, et ex hac parte alia aliis pronuntiantur præferenda. Arbitramur omnia systemata absoluta esse applicatu æque facilia : quodcumque enim amplectamur, obligationem sincere, pro viribus, quærere debemus ; inquisitione autem facta, obligatio certo apparebit, vel non ; si certo appareat, adimplenda erit ; si non appareat certo, erit vel probabilior, vel æque probabilis, vel minus probabilis. At vero videntur difficilioris applicationis systemata mixta, præsertim illud quod possessioni innititur, tum quia tota possessionis materia implicata est, tum quia ægre determinatur quænam pars possideat.

2. Ita *Clem.* lib. v., tit. 11, c. 1, *Exivi :* « Supplicaverunt prædicti fratres, ut, ad ipsorum conscientias servandas, declarare quæ horum censeri debeant præceptis æquipollentia ac obligatoria, dignaremur. Nos itaque,

vero pertinet ad juramenta, tot fere exempla afferri queunt, quot excitatæ sunt controversiæ, a quibus constat se practice expedire non valuisse etiam eos qui probabilistica doctrina imbuti erant (1); quod tandem pertinet ad contractus, recens est exemplum lucri ex mutuo percepti vi solius legis civilis (2).

312. *a personis diversæ conditionis,*

Omnibus quidem licet principio reflexo uti in dubio practico, vario tamen modo unusquisque eum applicare debet juxta proprii status obligationes. Ita *a*/ Pastor, qui ecclesiasticæ disciplinæ et christianorum moribus ex officio invigilat, sollicitius tenetur veritatem practicam investigare (3); cum autem a ratione, qua in munere se gerat, multa pendeant bona aut mala, sæpius tenebitur partem sequi tutiorem (4). — *b*/ Confessarius vero et animarum director non est legislator, sed judex et legis interpres : unde non tam debet inquirere quid censeatur rigidum, quid benignum, quam quid sit moraliter certo præceptum, quid expediat. Sicut autem aliquando, ubi nempe agitur de periculo peccati formalis, seu occasione Deum offendendi, tenetur consulere, vel etiam injungere ut omittatur

qui in sinceris horum conscientiis delectamur, attendentes quod in his, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars tutior est tenenda : dicimus, quod, licet fratres non ad omnium, quæ sub verbis imperativi modi ponuntur in regula, sicut ad præceptorum, seu præceptis æquipollentium observantiam teneantur : expedit tamen ipsis fratribus, ad observandam puritatem regulæ et rigorem, quod ad ea, sicut ad æquipollentia præceptis se noverint obligatos, quæ hic inferius annotantur... »

1. Cfr. Tract. noster *De virt. relig.*, I, 660 et seq.; Benedictus XIV, Const. *Omnium sollicitudinem*, n. 23-28. — 2. Cfr. supra, n. 297, pag. 554 et seq.

3. Ad rem faciunt quæ habet Benedictus XIV, *De Syn.*, lib. XI, c. 5, n. 12, ubi sermo est de ciborum esurialium determinatione : « Si autem nec hisce regulis (interpretationis) insistendo quæstionem definire fas erit, nihil tutius Episcopo suaderi poterit, quam ut abstineat a decretis super ea in Synodo edendis ; sed potius ad Apostolicæ Sedis judicium rem deferat, ut sæpe alias sanctissimi Ecclesiarum Antistites omni tempore fecisse dignoscuntur; inter quos S. Augustinus Anglorum Episcopus, et S. Bonifacius Episcopus Maguntinus, qui in similibus casibus ad sanctam Sedem recursum habuerunt, et pontificia oracula pro definitionum suarum norma acceperunt. »

4. Hoc sensu facile explicari possunt verba Bellarmini in prol. *Admonitionis ad Nepotem :* « Si quis velit salutem suam in tuto collocare, et eum oporteat Episcopali officio fungi, is omnino debet certam veritatem inquirere, et non respicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant : et si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino operans tutiorem partem sequi, et nulla ratione, nullius imperio, nulla temporali utilitate proposita ad minus tutam partem declinare. »

illud quod in se est objective certo licitum : ita propter idem periculum peccati formalis, tenetur aliquando consulere, vel etiam injungere ut omittatur illud quod est in se et objective probabiliter licitum. Extra hunc casum poterit quidem observationem legis incertæ proponere per modum obligationis (1). — *c*/ Consiliarius perpendere debet utrum per consultationem « rogetur ejus mens et sententia circa casum propositum, vel tantum quid liceat, vel denique quid expediat. Si primo modo petatur consilium, debet consultus respondere juxta propriam sententiam : alias non aget bona fide et videbitur mentiri. Si secundo modo, potest respondere illud, de quo consulitur, secundum aliquam opinionem probabilem esse licitum. Si denique tertio modo petatur consilium, debet prudenter omnia considerare, personam ipsam quæ consilium petit, et omnes circumstantias rei de qua consilium petitur, et omnibus prudenter perpensis, id quod expedire videbitur consulere (2). »

313. *in diversis materiis.*

Licet uno et eodem principio solvi nequeat quodvis dubium speculativum, sed ad diversa pro diversis materiis sit recurrendum (3), unum tamen et idem reflexum principium adhiberi debet ad quodvis dubium practicum solvendum (4). Quod optime expressit J. De Lugo: « Quando ultimum judicium et ultima regula probabiliter judicat hic et nunc licere hanc operationem, semper licite operamur. Unde dixi, in ipsis etiam sacramentis baptismi et ordinis sufficere aliquando opinionem probabilem, probabilitate scilicet proxima, ad licite operandum, v. g. quando est opinio probabilis doctorum dicentium non esse obligationem reiterandi baptismum vel ordinem collatum cum tali materia vel forma. Tunc enim probabilitas non versaretur circa materiam vel formam, sed circa obligationem reiterandi; possum autem semper in qualibet opera-

1. Specialis difficultas adest quando confessarii opinio in conflictu est cum opinione pœnitentis; qua de re legatur Lugo. *De pœn.*, disp. 22, n. 39 et seq.; Lacroix, lib. I, n. 92 et n. 443; S. Alphonsus, lib. VI, n. 604, 610, etc.

2. Abelly, *Medulla theol.*, tr. 2, c. I, s. 6, § 3. — 3. Cfr. supra. n. 283.

4. Posita hac distinctione inter dubii speculativi solutionem et solutionem dubii practici, statim apparet quid veri, quid falsi contineat sequens assertio : « La prétention de trouver un principe unique, applicable à la solution de tous les cas douteux, est la plus grande chimère que l'on puisse nourrir en fait de théologie morale. » *Revue théol.*, IV, 535.

tione amplecti opinionem probabilem, quæ dicit me hic et nunc omnibus pensatis licite operari (1). »

314. Cum in conscientiæ quæstione de libertate sæpe actum fuerit, opportunum videtur in unum colligere notiones et distinctiones præ oculis habendas quando sermo est de *libertate conscientiæ*.

Libertas Considerari debet libertas in *formanda* conscientia, et libertas in conscientia *sequenda:* hæc autem libertas est vel *naturalis*, vel *moralis*, vel *civilis* seu *externa*.

in conscientia efformanda Imprimis, quod pertinet ad conscientiam *efformandam,* hæc admitti debent : *a/* In conscientiæ judicio efformando homo aliquando liber est libertate *physica* et *naturali,* aliquando liber non est : liber non est, quando adest evidentia tum de regula morali, tum de facto cui applicatur; e contra liber est, quando talis evidentia non adest (2). — *b/* At in prædicto judicio efformando liber non est libertate *morali;* videlicet α/ non gaudet libertate a regula secundum quam procedatur : non enim pro libitu potest morale judicium efformare, sed tenetur veritatem inquirere omnibus mediis quæ ipsi præsto sunt (3) ; β/ nec gaudet libertate a regula cui conformari debeat conscientia : nam homo non est sibi ipsi lex, sed subjicitur legi divina et humana auctoritate impositæ (4) ; γ/ nec gaudet libertate a regula doctrinali pro intellectu, ita ut sola ratione propria ducatur, sed audire tenetur magisterium authenticum, quod vario modo ipsum dirigit (5).

et sequenda Deinde, quod pertinet ad conscientiam *sequendam,* hæc admittenda sunt : *a/* Est quidem homini libertas physica conscientiam sequendi aut non sequendi ; at nulla ipsi est libertas moralis agendi vel non agendi secundum dictamen conscientiæ : conscientia enim est regula operationis obligatoria (6). — *b/* Agnoscenda est homini externa libertas id exequendi quod faciendum dictat conscientia vera (7) ; non est tamen æqualiter asserenda externa libertas agendi contra

1. *De justitia et jure,* disp. XVI, n. 97.

2. Cfr. supra, n. 261. — 3. Cfr. supra, n. 280. — 4. Cfr. supra, n. 249 et seq. — 5. Cfr. supra, n. 280, p. 524, not. 3, 525, not. 1, necnon ea quæ *Intr.*, n. 18, notavimus de *morali independenti.* — Hujusmodi conscientiæ libertatem proclamarunt Protestantes.

6. Cfr. supra, n. 255, 257, etc. — 7. Cfr. supra, n. 230, 275.

conscientiam, vel sequendi conscientiam erroneam, etiamsi invincibiliter sit erronea (1) ; nihilominus, propter sufficientes rationes, relinqui potest, intra certos limites, externa libertas conscientiam erroneam sequendi vel etiam contra conscientiam veram agendi, ita tamen ut hoc nunquam concedatur per modum juris (2).

Ex quibus apparet prorsus nihil commune esse inter probabilismi principium et perversam doctrinam moderni liberalismi (3).

Appendix.

DE MORALI SYSTEMATE SANCTI ALPHONSI.

Aliquot abhinc annis, acriter disputatum est, quodnam S. Alphonsus morale systema amplexus fuerit (4). Re absque ullo partium studio iterum examinata, sequentibus assertionibus ea enuntiabimus quæ nobis videntur historice constare :

315. *Inde ab anno 1749 saltem usque ad annum 1762 S. Alphonsus probabilistam se prodit,*

Assertio prima : *S. Alphonsus, relicto tutiorismo seu probabiliorismo, quo fuerat a magistris imbutus, communi probabilismo moderato adhæsit, saltem usque ad annum 1762.*

Assertio patet evidenter tum ex *publicis* scriptis S. Doctoris, tum ex epistolis *privatis,* tum ex generali *indole* totius operis theologici.

Et quidem quantum ad scripta *publica,* habemus duplicem *dissertationem* pro usu moderato opinionis probabilis in con-

1. Cfr. supra, n. 230, n. 249-251 et n. 276 (pag. 518, not. 5). — Talem libertatem postulare solent moderni nostri *liberales*.

2. Cfr. supra, n. 230, n. 250.

3. Hinc æquitati simul et scientifico decori forte consuluissent S. Alphonsi Vindices, si a sequentibus abstinuissent: « Quis nescit hodiedum aliam (a Janseniana) non minus infaustam pestem ubique grassari, pestem execrandi *liberalismi;* qui postquam humanam invasit societatem, principium excussit auctoritatis, atque illimitata libertatis jura superbe affirmans, præter alia innumera mala, *moralem independentem* ac omnimodam conscientiæ libertatem invexit. Nonne itaque summa omnium dicenda esset calamitas, si et ipsi ministri Ecclesiæ, et maxime scriptores catholici, spiritui hujus ævi faventes, sub specie benignitatis hodiedum necessariæ ad animas facilius a peccato retrahendas, doctrinam moralem laxioribus principiis informarent? » *Vind. Alph.*, p. 1, c. 1, § 2, a. 2.

4. Cfr. hinc Ballerini, *Diss. de morali systemate S. Alphonsi Mariæ de Ligorio;* inde *Vind. Alph.*, p. 1, et *Diss. apol.*

cursu probabilioris (1), necnon theologiæ moralis *apologiam* (2). Ibi S. Alphonsus *a/* cum probabilistis, opinionem probabilem definit eam « quæ gravi motivo nititur sed fallibili et cum formidine oppositi, ita ut contraria opinio etiam sit probabilis, *scriptis publicis,* ideoque vera etiam esse possit » (3); vel « quæ nititur gravi ac solido fundamento verisimili..... etsi cum formidine oppositi » (4). — *b/* Cum probabilistis falsum existimat quod generatim « major probabilitas elidat minorem » (5), adeoque « pro certo habet dari posse (saltem speculative loquendo) opiniones vere probabiles etiam in conspectu probabiliorum » (6). — *c/* Pariter cum probabilistis docet, « ad formandam certitudinem moralem alicujus sententiæ non requiri ut Auctores oppositam tenentes omni ratione adhuc levi careant, sed sufficere si sententia illa, omnibus perpensis, ita vera appareat, ut contrariæ vix supersit apparentia veritatis, vel ut contraria non videatur satis probabilis » (7). — *d/* Thesim suam formula probabilistarum exprimit, nempe « licitum esse uti opinione probabili etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum » (8); eam adstruit argumentis probabilistarum, atque ab objectionibus vindicat iis ipsis considerationibus quas probabilistæ proponere solebant (9). — *e/* Hinc communissimam et moraliter certam probabilistarum doctrinam reputat, eamque vocat

1. *Dissertatio scholastico-moralis pro usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris,* 1749 et 1755. — 2. *Risposta ad un Autore che a censurato l'Opera morale,* 1756. — 3. Diss. anni 1749. — 4. Diss. anni 1755; cfr. *De consc.,* n. 40: cfr. supra, n. 267.

5. Diss. anni 1755.

6. *Risposta ad un Autore che a censurato l'Opera morale,* (ann. 1756): cfr. supra, n. 268, p. 508. — 7. Diss. anni 1755: cfr. supra, n. 262. — 8. Diss. anni 1755, n. 3.

9. En paucis quæ S. Alphonsus ad defensionem probabilismi affert. 1° Docet probabilistarum doctrinam a Medinæ temporibus communiter fuisse traditam, quin et affirmat, quod « licet prius hæc doctrina ab antiquis nunquam tradita fuerit in terminis quibus exposuit Medina, attamen in substantia terminis æqualibus eam satis tradiderunt, et in opere satis communiter usi sunt ». 2° Firmat eam auctoritate sacrorum canonum. 3° Demonstrat eamdem pluribus rationibus aut principiis juris naturalis, scilicet *a)* lex dubia non obligat; *b)* lex, ut obliget, debet esse sufficienter intimata; *c)* si esset obligatio sequendi probabiliora, magna interveniret difficultas in observantia legis; *d)* nisi licitus esset usus benignæ sententiæ, omnino turbaretur ordo obedientiæ superioribus debitæ; *e)* obligatio sequendi probabiliora, si adesset, esset humanis viribus impar; *f)* sententia benigna est probabilior, imo probabilissima. 4° Tandem refellit objectiones.

suam, probabilistas vero appelat *suos* auctores (1). — *f*/ Attamen non admittit nisi usum opinionis *graviter* et *certo* probabilis, quæ scilicet contra se non habeat opinionem notabiliter probabiliorem (2), et hoc sensu suum probabilismum dicit *moderatum* (3) ; cæterum agnoscit eam moderationem ab aliis etiam passim adhiberi, sibi propriam non esse (4).

Quantum ad epistolas *privatas*, claræ sunt illæ quas scripsit ad typographum Remondini ; in iis enim S. Doctor declarat *a*/ se probabilistam esse, si quidem « adhæsit et adhæret probabilismo, non probabiliorismo » (5) ; — *b*/ dicit se probabilistam esse moderatum, ita nempe ut « viam mediam teneat » (6) ; — *c*/ profitetur se in hac via media tenenda recedere a recentioribus Dominicanis, præsertim a Concina, qui generatim sunt æquo severiores, et e contra stare cum Jesuitis « qui nec rigidi sunt, nec laxi » (7), qui « sunt veri scientiæ moralis magistri » (8), a quibus ipse omnem suam scientiam hausit (9) ; nominatim profitetur se stare cum

epistolis privatis.

1. « Dicimus quod *nostra* sententia... est longe probabilior, sive probabilissima, imo moraliter seu lato modo certa ». — « Recte respondent Auctores *nostri.* » Diss. cit. ann. 1755.

2. « Licitum est uti opinione probabili... semper ac illa certum et grave habeat fundamentum. » Diss. ann. 1755, n. 3.

3. Hinc diss. suas inscripsit : *pro usu moderato opinionis probabilis.*

4. In diss. ann. 1755 : « Recte respondent auctores nostri, etc. » Attamen in *Risposta* ann. 1756 de pluribus ait : « Utinam moderatiores se tenuissent ! » Cfr. *Intr.*, n. 181, ubi verba Terilli referuntur.

5. *Epist.* x, 30 mart. 1756 : « Ho tenuto et tengo il sistema del probabilismo, non già del probabiliorismo, o sia rigorismo ».

6. *Epist.* ix, 15 feb. 1756 : « Mi tengo alla via di mezzo » ; « Mi e paciuta la via di mezzo » ; *Epist.* xiv, 16 jun. 1756 : « Bisogna pigliar la via di mezzo. » etc.

7. *Epist.* x, 30 mart. 1756 ; « Sento consolazione ancora in sentire che la V. S. lo fara rivedere da un Padre Gesuita ; perche se fosse un Padre de' Domenicani, che oggidi seguitano il P. Concina, mi reproverebbe molte sentenze che io ho poste, come larghe ; attenendomi io per lo piu alle opinioni de' Padri Gesuiti (non già de' Domenicani) *essendo le loro opinioni nè large nè rigide, ma giuste* ».

8. *Epist.* ix, 15 feb. 1756 : « Questi (Jesuitæ) in verità sono maestri di morale » ; *Epist.* x, 30 mart. 1756 : « Essi, (come dico sempre) sono stati et sono i maestri della morale ».

9. *Epist.* xi, 30 mart. 1756 : « E se io tengo qualche opinione stretta contro alcuno scrittore Gesuita, la tengo forse quasi sempre coll' autorità di altri scrittori Gesuiti, da' quali confesso avere imparato quel poco che ho scritto. » Et rursus *Epist.* xi, 30 apr. 1756 : « Se i Padri Gesuiti hanno qualche stima dalla mia opera, la prego a dir loro da mia parte che quel poco che so di morale (che e stato lo studio mio per lo spazio di piu di 30 anni) da essi io l'ho imparato. »

Lacroix, cujus opus constanter manibus terit [1], et cùm Zaccaria, quem valde doctum reputat et in sententiis eligendis omnino æquum et prudentem [2], verbo cum modernis moralistis, qui solent esse antiquioribus moderatiores [3] ; — *d*/ operis revisorem postulat Jesuitam, timet Dominicanum [4] ; — *e*/ Zaccariæ *prolegomena,* in quibus probabilistæ egregie vindicantur, approbat ut *pulchra, docta, utilia,* et magnopere gaudet ea suæ theologiæ præmissa [5].

generali indole operis.

Tandem quantum ad *generalem operis indolem,* nullus, qui in scientia morali versatus sit, diffitebitur S. Alphonsum in sua methodo, in sententiarum electione, in practicis admonitionibus ita clare probabilistam se prodere ut de ejus mente dubitari non possit.

Cum igitur per prædictum tempus S. Doctor et publice probabilistarum thesim propugnaverit, et privatim probabilismum professus fuerit, et toto agendi modo se probabilistam ostenderit, nemini licet eum e probabilistarum albo expungere.

316. Assertio secunda : *Inde ab anno 1762 usque ad annum 1767 S. Alphonsus opus suum perficere quidem studuit, tum quoad formam et methodum, tum generatim quoad operis substantiam et sententiarum delectum, tum speciatim quoad morale systema : a sententia tamen prius suscepta nullimode recessit.*

Ab anno 1762 usque ad annum 1767 opus suum perfecit,

quoad methodum et formam,

Imprimis quoad *operis methodum et formam,* cum novissimo calumniarum impetu præluderetur extinctioni Societatis Jesu,

1. *Epist.* IX, 15 feb. 1756 : « Le scrissi già che nel mio libro vi e continuamente citato La Croix, essendo stato questo uno dei libri che piu spesso ho tenuto alla mano. »

2. *Epist.* X, 30 mart. 7756 : « Faccia dunque vedere l'opera a qualche Padre Gesuita, chè non li dispiacerà ; e specialmente avrei a caro che ci dasse un' occhiata il P. Zaccaria, che io lo tengo (come ho scorto dalle sue opere) per un Padre molto dotto e equo nelle sue opinioni, nè largo, nè rigido. »

3. *Epist.* XIV, 16 jun. 1756 : « Sappia che presentemente i moralisti moderni, benche probabilisti, scrivino molto piu riserbato che gli antichi. »

4. *Epist.* X. modo cit. : item *Epist.* CXIII, 24 oct. 1763 : « In Napoli ho trovato un certo revisore curioso e per verità poco intendente di morale, che da principio mi ha cominciato a contraddire molte cose senza ragione »; et *Epist.* CXXX : « Si e trovato un certo revisore Domenicano il quale ingiustissimamente ha voluto che il capitolo di detta lode tutto si levasse : (agebatur de laude dissert. pro usu moderato opinionis probabilis) : perche non era secondo l'opinione de' Domenicani. »

5. *Epist.* XXXIV, 22 jul. 1757 : « Specialmente i *prolegomeni* del P. Zaccaria sono belli assai e dotti ed utili. »

multum perterritus est S. Alphonsus clamoribus adversus Busembaum ejusque sodales concitatis ; ipsum pœnituit scripsisse commentarium in hunc invisum auctorem ; aliis ergo etiam instantibus, cogitavit de edenda theologia quæ in omnibus partibus propria esset, dempto Busembaï textu (1). Operi se accinxit, adjectis tribus sociis (2). At brevi animadvertit vir sanctus nec sibi jam grandævo et episcopalibus curis gravato vires et tempus fore ad rem perficiendam, nec socios labori pares esse (3). Hisce de causis pristinam methodum servavit, et libro suo reliquit commentarii formam.

quoad substantiam.

Deinde quoad *operis substantiam,* S. Doctor novum composuit tractatum *de actibus humanis,* alterum *de conscientia* ex integro emendavit, in cæteris dissertationes, quæstiones et documenta addidit, nonnullas reformavit sententias (4). — Hæc Nucerii perfecta sunt anno 1763, intra spatium duorum mensium, adlaborantibus cum S. Alphonso tribus sociis : non fuerunt tamen lectoribus integre communicata nisi in editione anni 1767 (5) — Prædictas additiones et correctiones S. Alphonsus tanti momenti et valoris existimavit ut censeret opus emendatum a primitivo toto cœlo distare, cum paucis ejusdem indolis comparandum (6).

1. *Epist.* CII, 12 junii 1763 : « Essendo che il nome di Busenbaum si e renduto odioso quasi per tutto il mondo, ed io per mia disgrazia mi ritrovo aver preso a commentare questo benedetto autore che, quando e nominato, fa orrore, come se fosse nominato Lutero : pertanto hanno pensato i miei compagni della Congregazione di togliere della mia Morale il testo di Busenbaum, e fare che la morale sia tutta mia... Quanto mi pento di aver preso a commentare Busenbaum ! Ma chi potea presagire la tempestà che dovea esservi contra il povero Busenbaum » cfr. *Epist.* CIII, CIV, CV ; item supra. *Intr.,* pag. 140, not. 7.

2. *Epist.* CVI, jul. 1763 ; « Io già avevo dato, a raccogliere le aggiunte per la ristampa dell' opera con Busenbaum ; ma sentendo ora in questa vostra ultima che avreste a caro di restampare l'Opera come tutta mia, siccome si e designato di fare, io già ho scritto ai miei compagni che si diano tutta la fretta per compirla ! »

3. *Epist.* CVIII, 26 aug. 1763 : « Già le scrissi che fare l'Opera da capo, con toglierne Busenbaum, è impossibile. Io non mi fido di farla ; perchè son vecchio et ammalato, et questa sarebbe una fatica per cui non vi basterebbero due anni continui ; nè posso farla, perchè ho la carica del vescovado, che mi occupa totalmente, e mi obbliga in coscienza. Onde questa fatica avrei da farla fare da'miei compagni ; e per quello che ho potuto scorgere, non v'è chi possa farla a mio piacere ; unde, verrebbe un'opera che dispiacerebbe a me ed'a V. S. Illma. » Cfr. *Epist.* CVII.

4. Cfr. *Epist.* CIX, CX, CXXII. — 5. Cfr. *Epist.* CVIII, CXII, CXXIII.

6. Cfr. *Epist.* CVIII, CX, CXIV, CXXII, CXXIII, etc.

quoad systematis moralis expositionem,

Tandem quoad *systematis moralis expositionem,* conatus est S. Doctor probabilismum moderatum accuratius definire, solidius demonstrare, facilius ac prudentius applicare.

illud accuratius circumscribendo,

Imprimis sententiam suam circumscripsit, sollicite inculcata distinctione inter opinionem certo et notabiliter probabiliorem et opinionem parum probabiliorem. Videlicet *a/* thesi speciali statuit quod prius in difficultatum declarationibus proposuerat, id est, licitum non esse « sequi opinionem minus probabilem, quando opinio pro lege est notabiliter et certe probabilior » (1) : hac ratione aditum præcludebat æquivocationibus, simulque disputationis campum opportune restringebat ; cum enim adversarii faterentur licitum esse sequi opinionem benignam notabiliter probabiliorem, quia in tali casu libertas est moraliter certa (2), ipse vicissim concedebat necessarium esse sequi opinionem rigidam notabiliter probabiliorem, quia in hoc casu lex est moraliter aut quasi moraliter certa : quæstio ergo remanebat de solo casu veræ incertitudinis præcepti. — *b/* Prædictæ theseos positione S. Alphonsus non existimabat se aliquid substantiale communi probabilismo moderato addere, sed, uti diximus, insistere volebat in distinctione valde opportuna et utili : « Ego non contendi, nec contendo nova systemata condere ; et bene novi nullum probabilistam solidæ doctrinæ ut licitum tradere usum opinionis tenuiter vel dubie probabilis. Sed quia multi probabilistæ sine distinctione dicunt, licere sequi opinionem minus probabilem..., idcirco volui distinguere, statuendo quod non liceat sequi opinionem minus tutam quando notabilis et certus est excessus probabilitatis pro tutiore » (3). — *c/* Quia autem thesis ista nec nova

1. *Breve diss. dell' uso moderato dell' opinione probabile* 1762. In dissertatione autem ann. 1755 : « At recte respondent auctores nostri, (probabilistæ) falsum esse majorem probabilitatem elidere minorem, nisi... opinio probabilior habeat pro se tam convincens argumentum ut contraria vere improbabilis vel non amplius graviter et certo probabilis videatur. Secus tamen dicendum, si excessus non sit notabilis... Tunc enim opinio probabilis gravi sua probabilitate minime destituitur. » Similia occurrunt in diss. anni 1749.

2. Ita nominatim Patuzzi, acerrimus S. Doctoris adversarius, tr. 11, c. 9, § 2 ; item Collet, l. c. concl. 4 : « Ut opinio probabilior de licito teneri possit, prætermissa opinione tutiori de illicito, non sufficit quicumque probabilitatis excessus, sed requiritur notabilis.» Cfr. supra, p. 544, not. 3, et p. 556.

3. *Apologia in cui si difende la dissertazione circa l'uso moderato dell' opinione*

quoad substantiam erat, nec difficultatem præbebat, nec ab ullo scriptore solidæ doctrinæ negabatur, idcirco non judicavit S. Doctor eam esse multis explicandam aut defendendam ; satis illi fuit eam proponere ut *patentem, nimis perspectam,* a cujus tractactione *cito poterat se expedire* (1). Aliter autem egisset et locutus fuisset, si credidisset hujusmodi thesi contineri systema morale antiquiori oppositum : non solebat enim vir prudentissimus ac modestissimus tam cito et tam facile se expedire a questionibus magni momenti, præsertim ubi contra se multos habebat doctissimos theologos : quippe noverat eos latere vix potuisse doctrinam *patentem* et *nimis perspectam.* — *d*/ Tandem, ut limites, intra quos usum probabilismi admittebat, constanter præ oculis retinerentur, professus est se tenere systema opinionis æque vel fere æque probabilis (2) : quem loquendi modum jam alii usurpaverant, et nominatim tribus ante S. Alphonsi dissertationem annis, anno nempe 1759, scripto publico disertissimis verbis commendaverat Mannhart (3) ; cæterum ipse S. Alphonsus antiquioribus

probabile (1765). Eodem modo in opusc. *Dell' uso moderato dell' opinione probabile,* quod prodiit exeunte eodem anno 1765 : « Dicunt (adversarii) probabilistas admittere, tanquam probabiles, opiniones, qualicumque gaudeant probabilitate, seu, quod æquivalens est, quamquam sint certe minus fundatæ, quamvis dumtaxat sint probabiliter probabiles, et tametsi propugnatæ a duobus vel tribus auctoribus, imo ab uno tantum, contra communem sententiam aliorum. Verum ad hoc responderet P. Segneri, ita rem penitus adulterari, non alio animo quam ut per fas et nefas prævaleant. Concederet, opinionem hujusmodi monstrum fore execrandum : verum ita neutiquam res se habet. » Item in *Epist.* ad P. Villani, 25 maii 1767 : « Quando opinio pro lege est notabiliter et cum excessu probabilior, *tunc ipsi Auctores nostri probabilistæ* dicunt sequendum esse opinionem pro lege, eo quod tunc lex saltem moraliter jam satis promulgata est. »

1. Ita v. g. Diss. ann. 1762 : « Circa primam quæstionem (de casu opinionis notabiliter probabilioris) cito me expediam : resolutio enim est nimis perspecta ; » quod iisdem verbis repetit in *Theol. mor.,* edit. anni 1767 : « Circa primam quæstionem citius me expediam : resolutio enim est patens. »

2. Ita v. g. in diss. *Lex incerta non potest certam inducere obligationem :* « Nos, quemadmodum sæpius diximus supra, nullatenus propugnamus opinionem probabilem in concursu probabilioris : sed dicimus licitum esse sequi æque probabilem in concursu tutioris : quare omnino alieni sumus a *tenui* probabilitate. »

3. *De ingenua indole probabilismi,* c. 4. En verba ejus omni attentione digna : « Ut autem nihil intactum omittam, mentemque meam ingenue aperiam, censeo rem totam denique ad licitum in praxi usum opinionum æque probabilium esse reducendam, resectis illis appendicibus : *opinio magis probabilis, opinio minus probabilis ; opinio notabiliter magis probabilis,*

(solidæ doctrinæ) non attribuit nisi usum opinionis æque probabilis (1).

solidius fundando,

Deinde conatus est S. Alphonsus probabilismum solidioribus fundamentis statuere (2): nimirum instanter docuit moralem certitudinem, quæ requiritur ad licite operandum, non posse oriri ex sola probabilitate opinionis, nec ex judicii suspensione relate ad unam partem cum voluntaria adhæsione alteri parti, sed indirecte petendam esse ab aliquo principio reflexo certo (3). Hujusmodi principium duplex affert, nempe:

opinio notabiliter minus probabilis : quæ appendices non nisi ad tricas scholasticas et dissidia, præsertim apud rerum non probe intelligentes, in gravissimo conscientiæ negotio facienda natæ factæque esse videntur. Quid enim, obsecro, interest, an duæ sententiæ invicem oppositæ, quando agitur dumtaxat de licentia actionis, sint æque probabiles vel una earum paulo plus, altera paulo minus probabilitatis habeat, modo utraque vere, solide ac comparative probabilis sit, id est, gravi ac prudenti fundamento innixa, parique auctoritate firmata, ita ut in mutuo conflictu inconcussa stet, nec vinci aut enervari queat... Quod si una notabiliter magis probabilis sit, accedet ad classem probabilissimarum, quas sequi licere nemo dubitat ; si clare et notabiliter minus sit probabilis, accedet ad classem tenuiter probabilium, quas sequi non licet ; certe immunis non erit a periculo excedendi e finibus veræ probabilitatis. Dicamus ergo scapham scapham ; dicamus uno verbo, licitum esse, sequi opinionem quæ vere theologice ac comparative probabilis est. » Cfr. S. Alphonsus, lib. I, n. 70, cum ejusdem *Epist.* CLI, 23 apr. 1765, ad Eusebium Amort : « Magna animi voluptate in tua theologia luculenter demonstratam ac rationibus et auctoritatibus probatam legi sententiam quod sequi liceat opiniones æque aut quasi æque probabiles, notabiliter minus probabilibus explosis ; atque juxta hæc tua documenta, in sententiæ ejusdem approbationem, italico idiomate dissertationem typis mandandam curavi. »

1. Patet tum ex ante dictis, tum ex modo quo in diss. anni 1762 respondet ad objectionem petitam a condemnatione probabilismi per clerum Gallicanum : « Id dicebant adversus doctores illos probabilistas, qui contendebant de se licere *æque probabilem* sequi opinionem, ex illo axiomate communiter ab ipsis recepto, nempe: *Qui probabiliter agit, prudenter agit* ».

2. Ita *Epist.* CLXIII, 19 Sept. 1765: « Veramente, come prima i Probabilisti difendevano l'uso della probabile, non mi piaceva ; ed io ancora non me stavo quieto ; perche assegnavano certi principi et ragioni che non reggeano a martello. »

3. Ita S. Alphonsus, *Diss. de usu moderato opin. prob.*, inserta in sexta *Theol. mor.* edit. ann. 1767 : « Minime autem ad usum opinionis æque probabilis cohonestandum valent duo principia a pluribus auctoribus adoptata, unum nimirum, quod, *qui probabiliter agit, prudenter agit :* alterum, quod *cum opiniones ambæ sunt probabiles, potest homo opinione minus tuta uti, judicium suspendendo circa oppositam tutiorem :* nam revera neutrum principium certos nos reddere potest de actionis honestate. Et dico (idque pro comperto habeo) quod horum duorum principiorum insubsistentia plures hac tempestate scriptores ad tam mordicus *probabilismum* oppugnandum impulit ; et sic ipsi hujusmodi principia confutando (sicut ea confutare facillimum erat) plures deinde sequaces sibi traxerunt, qui hodie contra *probabilismum* vocem extol-

Lex dubia non obligat; et: *Lex incerta non potest certam inducere obligationem:* primum in eo innixum existimat, quod lex dubia non est sufficienter promulgata, lex autem non sufficienter promulgata est lex nulla; alterum, in eo quod homo sit in possessione suæ libertatis, a qua privari non debet sine certa ratione ([1]). Dum autem S. Doctor hæc cum recentioribus probabilistis inculcat ([2]), agnoscit principium ab antiquioribus sæpe propositum nempe *qui probabiliter agit, prudenter agit,* vero isto sensu communiter fuisse adhibitum ([3]).

prudentius applicando.

Præterea S. Doctor non solum principio possessionis usus

lunt, rigidamque sententiam tanto fastu exaltant ». Cfr. diss. ann. 1755, item diss. 1762, n. 23, 24 (vers. lat.), etc.

1. « Duo sunt principia, quibus innixus licitum usum tueor opinionis probabilis. Primum, quod lex dubia in conflictu duarum opinionum æque probabilium non obligat, quia dubia lex non est sufficienter promulgata. Alterum, quod lex incerta nequit certam obligationem inducere, quia legis obligatio posterior est ad libertatem, qua homo est donatus a Deo. Et in hoc advertendum, quod ista duo principia non utique idem sunt sub diverso respectu exposita...: utrumque enim diversum habet fundamentum, cum prius fundatur in motivo, quod lex non habet virtutem actualiter obligandi, nisi sit certe promulgata. Posterius fundatur in motivo. quod homo certam suæ libertatis possessionem habens, de illa non tenetur se expoliatum reputare propter incertam legem ». Diss. inserta in sexta *Theol. mor.* edit. ann. 1767; cfr. *Apologia* anni 1765, etc.

2. Utrumque principium S. Alphonsus præcipue mutuavit a Terillo, *De consc.*, q. 23, *De reg. morum,* q. 2; Terillus vero ab Antiquioribus acceperat: cfr. supra, p. 561, not. 5; p. 566, not. 5.

3. « Adverto, jam plures auctores... pro nostra sententia tutandà innixos fuisse eidem nostro principio, nempe quod lex dubia non potest obligare. Præterea dico, quod nec etiam illi auctores solo præfato principio illo, *qui probabiliter agit,* etc. utebantur. Et sic rem confero: auctores illi ex una parte jam fatebantur, quod ad licite operandum necessaria esset moralis certitudo de honestate actionis. Contra vero ipsimet auctores eadem nostra principia in suis operibus in diversis locis jam statuerunt, nempe, quod lex non sufficienter promulgata non obligat: et quod ubi libertas possidet, lex incerta nequit certam inducere obligationem, ex illo principio adeo ab ipso acclamato, quod *in dubio melior est conditio possidentis.* Ergo si de hujusmodi principiis, loquendo de opinionum probabilium usu, expressam non faciebant mentionem, saltem ea indubitanter supponebant. Quapropter juste censendum, quod ipsi dicto illo, *qui probabiliter agit, prudenter agit,* potius utebantur tanquam corollario quodam, sive consequentia, quæ a principiis reflexis inferebatur. Tanto magis quod hæc materia opinionum probabilium tunc erat valde confusa, unde confuse de ea loquebantur, postquam antiquiores auctores confusius de illa locuti fuerant. Cæterum dictum illud, *qui probabiliter agit* etc. dupliciter accipi potest: si accipitur tanquam innixum aliis principiis reflexis, vere prudens et certum est; si vero accipitur tanquam principium directum, seclusa judicii reflexione, falsum est. » S. Alphonsus, lib. 1, (*Syst. mor.*), n. 80: cfr. supra, p. 563 et p. 592, not. 10.

est ad confirmandum probabilismi fundamentum *quod lex incerta non potest certam inducere obligationem*, verum etiam illud adhibendum censuit ad solvendum dubium speculativum facti obligationem tollentis ([1]).

Ratione prædictarum additionum et mutationum in systematis expositione, existimavit S. Alphonsus, dissertationem de usu moderato opinionis probabilis anno 1762 reformatam esse ambabus anterioribus (ann. 1749 et 1755) multo perfectiorem, ita ut utraque prior in posterioris comparatione nihil valeat ([2]): unde gavisus est eam multis fuisse acceptam ([3]). Attamen neque ipse S. Alphonsus significavit, nec alii intellexerunt ipsum a probabilismo moderato vel linea discessisse ([4]). Mens autem ejus inde præterea clare apparet quod studiose curaverit ut a suo opere probabilistica Zaccariæ *Prolegomena*, quæ valde pulchra existimabat, non disjungeretur ([5]).

317. *Post annum 1767, S. Alphonsus adversariis aliquid concessit verbis.*

Assertio tertia : *Post annum 1767 S. Alphonsus laxismi accusationibus impetitus, importunis objectionibus vexatus, Jansenianæ factionis clamoribus non sine ratione vehementer perterritus, ut invidiam et pericula a se suisque amoveret, aliquando visus est verbis nonnihil adversariis concedere, reipsa tamen minime retractavit sententiam quam ab anno 1749 proposuerat, ab anno vero 1762 diserte explicaverat.*

Negari non potest S. Doctorem in hac ultima vitæ periodo verbis aliquid concessisse suis adversariis.

quoad obligationem sequendi opinionem unico gradu probabilioram.

Sane prius scripserat licitum non esse sequi opinionem benignam, quando opposita legi favens est « notabiliter *et* certe probabilior ([6]) ; » vel quando opinio rigida est « notabiliter *aut saltem* certe probabilior ([7]) : » — nunc omissa particula *notabiliter*, asserit licitum non esse sequi opinionem benignam quando opposita est « *certe* probabilior ([8]) » ; et mox (fere

1. Cfr. lib. I *(De consc.)*, n. 28, 29 ; lib. VI, n. 477 etc. ; supra, n. 290.
2. Cfr. *Epist.* C, CII, CIV, CVI. — 3. Cfr. *Epist.* CXXIV, CXXX.
4. Cfr. cujusdam *Epist.* I Maii 1765 data ad S. Alphonsum : « Tutti i veri saggi si congratulano con V. S. Illma per aver messa in buon lume la dottrina di S. Tommaso, il moderato probabilismo. »
5. Cfr. *Epist.* CIV, CIX, CXI, CXIII, CXIV, CXV.
6. *Diss.* ann. 1762 ; *Apologia* ann. 1765.
7. *Dell' uso moderato dell' opinione probabile*, 1765 ; item *Diss. de usu moderato opinionis probabilis*, inserta *Theol. mor.* edit. anni 1767.
8. *Epist.* ad P. Villani, 1767 ; *Homo Apost.* (edit. anni 1770) tr. I, c. 3, n. 31 ; *Monitum* 7mum edit. *Theol. mor.* præmissum, etc.

invitus) admittit licitum non esse sequi opinionem benignam quando opinio rigida est « probabilior etiam unico gradu » (1); simul tamen sedulo notat non posse opinionem esse certe probabiliorem, nisi sit notabiliter et cum excessu probabilior (2); unicum illum gradum probabilioritatis debere esse certum, non posse autem, saltem practice loquendo, certum esse nisi sit notabilis (3) : quibus explicationibus manifeste ostendit se nonnisi formulam parumper mutasse ; quoad rem, in primitiva persistere sententia.

et accedendi ad veritatem quantum possibile est ;

Rationem cur sequenda sit opinio tutior quæ sit notabiliter aut saltem certo probabilior, prius dederat S. Alphonsus, « quia hoc in casu opinio est moraliter aut quasi moraliter certa; » « quoties enim intellectui certe apparet veritatem *multo* magis stare pro lege quam pro libertate, tunc voluntas nequit prudenter et sine culpa parti minus tutæ adhærere, siquidem eo casu non proprio judicio seu propriæ credulitati innixus operaretur homo, sed potius conatu quem ex propria voluntate in intellectum inferret, ut a parte, quæ valde verisimilior sibi

1. Ita *Epist.* CCXIX, 8 Aug. 1769, ad P. Blassucci : « sufficit (ad obligationem) ut opinio sit unico gradu probabilior; » cfr. *Monitum*, edit. anni 1773. — Dicimus S. Alphonsum ægre illud admisisse ; patet evidenter tum ex contextu, tum ex anteriori quadam *Epist.* ad eumdem P. Blasucci (CCXVII, Nov. 1768) : « Del resto veniamo ora al *vostro* sentimento di dovere seguire l'opinione rigida, che tienne uno o due gradi di maggioranza. Questa regola a me pare molto confusa e scrupulosa; mentre è difficile trovar qualche mezza canna che misura questi due o uno grado di preponderanza. La regola mia mi pare chiarissima e certa. Quando la sentenza per la legge è certamente probabiliore, dico che non puo seguirsi la meno probabile. »

2. Cfr. *Epist.* ad P. Villani, 1767 : « Cum opinio pro lege apparet certe probabilior, signum est eam notabiliter et cum excessu probabiliorem esse. »

3. « Dico, quando opinio rigida est certe probabilior, etiam unico gradu, tunc est etiam notabiliter probabilior, quia ista certitudo majoris probabilitatis probat hanc probabilitatem adeo præponderantem esse, ut sufficiat ad inflectendum lancem ; et ita assero sententiam certe probabiliorem eamdem esse ac notabiliter probabiliorem, quia si notabilis non foret excessus, non posset inflectere lancem... Ita, Domine, sufficit ut opinio sit unico gradu probabilior; sed rite id intelligatur : iste gradus talis sit oportet, ut certum me reddat opinionem esse probabiliorem, et mihi monstret legem moraliter seu sufficienter promulgatam. » *Epist. ad P. Blasucci*, 1769. « Dixi quod si opinio tutior apparet certe probabilior, tenemur eam amplecti ; advertendum quod hoc procedit etiamsi opinio illa tutior non sit magno excessu probabilior; sufficit enim ipsam esse uno tantum gradu probabiliorem ut eam teneamur sectari. Cæterum in praxi loquendo, opinio tutior difficulter apparere poterit certe probabilior, nisi adsit in probabilitate aliquis notabilis excessus. » *Monitum* anni 1773.

apparet, removeretur, et ad partem quæ non solum sibi vera non apparet, sed neque certum fundamentum videtur habere quod possit esse vera, inflecteretur (1) ; » — nunc, formula paulo implicatiore et quæ magis ad probabilioristarum formulam accedit, scribit : « Cum opinio tutior est certe probabilior, eo casu, quamvis lex omnino certa non sit, tamen propter illam majorem probabilitatem, opinio pro lege videtur moraliter verior, et consequenter lex etiam moraliter sive sufficienter promulgata (2) ; » et rursus expressius : « In dubiis moralibus debemus sequi veritatem ; quapropter ubi non possumus veritatem clare invenire, saltem sectari debemus illam opinionem, quæ propius ad veritatem accedit : itaque ipsa veritas quæ nos obligat ad eam sequendam, nos quoque obligat ad sequendam eam opinionem quæ stat pro lege, quando propius accedit ad eamdem illam veritatem (3).

quoad probabilitatis elisionem per probabilitatem oppositam ;

Prius explicite docuerat S. Alphonsus probabilitatem non elidi æquali probabilitate contraria, imo nec probabilitate majori (4) : — nunc « ei qui opponeret, in concursu duarum opinionum probabilium, legem, si non certo promulgata est, saltem promulgatam esse probabiliter, et proinde præferri debere opinionem quæ stat pro lege, » respondendum censet : « Quando opinio favens libertati æqualis ponderis est ac illa quæ favet legi, tunc opinio pro lege nequidem probabilis est, sed tantum dubia : quoniam duæ opiniones in hoc casu non pariunt probabilitatem, sed duntaxat merum dubium, quia tunc una opinio aufert alteri probabilitatis virtutem » (5) : qua præcise ratione probabilioristæ conantur demonstrare licitum non esse sequi opinionem æque probabilem (6) ! Debet ergo S. Doctoris affirmatio alio sensu intelligi, quem supra indicavimus (7).

quoad judicium de scriptoribus antiquioribus,

Prius agnoverat quidem S. Doctor veteres fuisse minus

1. *Diss.*, anni 1762; item *diss.* præmissa edit. anni 1767.
2. *Monitum* anni 1773.
3. *Dichiarazione del sistema*, etc. 1774 : cfr. supra, n. 298.
4. Cfr. supra, n. 315. — 5. *Dichiarazione del sistema che tiene l'Autore*, 1774.
6. Ita v. g. Billuart, l. c., art. 2 : « In conflictu duarum opinionum *æque probabilium* de honestate objectiva actus, tenemur sequi tutiorem... Probatur 2° : Dum utraque pars contradictionis est æque probabilis, neutra est proprie et expedite probabilis ; ergo corruunt omnia probabilistarum principia » — 7. Cfr. n. 268, p. 510.

moderatos; non fuisse ab ipsis satis distinctum inter opinionem notabiliter probabiliorem et opinionem simpliciter probabiliorem: simul tamen aperte proclamaverat nullum probabilistam solidæ doctrinæ admisisse usum opinionis tenuiter aut dubie probabilis, et probabilistas suos a laxismi nota sollicite purgaverat (1); — nunc cum manifesta exaggeratione tradit, auctores sæculi *elapsi* (decimi septimi) *quasi communiter* et Jesuitas *fere omnes* docuisse licitum usum opinionis minus probabilis in concursu certe (notabiliter) probabilioris; eorumque sententiam dicit *laxam* (2).

Prius se professus erat probabilistam moderatum (3): — nunc quadam verborum æquivocatione dicit se probabilistam non esse, cum teneat licitum non esse sequi opinionem probabilem ut probabilem; se probabilismum reprobare, quoniam rejicit principium, *qui probabiliter agit, prudenter agit* (4): quasi vero probabilistæ docerent usum opinionis probabilis ut probabilis, quasi prædicto principio unice inniterentur, quasi principium istud non posset vero sensu intelligi (5); eadem æquivocatione dicit se probabilioristam esse, siquidem propugnat necessitatem sequendi partem rigidam certe probabi- *de probabilismo,*

1. Cfr. supra, n. 315 et 316, p. 599, not. 4, p. 602 cum not. 3.

2. *Homo apost.* (edit. ann. 1770), tr. 1, c. 3, n. 31; idem repetit in pluribus *Epistolis,* v. g. CCIX, 30 jun. 1768; CCXI, 8 jul. 1768; CCXVI, 6 nov. 1768; CCXXIV, 15 oct. 1769; CCXXX, 9 dec. 1769; CCL, jan. 1772; CCLXXXIV, 21 nov. 1773, etc., etc. Sufficiat hæc attulisse ex citata *Epist.* CCIX: « Io riprovo il poter seguire la meno probabile conosciuta, come dicono Busenbaum, Lacroix, e *quasi tutti i Gesuiti* che ammettono la meno probabile. » — Jam vero manifestum est hæc esse exaggerate pronuntiata, et cum grano salis accipienda; nimirum intelligi debent de indistincto et confuso modo loquendi, vel restringi ad eos quos S. Alphonsus optasset *moderatiores,* quosque jam reprehenderat Terillus (cfr. *Intr.*, n. 181, p. 131, n. 3); minime extendi possunt ad tot et tantos sæculi XVII doctores Jesuitas, qui non solum sunt *solidæ doctrinæ,* verum etiam theologiæ principes habentur; ab iis enim S. Alphonsus suam doctrinam hauserat, (cfr. supra, n. 309, p. 599, coll. *Intr.*, n. 184, p. 140, not. 7), et in ipsa citata epistola CCIX, proclamat profecto corruptam non esse moralem quæ reperitur apud Suarez, Lugo, Laymann, Lessium, Castropalao aliosque similes. Secus, S. Alphonso responderi potuisset propriis ipsius verbis: « Si sententia illa esset *laxa,* minime quidem a doctoribus fuisset recepta, aut saltem Ecclesia eam non tolerasset. »

3. Cfr. supra, n. 315, p. 599.

4. Cfr. v. g. *Dichiarazione,* ann. 1773: « Ego iterum in hoc brevi Opusculo declaro, quod non sum probabilista, neque sequor probabilismum; quinimo eum reprobo. »

5. Cfr. supra, n. 316, p. 605, not. 3.

liorem (1) : quasi probabilioristæ hoc tantum docerent (2) ; cæterum etiam proclamat se non esse æquiprobabilistam (3) : quibus formulis sane nulla continetur doctrinæ declaratio scientifica, sed qualiscumque industria ad criminatorum ora occludenda.

de sententia Jesuitarum ;

Item prius professus erat Jesuitas esse veros scientiæ moralis magistros, quorum sententiæ nec laxæ sunt nec rigidæ, a quibus ipse omnem suam doctrinam hauserat (4) : — nunc, studio causam suam a desperata Jesuitarum causa secernendi, iterum iterumque repetit, atque postulat ut quasi super tecta clametur, se non adhærere systemati Jesuitarum ; se Jesuitis adversari non solum in quæstionibus scholasticis, verum etiam in moralibus, quatenus illi communiter admittunt usum opinionis minus probabilis, et probabilismum suum fundant principio, *qui probabiliter agit, prudenter agit* (5). Ut autem efficacius Jesuitismi ac probabilismi odiosam *notam* a se averteret, et operum suorum prohibitionem ex parte guberniorum civilium vitaret, rursus cogitavit de auferendo a sua theologia Busembaï textu : verum etiam hac vice sensit rem sibi possibilem non

1. Ita *Epist.* CLXXXV, 28 mart. 1767 : « Ed in quanto al sistema io son già probabiliorista... perche dove l'opinione per la legge è certamente probabiliore, dico non potersi seguire la meno probabile per la libertà. » Ita etiam *Epist.* ad P. Blasucci, 1772 : « Perge asserere quod ego et nos omnes sumus probabilioristæ ; et hoc verum est ; etenim dico non licitum esse sequi opinionem probabilem ut probabilem, quippe quod ad bene operandum requiratur certitudo moralis. » — 2. Cfr. supra, n. 293.

3. Sic in *Dichiarazione* an. 1773 : « Ita neque Probabilista sum, neque Æquiprobabilista, eo scilicet modo quasi dicam esse per se licitum sectari opinionem æquiprobabilem. » — 4. Cfr. supra, n. 315, p. 599.

5. Ita v. g. *Epist.* CCXXIV, 15 oct. 1769 : « Io per altro non seguito il sistema de' Gesuiti circa il probabile. Essi seguitano la massima, *qui probabiliter agit, prudenter agit ;* ma questa massima io la riprovo. Essi difendono fortemente che puó seguirsi la meno probabile, ma ciò io lo nego. » *Epist.* CCXXX, 9 dec. 1769 : « Non solo son contrario alli Gesuiti per la scolastica, ma anche per la morale ; perchè i Gesuiti communemente difendono che puó seguitarsi l'opinione meno probabile. » *Epist.* CCLIV, 14 maii 1772 : « Dio mio ! Come noi insegnamo le dottrine de' Gesuiti, quando io che ho stampato su queste materie, ho riprovato le dottrine de' Gesuiti, circa la morale e circa la scolastica... Predicatelo e publicatelo tutti che noi siamo contrari, ed io il primo, alle dottrine de' Gesuiti. Parlo delle dottrine che non sono buone. » *Epist.* CCXCVIII, 12 feb. 1776 : « Circa le Opere Morali io sono criticato per probabilista e per seguace de' Gesuiti. Onde per liberarmi di questa *taccia,* ho stampato questo breve manifesto, che qui includo ; ma quel che sta in questo Manifesto, sta tutto poi spiegato a lungo in quel *Monitum.* »

esse (1); attamen in editione octava et nona Zaccariæ *Prolegomena* coarctavit, retento solo capite tertio partis didacticæ.

minime tamen recessit a primitiva sententia.

Existimamus ergo hisce non obstantibus verborum tergiversationibus, quæ causis extrinsecis infeliciter debentur, S. Alphonsum minime recessisse a moderato probabilismo. Id persuasum habebit quisquis difficiliores loquendi modos supra relatos attente perpenderit : quando enim asserit sequendam esse opinionem pro lege, statim ac vel unico gradu certo hæc probabilior apparet, id intelligit de opinione notabiliter probabiliore et lato modo certa ; quando docet amplectendam esse opinionem quæ propius ad veritatem accedit, id intelligit de opinione quæ tam prope accedit ut opposita non sit solide probabilis ; quando scribit opinionem non remanere probabilem in conflictu cum alia probabili, unice significat in tali casu a viro prudenti judicium esse suspendendum ; quando notam laxismi inurit plerisque theologis sæculi decimi septimi et Jesuitis fere omnibus, debet, secundum æquitatem et ipsius S. Doctoris confessionem, reprobatio restringi ad modum loquendi non satis distinctum et ad Auctores minus prudentes, minime vero extendi potest ad ipsum probabilismi moderati principium, neque ad scriptores solidæ doctrinæ ; tandem quando negat se probabilistam esse, duo tantum intendit, nempe se non admittere usum opinionis probabilis, ut probabilis, nec usum opinionis certo (notabiliter) minus probabilis. — Aliunde S. Alphonsus, in systematis declaratione constanter adhæsit principio probabilistico quod *lex incerta non potest certam inducere obligationem* (2) ; idemque illud principium quæstionibus particularibus applicavit : protestatur enim in dubiis discutiendis æqualem sibi scrupulum fuisse « tum sententias libertati faventes et a ratione alienas uti probabiles admittere, quam damnare uti improbabiles eas quæ valido quodam fundamento innixæ videantur, quum certum sit quod hominibus sub culpa gravi imponenda non sunt, nisi evidens ratio id suadeat (3). » Cæterum S. Alphonsus nunquam significavit se, a tempore quo rigoristarum castra reliquerat (1741), mutasse

1. Cfr. *Epist.* CCLX, 30 jul. 1772 ; *Epist.* CCLXIII, 20 aug. 1772.
2. Cfr. *Theol. mor.*, editiones 8ª et 9ª.
3. Cfr. *Theol. mor.*, lib. III, n. 547 ; lib. VI, n. 604, etc.

sententiam; sed e contra significavit se, rejecta sententia rigida, adhæsisse sententiæ opinionis solide probabilis vel æque probabilis (1), et in eadem firmiter perstitisse (2).

Conclusio. Sit igitur hæc nostra conclusio: S. Alphonsus a tempore quo rigorismum reliquit usque ad obitum suum eamdem constanter sententiam de morali systemate retinuit. Hæc sententia perfecte declarata reperitur in iis quæ scripsit intra annos 1762-1767 (3); prout autem ibi exprimitur, apprime cohæret cum iis quæ antea scripserat, licet tunc uteretur formulis latioribus (4); neque discrepat ab iis quæ scripsit postea, licet coactus fuerit uti formulis paulo strictioribus (5). Jam vero sententia ista, quam post alios vocavit *æquiprobabilismum*, omnino recidit in *communem probabilismum moderatum* (6). Igitur S. Alphonsus non est auctor novi systematis moralis, sed veteris illius assertor et vindex, quod toto nostro tractatu exponere conati sumus.

1. Ita S. Alphonsus lib. I (syst. mor.) n. 83: « Ego... cum theologiæ moralis scientiæ vacare cœpi... pro hac (rigida sententia) strenue contendebam. Sed postea melius rationes hujus controversiæ discutiens, opposita sententia, quæ pro opinione æque probabili stat, moraliter certa mihi visa fuit. »

2. Ita in Diss. *Dell' uso moderato dell' opinione probabile*, 1765: « Coram Deo fateor me iterum atque iterum novo examini subjecisse præsentem materiam omni qua par eram diligentia... promptus a sententia mea desciscere, statim ac mihi pro non satis certa constaret; prout tot opiniones aliquando a me propugnatas refractare non erubui, quæ tamen minoris certe momenti erant; sed quo magis rationes hujus sententiæ perpendi, eo magis certæ et tutæ mihi visæ sunt. »

3. Cfr. supra, n. 316, præsertim p. 606, ubi refertur judicium S. Doctoris de proprio suo opere.

4. Cfr. supra, n. 315. — 5. Cfr. supra, n. 317. — 6. Cfr. supra, p. 590, not. 11.

TRACTACTUS QUARTUS.

DE ACTIBUS IN FINEM.

CUM finis ultimus obtineatur per modum coronæ et præmii supernaturalis, amittatur vero per modum damnationis (1), sponte intelligitur, nullam operationem fini consequendo juvare quæ non sit libera, moraliter recta, salutaris, et vicissim nullam eidem fini obesse quæ pariter libera non sit et moraliter prava. Præmium enim supernaturale reddi nequit nisi propter laborem valoris etiam supernaturalis, laboris valor supernaturalis præsupponit ejusdem moralem dignitatem, moralitas requirit libertatem. Ut igitur materiam complete explicemus, successive agemus de actu *libero*, de actu *morali*, de actu *salutari*.

Tenditur ad finem per actus liberos, morales, salutares.

SECTIO I.

De actu libero.

ESSE libertatem operationis moralis et salutaris conditionem essentialem, per se manifestum est, et uno ore proclamant Sancti Patres. Sane « peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est et insaniæ (2) ; » et « ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est (3). » Etenim « per actum proprium quis mereri non potest nisi sit dominus sui actus (4); » « sumus autem domini nostrorum actuum secundum quod possumus hoc vel illud eligere (5). » Supposita igitur hac veritate manifesta, dicemus de actus liberi *notione*, *speciebus*, *impedimentis*.

318. *Libertas conditio essentialis actus moralis et salutaris.*

CAPUT I.

De notione actus liberi.

RATIO instituti nostri non postulat, imo nec permittit, ut plenam instituamus analysim actus liberi ; animus tan-

1. Cfr. supra, n. 13. — 2. S. Augustinus, *De duabus anim.*, c. 12, n. 17. 3. S. Hieronymus, *Contra Jovin.*, lib. 2 ; S. Augustinus, *De nat. et gratia*, c. 65, n. 72. — 4. S. Thomas, *De verit.*, q. 29, a. 6. — 5. S. Thomas, 1 p. q. 82, a. 1, ad 3.

tum est, præcipua quædam capita ad materiæ intelligentiam necessaria, tum a philosophia tum a theologia polemica et scholastica petere, atque ordinatim exponere (1).

319. *Libertas.* Jam notavimus libertatem, in suo generali conceptu, esse *immunitatem a vinculo,* seu potius a vi qua agens moveatur (2). Cum autem vis illa possit esse vel intrinseca ad operationem necessitans, vel extrinseca ad operationem cogens, vel moralis ad operationem obligans, sequitur triplicem esse libertatem : a necessitate, a coactione, ab obligatione.

a necessitate, Et quidem *a*/ libertas a *necessitate,* quæ vocatur etiam libertas *exercitii, indifferentiæ, liberum arbitrium,* est facultas eligendi, ita ut agens intrinsece non sit determinatum ad unum ; « ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere, alio recusato, quod est eligere ; et ideo naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet (3). » Prout autem facultas est eligendi inter *contradictoria* (amare aut ab amando abstinere), vel *contraria* (amare aut odisse), vel *disparata* (scribere vel legere), adest libertas *contradictionis,* vel *contrarietatis,* vel *specificationis ;* sola tamen facultas eligendi inter contradictoria est de essentiali ratione libertatis, quæ idcirco definiri potest : facultas vi cujus, positis omnibus ad agendum prærequisitis, agens potest agere vel non agere (4). — *b*/ Liber-

a coactione, tas a *coactione,* quæ vocatur etiam *libentia* et libertas *executionis,* est expedita facultas pro libitu agendi, ita ut agens vi externa non impediatur ab agendo, nec ad agendum adigatur. —

1. De libertate agunt Philosophi in psychologia et metaphysica : Polemistæ et Apologetæ in controversiis cum Reformatoribus, Jansenianis et Materialistis ; Scholastici, in quæstionibus de Dei immutabilitate, de auxiliis, de merito Christi ; Moralistæ et Jurisperiti in multiplici materia virtutis et peccati, valoris contractuum, regiminis publici, etc. — Infiniti ergo essemus si libertatis litteraturam exhibere tentaremus ; satis nobis sit pro scopo nostro remittere ad Magistrum ejusque Commentatores, *Sent.,* II, dist. 24 et 25 ; Alensem, *Sum.,* p. II, q. 72 ; S. Thomam ejusque Expositores, I, q. 83, item *De verit.,* q. 24 ; *De malo,* q. 6 ; Suarez, *Metaph.,* disp. 19 ; *De vol. et invol.,* disp. 1, s. 2 et 3 ; Bellarminum, *De gratia et libero arbitrio ;* Petavium, *De opificio sex dierum,* lib. III-V ; *Elench. adv. Vinc. Lenis ; De incar.,* lib. 9 ; et inter recentiores Theod. Meyer, *Inst. Jur. nat.,* tom. I, n. 100-114. — Silentio præteriri nequit opus multis titulis egregium, licet in quibusdam deficiens : *Le libre arbitre, sa théorie et son histoire,* auctore G. L. Fonsegrive.

2. Cfr. n. 251, p. 489 ; n. 302, p. 569 ; n. 314, p. 596.

3. S. Thomas, I, q. 83, a. 3. — 4. Cfr. Suarez, *Metaphys.,* disp. XIX, s. 4.

c/ Libertas ab *obligatione,* quæ dici solet *moralis,* est agendi vel non agendi licentia, ita nempe ut agens præcepto superioris nec adstringatur ad agendum, nec ab agendo prohibeatur. *ab obligatione.*

Patet in præsenti agendum esse de libertate a necessitate et de libertate a coactione, non autem de libertate ab obligatione, de qua satis dictum est superius. — Potest autem libertas a necessitate existere sine libertate a coactione, et vicissim libertas a coactione sine libertate a necessitate. — Præterea utraque libertas potest esse perfecta vel imperfecta : libertas a necessitate perfecta est, si sit immunitas non solum a vi intrinseca *determinante,* sed etiam a vi plus minus *sollicitante ;* imperfecta, si immunitas quidem sit a vi *determinante,* non autem a vi *sollicitante ;* similiter libertas a coactione perfecta est, si immunitas sit tum a vi extrinseca *physica* (sive *absoluta,* quæ contumaci resistentia frangi nequeat, sive *secundum quid,* quæ resistentia frangi possit), tum a vi extrinseca *morali,* quæ consistit in metu incusso, precibus importunis etc.; imperfecta vero, si immunitas quidem sit a vi extrinseca *absoluta,* non tamen a vi *secundum quid* aut a vi *morali.*

320.

Ad actum moralem et salutarem non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a necessitate.

Libertas illa, quæ operationis moralis et salutaris conditio est essentialis, et quæ idcirco sensu christiano libertas simpliciter dicitur, non est libertas a sola coactione, sed est simul libertas a necessitate, seu a vi intrinseca determinante. Id *a/* clare indicatur in sacris litteris, in quibus eæ tantum actiones ut morales et meritoriæ aut demeritoriæ exhibentur, quæ hominis electioni et dominio subjacent (1) ; — *b/* instanter inculcatur a Sanctis Patribus, qui cum Augustino proclamant « nec peccatum, nec recte factum imputari cuiquam juste posse, qui nihil fecerit propria voluntate ; esse igitur peccatum et recte factum in libero voluntatis arbitrio (2) ; peccatum non esse in eis qui natura, non voluntate agunt, qui libero ad faciendum et ad non faciendum motu animi carent, quibus abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur (3) ; quæcumque est causa voluntatis, si ei non potest resisti, sine peccato ei cedi ; neminem enim peccare in eo, quod caveri

1. Cfr. Deut. xxx, 19 ; Eccli xxxi, 10 et 11 ; I Cor. vii, 57.
2. S. Augustinus, *Lib. octoginta trium quæstionum,* q. 24.
3. S. Augustinus, *De duabus animabus,* c. 12, n. 17.

non potest (1); ubi necessitas est, nec damnationem esse nec coronam (2), etc.; — *cf* luculenter explicatur a Scholasticis: sane, docente eorum principe Angelico, « incipit genus moris, ubi primo dominium voluntatis invenitur » (3); insuper « per actum proprium quis mereri non potest, nisi sit dominus sui actus: sic enim suum actum quasi pretium pro præmio dare potest. Est autem quis dominus sui actus per liberum arbitrium » (4). Jam vero « dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum et violentiam causæ exterius agentis » (5). « Quidam posuerunt quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur.... Hæc autem opinio est hæretica: tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas philosophiæ opiniones: quia non solum adversatur fidei, sed subvertit omnia principia philosophiæ moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum et punitio et laus et vituperium, circa quæ moralis philosophia consistit » (6). — Hinc merito ut hæreticæ damnatæ sunt propositiones, quibus asserebatur libertatem proprie dictam consistere in immunitate a coactione (7), adeoque immunitatem a coactione sufficere ad meritum et demeritum (8).

321. *Libertate a necessitate homo reipsa præditus.*

De facto autem hominem prædicta immunitate a vi determinante gaudere, philosophice constat tum ex proportione

1. S. Augustinus, *De libero arbitrio*, lib. III, c. 18, n. 50. — 2. S. Augustinus, *De natura et gratia*, c. 65, cum S. Hieronymo, *Cont. Jov.*, lib. 2. — 3. S. Thomas, in II, dist. 24, q. 3, a. 2. — 4. S. Thomas, *De verit.*, q. 29, a. 6.

5. S. Thomas, *Cont. gent.*, lib. I, c. 68. — 6. S. Thomas, *De malo*, q. 6.

7. Huc pertinent Baii propositiones 39ª: « Quod voluntarie fit, etiam si necessario fiat, libere tamen fit »; 41ª: « Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato »; 66ª: « Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. »

8. Huc pertinent Baii prop. 67ª: « Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessario facit; » et Jansenii 3ª: Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. »

inter potentiam apprehensivam et appetitivam, tum ex intimo conscientiæ testimonio, tum ex communi persuasione (1); constat etiam theologice, cum in scripturis multiplici formula homo dicatur relictus in manu consilii sui (2); a Patribus « liberum hominis arbitrium, quo vel bene vel male vivitur, ab omni vinculo necessitatis vindicetur » (3); atque unusquisque affirmetur habere « in voluntate aut eligere quæ bona sunt, et esse arbor bona, aut eligere quæ mala et esse arbor mala » (4); in conciliis autem definiatur, Adæ prævaricatione liberum hominis arbitrium « minime extinctum esse, viribus licet attenuatum et inclinatum » (5), illudque gratiæ Dei « dissentire posse, si velit (6) ».

322. *Causa libertatis in homine est ratio, subjectum proprium est voluntas.*

Humanæ libertatis « radix est voluntas sicut subjectum » (7); scilicet « liberum arbitrium est voluntatis proprium, seu potius ipsa voluntas est quatenus in agendo habet delectus facultatem » (8). — At causa libertatis est ratio; ex hoc enim voluntas potest ad diversa ferri, quia ratio habere potest diversas conceptiones boni (9). — Hinc recte dicitur libertatem esse subjective et radicaliter in voluntate, præsuppositive et causaliter in ratione, consecutive in cæteris potentiis, quatenus scilicet a libera voluntate moventur (10).

323. *Hinc nullus actus liber qui non sit voluntarius.*

Nullus igitur est actus liber qui non procedat aliquomodo a voluntate; vicissim, in præsenti vita, nullus est actus voluntatis in bonum *particulare* tendentis, qui non sit liber; sola enim appetitio boni in communi, necessaria est: ubi ergo non agitur de felicitate in communi, convertuntur voluntarium et liberum (11). — Licet autem libertas sit in se perfectio et præstantissimum naturæ bonum, ista tamen libertatis extensio

1. Hæc libertatis demonstratio evolvitur et vindicatur apud philosophos christianos; cfr. v. g., inter recentiores, Meyer, *Inst. Jur. natur.*, tom. I, n. 110-112.

2. Eccli XIV, 15. — 3. S. Augustinus, *Contra Faustum*, lib. II, c. 5. — 4. S. Augustinus, *De actis cum Felice*, lib. II, c. 4. — 5. Conc. Trid., sess. VI, *De just.*, c. 1. — 6. Conc. Trid., sess. VI, can. 4 et 5; Jansenii prop. 2.

7. S. Thomas, 1-2, q. 17, a. 1, ad 2. — 8. Leo XIII, Encycl. *Libertas*.

9. S. Thomas, 1-2, q. 17, c. 1, ad 2: cfr. 1 p. q. 83, a. 1. — 10. Cfr. Suarez, *Metaph.*, disp. XIX, sect. 5; Taparelli, *Essai théor. de droit nat.*, lib. I.

11. Quo sensu cum veritate dici possit voluntatem esse liberam in *electione mediorum*, non in *finis intentione* explicat Suarez, *Metaph.*, disp. XIX, s. 8, n. 7 et seq.: cfr. etiam supra, n. 11.

qua voluntas in præsenti vita et bonum etiam infinitum recusare, et malum eligere valet, perfectio non est, sed imperfectio, quæ nec in Deo est, nec in Beatis (1). Qua de re optime docet Suarez, « operari libere non semper et in omnibus esse melius quam operari necessario ; sed regulam perfectionis esse, quod objectum ametur pro dignitate et capacitate ejus: ita ut si objectum sit summum ac summe necessarium, tota necessitate ametur ; si vero sit objectum minus bonum, aut non necessarium, actus etiam circa illud sit sub dominio diligentis. Et hac ratione Deus diligit se necessario, et alia libere, cum tamen actus ejus sub omni ratione perfectissimus sit: idem ergo dicendum est, servata proportione, in voluntate creata (2). »

Actus libere voluntarius merito dicitur per excellentiam humanus.

324. Cum actus liber procedat a principio operationis et modo operandi, quæ homini propria sunt, minime communia entibus inferioribus, solusque regulæ morum sit subjicibilis, ac consequenter solus valeat ad ultimum hominis finem consequendum, merito dicitur per excellentiam *humanus*. Ad rem S. Thomas: « Actionum, quæ ab homine aguntur, illæ solæ dicuntur humanæ quæ sunt propriæ hominis in quantum est homo ; differt autem homo ab aliis irrationalibus creaturis in quantum est suorum actuum dominus. Unde illæ solæ actiones vocantur proprie humanæ, quarum homo est dominus. Est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem; unde et liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis et rationis. Illæ ergo actiones proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt. Si quæ

1. Ita præclare Leo XIII, Encycl. *Libertas :* « Quoniam utraque facultas (ratio et voluntas) a perfecto abest, fieri potest ac sæpe fit, ut mens voluntati proponat quod nequaquam sit reapse bonum, sed habeat adumbratam speciem boni, atque in id sese voluntas applicet. Verum, sicut errare posse reque ipsa errare vitium est, quod mentem non omni parte perfectam arguit, eodem modo arripere fallax fictumque bonum, esto indicium liberi arbitrii, sicut ægritudo vitæ, est tamen vitium quoddam libertatis. Ita pariter voluntas, hoc ipso quod a ratione pendet, quando quidquam appetat quod a recta ratione dissideat, vitio quodam funditus inquinat libertatem, eademque perverse utitur. Ob eamque causam Deus infinite perfectus, qui cum sit summe intelligens et per essentiam bonitas, est etiam summe liber, malum culpæ velle nulla ratione potest, nec possunt propter contemplationem summi boni, beati cœlites. »

2. Suarez, *Metaph.*, disp. XIX, sect. 8, n. 21.

autem aliæ actiones homini conveniant, possunt dici quidem hominis actiones, sed non proprie humanæ, cum non sint hominis in quantum est homo (1). »

Caput II.

De actus liberi speciebus.

Actus liberi species præcipue distinguimus ratione immediati *principii* a quo procedit, et ratione *modi* quo ponitur. Nomine actus intelligimus tum operationis positionem, tum etiam omissionem; ad actum vero reducimus effectum ex eo consequentem.

325. *Actus elicitus :*

Si respiciatur principium a quo procedit, actus liber distinguitur in *elicitum* et *imperatum* (2).

Actus elicitus ille dicitur qui a voluntate procedit tanquam causa propria et immediata; ita videlicet a voluntate efficitur ut in eadem recipiatur et consummetur. — Jam vero « sunt sex actus a voluntate eliciti: tres circa finem, scilicet *simplex volitio, intentio* et *fruitio;* et tres circa media, scilicet *consensus, electio* et *usus activus*. His sex actibus voluntatis correspondent ex parte intellectus quinque actus dirigentes, et unus ex parte potentiarum executivarum: ex parte intellectus duo circa finem, scilicet *simplex apprehensio* et *judicium;* tres circa media, nempe *consilium* seu *consultatio, judicium practicum* seu discretivum mediorum, et *imperium;* ex parte potentiarum aliarum *usus passivus*. Quorum omnium actuum natura, ordo et œconomia hujusmodi sunt: *a|* Primus actus est simplex *apprehensio*, qua intellectus aliquid ut bonum apprehendit, et voluntati proponit: huic ex parte voluntatis respondet *simplex volitio,* quæ est nuda complacentia et appetitus inefficax boni propositi. — *b|* Hæc vero simplex volitio, si sit fortis, movet intellectum ad examinandum utrum istud bonum sit conveniens et acquisitu possibile; et fit secundus actus intellectus, qui dicitur *judicium,* proponens voluntati objectum ut conveniens et acquisitu possibile: illi judicio correspondet ex parte voluntatis *intentio*, quæ

volitio,

intentio,

1. S. Thomas, 1-2, q. 1, a. 1.

2. Cfr. de hac distinctione S. Thomas, 1-2, q. 8-17, ubi ejus commentatores; Suarez, *De vol. et invol.*, disp. VI-X.

est secundus voluntatis actus circa finem, quo scilicet tendit in finem ut per media assequibilem. — *c/* His quatuor actibus positis circa finem, vi intentionis, intellectus movetur et applicatur ad inquirenda media fini obtinendo congrua, et fit tertius

consensus, actus intellectus, primus circa media, qui dicitur *consilium,* seu consultatio de mediis: huic respondet ex parte voluntatis *consensus,* quo approbat et appetit utilitatem mediorum. — *d/* Vi hujus consensus applicatur intellectus ad discernenda quæ sint media aptiora, et est quartus actus intellectus, qui

electio, dicitur *judicium practicum* seu discretivum mediorum, cui respondet ex parte voluntatis *electio,* qua unum medium præ alio acceptat. — *e/* Tum vi electionis applicatur intellectus ad intimandam et imperandam executionem mediorum, fitque

usus, quintus et ultimus actus intellectus, qui dicitur *imperium,* cui ex parte voluntatis respondet *usus activus*, seu applicatio potentiarum executivarum. — *f/* Huic applicationi activæ respondet ex parte potentiarum voluntati subditarum *usus passivus,* seu ipsa executio mediorum, virtute cujus finis acquiritur, cui

fruitio. tandem succedit ex parte voluntatis *fruitio,* quæ est jucunda quies in fine possesso. — Hi ergo duodecim actus ad opus morale concurrunt, quando non præcipitanter, aut ex sola imaginatione, sed prudenter et mature peragitur, licet, quia admodum subito fiunt et sibi succedunt, vix ab ipso operante percipiantur et discernantur (1). »

Actus imperatus Actus *imperatus* ille dicitur, qui immediate non procedit a voluntate, sed ab alia potentia voluntati subjecta et per eam

intellectus, mota (2). Jam vero *a/* intellectus liberæ voluntati subjacet quoad *applicationem*, non tamen absolute, ut patet ex distractionibus quibus unusquisque obnoxius est; quando semel

1. Hæc fere ad verbum desumpta sunt ex Billuart, *De act. hum.*, diss. III, prol. Plenissima omnium explicatio habetur apud S. Thomam ejusque expositores, 1-2, q. 11-16 ; Suarez, *De vol. et invol.*, disp. VII-IX.

2. Ad rem Theod. Meyer, *Inst. jur. nat.*, I, 93 : « Quanquam imperare proprie rationis sit, hoc suo munere tamen ratio fungi nequit nisi cooperante voluntate. Unde merito voluntati rationali imperium tribuitur. Per imperium autem voluntatis intelligimus actum voluntatis facultates sibi subjectas ad actum applicantis secundum legem unionis substantialis inter corpus et animam. Porro ejusmodi imperium vocatur *absolutum* vel *non absolutum*, prout ei ab aliis potentiis nulla prorsus aut aliqualis resistentia opponi potest : illud a veteribus *despoticum,* hoc *politicum*, translato ab imperio civili vocabulo, vulgo dicebatur. »

applicatus fuerit, nullimode voluntati directe subjacet quoad veritatis *perceptionem:* nihilominus aliquo modo subjacet ei indirecte, in quantum affectus in judicium influit; quoad *adhæsionem* vero, intellectus voluntati subjacet, si veritas non appareat evidenter, secus si evidenter appareat. — *b/* Sensus externi voluntati liberæ subjacent quoad *applicationem,* aversionem ab objectis, objectorum remotionem ; non autem, si semel applicati fuerint, a voluntate pendent quoad *sensationem* seu impressionem. — *c/* Appetitus sensitivus nonnisi imperfecte voluntati subjacet : potest quidem voluntas appetitus sensitivi motus excitare sensibus, cogitatione, phantasia et memoria : potest etiam mediis oppositis eos compescere ; at sæpe hujusmodi motus contra voluntatem oriuntur sive ex objectorum impressione, sive ex corporis dispositione, ex pravis habitibus, etc. : unusquisque enim experitur aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ (1) — *d/* Vis motrix, ad vitam animalem pertinens, voluntati subjacet, saltem si membra sint sana et expedita. — *e/* Vitæ vegetativæ functiones, ut nutritio, generatio (passiva), non pendent a voluntate ; earum tamen nonnullæ indirecte vel ex parte a voluntate aliquatenus diriguntur, ut respiratio ; nec a voluntate pendent motus naturales in bonum vitæ vegetativæ consentaneum, ut fames et sitis : at vero a voluntate pendet exercitium actuum quibus prædictis actibus satisfit. — « Tot igitur diversi actus liberi imperati distingui possunt, quot in homine potentiæ sunt voluntatis imperio subordinatæ. Quamvis enim omnes per voluntatis imperium in ratione formali actus voluntarii inter se conveniunt, singuli tamen suam propriam rationem actus propriamque denominationem habent ab ea facultate, a qua proxime procedunt. Notandum præterea, omnem actum imperatum, etsi physice compositum ex duplici elemento, ex actu scilicet principalis agentis et instrumenti, moraliter tamen unum esse ac dici (2). »

sensuum.

appetitus sensitivi,

facultatis locomotricis,

functionum vitæ vegativæ.

Explicata distinctio inter actum *elicitum* et *imperatum* confundi nequit cum disctinctione inter actum *internum* et *externum ;*

1. Rom., VII, 23.

2. Theod. Meyer, *op. cit.*, I, 93. Hæc omnia plenissime explicata habentur apud S. Thomam, ejusque expositores, 1-2, q. 17; Suarez, *De vol. et invol.*, disp. X.

omnis quidem actus elicitus est internus, at non omnis actus imperatus est externus : potest enim esse vel externus vel internus.

326. *Actus*

Si respiciatur *modus,* quo immediate vel mediate a voluntate procedit, actus liber distinguitur in *perfecte* et *imperfecte* voluntarium, in *pure* voluntarium et voluntarium involuntario *mixtum,* in voluntarium *actualiter* et voluntarium *virtualiter* (1).

perfecte vel imperfecte voluntarius,

Et quidem *a/* actus *perfecte* voluntarius dicitur, qui fit cum plena advertentia et pleno consensu ; ubi vero alterutrum ex his duobus deest, actus dicitur *imperfecte* voluntarius. — *b/ Pure* voluntarius dicitur actus, qui ponitur absque ulla resistentia ; *mixtus* autem cum involuntario dicitur, qui resistentiam conjunctam habet, quatenus eligitur ad majus malum vitandum : sic projectio mercium in mare metu naufragii est mercatori volontaria voluntario non puro sed mixto (2). — *c/* Actus

pure voluntarius vel mixtus,

1. Cfr. de his speciebus S. Thomas ejusque Commentatores in 1-2, q. 6; Suarez, *De vol. et invol.,* disp. 1, s. 4; Moralistæ passim. — Advertas tamen eisdem vocabulis apud diversos diversa significari : unde sedulo attendendæ uniuscujusque scriptoris explicationes.

2. Quod hic dicimus voluntarium *mixtum* a multis vocatur voluntarium *simpliciter;* hi autem voluntarium *simpliciter* opponunt voluntario *secundum quid,* non voluntario *puro :* juxta quem modum loquendi voluntarium *simpliciter* est involuntarium *secundum quid,* et involuntarium *simpliciter* est voluntarium *secundum quid.* Existimamus cum cl. Lehmkuhl, 1, 3, distinctionem, quæ exprimitur verbis *simpliciter* et *secundum quid,* applicandam esse involuntario potius quam voluntario. — Cæterum apud ipsum S. Thomam variatio quædam notari potest in usu prædictorum vocabulorum ; nam 1-2, q. 6, a. 6, ait, ea, quæ ex metu operamur, *simpliciter* esse voluntaria, et involuntaria *secundum quid ;* e contra 2-2, q. 142, a. 3, dicit ea, quæ ex metu fiunt, non esse *simpliciter* voluntaria, sed *mixta,* et in eodem loco, ad 3, affirmat ea, quæ ex timiditate peraguntur, *secundum quid* voluntaria esse, non *simpliciter.* Diversus iste modus loquendi explicari potest cum Suarez, *De vol. et invol.,* disp. III, s. 1, n. 2, distinguendo significationem termini *simpliciter :* « Potest enim sumi vel ex parte *objecti* voliti, seu operationis quam voluntas eligit, vel ex parte *operantis,* seu eligentis ipsius. Priori modo.... idem est *simpliciter* quod *præcise et nude objectum considerando,* et sic recte dicitur, projectionem mercium in mare *simpliciter,* id est, *per se consideratam,* non esse voluntariam, quia ut sic abstrahitur ab alia utilitate vel necessitate : quamvis si quis recte consideret, in hoc loquendi genere, non tam est sermo de voluntario in actu, quam aptitudine, id est, quid illud objectum possit causare nude sumptum. Posteriori autem modo, id est, ex parte operantis, dicitur *simpliciter* voluntarium, quod de facto est volitum per actum absolutum et efficacem voluntatis ; unde talis actus dicitur voluntas *simpliciter.* In quo adhuc oportet advertere, hujusmodi *simpliciter* interdum excludere omnem mixtionem involuntarii, et hoc modo usus est hac voce D. Thomas in citato loco 2-2 ; sic enim ait : « ea quæ per timorem

actualiter vel virtualiter voluntarius.

voluntarius *actualiter* ille dicitur, qui procedit a voluntate hic et nunc exercita : *virtualiter* autem voluntarius ille dicitur, qui procedit a voluntate prius exercita, atque hic et nunc adhuc influente : actui voluntario actualiter attentio adest continuo ; virtualiter voluntario attentio adest initio, postea, licet non omnino desit, tamen remissa fit [1] : sic in viatore, qui *cupit optatam cursu contingere metam,* passus singuli, quos movet ad ad illam, sunt ipsi virtualiter voluntarii, etiam si ad singulos non attendat, imo de rebus omnino diveris cogitet ; pariter sacerdos, qui in principio missæ intentionem habuit consecrandi, tempore autem consecrationis distractus est, valide consecrat, quia actus consecrandi est ipsi voluntarius virtualiter ; eadem ratione, dum quis sacramenta conficit, etiam ad alia distractus, voluntarie dicitur sacramenta ministrare, quia ea conficit ex voluntate præcedente qua voluit officium suum præstare [2].

327. *Omissio libere voluntaria.*

Libere voluntaria est non solum actus positio, verum etiam ejusdem *omissio :* in primo casu adest voluntarium *positivum,* in altero *negativum.* — Advertendum autem est, non esse confundendam omissionem voluntariam cum voluntate omittendi : potest enim esse voluntas omittendi absque eo quod omissio sit voluntaria : sic omissio missæ voluntaria non est illi qui in carcere detinetur, etsi male dispositus missam audire nolit ; aliunde, juxta non paucos, potest esse omissio voluntaria absque ullo actu voluntatis, si nimirum voluntas,

---

fiunt, non sunt simpliciter voluntaria, sed mixta... Alio ergo modo dicitur *simpliciter* voluntarium, quod est absolute et efficaciter volitum per actum in suo genere pefectum, qui sufficiens sit denominare hominem absolute et simpliciter volentem, etiamsi habeat conjunctam seu admixtam imperfectam velleitatem aliquomodo contrariam. »

1. In quo consistat illa *vis* seu *virtus,* qua fit ut actus sit virtualiter voluntarius, diversimodo explicant teologi, Suarez, *De sacr.*, disp. XIII, s. 3, n. 6 ; Lugo, *De sacram. in gen.*, disp. VIII, s. 5, n. 75-89, *De pœn.*, disp. VII, s. 4, n. 40 ; Mastrius, *De sacram., in gen.*, disp. I, q. 7, n. 280 ; Haunoldus, *Theol. spec.*, lib. IV, tr. 2, n. 686 : cfr. Walsh, *De act. hum.*, n. 70-82. — Quidquid sit de hac quæstione speculativa, consentiunt omnes voluntatem prius elicitam tamdiu influere, quamdiu agens sui compos et humano modo operans, etsi nihil de intentione priore cogitet, tamen sit in ea animi dispositione ut reflectens supra se, vel interrogatus quid aut quare agat, statim alleget suam priorem intentionem et respondeat : hoc facio propter illud.

2. Cfr. Sporer, *De act. hum.*, s. III, ass. 4, § 2, n. 21.

postquam intellectus ad aliquid faciendum satis advertit, omnino passive se habet, nullo modo se determinando vel ad agendum vel ad non agendum (1).

328. *Effectus libere voluntarius*

Pariter libere voluntarius esse potest *effectus* ex actione vel omissione sequens. Ut autem definiatur quandonam voluntarius censeri debeat, præ oculis habendum est, effectum ex actione vel omissione aliquando sequi *per se*, aliquando *per accidens:* sequitur *per se,* quando in actione vel omissione continetur; *per accidens* sequitur, quando continetur in alio, et solum connexus est cum actione vel omissione, quæ se habent per modum occasionis, aut conditionis; sic mors per se sequitur ex potenti veneno, debilitas corporis ex omissione refectionis; usuræ vero facinus per accidens sequitur ex mutui propositione; submersio navis fluctibus agitatæ, ex negatione auxilii. — Jam vero *a/* ut actionis vel omissionis effectus agenti vel omittenti voluntarius censeatur, semper requiritur α/ quod actio vel omissio libere locum habuerit, et β/ quod ipse effectus fuerit aliquomodo prævisus seu prævideri potuerit et debuerit, ita nempe ut ponens causam aliqualiter adverterit ex ea talem effectum exstiturum vel existere facile posse, aut saltem confuso modo obligationem noverit animum ad id advertendi. Duas illas conditiones necessarias esse, evidenter patet: primam, quia effectus non potest esse magis voluntarius et liber quam est sua causa: sane quod non procedit immediate a libera voluntate, liberæ voluntati attribui nequit nisi quatenus illud, a quo immediate procedit, sit voluntarium et liberum; alteram, quia nihil voluntarium, quin sit cognitum. — *b/* Si effectus ex actione vel omissione sequatur *per se*, duæ prædictæ conditiones sufficiunt, nihil aliud requiritur. Cum enim effectus totus contineatur in actione vel omissione, nec ab ea sit separabilis, qui libere actionem ponit vel omittit, effectum ipsum censetur admitterre (2). — *c/* Si autem effectus

1. Cfr. de hac quæstione S. Thomas, cum Commentatoribus, 1-2, q. 6, a 3; q. 71, a. 5; in 2um, dist. 25, a. 3; *De malo,* q. 11, a. 1, ad 2; Suarez, *De vol. et invol.*, disp. 1, s. 5; Platel, *Syn.*, tom. II, n. 14; Billuart, diss. 1, a. 3, etc.

2. Ita Suarez, *De vol. et invol.*, disp. 1, s. 4, n. 8: « Talis effectus per se censetur oonstituere unum et ad eamdem speciem pertinere cum sua causa. Et hoc sensu habet verum, quod dici solet: qui vult antecedens, vult etiam

ex actione vel omissione sequatur *per accidens,* præter duas conditiones assignatas, requiritur quod adfuerit obligatio actionem omittendi vel ponendi intuitu hujus effectus. Ratio est, quia, cum iste effectus in actione vel omissione physice non contineatur, sed in alia causa, sola obligatio eum impediendi efficit moralem ipsius connexionem cum actione vel omissione (1): ubi ergo hujusmodi obligatio deest, effectus non dicitur voluntarius, sed *permissus* (2). — Advertatur tandem, posse effectum voluntarium esse tum *in causa* tum *in se,* casu quo a ponente causam intendatur; posse etiam esse voluntarium in causa, in se vero involuntarium, si nimirum in se displiceat (3); vicissim posse effectum, in causa mere permissum, esse in se volitum, si nempe in se placeat. *et mere permissus.*

329. *Voluntarium et volitum:*

Ex dictis intelligitur quæ sit differentia inter *voluntarium* et *volitum.* Voluntarium enim est, quod procedit a voluntate, volitum autem illud, in quod voluntas tendit. Omne quidem

consequens, sufficienti cognitione supposita. Unde in hujusmodi voluntario præceptum solum ad hoc conferre potest, ut illud voluntarium sit turpe vel honestum ; nam si effectus v. g. prohibitus sit, necesse est ut sit etiam prohibita causa, ex qua per se et ex præcisa virtute illius sequitur talis effectus; nam cum hæc duo sunt inseparabilia physice, multo magis erunt moraliter. »

1. Sic rursus Suarez, l. c., n. 9 : « Ut aliquid sit voluntarium, prout nunc de illo agimus, necessarium imprimis est, ut sit volitum, et deinde ut sit aliquomodo a voluntate ; nihil autem hic invenitur, secluso præcepto. Primum patet, quia aliud est esse *permissum,* aliud esse *volitum,* ut constat ex communi sensu hominum, et ex ipsa vocum significatione; nam permissum abstrahit, seu præscindit a voluntario et involuntario. Sed in eo casu talis effectus solum est permissus, seclusa obligatione, et ideo non imputatur ad culpam, etiamsi malus sit ; item ille effectus non est volitus in se, ut constat, neque in alio, quia non continetur virtute in illo; ergo nullo modo est volitus, ergo ex hoc capite non est voluntarius; unde neque esse potest a voluntate tanquam a causa, quia voluntas nihil causat nisi volendo ; item quia mere per accidens sequitur ex eo quod voluntas vult. Secus vero si superaddatur voluntas transgrediens tale præceptum, censetur etiam causa moralis effectus subsecuti, et ideo illi attribuitur tanquam voluntarie causanti ; non enim est causa omnino necessaria aut naturalis : est ergo voluntaria ; ratio vero reddi potest, quia ratione præcepti illa causa et effectus ex illa secutus, quamvis physice tantum per accidens connectantur, nec unum sit causa alterius, tamen moraliter censentur habere rationem unius objecti disconvenientis, seu evitandi a voluntate, et ideo voluntas unius censetur virtualis voluntas alterius ; item addi potest, quod, non existente præcepto, effectus qui omnino per accidens sequitur, non pertinet ad voluntatem; ratione autem præcepti pertinet ad illam moraliter, quia tenetur vitare illud quoad possit, et ideo, si non faciat, censetur moralis causa illius. »

2. Cfr. Platel, *Syn.,* II, 21-25. — 3. Cfr. Suarez, l. c., n. 12.

voluntarium est aliquo modo volitum, cum non possit quidquam a voluntate procedere, in quod voluntas non feratur; at non omne volitum est voluntarium, cum voluntas possit quam plurima appetere, quæ producere nequit: sic pluvia est agricolæ volita, non voluntaria. Cæterum ad *volitum* generatim sumptum potius quam ad *voluntarium* stricte dictum referuntur distinctiones *expliciti* et *impliciti, absoluti* et *conditionati, efficacis* et *inefficacis, actualis* et *habitualis, realis* et *interpretativi, expressi, taciti* et *præsumpti*. Et quidem *a/ Explicite* volitum dicitur, quod intenditur in terminis seu concepto proprio et distincto, v. g. si baptizaturus dicat: ego volo baptizare; *implicite* volitum illud est, quod intenditur aliquo conceptu confuso et generali, v. g. si baptizaturus dicat: volo facere quod Christus instituit, quod Ecclesia his facit vel intendit (1). — *b/ Absolute* volitum est illud, in quod voluntas tendit absque restrictione; *conditionate* volitum est illud, in quod voluntas tendit cum restrictione ad præsentiam alicujus circumstantiæ (2). — *c/* Volitum *efficaciter* dicitur illud, quod explicite vel implicite importat revocationem oppositi, simul cum ipso, propter ignorantiam, errorem vel oblivionem concurrentis; *inefficaciter* volitum illud dicitur, quod in concursu cum altero revocatur: exemplum habes in eo qui vult consecrare sed non vult offerre sacrificium; qui vult contrahere verum matrimonium, sed non vult administrare et suscipere sacramentum (3) — *d/ Actuale* (aut *virtuale*)

volitum explicite vel implicite,

absolute vel conditionate,

efficaciter vel inefficaciter,

actualiter vel habitualiter,

1. De voluntate implicita agitur sæpe in explicatione rei sacramentariæ; cfr. v. g. Franzelin, *De sacr. in gen.*, thes. XVI et seq.

2. Voluntas absoluta et conditionata consideratur præsertim ubi de votis, de contractibus, etc. — Accuratam *conditionis* propriæ dictæ notionem tradimus in tract. *De virt. relig.*, I, 326.

3. Hanc distinctionem subtiliter elucidat J. De Lugo, *De Sacram in gen.*, disp. VIII, s. 8, n. 121 et seq.: « Petes, in quo consistat ille modus volendi unum magis quam aliud; nam singulæ illæ voluntates secundum se videntur absolutæ, nec una respicit ullo modo ad objectum alterius, sed singulæ habentur seorsim et sine alterius memoria. Respondeo, a posteriori colligi et explicari illam diversitatem per hoc quod si v. g., sciret Eucharistiam non posse separari a sacrificio, non excluderet sacrificium; per hoc enim apparet affectum diverso modo tendere ad Eucharistiam, ad exclusionem vero sacrificii solum quatenus putat posse sacrificium separari ab Eucharistia, atque adeo aliquo modo conditionate... Re tamen ipsa est modus intrinsecus diversus tenens se ex parte ipsius actus voluntatis: nam altera volitio habet in se modum volendi magis universalem, altera magis limitatum et coarctatum. Quod potest multis exemplis declarari. Primo, si hodie velis sacrum crastinum omnino applicari pro Petro, ita ut hæc

volitum est illud, quod est objectum voluntatis hic et nunc elicitæ vel perseverantis ; *habituale* volitum est illud, quod est conforme voluntati prius elicitæ et nondum retractatæ, nullo tamen modo nunc influenti (1). — *e*/ Volitum *reale* illud dicitur, quod de facto est objectum voluntatis ; *interpretativum* autem vocatur, quod de facto non est voluntatis objectum, foret tamen si aliquid cognosceretur (2). *f*/ Volitum *expressum* dicitur, quod verbis vel signis æquivalentibus declaratur ; *tacitum* dicitur, quod ex silentio vel potius ex silentii circumstantiis certo deprehenditur (3) ; *præsumptum,* quod ex rationa-

realiter vel interpretative,

expresse, tacite,

præsumptive.

---

applicatio ex nunc præferatur cuilibet ex oblivione hujus faciendæ ; cras vero applices sacrum pro alio, non censebitur revocata applicatio hodierna, quia fuit magis universalis et revocatoria crastinæ... Tertio, si quis facit votum non vovendi nisi consulto confessario, et ex nunc vult non vovere valide, nisi ea conditione posita ; postea si immemor hujus voluntatis voveat, votum non valet, nisi eo esset affectu, ut, etiam si recordaretur, vellet vovere... quia nimirum prior voluntas fuit magis universalis... Consistit autem hæc major universalitas in reflexione quadam formali vel virtuali quam una voluntas habet supra alteram ad revocandam illam et non e contra, ut in adductis exemplis. »

1. Voluntas habitualis attenditur quando sermo est de validitate donationis vel acceptionis : sic voluntas semel habita et non retractata seu habitualis sufficit ad sacrificii applicationem ; cfr. Lugo, *De sacram. in gen.*, disp. VIII, n. 72 ; eadem voluntas sufficit ad sacramentorum susceptionem ; cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 81.

2. Voluntas interpretativa in uno sufficere potest ut alter licite agat ; ita Suarez, *De vol. et invol.*, disp. I, s. 4, n. 4 : « Hæc interpretatio potius deservit ut actio censeatur non esse contra voluntatem alterius, v. g. amici, superioris, quam ut censeatur esse ab ejus voluntate, et ideo dico non esse voluntariam illi, neque involuntariam : quod est observandum ad ferendum judicium in rebus moralibus quæ pendeant ex voluntate alterius, et interdum dici solet sufficere in eis voluntatem interpretativam. Sed oportet distinctione uti : nam si ad honestatem actus sufficit quod non sit alteri involuntarius, v. g., quod non sit prohibitus a superiore, tunc satis erit voluntas interpretativa, si revera, moraliter loquendo, talis sit. Si autem necessaria est positiva voluntas, seu positivus influxus alterius procedens ex voluntate ejus, tunc satis non erit interpretativa voluntas prædicto modo explicata, quia revera nulla est ut dixi ; ut in materia de confessione, si ad valorem actus necessaria est jurisdictio a superiore collata, non sufficit prædicta interpretatio, sed necesse est ut aliquo modo constet de superioris voluntate. » Cfr. idem Suarez, *De Rel.*, tr. VII, lib. 8, c. II ; Sanchez, *Dec.* lib. VII, c. 19 ; Lugo, *De just.*, disp. III. s. 7 ; disp. XXI, s. 4, n. 56, etc.

3. Huc pertinent regulæ juris in *Sexto*, 43ª et 44ª : « Qui tacet, consentire videtur. » — « Qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur. » Prioris, quæ *consensum* respicit, sensus est : « Qui tacet, in favorabilibus consentire videtur ; qui vero in præjudicialibus tacet, tunc consentire videtur, quando contradicendo, vel expresse dissentiendo facile posset impedire id de quo agitur, et in contrarium nulla conjectura apparet. » Posterioris, quæ ad *confessionem* et *negationem* refertur sensus est : « Qui

bilibus indiciis conjecturaliter colligitur ; præsumptio enim definiri solet : rei incertæ probabilis conjectura (1).

330. *Involuntarii notio,*

Involuntarium, licet latiori sensu dicatur quidquid non est voluntarium, proprie tamen de eo effertur, ergo quod voluntas contrarie se habet. Quod si voluntas ad aliquid se habeat negative, adeo ut efficaciter nec prosequatur, nec aversetur, id neque voluntarium proprie est, nec involuntarium, sed melius dicitur *non voluntarium*. Jam vero involuntarium distinguitur in involuntarium *simpliciter* et involuntarium *secundum quid* : involuntarium *simpliciter* dicitur, quod voluntas neque ullo modo causavit, neque desiderat, sed potius adversatur et impedire conatur ; involuntarium *secundum quid* illud dicitur, quod velleitate vel condionata voluntate homo aversatur, attamen absoluta voluntate et efficaci amplectitur, ita ut involuntarium *secundum quid* simul sit *simpliciter* voluntarium (2).

ejusque distinctio in involuntarium simpliciter et involuntarium secundum quid.

Caput III.

De actus liberi impedimentis.

331. *Voluntarii impedimenta generalia :*

Inter actus liberi *impedimenta* primo loco veniunt illæ mentis et corporis dispositiones in quibus homo non est *sui compos* et se non possidet. — Hujusmodi dispositiones præcipuæ sunt: *a*/ Defectus rationis in infantibus, in adultis vero mentis alienatio sive perfecta sive imperfecta, sive totalis, quoad omnes actiones, sive partialis in uno actionum genere (monomania), sive permanens, sive transitoria v. g. occasione febris, hydrophobiæ, prægnationis et puerperii in feminis, morbi hysterici et epileptici (3) ; — *b*/ ebrietas, quæ potest esse plus minusve completa et variis causis procurata (4) ; — *c*/ somnus naturalis plenus vel semiplenus, itemque sopor causatus per ætherem, opium, aliudve simile elementum (5) ; *d*/ status somnam-

Defectus rationis et mentis alienatio,

ebrietas,

somnus,

ad interrogationem alterius tacet, regulariter nec confiteri, nec negare præsumitur. » Cfr. Reiffenstuel. In hh. rr.

1. Cfr. supra, n. 173 — 2. Cfr. supra, pag. 622, not. 2.

3. Utiles notiones theologus petere poterit a Physiologis, a Medicis, nec non a Jurisperitis qui quæstiones medico-legales tractarunt. Cf. varia opera A. Tardieu, Legrand du Saulle, Brière de Boismont, etc.

4. Cfr. S. Thomas, 2-2, q. 150, a. 4 — 5. Cfr. S. Thomas, in-4^{um} dist. 9, q. 1, a. 4. sol. 1 ; 1 p., q. 84, a. 8, ad. 2 ; 2-2, q. 154, a. 5 ; *De ver.*, q. 28, a. 3, ad. 6.

bulismi tum naturalis, tum artificialis seu hypnotici, in quo homo sub potestate alterius cadit, atque ab eo aliquo modo pendet in functionibus vitæ vegetativæ, animalis et rationalis ; possunt enim per sic dictam *suggestionem* provocari sensuum et mentis perturbationes etiam post somnum duraturæ ([1]); — *e/* obsessio diabolica, qua correpti aliquando in furorem conjiciuntur ([2]). — Ex prædictis dispositionibus aliæ sine voluntate patientis oriuntur, ut mentis alienatio, obsessio, aliæ communiter voluntati debentur, ut ebrietas et somnambulismus artificialis; si a voluntate non oriantur, neque voluntarii erunt actus in tali statu positi; si autem voluntati debentur, ipsi actus poterunt esse voluntarii, non tamen semper voluntarii erunt. ([3])

status somnambulismi naturalis et artificialis,

obsessio.

332. *Impedimenta specialia : ignorantia, concupiscentia. metus et violentia.*

Alia sunt actus liberi impedimenta quæ hominem afficiunt sui compotem. Cum enim libertas causaliter a ratione pendeat, formaliter in voluntatis indeterminatione consistat, et consecutive tantum ex influxu voluntatis competat aliis potentiis, deducitur, libertatem plus minusve impediri iis omnibus, quæ opponuntur vel objectorum cognitioni, vel voluntatis indeterminationi, vel imperio voluntatis in cæteras potentias. Jam vero cognitioni opponuntur *ignorantia,* error, inadvertentia; indeterminationi opponuntur *passiones* seu *concupiscentia,* et animi *affectiones,* præcipue *metus;* imperio voluntatis opponitur *violentia,* de quibus seorsim dicendum ([4]).

ARTICULUS PRIMUS.

De ignorantia.

Notiones et principia, quæ ignorantiam respiciunt, jam satis explicata sunt ([5]) : iis ergo suppositis, non est in præ-

1. Hujus loci non est inquirere de phænomenorum hypnoticorum charactere naturali vel supernaturali; nec de multiplici periculo mali physici et moralis, quod in hypnotismi operationibus continetur; sed tantum de influxu status hypnotici in voluntarium et liberum. — Diversa hypnotismi phænomena descripta habentur apud Desplats, *Le passé, le présent et l'avenir du magnétisme animal;* Bernheim, *De la suggestion;* Lefebvre, *De l'hypnotisme;* Masoin, *Les dangers du magnétisme animal.*

2. Matth., viii, 28 : cfr. Benedictus XIV, *De Beat. et Canon.*, lib. iv, c. 29.

3. Cfr. supra, n. 328.

4. Cfr. S. Thomas, 1-2, q, 6; Suarez, *De vol. et invol.*, disp. 2-4.

5. Cfr. supra, n. 78, 164 et seq.; 191 et seq.; 264-270; 276-279, 280.

senti agendum nisi de influxu ignorantiæ et inadvertentiæ in voluntarium ac liberum. (1)

333. *Ignorantia omnino invincibilis voluntarium et liberum tollit:*

Jam vero *illud quod fit ignoranter ignorantia omnino invincibili, sive hæc antecedens sit sive concomitans, nec liberum nec voluntarium est secundum id quod ignoratur.* Ratio obvia est : tale enim factum non est voluntarium *in se,* siquidem ignoti nulla cupido; nec voluntarium est in ignorantiæ causa, cum ignorantia supponatur omnino invincibilis. (2) — Dicimus ignoranter factum liberum et voluntarium non esse *secundum id quod ignoratur ;* sub alio enim respectu liberum et voluntarium esse poterit : sic illi qui hominem plumbo interficit putans esse feram, libera, ac voluntaria est plumbi emissio, sed voluntaria non est plumbi emissio in hominem. — Ignoranter factum vocari debet *involuntarium,* si ignorantia sit antecedens, et *non voluntarium,* si ignorantia sit concomitans (3). — Posita assertio intelligenda est non solum de casu ignorantiæ completæ, ubi res penitus latet, sed etiam de casu ignorantiæ incompletæ seu dubii invincibilis : qui v. g. prætermittit obligationem mere probabilem, voluntarie quidem suscipit periculum legem transgrediendi (quod periculum subire potest), at non voluntarie legem transgreditur formaliter obligantem (4).

---

1. De ignorantia agitur variis locis sub vario respectu, nempe: in ordine ad voluntarium, liberum et peccatum: cfr. S. Thomas, 1-2, q. 6, a. 8 ; q. 19, a. 6 ; q. 76, a. 3 et 4 ; *De Malo,* q. 3, a. 8 ; Suarez, *De vol. et invol.,* disp. IV, etc.; — in ordine ad legum pœnalium et irritantium applicationem: cfr. supra, n. 164 ; — in ordine ad dispensationum validitatem ; cfr. supra, n. 191 et seq.; — in ordine ad valorem voti et juramenti: cfr. tract. noster *De virt. relig.,* I, n. 319 et seq.; — in ordine ad bonam fidem præscriptioni necessariam, valorem contractuum, damni illationem : cfr. J. De Lugo, *De just. et jure,* disp. VII, s. 3, disp. VIII, s. 3, disp. XXII, s. 6, etc.; — in ordine ad matrimonii validitatem: cfr. Sanchez, *De matrim.* lib. VII, disp. 18, etc. — Exstat Chrys. Filippini opus speciale, *De privilegiis ignorantiæ,* ubi disquiritur quando quibusve in casibus per ignorantiam a peccato quis excusetur, nec non a censuris, a pœnis ecclesiasticis, aut a gravamine alio spirituali vel temporali liberetur; enumerantur autem hujusmodi ignorantiæ privilegia bis centum triginta quatuor (234).

2. Cfr. supra, n. 276 et præsertim n. 165, p. 383, sub *b*), ubi ostensum est in præsenti non esse distinguendum inter ignorantiam *antecedentem* et *concomitantem ;* dispositio enim habitualis, vi cujus ignorantia dicitur concomitans, efficit quidem ut actus censeatur placere, sed non efficit ut voluntarius dici possit.

3. Cfr. supra, n. 330. — 4. Cfr. supra, n. 299, n. 300.

Illud quod fit ignoranter ignorantia hic et nunc invincibili, olim tamen vincibili, nec voluntarium, nec liberum est in se, sed vel involuntarium est vel non voluntarium, prout ista ignorantia fuerit antecedens vel concomitans; *potest tamen esse voluntarium et liberum in causa*, si nimirum prævisum fuerit et præcaveri debuerit (1), — Advertendum autem est, hic agi de ignorantia vere vincibili ; cum ignorantia autem vincibili confundi non posse ignorantiam contractam per culpam personæ, et multo minus per culpam naturæ. Hinc merito damnata est Jansenianorum doctrina, nullam ignorantiam juris naturæ excusare, quia est voluntaria in sua causa, sc. peccato Adami (2).

ignorantia actualiter invincibilis tollit voluntarium in se, sed relinquit voluntarium in causa:

Illud quod fit ignoranter ignorantia actualiter vincibili, voluntarinm et liberum est, saltem implicite ; generatim tamen minus voluntarium est quam si scienter fieret. Ratio primæ partis assertionis est, quia ignorantiæ vincibilitas actualis supponit objecti apprehensionem aliquam confusam, vel suspicionem, vel cogitationem de necessitate inquirendi et sciendi : quæ si negligantur, censetur objectum approbari quale est, adeoque implicite intendi. — Ratio secundæ partis assertionis est, quia eo minus voluntarium est aliquid, quo minor habetur illius cognitio, in casu autem nostro non habetur nisi cognitio valde confusa aut suspicio quædam de re congnoscenda (3). Dicimus hujusmodi ignorantiam voluntarium minuere *generatim*, quia a

ignorantia actualiter vincibilis voluntarium non tollit, sed minuit.

1. Cfr. supra, n. 328 ; similia diximus etiam n. 277.

2. Prop. 2ª ex damnatis ab Alexandro VIII: « Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato mortali. » Ita Viva, in h. p., n. 1: « Descendit hæc propositio ex principiis et erroribus Baii et Jansenii, contendentium hominem peccare etiam damnabiliter in eo quod necessario facit, et ad demerendum in natura lapsa non requiri libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem indifferentiæ solum in causa, nempe in libertate Adæ peccantis. Cum enim laborans ignorantia invincibili juris naturæ careat notitia inhonestatis objecti, et quidem necessario careat (aliter ignorantia non esset invincibilis), caret proinde voluntarietate, cum nihil sit volitum quin præcognitum; caretque pariter libertate relate ad illam, siquidem omne liberum debet esse voluntarium; atque adeo citra libertatem incideret in peccatum formale. Verum quia ignorantia isthæc juris naturalis est pœna peccati, quam poteramus præcavere, si in Adamo non lapsi fuissemus, ideo docent Novantes isti cum Jansenio Ypr. lib. 2 de statu naturæ lapsæ c. 2 et seq. et Sinnichio in Saule ex-reg. lib. 1, c. 96, peccatum ex ignorantia invincibili juris naturalis patratum esse nobis sufficienter imputabile, utpote liberum libertate indifferentiæ in causa sua. » — 3. Cfr S. Thomas, 1-2, q. 76, a. 3 et 4; supra n. 278.

nonnulis excipitur ignorantia quædam affectata (1); verum talis exceptio nobis non videtur admittenda (2).

334. *Oblivio et inadvertentia.*

Quæ de opere ignoranter facto statuta sunt, pariter intelligi debent de opere facto ex *oblivione* aut *inadvertentia*. Hæc enim ad ignorantiam reducuntur, neque ab ea differunt nisi quod frequentius absque culpa contingunt quam ignorantia proprie dicta, cum, pro humana infirmitate, illas evitare plurimum non sit in nostra potestate. — Cum inadvertentia tamen confundi non potest *inconsideratio* illa habitualis qua multi, rerum temporalium cupiditatibus immersi, vix attendunt ad moralem respectum actionum: hujusmodi enim inconsideratio non tollit nec minuit voluntarium in actu, etiam sub illo respectu qui non consideratur, v. g. quatenus præcepti violationem implicat (3).

ARTICULUS SECUNDUS.

De passionibus seu de concupiscentia.

335. *Passionis notio generica.*

Passio est motus appetitus sensitivi bonum sensibile prosequens vel malum sensibile fugiens, præsertim cum aliqua corporis alteratione. — Et quidem motus appetitus sensitivi *concupiscibilis,* quibus in bonum sensibile tenditur vel a malo refugitur quatenus simpliciter gratum est vel ingratum, sex numerantur, tres scilicet ad boni prosecutionem pertinentes, *amor*, *desiderium* (concupiscentia), *gaudium* (delectatio); tres alii ad aversionem pertinentes, *odium*, *horror* (fuga), *tristitia* (dolor). — Motus autem appetitus sensitivi *irascibilis,* quibus in bonum tenditur vel a malo refugitur quatenus arduum est ac difficile, quinque solent enumerari, duo ad boni prosecutionem pertinentes, *spes* et *audacia,* tres pertinentes ad aversionem a malo, *desperatio, timor, ira*. — Motus appetitus sensitivi concupiscibilis a quibusdam dicuntur passiones *originariæ;* motus vero appetitus sensitivi irascibilis dicuntur passiones *derivatæ* (4). — Omnium passionum principium est *amor:* amor enim et propensio in bonum ratione priora sunt odio et aver-

et præcipuarum passionum enumeratio.

1. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 76, a. 4.
2. Cfr. S. Bonaventura, in II dist. 22, a. 2, q. 3; supra, n. 165.
3. Cfr. Suarez, *De vol. et invol.*, disp. IV, s. 3; supra, n. 281, ubi de conscientia laxa. — 4. Cfr. Theod. Meyer, *Inst. jur. nat.*, I n. 119.

sione a malo, sicut bonum ratione præcedit privationem boni seu malum; insuper omnis motio incipit ab amore, transit in desiderium et terminatur delectatione, ut præclare loquitur S. Augustinus: « Amor inhians habere quod amatur, cupiditas est; id autem habens eoque fruens, lætitia est: fugiens quod ei adversatur, timor est : idque si acciderit sentiens, tristitia est (1). » — Licet concupiscentia stricte sumpta sit una ex passionibus, theologi tamen, ubi agunt de concupiscentiæ influxu in voluntarium et liberum, intelligunt nomine concupiscentiæ quamvis passionem.

336. *Distinctio passionis in voluntariam et non voluntariam,*

Ut autem intelligatur quisnam sit passionum influxus in liberam hominis activitatem, sequentes distinctiones præ oculis habeantur oportet (2). Imprimis *a/* passio, (concupiscentia, motus appetitus sensitivi), distingui debet in *voluntariam* et *non voluntariam;* et quidem aliquando est actualiter voluntaria et in se volita, si videlicet studiose excitetur ad promptiorem et intensiorem operationem, prout facere solent qui volunt vindictam de injuria sumere, pœnam exigere, etc. : aliquando est actualiter voluntaria, non tamen in se volita, si nimirum per quamdam redundantiam oriatur ex vehementi actu voluntatis, vel si alium actum voluntarie et cum prævisione positum, v. g. lectionem libri, ambulationem per aliquem locum, etc. præter intentionem consequatur : aliquando est præcedenter voluntaria, actualiter tamen involuntaria : tandem aliquando neque actualiter neque præcedenter, neque in se neque in causa voluntaria est, sed sponte exurgit sive ex fortuito aspectu rei delectabilis, sive ex corporis dispositione, absque ulla deliberatione intellectus vel consensu voluntatis. — *b/* Distingui deinde debet in *antecedentem* et *concomitantem :* *antecedentem et concomitantem*

1. S. Augustinus, *De civit. Dei,* lib. XIV, c. 7.

2. Hoc loco unice agimus de passionum influxu in libertatem ; — alibi, sc. in philosophia, ostenditur, appetitus sensitivi motus in se naturales esse utiles, cum eorum munus, a Creatore intentum, sit ut vim, robur, efficaciam atque constantiam humanæ activitati addant ; — in theologia autem dogmatica ac polemica explicatur qua ratione, in præsenti statu, motuum inordinatio et rebellio contra rationem sit peccati originalis sequela ; cfr. Casini, *Quid est homo,* a. 4 ; Scheeben, *Theol. dogm.,* lib. III, § 155, n. 548 et seq. ; — præterea in theologia pratica expenditur quandonam prædicti motus sint moraliter boni aut pravi. De passionibus late tractat S. Thomas, 1-2, q. 23-48, ubi legantur Commentatores ; Suarez, 1-2, tr. IV, disp. 1.

antecedens dicitur, quæ est causa actus, quatenus voluntatem prævenit eamque allicit ad actum ponendum ; concomitans dicitur, quæ determinationi voluntatis conjungitur aut accedit. — *c*/ Præterea, pro majore vel minore vehementia inclinationis in bonum sensibile, distinguitur in *gravem* et *levem* : passionis vehementio seu gravitas pendet a vivacitate apprehensionis objectorum, a promptitudine naturalis inclinationis facultatum in objectum congruum, ab interna complexione et abundantia humorum ac spirituum animalium, ab habituali negligentia in iis motibus refrænandis ac dirigendis, etc.

gravem et levem.

337. *Passio antecedens auget voluntarium, minuit liberum ;*

Jam vero *illud quod fit ex passione, generatim magis voluntarium est quam si ex ea non fieret, sed est minus liberum :* aliis verbis, passio antecedens per se auget voluntarium, minuit liberum. Ratio primæ partis assertionis est, quia passio efficit ut bonum apprehensum appareat majus et voluntas intensius illud appetat ; per accidens tamen contingere potest ut illud, quod fit ex passione, sit involuntarium secundum quid ; exemplum habetur in iis, qui talis aut talis passionis vim atque tyrannidem sentiunt, et quasi inviti ei cedunt. — Ratio secundæ partis est, quia passio minuit indifferentiam, quatenus offuscat intellectum eumque impedit ne in objecto rationem mali consideret ob quam respueretur : hinc unusquisque dicitur tentari a concupiscentia sua abstractus et illectus (1). — Licet autem passio (præsertim si habitu aucta fuerit) tanta esse possit ut subjecto quasi violentiam inferat, nunquam tamen libertatem omnino tollit, nisi usum rationis totaliter perturbet et voluntarium impediat (2). — Advertendum autem est, quod passio antecedens prorsus involuntaria liberum absolute minuat, antecedens vero voluntaria, efficiat quidem opus minus liberum in se, relinquat tamen ipsum liberum in causa.

passio vero concomitans aliquo modo auget vo-

Illud quod fit cum passione redundante vel accedente, magis voluntarium dici potest, quam si fieret sine ea, non est tamen minus liberum : aliis verbis, passio concomitans aliquo modo auget voluntа-

1. Jac., 1, 14. — 2. Ita S. Thomas, 1-2, q. 6, a. 7 ad 3 : « Si concupiscentia totaliter cognitionem auferret, sicut contingit in illis qui propter concupiscentiam fiunt amentes, sequeretur quod concupiscentia voluntarium *(et consequenter liberum)* tolleret ; nec tamen proprie esset ibi involuntarium, quia in his quæ usum rationis non habent, neque voluntarium est, neque involuntarium. » Cfr. 1-2, q. 77, a. 7.

rium. Ratio primæ partis est, quia hujusmodi passio non solum est signum voluntatis intensæ, verum etiam appetitus intensitatem acuit. — Ratio secundæ partis est quia operans censetur ad actum determinatus ante appetitus sensitivi motum. Nihilominus passio concomitans efficere potest atque non raro efficit ut in ipso actus exercitio operans sit minus sui compos, et ulterius progrediatur quam prius constituerat ; hoc autem casu prædicta passio evadit quasi antecedens relate ad actus prosecutionem.

luntarium, at non influit in liberum.

Passionum influxui jungi potest influxus *habituum* (1). Est enim habitus constans inclinatio iteratis actibus comparata ad similes actus ponendos. — Hujusmodi inclinatio *facultati* superadditur, adeoque afficere potest vel *intellectum* et *appetitum rationalem,* vel *sensus* et *appetitum sensitivum,* vel *potentias executrices* (2). Dicitur autem *actualiter voluntaria,* quando advertenter comparata fuit nondum est efficaci proposito retractata : imo, si inadvertenter comparata fuit, quando non est retractata postquam habita est ipsius conscientia ; *actualiter involuntaria et voluntaria antecedenter,* quando advertenter est comparata, vel saltem advertenter aliquamdiu retenta, sed jam efficaci proposito fuit retractata ; *omnino involuntaria,* quando inadvertenter comparata fuit, et efficaci proposito retractata est, statim ac ejus adfuit conscientia. — Jam vero habitus ipsum appetitum rationalem afficiens, voluntarium non minuit sed potius auget, quia voluntarii elementa, apprehensionem et propensionem perficit ; liberum tamen minuere potest, minuendo indifferentiam ; habitus vero appetitum sensitivum afficiens passiones plurimum auget, ac proinde liberum, per modum cujusdam tyrannidis, minuit (3) : exemplum habetur in habitibus pravis

338.
Influxus habituum.

1. Cfr. supra, n. 21 ; et præter auctores indicatos p. 186, not. 2, Theod. Meyer, *Inst. jur. nat.*, n. 130-139.

2. Dicimus *afficere,* ut præscindamus a quæstione de *subjecto* habituum : nimirum « habitus *stricte dicti* vulgo non censentur neque nominantur nisi illi, qui in homine reperiuntur, et primario quidem ac proprie in potentiis rationalibus, intellectu scilicet et voluntate, in inferioribus autem potentiis secundario et per participationem. » Meyer, *Op. cit.*, n. 135.

3. Id intelligi debet non solum de habitibus per actus personales acquisitis, verum etiam de inclinationibus hæreditate derivatis : cfr. A. Arcelin, *La famille et l'hérédité naturelle* (ap. *Rev. des quest. scient.*, II, 392) ; Lefebvre, *Le mariage et l'hérédité normale et pathologique* (*Ibid.*, III, 5).

intemperantiæ, impudicitiæ, etc. (1) ; habitus afficiens potentias executivas sæpe voluntarium ac liberum minuit, in quantum minuit advertentiam, deliberationem, indifferentiam : exemplum præsto est in pravis habitibus proferendi formulas blasphematorias juratorias etc. (2). Notandum tamen, actum, qui ratione habitus est in se minus voluntarius ac liber, posse sufficienter voluntarium esse in causa, si nempe ipse habitus sit voluntarius.

ARTICULUS TERTIUS.

De animi affectionibus, præsertim de metu.

339. *Animi affectiones.*

Sicut in parte inferiori hominis reperiuntur passiones, ita in parte superiori inveniuntur actus spirituales, qui eodem nomine, quo passiones, appellantur, videlicet *amor, odium, spes, desperatio, metus*, etc. Verum istæ affectiones omnimode differunt a passionibus, tum ratione principii *dirigentis* seu *apprehendentis,* quod non est phantasia, sed *intellectus;* tum ratione principii *elicientis,* quod non est appetitus sensibilis, sed *voluntas;* tum ratione *effectus,* quia hujusmodi affectiones nullam *de se* corporis alterationem requirunt. — His affectionibus sæpe homo impellitur ad operandum, quin etiam aliquando quasi cogitur moraliter, prout contingit in casu sollicitationis ac promissionis, et maxime in casu metus, de quo jam in specie agemus (3).

1. Cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 459 et Theologi passim ubi de *consuetudinariis* in ordine ad sacramentum pœnitentiæ.

2. Cfr. tract. noster *De Religione*, I, 514. — Licet actus externi ex passione vel habitu positi generatim liberi maneant, « quia, ut ait S. Thomas, 1-2, q. 77, a. 7, membra non applicantur operi nisi per consensum voluntatis » : tamen forte fieri potest ut prædictæ locutiones blasphematoriæ et juratoriæ omnino inadvertentur emittantur. Cfr. S. Thomas, 2-2, q. 13, a. 2, ad 3 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 127 ; lib. V, n. 14 ; *Prax. Conf.* c. 2, n. 31.

3. Igitur in præsenti non consideratur metus prout est *passio:* hinc minus placent quæ habet Suarez, *De vol. et invol.*, disp. III, proœm. : « Omnis passio appetitus ad hæc duo capita revocatur, sc. aut sunt prosecutio boni, aut fuga mali ; quæ videtur D. Thomas comprehendisse sub *metu* et *concupiscentia*, quia hæ duæ passiones maxime videntur movere voluntatem » ; similia habet Theod. Meyer, *op. cit.*, n. 120. Hæc, inquam, minus placent ; quia theologi, quando de metu tractant, non solent illum considerare ut merum motum appetitus *sensitivi* malum *sensibile* fugientem, sed ut *mentis* trepidationem ex apprehensione *cujusvis* mali.

340. *Definitio metus*

Definiri solet metus « mentis trepidatio instantis aut futuri mali seu periculi causa. » Causa mali, quod reformidatur, est vel *naturalis*, v. g. incendium, morbus, vel *libera*, v. g. inimicus : in primo casu metus dicitur, *susceptus*, non *intentus;* in secundo metus est *incussus* et *intentus*. Incutitur autem metus *juste* vel *injuste*, prout incutiens inferendi hujusmodi metum jus habet, vel non : generatim injustus est metus quando minæ fiunt personæ cui fieri non possunt, vel quando fiunt a persona quæ debitam auctoritatem non habet, vel sunt de malo quod inferre nefas est. Præterea incutitur metus vel determinate ad obtinendum actum qui ex eo ponitur, ut est confectio testamenti, celebratio matrimonii, vel ex alia causa, v. g. in vindictam injuriæ, et actus a metum patiente assumitur tanquam medium ad malum imminens evadendum.

341. *ejusque distinctio in gravem et levem,*

Ut autem intelligatur quisnam sit influxus metus in voluntarium et liberum, sequentes distinctiones præ oculis habeantur (1) : *a*/ Imprimis metus distinguitur in *gravem* et *levem :* metus gravis est, quando malum, quod formidatur, magnum est et certo vel probabiliter imminet ; levis est, quando malum, quod reformidatur, parvum est, vel non imminet probabiliter. Et ita quidem metus gravis vel levis dicitur *absolute* : notandum tamen, metum de se et absolute levem in individuo, non raro gravem esse *relative,* id est, habita ratione personalium adjunctorum ætatis, sexus, complexionis. — *b*/ Deinde metus distinguitur in *antecedentem* seu *impellentem,* et *concomitantem* seu *repellentem :* metus antecedens ille est, ex quo agitur, prout

antecedentem et concomitantem.

1. In præsenti non consideramus metum nisi in ordine ad voluntarium, liberum et peccatum : cfr. S. Bernardus, *De grat. et lib. arb.*, c. 12 ; S. Thomas, 1-2, q. 6, a. 6, ubi Commentatores ; Suarez, *De vol. et invol.*, disp. III, s. 1 et 2, etc. Alibi etiam de metu agitur, nempe : in ordine ad legis obligationem : cfr. supra, n. 168, ubi de *impotentia ;* — in ordine ad valorem dispensationis : cfr. supra, n. 193 ; — in ordine ad valorem voti et religiosæ professionis : cfr. tr. noster *De virt. relig.*, I, 315 ; — in ordine ad valorem contractus : cfr. Lugo, *De just. et jure,* disp. XXII, s. 6 ; — in ordine ad cooperationem in damno : cfr. tr. noster *De virt. theol.*, n. 550 ; — in ordine ad susceptionem sacramentorum et obligationes baptismi, sacerdotii, matrimonii : cfr. Hallier, *De ord.*, p. 1, s. 5, c. 1 ; S. Alphonsus, lib. IV, n. 144 ; lib. 6, n. 139, n. 811 ; Sanchez, *De matr.*, lib. IV ; — præsertim in ordine ad justificationem, contritionem, etc. : cfr. *Intr.*, n. 185, p. 143. — Huc tandem pertinent *Decretal.* lib. I, tit. 40 ; *Sexti* lib. I, tit. 20, *De his quæ vi metusve causa fiunt.*

mercator ex metu naufragii merces in mare projicit ; metus concomitans ille dicitur, qui ex se ab actione retrahit, sed tamen ab agente superatur, prout fur cum metu carceris rem alienam aufert, et peccator cum metu inferni legem Dei violat.

342. *Metus voluntarium simpliciter relinquit, liberum minuit.*

Jam vero *illud, quod fit ex metu, per se voluntarium est : et quidem ordinarie voluntarium est voluntario mixto; potest tamen esse pure voluntarium ; generatim autem minus liberum censetur quam si sponte factum fuisset.* Ratio primæ partis assertionis est, quia metus, nisi per accidens usum rationis impediat, in opus influit solum moraliter, per modum motivi ; atque illud opus deliberate eligitur ad malum vitandum. Ita Angelicus : « Id quod per metum agitur, fit voluntarium, ideo quia motus voluntatis fertur in id, licet non propter seipsum, sed propter aliud, scilicet ad repellendum malum, quod timetur : sufficit enim ad rationem voluntarii, quod sit propter aliud voluntarium ; voluntarium enim est, non solum quod propter seipsum volumus ut finem, sed etiam propter aliud volumus ut propter finem ([1]). » — Ratio secundæ partis assertionis est quia operans ex metu plerumque retinet affectum ad oppositum, præsertim ubi ex solo metu operatur, et ad malum vitandum sufficit opus externum, v. g. projectio mercium, etc. — Ratio tertiæ partis assertionis est, quia aliquando metus non est sola causa operis, vel affectum ad oppositum excludit, prout contingit de peccatore, qui dolet de peccato commisso ob timorem inferni ([2]). — Tandem ratio quartæ partis assertionis est quia metus indifferentiam minuit : unde incussio metus dicitur violentia quædam moralis.

Illud autem, quod fit cum metu, est perfecte voluntarium et liberum ; habetur enim in tali casu voluntas fortis et deliberata, quæ metum superat ac vincit.

343. *Timor reverentialis, et dominatio.*

Ad metum referri potest non solum *timor reverentialis,* formido nempe diu et graviter offensos habendi illos qui, ex suamet conditione timendi ac colendi aliis sunt, verum etiam *dominatio* illa quam nonnulli debilioris conditionis ex parte quorumdam

1. S. Thomas, 1-2, q. 6, a. 6, ad 1.
2. Cfr. Præpositus, 1-2, q. 6, a. 6 ; *De matr.,* q. 3, dub. 9 ; Sanchez, *De matr.,* lib. IV, disp. 1-11 ; Platel, *De pœn.,* n. 683.

ita subeunt, ut in prædictorum præsentia videantur non esse sui juris. Huc autem maxime pertinet nimia auctoritas quæ ab operatoribus magnetismi et hypnotismi in suos subjectos acquiritur.

ARTICULUS QUARTUS.

De violentia.

344. *Violentia proprie dicta,*

Violentia *est motio quædam ab extrinseco impressa subjecto resistenti*; unde *violentum* definiri solet, id quod procedit ab extrinseco, contranitente passo ; vel « id cujus principium est extra nihil conferente eo quod vim patitur » (1). Duplex igitur conditio requiritur ut actus dicatur homini violentus : prima, quod procedat ab extrinseco ; altera, quod sit contra hominis inclinationem seu voluntatem. Defectu prioris conditionis, stricte violentus non videtur actus facultatis apprehensivæ, vel motus appetitus sensitivi contra voluntatem ortus : talis enim actus et motus principium est intrinsecum voluntati, sed non supposito (2). Defectu posterioris conditionis, stricte violentus dici non potest actus ab extrinseco proveniens, quando voluntas ei consentit, vel erga eum mere passive se habet, vel ei non resistit efficaciter. — Et hæc quidem est violentia proprie dicta, physica et absoluta, quæ distingui debet a violentia *morali,* et a violentia *secundum quid.* *moralis,*

Violentia *moralis,* quæ recidit in metum, adest, quando principium intrinsecum causa gravi determinatur ad illud agendum quod resistentia minime impediretur, sed indeclinabili vi extrinseca efficeretur: sic moraliter violenta est egressio e domo illi qui si propriis pedibus non exiret, manu militari physice pelleretur. Violentia *secundum quid* adest, quando ali- *secundum quid.*

1. S. Thomas, 2-2, q. 175, a. 1. Cfr. de *violentia*, Aristoteles, *Ethic.* lib. III, c. 1 ; Nemesius, *De nat. hom.*, c. 30 ; S. Joannes Damascenus, *De fide orth.*, lib. II, c. 24 ; Magister, *Sent.*, lib. II, dist. 25, cum Sententiariis ; S. Thomas, 1-2, q. 6, a 4, ubi Commentatores passim ; Suarez, *De vol. et invol.*, disp. II ; Salmanticenses, *De vol. et invol.*, (tr. X) disp. 5. — Huc maxime pertinet *Decreti* p. II, caus. 32, q. 5.

2. Sunt tamen qui violentiam adesse dicunt ubicumque contra voluntatem patitur quis in sensibus internis imaginationes turpes, in appetitu sensitivo motus concupiscentiæ, in intellectu dubitationes circa fidem. Cfr. v. g. Suarez, *De vol. et invol.*, disp. II, s. 6, n. 5 ; Henno, *De act. hum.*, diss. 2, q. 5, concl. 4 ; Platel, *Syn.* II, 27.

qualiter quidem resistitur principio extrinseco, non tamen sufficienter.

345. *Violentia cadere non potest nisi in actus imperatos.*

Violentia *inferri nequit voluntati quoad actus elicitos, bene tamen inferri potest quoad actus imperatos :* seu, ut verbis Angelici utamur, « quantum ad actum qui est immediate ipsius voluntatis, violentia voluntati inferri non potest, sed quantum ad actum imperatum, voluntas potest pati violentiam » (1). Ratio primæ partis assertionis est, quia actus violentus est ille, qui procedit a principio extrinseco contra subjecti inclinationem : actus autem elicitus essentialiter est a principio intrinseco secundum subjecti inclinationem : ergo implicat actum elicitum esse violentum : quod pulchre expressit S. Anselmus : « Ligari potest homo invitus, quia nolens potest ligari ; torqueri potest invitus, quia nolens potest torqueri... : velle autem non potest invitus, quia velle non potest nolens velle ; nam omnis volens ipsum suum velle vult » (2) ; et S. Thomas : « Contra rationem ipsius actus voluntatis est quod sit coactus vel violentus » (3). Neque id pleno Dei dominio opponitur : quanquam enim Deus hominis voluntatem cogere nequit, si quidem hoc repugnat, potest tamen vario modo eam movere et immutare ; et revera operatur in nobis velle, imo et rebelles compellit voluntates (4). — Ratio secundæ partis assertionis est, quia cæteræ facultates possunt extrinseco principio tum moveri contra voluntatis imperium, tum impediri ne ad voluntatis imperium

1. Thomas, 1-2, q. 6, a. 5, ad 1. — 2. Anselmus, *De lib. arb.*, c. 5. — 3. S. Thomas, 1-2, q. 6, a. 4.

4. Philip. II, 13. — Optime S. Bonaventura, in II, dist. 25, p. 2, art. unic. q. 5 : « Notandum est, quod differt dicere, voluntatem *induci*, et voluntatem *mutari*, et voluntatem *cogi*. Tunc enim *induci* dicitur, quando aliqua persuasio fit, qua disponitur, ut ad aliquod appetibile inclinetur : quæ si valde intensa sit, nomen *coactionis* sortitur, quamvis non sit vera coactio. Tunc autem voluntas *mutatur*, quando, ipsa volente unum, potenti virtute affectio immittitur ei ad contrarium, et de volente fit nolens, ita quod una affectio expellitur et contraria inducitur ; sicut patet cum Deus de amatore temporalium facit temporalium contemptorem ; et hoc dicitur esse quædam *compulsio* et *tractio*, dum voluntas ab ea re separatur, cui per amoris glutinum fortiter jungebatur. Tunc autem voluntas dicitur *cogi*, quando intelligitur ipsam invitam aliquid velle, et repugnante actu voluntatis deliberativæ, aliena virtute movente, et repugnantia manente, ad aliquid volendo inclinari ; et hoc duo opposita implicat... Voluntas igitur *induci* potest ab agente creato ; *mutari* vero ab alio non potest nisi ab agente increato : *cogi* vero ab aliquo non potest. »

moveantur : ita agens extrinsecum valet contra voluntatem uti membris (1), sensus ad objectum suum applicare (2), phantasiæ et appetitus sensitivi motus mediate provocare, imo, saltem per accidens, in intellectum indirecte agere (3). Dicuntur autem

1. Exemplum habes in eo cujus genua omnino vi externa coram idolo incurvantur, et manus, thuribulo in iis posito, moventur ad incensum idolo offerendum. — Cave tamen ne, quod dicimus de motu qui exercetur in membris externis, transferas ad motum vitalem, de quo optime Platel, *Syn.* II, 27 : « Potentia motiva non potest a causa creata cogi ad motum vitalem producendum contra aut citra inclinationem appetitus rationalis aut sensitivi ; quia illa ita subest, ut non possit (saltem naturaliter) exire in actum, nisi illo impellente aut applicante ; unde quoad actus hujus potentiæ, non potest homo proprie pati violentiam nisi a Deo, qui solus potest immediate etiam contra voluntatis imperium nostram potentiam motivam ad actum determinare. » Cfr. Suarez, *De vol. et invol.*, disp. II, s. 6, n. 2-4 ; Salmanticenses, *De vol. et invol.*, disp. V, dub. 3, n. 34. — Huc pertinent turpissimæ Michaelis de Molinos propositiones ab Innocentio XI damnatæ, 41-53.

2. Præsto est exemplum illius cujus oculi vi externa aperiuntur.

3. Cfr. Suarez, *De vol. et invol.*, disp. II, s. 6. Qua ratione hujusmodi motus in homine excitentur a diabolo, explicat S. Thomas, 1-2, q. 80, a. 2. « Tota interior operatio diaboli esse videtur circa phantasiam et appetitum sensitivum ; quorum utrumque commovendo potest inducere ad peccatum. Potest enim operari ad hoc quod imaginationi aliquæ formæ imaginariæ præsententur ; potest etiam facere quod appetitus sensitivus concitetur ad aliquam passionem. Dictum est enim... quod natura corporalis spirituali naturaliter obedit ad motum localem. Unde et diabolus omnia illa causare potest quæ ex motu locali corporum inferiorum provenire possent, nisi virtute divina reprimatur. Quod autem aliquæ formæ repræsententur imaginationi, sequitur quandoque ad motum localem... Unde talis motus localis spirituum vel humorum procurari potest a dæmonibus, sive dormiant, sive vigilent homines. Et sic sequitur quod homo aliqua imaginetur. Similiter etiam appetitus sensitivus concitatur ad aliquas passiones secundum quemdam determinatum motum cordis, et spirituum. Et ex hoc quod passiones aliquæ concitantur in appetitu sensitivo, sequitur quod et motum, sive intentionem sensibilem prædicto modo reductam ad principium apprehensivum magis homo percipiat.... Contingit etiam ex hoc quod passio est concitata ut id, quod proponitur imaginationi, judicetur prosequendum : quia ei qui a passione detinetur, videtur esse bonum id ad quod per passionem inclinatur. » De eadem re agit Angelicus, in II, dist. 8, a. 5 : « Respondeo dicendum quod Angeli boni et mali ex virtute naturæ suæ habent potestatem transmutandi corpora nostra sicut etiam alia corpora naturalia ; et quia ubi operantur ibi sunt, ideo nostris corporibus illabuntur, et per consequens etiam impressionem habent in potentias affixas organis, quarum operationes immutantur ad immutationem organorum, sicut est sensus, imaginationis et hujusmodi ; sic etiam per accidens eorum operatio resultat in intellectum, cujus objectum est phantasia, sicut color visus.. Sed tamen hoc non provenit usque ad voluntatem : quia voluntas neque quantum ad actum neque quantum ad objectum dependet ab organo corporali, quia objectum suum ab intellectu accipit secundum quod intellectus apprehendit aliquid in ratione boni. » Et rursus ibid. ad 6 : « Dicendum quod mali Angeli cogitationes immittunt... illustrando phantasmata, ut

hujusmodi actus violenti respectu voluntatis, quatenus prædictæ facultates moventur contra ejus inclinationem ; respectu autem ipsarum facultatum, eatenus dici possunt violenti, quatenus facultates moventur a principio quod non est ipsis connaturale (1) ; mimine autem hoc sensu violenti intelligi queunt, quasi elicerentur contra facultatum inclinationem : sane quamvis oculi per vim aperiantur, visio tamen non est in se et immediate violenta, sed naturalis.

346. *Violentia opponitur voluntario.*

Jam vero *a/ Illud quod fit omnino violenter, id est ex principio extrinseco contra inclinationem passi, est prorsus involuntarium.* Ratio est, quia « violentia directe opponitur voluntario sicut et naturali... ; sicut ergo in rebus quæ cognitione carent, violentia facit aliquid esse contra naturam, ita in rebus cognoscentibus facit aliquid esse contra voluntatem. Quod autem est contra naturam dicitur innaturale, et similiter quod est contra

secundum diversas eorum compositiones possint novæ intentiones ab eis accipi. Non tamen intellectus cogitur eas accipere ; quia præter objectum et potentiam cognoscentem, exigitur ad actualem cognitionem intentio cognoscentis vel per sensum vel per intellectum. Sed boni Angeli etiam directe intellectum imprimere possunt : quia secundum Augustinum, lib. 10 *de Civit. Dei,* c. 16, operantur in intelligentias nostras miris quibusdam modis. Hoc autem est in quantum lumen intellectus agentis nostri confortatur per intellectuale lumen ipsorum. Sed hoc dæmonibus non competit : quia quamvis naturale lumen eorum sit efficacius quam lumen intellectus nostri, tamen lumine gratiæ non sunt perfecti, sed tenebris culpæ obtenebrati, et ideo non intendunt judicium rationis nostræ rectificare per conformationem intellectualis luminis, sed aliqua nobis ostendere ex quibus decipiamur, quod faciunt phantasmata illustrando. » Cfr. Bona, *De discr. spirit.*, lib. II, c. 16 ; Benedictus XIV, *De Beat. et Can. Sanct.*, lib. III, c. 30.

1. Optime Salmanticenses, *De vol. et invol.*, disp. V, dub. 3, n. 33 : « Ut explicemus quæ potentiæ præter voluntatem possint in suis actibus violentari, sciendum est quod ex prædictis potentiis, quædam natæ sunt obedire voluntati : sicut intellectus, appetitus sensitivus, et locomotiva ; quædam non subduntur illi, sed agunt omnino naturaliter, ut nutritiva, augmentativa et similes. Ex quibus illæ priores considerari possunt vel secundum se et secundum specialem inclinationem ad proprium actum : vel ut sunt reduplicative in homine aptæque voluntati obedire... Potentiæ ergo, quæ aptæ non sunt obedire voluntati, difficile apparet quomodo in elicientia suorum actuum possint formaliter pati violentiam : quippe tales actus semper sunt juxta inclinationem potentiæ a qua eliciuntur : et alias nulla datur in ea inclinatio, ad obediendum voluntati, cui possint opponi. Imo nec voluntati aut supposito dicentur proprie *violentari,* quamvis velit eis carere : sicut nulli est violentum sumpto cibo nutriri, quamvis id non velit : quia cum voluntatis circa tales actus nullum sit imperium, nequit esse efficax illa volitio, nec fit violentia non obediendo illi, cui obedientia non debetur... Alias potentias, quæ subduntur voluntatis motioni, tenendum est violentari, quoties illa contranitente agunt, vel ab agendo retrahuntur. »

voluntatem dicitur esse involuntarium : unde violentia involuntarium causat [1]). » — *b/ Illud quod fit a principio extrinseco, subjecto interne consentiente et externe resistente, nec voluntarium est nec involuntarium, sed volitum dici debet :* patet ex principiis superius traditis [2]). — *c/* Ex iisdem principiis intelligitur, *illud quod fit a principio extrinseco, subjecto externe non resistente, interne autem consentiente, involuntarium non esse, sed volitum dici debere, imo et indirecte voluntarium, casu quo habeatur obligatio resistendi* [3]). — *d/* Pariter *illud quod fit a principio extrinseco, subjecto nec consentiente nec resistente, sed omnino passive se habente, involuntarium non est, sed permissum dici debet, vel etiam indirecte voluntarium, casu nempe quo resistendi obligatio adsit* [4]). — *e/* Præterea *illud quod fit violenter violentia secundum quid, id est quod procedit a principio extrinseco, subjecto interne dissentiente, sed minus efficaciter resistente, simpliciter involuntarium dici nequit, sed aliqualiter permissun est, et indirecte voluntarium, in quantum habetur obligatio resistendi efficacius* [5]). — *f/* Tandem *illud quod fit violentia morali, id est, quod procedit a principio intrinseco per vim extrinsecam coacto, involuntarium non est nisi secundum quid, sed dici debet voluntarium* [6]).

Sectio II.

De actu morali.

347. *Mores.*

Mos generatim est *solitus modus agendi*, et magis proprie modus quo agere solet ens liberum ; *mores* autem dicuntur *ratio vitæ*, seu actiones voluntariæ et liberæ consideratæ in ordine ad aliquam normam, et exinde qualitatibus affectæ. — Hinc *morale* vocatur quidquid ad mores, scilicet ad voluntariam et liberam activitatem, pertinet : ita dicuntur *entia moralia* imo et *personæ morales,* quæ voluntate effinguntur ; *causæ morales,* quæ libere agunt, ut ipsa voluntas, vel in liberam voluntatem agunt, ut consilium, minæ, etc. ; *effectus morales,* qui in voluntate quasi producuntur, cujusmodi est obligatio

morale.

1. S. Thomas, 1-2, q. 6, a. 1. — Huc pertinent concilii Ancyrani can. 3; S. Augustini *Epist.* CCXXVIII; S. Leonis *Epist.* XII, c. 8; cfr. *Decreti* p. 1, dist. 50, c. 32, *Presbyteros ;* p. II, c. 32, q. 5, etc.

2. Cfr. supra, n. 329-330. — 3. Cfr. supra, n. 328. — 4. Cfr. ibid. — 5. Cfr. ibid.

6. Cfr. ubi de metu. — Exemplum classicum, in quo varia principia exposita applicari possunt habes apud S. Alphonsum, lib. III, n. 368.

orta ex promissione, dominium quod transfertur per voluntatem domini, vinculum matrimonii, valor rei ortus ex lege taxante pretium ejus ; et huc etiam spectat macula peccati, sive habitualis culpa ; *facultas moralis,* seu jus et licentia ; *impotentia moralis*, seu difficultas quam voluntas superare non solet ; *præmia moralia* et *morales pœnæ*, quæ voluntatem afficiunt ; *virtutes morales,* quibus perficitur voluntas ; *lex moralis,* qua regulatur activitas libera et voluntaria ; *actus morales*, qui libera voluntate eliciuntur vel imperantur ; *certitudo moralis,* quæ circa operationes liberas versatur, vel a voluntate pendent ; *ordo moralis,* qui nihil aliud est quam apta dispositio entium liberorum in finem ; *scientia moralis*, quæ versatur circa regulas liberæ activitatis (1). — Hinc etiam *moralitas* generatim est *morum* seu actuum liberorum *conditio*, propie autem ea conditio qua fit ut actus dicatur bonus vel malus, laude vel vituperio, præmio vel pœna dignus (2).

moralitas.

348. *Moralitas dicitur*

In quo actuum moralitas præcise consistat, vario modo explicant auctores (3). Nos prætermissis quæstionibus voca-

1. Cfr. supra, n. 3, 21, 53, 133, 168, 251, 314 etc. ; Suarez, *De bonit. et malit. act. hum.*, disp. 1, s. 3 ; Laymann, *De act. hum.*, c. VII, n. 1 ; Costa-Rosetti, *Inst. ethicæ et jur. nat.*, proœm. et th. 18.

2. Cfr. de *moralitate,* inter scholasticos : Magister, *Sent.*, lib. II, dist. 40, cum Sententiariis passim ; S. Thomas, 1-2, q. 18-20, ubi Commentatores ; Suarez, tr. III, in 1-2, *De boni et mal. act. hum. ;* Gonet, *Clyp. theol. thom.*, tr. VIII, in 1-2, *De mor. act. hum ;* Salmanticenses, tr. XI, in 1-2, *De bon. et mal. hum. act. ;* Billuart, *De act. hum.*, diss. IV ; Æg. De Coninck, *De act. supern.*, disp. III ; Rassler, *Norma recti ;* inter recentiores vero, Theod. Meyer, *Inst. jur. nat.*, lib. II ; Frins, *Zur philosophie der Sittlichkeit,* (ap. *Zeitschrift für Kath. Theol.* 1886, p. 577, 1887, p. 78, 268.) — Principia, a quibus præsens tractatio pendet, suo loco a nobis explicata sunt, ubi de *lege* et de *conscientia*, præsertim, n. 65 et seq.

3. Nonnulli ex Scholasticis putarunt, moralitatem nihil esse aliud quam ipsam libertatem actus ; at cæteri fere communiter docent, libertatem quidem ad actus moralitatem prærequiri, hanc tamen illi aliquid superaddere, quod certe per se evidens est vel ex eo solo quod, eadem manente libertate, potest moralitas actus variari, ut primum sit bonus et postea malus. Quod si ab istis quæras, ecquid tandem sit illud, quod moralitas libertati superaddit, in varias distrahuntur sententias. Quidam enim non nisi meram *extrinsecam denominationem* id esse arbitrantur ; alii vero moralitatem actus constituunt in aliqua *relatione ad regulas morum ;* sed rursus controvertitur utrum relatio ista sit *rationis* tantum, an vero *realis ;* ac demum qui moralitatem constituunt in relatione reali ad morum regulas, novam instituunt controversiam, an relatio ista *prædicamentalis* sit, an *transcendentalis*. Cfr. in varium sensum Suarez, *De bon. et mal. act. hum.*, disp. 1 ; De Coninck, *De act. supern.*, disp. III, dub. 1 ; Gonet, *De mor. act. hum.*, disp. 1 ; Salmanti-

libus importunisque nimiarum subtilitatum remoris, advertimus, moralitatis nomine intelligi posse vel *aptitudinem* moralem, vel *qualitatem* moralem. Si intelligatur (minus proprie) *aptitudo moralis,* moralitas actuum nihil est aliud quam eorum *subjicibilitas regulæ* seu voluntarietas et libertas. Ita S. Thomas : « Actus susceptibilis est bonitatis moralis, secundum quod humanus est : humanus autem est secundum quod aliquatenus ratione deducitur : quod contingit in illis actibus tantum, qui imperantur a voluntate, quæ consequitur deliberationem rationis (1). » Et rursus : « Ibi incipit genus moris, ubi primo dominium voluntatis invenitur (2) : » « Idem sunt actus morales et actus humani (3) ; » « Si non procedit a ratione deliberativa, actus non est moralis vel humanus (4) ; » « A ratione deliberata habet speciem moralis actus (5), » etc. — Si vero intelligatur (proprie) *qualitas moralis*, actuum moralitas consistit in eorum *habitudine ad regulam ;* ratio enim bonitatis vel malitiæ, laudis vel vituperii in actibus humanis derivatur a sua conformitate vel difformitate cum regula : quod totidem fere verbis expressit Angelicus : « Habet actus humanus quod sit malus ex eo quod caret debita commensuratione. Omnis autem commensuratio cujuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, a qua, si divertat, incommensurata erit. (6) » — Cum autem moralitas consistat in habitudine actus ad suam regulam, sequi videtur eam esse duplicis speciei : vel enim actus est regulæ suæ conformis, et ideo moraliter bonus est ; vel non est regulæ conformis seu ab ea difformis est, et consequenter est moraliter malus. Ergo *indifferentia* non est species moralitatis, sed moralitatis negatio ; indifferens scilicet ille actus censetur de quo lex non curat. Hæc videtur esse sententia Angelici : « Actus humanus qui dicitur moralis, habet speciem ab objecto relato ad principium actuum humanorum, quod est ratio : unde si objectum actus includat aliquid, quod conveniat ordini rationis, erit actus bonus secundum suam speciem, sicut dare eleemosynam

vel improprie subjicibilitas actus ad regulam,

vel proprie relatio conformitatis vel difformitatis actus cum regula.

Moralitas proprie dicta duplici specie constat, bonitate et malitia.

censes, *De bon. et mal. act. hum.*, disp. 1 ; Billuart, *De act. hum.*, diss. IV, art. 1 ; etc.

1. S. Thomas, in II, dist. 40, q. 1, a. 5. — 2. S. Thomas, *ibid.*, dist. 24, q. 3, a. 2. — 3. S. Thomas, 1-2, q. 1, a. 3. — 4. S. Thomas, 1-2, q. 18, a. 9. — 5. S. Thomas, 1-2, q. 88, a. 6. — 6. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 71, a. 6.

indigenti, si autem includat aliquid quod repugnet ordini rationis, erit malus actus secundum speciem, sicut furari, quod est tollere aliena. Contingit autem quod objectum actus non includit aliquid pertinens ad ordinem rationis... et tales actus secundum speciem suam sunt indifferentes [1] ».

349. *Actuum regula generalis est finis ultimus,*

Jam vero *operationum humanarum regula suprema, absoluta et necessaria est finis ultimus*. Sane uniuscujusque rei bonitas vel pravitas æstimatur ex fine ejus intrinseco : unde dicere solemus bonos vel malos oculos, aures, cibos, ædes, enses, qui multum vel parum vident, audiunt, nutriunt, etc. Ita docet S. Thomas, finem ultimum esse a quo omnia rationem boni accipiunt [2] ; « hinc tanto esse unumquodque perfectius, quanto est ultimo fini propinquius [3]. « Docet item S. Bonaventura, « bonum in creatura dici per ordinationem ad summum; unde bonum dici, quod est ordinatum in finem [4]. » Rem fusius explicat Lessius : « Ratio bonitatis consistit in eo, quod omnia secundum suam speciem sint congruentia ad finem, ad quem a Deo sunt instituta : qui potissimum est, declarare potentiam, sapientiam, bonitatem, et cæteras perfectiones sui Conditoris. Sicut enim omnis res dicitur vera ex conformitate ad suam causam exemplarem, ita dicitur bona ex congruentia ad suam causam finalem. Nec refert, quod nomina veri et boni ex hac consideratione rebus forte non sint ab initio imposita, et alia etiam ratione res veræ et bonæ dici possint : nos enim de primaria veritate et bonitate rerum loquimur. Considerandum etiam est, unicam in singulis rebus esse veritatem, sicuti est unica species et unicum exemplar cujusque, cui res quælibet conformatur. Est tamen multiplex bonitas, quia res quælibet deservit ad multos fines inter se subordinatos, qui tamen omnes ad unum finem ultimum, nimirum gloriam Dei reducuntur. Præcipua tamen bonitas rerum, a qua potissimum bonæ dicuntur, est ex ordine et congruentia ad finem ultimum. Quo enim quælibet res magis valet ad perfectiones divinas declarandas,

1. S. Thomas, 1-2, q. 18, a 8 ; cfr. ibid. a. 5 ; *De malo*, q. 2, a. 5 ; Gonet, *Clyp. theol. thom.*, in 1-2, tr. III, disp. 2, a 2 ; Salmanticenses, tr. XI, disp. 2, dub. 1 ; Billuart, diss. IV, a. 2, (qui sententiam oppositam tenet, eamque S. Thomæ adscribit). — 2. S. Thomas, *Cont. Gent.*, lib. I, c. 40, n. 3. — 3. S. Thomas, 1-2, q. 106, a 4. — 4. S. Bonaventura, in-II, dist. 34, a. 2, q. 2 ; cfr. *Brevil.*, p. II, c. 1.

eo est præstantior et entitative melior (1). » — In eumdem sensum dici potest, *operationum humanarum normam supremam esse ordinem a Deo in sui gloriam hominisque felicitatem stabilitum.* Tali sensu scribit S. Augustinus, bene agere animam rationalem, si ordinem servet (2), et S. Bernardus, affectiones ordinatas virtutes esse, et inordinatas, perturbationes (3). Docet autem Angelicus, sicut bonum uniuscujusque est, ut in suo ordine consistat : ita malum uniuscujusque esse, ut suum ordinem deserat (4) ; docet etiam peccatum nominare actum inordinatum, sicut actus virtutis est actus ordinatus (5). » Tandem, juxta S. Alphonsum, quidquid tendit ad Dei gloriam et verum hominis felicitatem, est conforme ordini a Deo statuto, et per consequens honestum et virtuosum (6). » — Præterea dici potest, *operationum humanarum regulam esse divinam voluntatem ;* nimirum voluntas et actio nostra recta est quando volumus et agimus illud quod Deus vult nos velle et agere ; etenim « tenetur quilibet ad conformandam voluntatem suam voluntati divinæ, quantum ad hoc quod velit quidquid vult Deus eum velle, secundum quod Dei voluntas innotescit per prohibitiones et præcepta (7). »

ordo,

divina voluntas;

350. Si autem operationum regula non solum in communi et confuso quodam modo, sed in particulari ac distincte consideretur, jam supra late explicavimus, eam duplicem esse, *remotam* seu *legem,* et *proximam* seu *conscientiam.* Remota est vel *mere discriminans,* approbans, consulens, vel *formaliter imperans ;* hæc autem est vel necessaria et primaria, scilicet *naturalis,* a qua alia quævis dependet, vel libera et secundaria, a primaria dependens, scilicet *positiva,* divina aut humana, ecclesiastica, civilis, paterna. Atqui pro varia habitudine operationum ad variam illam regulam, varia habetur moralitatis distinctio. Et

specialis autem, lex et conscientia :

hinc distinctio

1. Lessius, *De perf. div.,* lib. VI, c. 4, n. 30-31.
2. S. Augustinus, *Epist.* CXL, c. 2, n. 4, (ad Honoratum.)
3. S. Bernardus, *De diversis,* serm. 50, n. 3 ; cfr. *De grat. et lib. arb.,* c. 6, n. 19. — 4. S. Thomas, 2-2, q. 19, a. 11. — 5. S. Thomas, 1-2, q. 71, a. 1. — 6. S. Alphonsus, *De act. hum.,* c. IV, n. 34.
7. S. Thomas, *De malo,* q. 2, a. 5 ; cfr. *De verit.,* q. 23, a. 7, et 1-2, q. 19, a. 9 et 10, ubi Commentatores passim ; Suarez, l. c., disp. XI ; Æg. De Coninck, *op. cit.,* disp. III, dub. 16 et 17 ; Gonet, l. c., disp. VI, a. 2 ; Billuart, diss. IV, a. 7.

moralitatis in materialem et formalem,

quidem *a/* moralitas distinguitur in *materialem* et *formalem :* moralitas *materialis* est, relatio convenientiæ vel disconvenientiæ, qua actus se habet ad regulam remotam ; *formalis* vero est, convenientiæ vel disconvenientiæ relatio, qua actus humanus se habet ad regulam proximam, sc. conscientiam agentis. Cum autem contingere queat ut regula remota vel ignoretur vel imperfecte cognoscatur, fieri potest, ut moralitas formalis cum materiali non coincidat, et consequenter actus bonus aut malus sit materialiter, quin talis sit formaliter, et vicissim : ita v. g. actus, qui legi consentaneus est, sed quem agens legi oppositum putat, materialiter bonus, formaliter malus est ; e contra actus legi oppositus, quem agens citra culpam legi congruere existimat, materialiter malus est, sed formaliter bonus. — *b/* Deinde moralitas distinguitur in *liberam* et vere *obligatoriam :* moralitas *libera* est, relatio actus ad regulam approbantem, consulentem ; *obligatoria* vero est actus relatio ad regulam imperantem. Dari moralitatem liberam, manifestum est ; supra enim vidimus non præcipi lege naturali aut positiva quidquid est ordini conforme, sed illud solum quod est ordini necessarium, quamvis prohibeatur quidquid est ordini oppositum. — *c/* Præterea moralitas distinguitur in *intrinsecam* et *extrinsecam ;* moralitas *intrinseca* exurgit ex relatione actus ad solam regulam necessariam ; extrinseca, ex relatione actus ad solam regulam positivam : ita Deum odisse est intrinsece malum, manducare vero carnes die veneris dicitur malum extrinsece ; primum enim opponitur essentiali rerum ordini, alterum non opponitur nisi ordini libere constituto (1).

liberam et obligatoriam,

intrinsecam et extrinsecam.

Hisce positis triplici capite successive dicemus de moralitatis *principiis*, *subjecto* et *speciebus*.

1. Communiter dicitur, ea quæ extrinsece bona vel mala sunt, talia esse quia præcipiuntur vel prohibentur ; in memoriam tamen hic revocari debet, non posse præcipi a Superiore nisi quæ utilia vel necessaria sunt bono publico, nec posse prohiberi nisi quæ aliquomodo obstant ; consequenter illa, quæ sic præcipiuntur vel prohibentur, jam habent quamdam bonitatem aut malitiam, scilicet initialem vel aptitudinalem. Cfr. supra, n. 112, 135 etc.

Caput I.

De principiis moralitatis.

351. *Principia moralitatis sunt objectum, finis et circumstantiæ.*

Principia moralitatis dicuntur ea actus humani elementa, a quibus derivatur ejus conformitas cum regula, vel difformitas a regula. Jam vero regulæ conformis vel ab ea difformis esse potest actus humanus sive ratione *objecti,* in quod tendit, sive ratione *finis,* in quem ab agente ordinatur, sive ratione *circumstantiarum,* quibus afficitur. Sunt ergo *objectum, finis, circumstantiæ* totidem principia moralitatis, de quibus jam in particulari sermo esse debet.

ARTICULUS PRIMUS.

De moralitate ab objecto derivata.

352. *Objectum dicitur id in quod actus per se tendit:*

Actus humanus est motus a voluntate deliberata procedens; omnis autem motio per se et natura sua in aliquid *tendit,* quo *terminatur* seu *finitur.* Jam vero illud, in quod actio per se et natura sua tendit, et quod est operationis *terminus* proximus et *finis* intrinsecus operis, dicitur *objectum* actus, quia voluntati agentis primario objicitur. — Ergo proprie dictum actus objectum non est ipse actus in abstracto consideratus (1), nec materia quæ in actu adhibetur (2), nec persona in cujus favorem agitur : sic v. g. objectum eleemosynæ non est actus dandi pecuniam, nec pecunia quæ datur, nec pauper cui datur, sed est pauperis *miseria,* quæ per pecuniæ traditionem sublevatur. — Adverti autem debet, objecti nomine aliquando designari *id quod fit,* seu actus *substantiam,* in oppositione ad conditiones ejus accidentales.

353. *dat actui speciem physicam :*

Actus *in suo esse constituitur ab objecto, ab eoque habet suam speciem physicam :* hinc pro objecti varietate varius physice distinguitur actus, licet cætera elementa non differant : v. g. eadem actio tradendi alicui pecuniam, *donatio* est, si fiat ad gratiam faciendam : *eleemosyna,* si ad miseriam tollendam :

1. Actus tamen in abstracto consideratus potest esse objectum alterius actus, quatenus nempe ille intenditur, vel placet: sic actus externus, v. g. eleemosyna, est objectum actus interni eam volentis, approbantis.

2. Talis materia non raro vocatur objectum *remotum* actus.

solutio, si ad debiti extinctionem : *restitutio*, si ad injuriæ reparationem : *recompensatio*, si propter meritum, etc.

354. *bonum vel malum judicatur, non in se, sed in sua relatione ad actum :*

Actus *vero moralitas ab objecto derivatur, quatenus ordini et regulæ conforme est, vel non, ut tale objectum tali motione attingatur :* bonum igitur, vel malum dicitur objectum non prout in se spectatur, sed prout spectatur in sua relatione ad actionem : sic Deus est objectum bonum amoris, malum odii; peccatum e contra est objectum bonum detestationis, malum complacentiæ. Ad rem S. Thomas : « Licet res exteriores sint in se ipsis bonæ, tamen non semper habent debitam proportionem ad hanc vel illam actionem, et ideo, in quantum considerantur ut objectum talium actionum, non habent rationem boni (1). »

355. *ab objecto acci-*

Moralitas, *quæ ab objecto derivatur, merito dicitur fundamentalis,*

1. S. Thomas, 1-2, q. 18, a. 2, ad. 1. — Rem optime declaravit Æg. De Coninck, *De act. supern.*, disp. III, dub. 2, n. 32 et seq. : « Bonitas vel malitia objectiva cujusvis rei consistit in aptitudine vel ineptitudine quam res in se habet, ut talis aut talis actio circa eam versetur prout convenit naturæ intellectuali : v. c., Deus est objectum aptum ut a nobis ametur ac laudetur, ineptum ut odio habeatur vel vituperetur, etc., ideoque illud hominem decet et laudabile est, hoc dedecet et vituperabile est. Item vita innocentis est objectum aptum ut conservetur, ineptum ut a nobis perimatur ; virtutes aptæ sunt ut eas amemus, vitia ut ea detestemur... Ubi nota primo, objectum actionis esse id circa quod aliqua actio versatur : quod quandoque est res aliqua non operabilis, sive talis quæ per nostram actionem nec fieri debet nec perimi, aut secundum sua intrinseca mutari : tale objectum est Deus respectu amoris, uxor respectu adulterii, etc. ; quandoque vero est aliquid operabile vel tollibile, sive quod potentia respicit quatenus per actum suum poni aut tolli potest : sic actus externi sunt objectum actuum voluntatis, quatenus per hos aut imperantur, aut odio habentur ; et miseria pauperis est objectum eleemosynæ, quatenus per hanc tollitur ; vita periclitantis ex fame est objectum pascentis, quatenus ab eo conservatur. Alii dicunt objectum eleemosynæ esse partim rem ipsam quæ datur, v. g., pecuniam, vestem, etc.; partim personam cui datur : sed hæc sunt objecta quasi materialia et remota. Inopia autem ut tollibilis est, proximum et quasi formale objectum quod eleemosyna directe et per se spectat, et a quo habet ut hominem deceat, ac laudabilis sit : nam ideo præcise illa datio habet quod sit actus externus eleemosynæ, et expetenda ac laudabilis, quia est apta tollere vel saltem minuere hanc miseriam. Nota secundo, per dictam ineptitudinem intelligi hic quandam repugnantiam cum ipsa decentia, ex qua sequitur, naturam intellectualem non posse nisi inhoneste circa talem rem tali actione versari. Nota tertio, dictam aptitudinem vel ineptitudinem quandoque consistere in ipsa re secundum se considerata : sic Deus omnesque virtutes sunt objecta apta amari, inepta odio haberi, et contra, vitia sunt apta ut habeantur odio, inepta ut amentur. Alias consistit in re prout subest alicui accidenti physico aut morali ab ea separabili : sic res mea est apta ut a me licite usurpetur, aliena inepta ; quæ autem modo est aliena atque ita inepta ut eam mihi licite usurpem, potest sine ulla physica

principalis ac primaria; et quidem *fundamentalis,* quia actioni non minus intrinsece et essentialiter inest quam ipsum objectum, quo illa in suo esse simpliciter constituitur; *principalis,* quia directio et species motus cujuslibet præcipue pendet a proximo ipsius termino; *primaria,* quia concipitur ante omnem aliam quæ sive ex fine, sive ex circumstantiis provenit. Ita Angelicus: « Bonum et malum actionis, sicut et cæterarum rerum, attenditur ex plenitudine essendi vel defectu ipsius. Primum autem, quod ad plenitudinem essendi pertinere videtur, est id quod dat rei speciem. Sicut autem res naturalis habet speciem ex sua forma, ita actio habet speciem ex objecto, sicut et motus ex termino. Et ideo sicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex sua forma, quæ dat speciem ei, ita et prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti: unde et a quibusdam vocatur *bonum ex genere,* puta uti re sua. Et sicut in rebus naturalibus primum malum est, si res generata non consequitur formam specificam, puta si non generetur homo, sed aliquid loco hominis, ita primum malum in actionibus moralibus est quod est ex objecto, sicut accipere aliena, et dicitur *malum ex genere,* genere pro specie accepto, eo modo loquendi quod dicimus *humanum genus* totam humanam speciem ([1]). »

pit actus suam moralitatem fundamentalem, principalem et primariam;

356. Jam oritur quæstio, *utrum omnis actus habeat ab objecto moralitatem bonam vel malam, an vero sint actus ab objecto indifferentes.* Responderi solet, alios esse actus ab objecto bonos, v. g. eleemosynam, orationem; alios esse ab objecto malos, v. g. blasphemiam, furtum; alios esse ab objecto indifferentes, v. g. ambulare, levare festucam de terra. Animus non est communissimum hunc dicendi modum reprehendere; liceat tamen

et quidem vero sensu dici potest omnem actum ab objecto moralitatem accipere bonam vel malam.

sua mutatione fieri mea, atque ita apta ut eam licite usurpem. Nota quarto, etsi quævis objecta sint apta ut aliqui actus honeste circa ea versentur, et respectu aliorum inepta: nam Deus honeste amatur, inhoneste odio habetur; vitia inhoneste amantur, honeste odio habentur: atque ita quævis objecta aliqua ratione sint objective bona, et alia ratione mala; tamen absolute sola illa dicuntur objective bona, quæ honeste amantur, et objective mala, quæ honeste amari non possunt. Quare nec illa possunt dici objective mala nec hæc objective bona, nisi addendo respectu odii et aversionis; sunt enim virtutes objectum malum sive ineptum, vitia vero bonum sive aptum ut odio habeantur: hæc enim non significant illas in se aliquid malitiæ, aut hæc aliquid bonitatis habere, sed solum illas male, hæc bene odio haberi. »

1. S. Thomas, 1-2, q. 18, a. 2.

advertere, theologos, dum sic loquuntur, non videri nobis satis sibi constare, quia ad actus appretiandos diversa mensura utuntur, seu eos non considerant sub eadem ratione. Sane actus, quos dicunt ex objecto bonos vel malos, sunt actus bene determinati, cum sua propria directione sumpti; ita ut in individuo poni possint quales indicantur; sic eleemosyna est pecuniæ elargitio *in miseriæ sublevationem*, furtum est rei alienæ contrectatio *in domini fraudem*, etc.; at vero actus, quos dicunt ex objecto indifferentes, sunt actus indeterminati, absque speciali directione, ita ut in individuo locum habere nequeant, quin aliquid addatur; sic nemo *ambulat* nisi ex aliqua ratione, et pro varia illa ratione varium censetur objectum et varius actus, licet forte eadem sit denominatio. Igitur *ambulare* indeterminate sumptum comparari non deberet cum *dare pecuniam miseriæ sublevandæ causa*, quod determinatum est, sed cum *dare pecuniam*, quod est indeterminatum. Qui dicit *amare, ambulare, levare festucam de terra, dare pecuniam, rem alienam contrectare*, et hujusmodi, indicat quidem actum, et actus materiam, seu objectum remotum, non tamen indicat proprie dictum objectum, adeoque operationem incomplete considerat; sed qui dicit *facere eleemosynam, furtum perpetrare, blasphemiam proferre*, præter actum ejusque materiam, indicat proprium objectum, seu id in quod actus tendit. Jam vero actus indeterminate sumpti, absque propria directione, sunt indifferentes, quia non cadunt sub lege, et quidem indifferentes dici possunt ex objecto (remoto); verum actus determinate sumpti, cum propria sua directione, sunt omnes morales, quia nullus videtur esse actus liber qui non pertineat ad regulam, adeoque non sit regulæ conformis et bonus, vel a regula difformis et malus. Oppones: etsi omnes actus determinati et complete spectati sint morales, non omnes tamen moralitatem accipiunt ab objecto; sed alii eam habent ab objecto, ut *furari*, alii eam accipiunt a fine extrinseco, ut *ambulare*. Respondetur: si finis ille est necessarius ut actus sit completus, jam non est proprie extrinsecus, sed potius intrinsecus, ad substantiam actus pertinens, et rationem habet objecti, quum voluntati agentis primario objiciatur (1). Secus æquali jure dici posset, ipsam

1. Cfr. supra, n. 352.

eleemosynam accipere a fine extrinseco moralitatem; voluntas enim sublevandi miseriam distincta est et separabilis ab actione dandi pecuniam (1). Ni fallamur, in hac materia confusioni occasionem dant ipsa verba; alia videlicet indicant merum motum, ut *ambulare*, alia indicant motum cum suo termino, ut *furari*, et tamen de his et illis eodem modo loqui solemus. Ut patet, quæstio est de nomine: proposita tamen consideratio valere fortasse poterit ad distinctiorem rerum intelligentiam. Itaque sensu indicato dicimus, omnes actus complete spectatos, esse bonos vel malos, et moralitatem suam habere ab objecto proprio.

357. *Bonitas objecti intendenda, ut contrahatur, non autem malitia.*

Ita *moralitas ad objecto derivatur, ut bonitas non contrahatur ab agente nisi objectum bonum appetatur propter se : malitia autem contrahatur etiamsi objectum malum non appetatur propter se, sed prout est merum medium ad aliquid aliud obtinendum.* Ratio primæ partis assertionis est, quia bonum est prosequendum et in se amandum ; unde Angelicus : « Ad hoc quod voluntas sit bona, requiritur quod sit bona sub ratione boni, id est, quod velit bonum et propter bonum (2) ». Ratio secundæ partis assertionis est, quia malum non solum non debet amari, sed etiam præcaveri debet. — Hæc est sententia communis : quæ tamen

1. Cfr. supra, n. 353.

2. S. Thomas, 1-2, q. 19, a. 7, ad 3. — Egregie Platel, *Syn.* II, 89 : « Actus voluntatis debet, saltem confuse et in actu exercito, tendere in objectum propter ejus honestatem ut rationem formalem; est S. Thomæ, hic q. 19, a. 7, ad 3 ; Aug. in Psal. 31 : *Bonum opus intentio facit ; non valde attendas quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat;* Ansel. l. *de lib. arbit.* c. 3, ubi ait : *Justitiam esse rectitudinem voluntatis propter se servatam* Ratio est, quod motivum, seu objectum formale voluntatis prosecutivæ, sit necessario aliqua bonitas; unde si non tendat in objectum sub ratione honesti, necessario in illud tendet sub alia ratione boni, nempe delectabilis vel utilis, ipsa honestate omnino per accidens se habente. Dixi, *saltem confuse,* etc. quia ad hoc sufficit quod objectum repræsentetur et ametur *sub aliqua ratione, quæ honesta est, seu sub qua est honeste amabile,* quod fit quoties objectum de se honestum non repræsentatur, nec appetitur sub ratione boni delectabilis aut utilis ; eo ipso enim in actu exercito repræsentatur et appetitur sub ratione honesti, ut contracti et exerciti in hac particulari materia, circa quam versatur, v. g. in eo, quod est per eleemosynam sublevare populi miseriam, quamvis reflexe et formaliter nihil cogitetur de honestate. — Ut actus contrahat objecti malitiam, non requiritur ut hæc, etiam confuse et exercite ametur, sed sufficit quod sit cognita, et interpretative volita eo ipso, quo, ea non obstante, objectum est efficaciter volitum, quamvis illam secundum se voluntas aversetur. »

non est eo sensu intelligenda, quasi necesse esset ut agens, v. g. eleemosynam daturus, velit actum formaliter qua honestus est, seu regulis morum conformis ; omnino enim sufficit, si velit eum sub ea ratione ex qua honestus est, seu regulis conformis, quia nempe sublevat miseriam pauperis. Neque necesse est, ut agens ita explicite seu expresse intendat actum sub ea ratione propria ex qua specificam suam bonitatem habeat ; satis enim est, si apprehendat eum, v. g. ut convenientem rectæ rationi, et ut talem appetat (1).

ARTICULUS SECUNDUS.

De moralitate a fine derivata.

358. *Notio finis ejusque distinctio*

Omne agens rationale sua actione aliquid *intendit,* cujus bonitas eum ad agendum *movet ;* illud autem, quod sic intenditur, vocatur *finis operantis*. Hujusmodi finis aliquando coincidit cum fine operis, seu cum objecto, aliquando ei extrinsece superadditur voluntate agentis : de primo casu nihil amplius dicendum occurrit; restat ergo ut explicemus quomodo in actus moralitatem influat finis extrinsece objecto additus, seu finis operantis a fine operis distinctus.

Ante autem quam res exponatur, juverit in memoriam revocasse præcipuas distinctiones finis operantis.

359. *in finem proximum et remotum,*

Imprimis distinguitur finis operantis in finem *proximum* et finem *remotum :* proximus ille est, qui intenditur nullo alio interposito ; remotus ille est, qui intenditur mediante alio fine : sic cum vir doctus librum scribit ut stipendio accepto vitam sibi comparet, stipendium est illi finis proximus, sustentatio vitæ, finis remotus.

1. Id clare explicat Ægidius De Coninck, l. c., dub. 4, n. 60. Ad objectionem enim, quod, si bonitas actus intendi deberet, rustici vix facerent ullos actus bonos, quia vix unquam reflectunt super eorum honestate, sic respondet : « Nego assumptum, quia, quicumque sincera intentione actus aliquos virtutum exercent, communiter in iis amant ipsam honestatem : quod vel inde patet quia communiter existimant, se aliquid agere dignum laude ac præmio, et gratiam apud Deum inire. Unde si eos roges quare ea opera faciunt, respondere solent : quia hominem probum ac christianum decet ita agere ; aut, ut gratiam Dei mereantur, etc. ; nec ad hoc opus est ut cognoscant in quo consistat formalis ratio honestatis, sed sufficit quod eam actionem apprehendant ut honestam, et ut talem expetant. »

Deinde distinguitur in finem *ultimum* et finem *intermedium* : ultimus ille est, qui appetitur ratione sui, ita ut agens in eo sistat, non referens eum ad finem ulteriorem ; intermedius ille est, qui appetitur propter finem ulteriorem : sit exemplum illius, qui studiis theologicis incumbens finem sibi proponit scientiam acquirendam, ideo autem scientiam vult acquirere ut sit idoneus ad statum sacerdotalem amplectendum, insuper sacerdotium appetit ut valeat munus parochiale assequi, quo fungens laboret in proximorum salutem, atque sic promoveat Dei gloriam: in tali casu finis ultimus studii est Dei gloria; scientia autem theologica, sacerdotium, munus parochiale, salus proximorum sunt fines intermedii ; finis ergo intermedius rationem habet tum *finis*, spectatis mediis quæ ordinantur ad ipsum consequendum, tum *medii,* spectato fine ulteriore ad quem ipse ordinatur. — Præter finem *absolute* seu *simpliciter* ultimum, potest esse finis ultimus *secundum quid,* qui, etsi ad finem ulteriorem refertur, tamen ultimus est in aliqua *serie* seu *ordine* rerum: sic v. g. sanitas corporis est hoc sensu finis ultimus in negotio medicinæ, atque sientia est finis ultimus in negotio studiorum, quamvis sanitas ac scientia referantur in finem ulteriorem, v. g. in labores ad gloriam Dei. — Insuper potest finis ultimus esse vel *positive* vel *negative* ultimus; positive ultimus constituitur finis, si excludantur omnes fines ulteriores; negative ultimus constituitur, si finis ulterior, etsi non intenditur, neque tamen excluditur. *ultimum et intermedium.*

Distinguitur in finem *totalem* et *partialem,* prout agens propter eam solum finem agit, vel agit simul propter alios fines. — Finis autem partialis est *primarius* vel *secundarius,* prout agens præcipue ob illum finem agit, vel ita tantum ut magis moveatur intentione finis alius. Nec quidquam obstat quominus finis hujusmodi secundarius sit causa agendi, eo sensu quod ita agentem moveat, ut fine illo deficiente non fecisset opus de quo agitur. *totalem et partialem.*

360. *Finis moralitas:*

Moralitatem suam accipit actus a fine considerato, non in se, sed in sua relatione ad actum, quatenus nempe ordini et regulæ conforme est, vel non, ut talis res tanquam finis intendatur, et talis actus tanquam medium eligatur ad eam obtinendam: si utrumque elementum (intentio et electio) rectum

sit, actus erit ex fine bonus; si alterutrum rectum non fuerit, actus erit ex fine malus.

361. *qua ratione intendi debeat actionis honestas, utilitas, delectabilitas.*

Ut autem plene intelligatur quandonam rectæ sint, nec ne, intentio et electio, præ oculis habenda est distinctio boni in honestum, utile, delectabile. Bonum dicitur *honestum* quatenus in se convenit ; *utile*, quatenus juvat ad alterum consequendum ; *delectabile*, quatenus sui possessione quietem affert. Hæc autem triplex ratio boni, licet distincta sit, potest simul reperiri: sane virtutis exercitium et in se honestum est, et utile est ad salutem, et dulcedinem præbet (1). Jam vero *a/ bonum honestum propter se intendi potest : utile vero et delectabile, qua tale, eligi aut appeti nequit nisi propter honestum : utile quidem per modum medii, delectabile autem per modum consequentiæ.* Hinc solvi potest quæstio, utrum v. g. comparatio pecuniæ vel sensatio voluptatis sit bonus finis operantis. Videlicet, pecunia, cum essentialiter ordinetur ad aliquid aliud, non potest intendi nisi tanquam finis proximus, implicite saltem relatus ad finem ulteriorem ; quoad voluptatem vero, cum a Deo, auctore naturæ, primario ordinata sit ad hominem alliciendum ad operationes necessarias vel utiles quibus annexa est (2), sequitur, eam recte intendi tanquam finem secundarium, quo operans ad operandum moveatur et applicetur, non tanquam finem primarium, cui ipsum opus subordinetur (3); quatenus autem secundario ordinata est ad animum a defatigatione levandum atque recreandum, directe intendi potest per modum finis intermedii (4).

1. Cfr. supra, n. 4.

2. Ita S. Thomas, *Cont. Gent.*, lib. III, c. 26 : « Rectus ordo rerum convenit cum ordine naturæ ; nam res naturales ordinantur in suum finem absque errore. In naturalibus autem est delectatio propter operationem, et e converso ; videmus enim quod natura illis operationibus animalium delectationem apposuit, quæ sunt manifeste ad fines necessarios ordinatæ, sicut in usu ciborum, qui ordinantur ad conservationem individui, et in usu venereorum qui ordinantur ad conservationem speciei ; nisi enim adesset delectatio, animalia a prædictis usibus necessariis abstinerent. Impossibile ergo est quod delectatio sit ultimus finis. » Cfr. 1-2, q. 4, a. 2 ; q. 33, a. 1 ; 2-2, q. 141, a. 6.

3. De intentione voluptatis specialius agunt theologi tum in quæstione de actuum indifferentia, tum in tractatu de temperantia, tum in expositione propositionum 8æ et 9æ ex damnatis ab Innocentio XI. Cfr. Viva, in hh. pp.

4. Optime Æg. De Coninck, l. c., dub. 9, n. 111 : « Bonum delectabile, etsi sit expetibile propter se, potest tamen etiam formaliter et qua tale esse utile ad aliud aliquod bonum obtinendum, aut malum vitandum, et ut tale

adeoque liceat agere intuitu præmii vel timore pœnæ :

— *b] Bonum honestum, quod simul est utile aut delectabile, intendi potest non solum quatenus est honestum, sed etiam quatenus est utile aut delectabile, dummodo ratio honesti non negligatur, et non invertatur debitus ordo.* Ita recta esse potest actio etiamsi non fiat ex motivo *desinteressato,* seu ex pura reverentia regulæ et ordinis moralis (1), sed intuitu præmii aut metu pœnæ (2) ; item, ubi exercitio virtutis adjunctum est commodum aliquod temporale, potest hujusmodi commodum temporale secundario intendi, ita ut per illud operans alliciatur et determinetur ad opus (3) ;

---

expeti : v. g. oblectatio in aliquo lusu, spectaculo aut cantu utilis est ad pellendam melancholiam et animi quietem acquirendam : unde etiam in hunc finem sæpe prudenter eligitur, quo casu non solum eligitur opus delectabile materialiter sumptum, sed formaliter et qua tale est, quia ut sic præcise est utile ad eum finem. »

1. Secundum Kantii doctrinam, ut moraliter bona sit actio, requiritur, ut non solum legi, id est, dictamini rationis conformis sit, sed etiam pure *ex ejus reverentia* fiat; eatenus proinde *a morali bonitate deficere* censenda est, quatenus non pure ex hac reverentia, sed simul propter finem materialem, i. e. ab hac formali reverentia diversum, suscipitur.

2. Ante Kantium Calvinus, *Inst.* III, 16, 18, Baius, *De char.*, c. 6, *De virt. impior.*, c. 5 et 6, et deinceps Janseniani, adversus amorem concupiscentiæ insurgentes, malum esse docuerunt opus intuitu æternæ mercedis exercitum. Ii omnes ab Ecclesia damnati sunt, tum decreto concilii Tridentini, sess. VI, c. 11, et can. 31, tum Alexandri VIII (pp. 10 et 13), Clementis XI (pp. 61, 62), aliorumque Pontificum oraculo : cfr. tract. noster *De virt. theol.*, n. 346-357. — Optime Th. Meyer, *Inst. jur. nat.*, I, 180: « Non fortuita profecto divini ordinatoris institutio est, quod in finali creaturarum tendentia ordinem eudæmonologicum cum deontologico objective et materialiter congruere videmus; unde fit, ut virtuti præmium, vitio pœna generali naturæ lege proposita sit. Et hujus quidem naturalis sanctionis, qua divinus legislator legem moralem adversus humanæ libertatis arbitrium firmatum voluit, is præcipuus finis est, ut humana voluntas tum intuitu præmii, tum metu pœnæ in prosequenda moralis honestatis tramite semet-ipsam adversus sensitivæ naturæ obstacula opportune ad constantiam corroboraret. Quis autem a morali bonitate deflectere eum dixerit, qui, præter ipsam legis reverentiam, eo simul utitur bene agendi incitamento, quod Deus ipse, ut eo quisque pro necessitate et opportunitate utatur, suggerit atque imponit? »

3. Rem præclare exposuerunt Salmanticenses, *Opus mor.* tr. IX, *de matr.* c. 3, p. 3, n. 32 et 33. « Dupliciter potest quis intendere finem profanum in celebratione matrimonii : vel ut *finem operis,* ordinando videlicet ipsum matrimonium ad illum ; et in hoc est inordinatio et perversitas, ut si quis ob stipendium celebraret tanquam propter finem operis ; alio modo... tanquam *applicationem voluntatis* vel ad matrimonium absolute, vel ad matrimonium cum tali aut tali celebrandum, quod proinde non contraheret, nisi propter amorem talis finis applicaretur.... et in hoc nulla datur inordinatio, quia bonum, quod in tali matrimonio intenditur, non assumitur ut finis matrimonii; nam in ipsa contractione matrimonii finis proprius ejus intenditur ; sed ut finis illius voluntatis, quæ, cum nollet contrahere, movetur ad contrahendum ex hoc vel illo fine, vel, cum nollet cum ista contrahere,

generatim « intentio boni proprii etiam delectabilis per se quidem nequaquam reddit actionem ratione finis malam, imo omnino cum recto ordine consentit, quamdiu voluntas in illo verum bonum prosequitur, nec in bono *qua delectabili* tanquam *fine in se* quiescit. Nihilominus respectus voluntatis *eudæmonisticus* in actionibus cæteroquin bene ordinatis, gradum bonitatis moralis signat non perfectum, sed *ratione finis perfectibilem.* Quo purius quippe voluntas divinæ sanctitati conformatur, id est, quo magis ab omni respectu formali boni particularis abstracta in bonum universale, seu proprie rationale, convertitur, eo magis actio ratione finis absoluto ordini conformatur (1). » Quas considerationes ut breviter concludamus, dicere possumus: sicut necessariis delectabilitatem, ita Deus honestis felicitatem adnexuit; non pervertit igitur ordinem qui in agendo delectationem et beatitudinem respicit.

362. *qua ratione in operando intendere oporteat finem ultimum.*

Quod si quæratur, an et qualis necessaria sit finis ultimi intentio et operum ad finem istum relatio, sequentibus respondendum censemus. *a/ Ad operationis humanæ rectitudinem sufficit volitio objecti boni, aut finis intermedii boni intentio, quin ulla*

movetur ad contrahendum cum illa ob ejus pulchritudinem, divitias, etc. Dicimus ergo, quod, quando aliquis, qui nolebat nubere, modo movetur ad hoc, quia sibi occurrit femina vel nobilis, vel pulchra, vel dives, vel, cum non vult contrahere cum tali, movetur ad contrahendum cum alia, in qua similes qualitates reperit, solum intendat illum finem ut applicationem ad matrimonium, non ut finem matrimonii, quamdiu finem proprium illius non excludit, in quo nullum peccatum est, ut patet in exemplo... ejus qui erat determinatus ad non celebrandum; adveniente amico, ut illi morem gerat, ad celebrandum movetur : quia in tali casu voluntas amici non assumitur ut finis sacrificii, sed ut applicatio voluntatis ad illud, non excluso fine proprio ejus, et sic excusantur a peccato matrimonia, quæ communiter ob magnam dotem, ob divitias, ob pulchritudinem contrahuntur... Quando actus est ex se bonus et finis proprius non excluditur, jam in eo finis bonus apponitur: et sic quamvis fines indifferentes apponantur, ut applicationes voluntatis ad illum, non propterea vitiatur actus, aut malus ob defectum finis honesti redditur... Quare actus bonus est, si quis moderate comedat, non attendendo ad finem comestionis, sed nec excludendo illum, etiamsi ex gustu et voluptate ad talem comestionem applicetur. Et in nostro casu quando quis ex voluptate capienda ex copula maritali applicatur ad illam. talis actus est bonus, quia est actus justitiæ, et redditio debiti, etiamsi ad hoc non attendatur, sed ad voluptatem capiendam, quod frequentius accidit : quia semper retinetur finis honestus illius actus, et talis voluptas solum est applicatio voluntatis ad illum. » Optima de eadem re habet Suarez, *De rel.*, tr. III, lib. 4 *(de Simonia)* c. 44.

1. Th. Meyer. *Inst. jur. nat.*, I, n. 191 : cfr. tract. noster *De virt. theol.*, n. 358 et seq.

requiratur ejus ad finem ultimum relatio explicita actualis vel virtualis. Actus enim objecto aut fine proximo bonus natura sua hominem perficit ac Deum glorificat, ut præclare explicavit Augustinus: « Suggero remedium, unde tota die laudes Deum, si vis: quidquid egeris, bene age, et laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum... Cessasti ab hymno cantando, discedis ut reficiaris? noli inebriari, et laudasti Deum. Discedis, ut dormias? noli surgere ad male faciendum, et laudasti Deum. Negotium agis? noli fraudem facere, et laudasti Deum. Agrum colis? noli litem movere, et laudasti Deum. In innocentia operum tuorum præpara te ad laudandum Deum tota die (1). » E contra actus objecto vel fine proximo pravus, homini nocet, Deumque inhonorat. Hoc sensu jubemur omnia in gloriam Dei facere, sive manducamus, sive bibimus, sive aliud quid facimus (2); omne, quodcumque facimus, in verbo aut in opere, in nomine Domini Jesu Christi facere (3); monemur item ut conversationem inter gentes habeamus bonam, ut ex bonis operibus nos considerantes, glorificent Deum (4). Necesse ergo non est ut actus fiat ex amore Dei, sed satis est si procedat ex ordinato amore creaturæ (5). — *b| Equidem requiritur ut homo tum in initio usus rationis, tum identidem in decursu vitæ, per charitatem se convertat ad Deum et ita suam vitam in Deum ordinet* (6); *in qua conversione et ordinatione habetur aliqua generalis et indirecta omnium operationum relatio in Deum;* ut enim loquitur Angelicus, « quandocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, et per consequens omnium eorum, quæ in ipsum ordinantur ut bona sibi (7) »: *si tamen hujusmodi conversio et relatio locum non habuerit, non idcirco actus in se moraliter mali evadunt, licet agens a debito statu deficiat* (8); secus cum hæreticis dicendum videretur, omnia

et opus in Deum referre.

1. S. Augustinus, *In ps.* XXXIV, *serm.* 2, n. 16; cfr. supra, n. 6, 7.
2. I Cor. x, 31. — 3. Coloss. III, 17. — 4. I Pet. II, 12.
5. Huc pertinent Baii propositiones 16ª et 38ª, Quesnelli pp. 44-58, Pistoriensium 23ª, etc.
6. Cfr. Suarez, *De char.*, disp. v, s. 3; et 1-2, tr. v, disp. 2, s. 8; tract. noster *De virt. theol.*, n. 453.
7. S. Thomas, in II, dist. 40, q. 1, a. 5, ad 6: cfr. *De char.*, art. 11, ad 2.
8. Cfr. S. Thomas, in II, dist. 41, q. 1, a. 2, ad 4; 1-2, q. 100, a. 10, ad 2; *De malo*, q. 2, a. 5, ad 7, etc.; Perrone, *De char.*, n. 265-268. — Optime Steyaert, *Aphor.* 1, disp. XVIII, n. 7: « Proprie actus ab hac relatione (in Deum) vel ejus defectu non sumit suam bonitatem vel malitiam

infidelium et impiorum opera esse peccata (1). — *c/* Cæterum aliquo sensu dici potest, *hominem in omnibus suis actibus propter finem ultimum agere, nempe propter finem in communi spectatum,* quatenus vel bonum perfectum appetit, vel hujus boni inchoationem et participationem (2).

363. *Omnis intentio bona vel mala.*

Quamvis nulla generatim in agente requiritur intentio finis extrinseci (3), hæc tamen, ubi adest, necessario bona est aut mala, adeoque ipsi actui bonitatem aut malitiam affert. Vel enim intentio est regulæ conformis, vel non est regulæ conformis, sed ab ea difformis est : non videtur autem dari posse intentio bene determinata, quæ indifferens censeri queat, seu quæ ad regulam non pertineat. Ita S. Thomas : « Cum rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, et habet rationem mali ; si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Necesse est autem quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem (4). »

364. *Conditiones requisitæ ut bonitas finis contrahatur.*

Advertendum autem est, non recipere actum bonitatem moralem a fine extrinseco, nisi tres conditiones verificentur. Prima conditio est, quod actus sit in talem finem *referibilis*, seu proportionem cum ipso habeat : sic actus, qui ex objecto vel fine proximo boni sunt, novam bonitatem accipiunt a relatione in Dei gloriam, quia in talem finem referibiles sunt et proportionem cum eo habent ; actus vero, qui non supponuntur jam boni ex objecto vel aliquo fine proximo, nullam ab intentione gloriæ Dei bonitatem acquirunt, quia in talem

moralem. Ad bonitatem enim quod attinet, jam debet eam actus habere ut ad Deum referri possit... Malitiam vero ex defectu relationis non tam actus participat quam ipse agens. »

1. Huc pertinent Joannis Hus, p. 16 ; Baii, pp. 22, 25, 35, 40 ; Quesnelli 45, 59 ; Pistor. 23, etc.

2. Cfr. S. Thomas, cum Commentatoribus, 1-2, q. 1, a. 6.

3. Cfr. Suarez, *De bon. et mal. act. hum.*, disp. VIII, s. 1, n. 10 : « Si objectum est bonum et ut sic est intentum, ipsummet est sufficiens finis bonus ; unde ad bonitatem actionis non requiritur relatio in ulteriorem finem, et ideo e converso, non potest actus habere malitiam ex carentia talis relationis. »

4. S. Thomas, 1-2, q. 18, a. 9.

finem immediate referibiles non sunt (1). — Altera conditio est, quod agens tali fine revera *moveatur*, seu quod intentio sit actualis aut saltem virtualis, prout explicat Angelicus : « Ad hoc quod alicujus actionis finis sit Deus vel caritas, non oportet quod agendo illam actionem aliquis de Deo vel caritate cogitet : nec iterum sufficit quod aliquis in habitu tantum Deum et caritatem habeat : sed oportet quod prius fuerit cogitatio de fine, qui est caritas vel Deus, et quod ratio actiones sequentes in hunc finem ordinaverit : ita quod rectitudo illius ordinationis in actionibus sequentibus salvetur : ut patet in exemplo quod Avicenna ponit de artifice, qui, si, dum opus suum exercet, semper de regula artis cogitaret, multum in opere impediretur; sed sicut prius excogitavit per regulas artis, ita postmodum operatur, et sic in opere rectitudo artis salvatur (2). » Ex quibus patet quid sit sentiendum de more omnes actiones Deo singulo mane offerendi : est sane talis oblatio actus religionis aut caritatis optimus ; minime tamen necessarius est ; nec aliunde semper sufficit ut vi illius actiones sequentes censeantur in Deum relatæ, et habeant ab hoc fine religionis aut caritatis bonitatem. — Tertia conditio est, quod bonitas finis propter se *intendatur*, quemadmodum diximus de volitione objecti (3).

365. Jam distinctius exponendum est qua ratione actus moralitatem accipiat a fine ; ut autem expositio recte procedat, successive agemus de influxu finis boni, mali, indifferentis in actum ex objecto bonum, malum vel indifferentem (4).

Imprimis actus ex objecto bonus supponi potest referri in

1. Optime Suarez, *De rel.*, tr. III, lib. 5, c. 4, n. 7 : « Si quis dicat se ire in agrum propter Dei honorem vel amorem, profecto, si nihil aliud adjungatur, et immediate fiat talis relatio, vana est et nullius momenti, quia ire in agrum per se nihil confert ad Dei honorem, sed interponere oportet alia media, quibus mediantibus possit ille actus conferri ad talem finem, ut si studium conferat ad honorem Dei, et vires corporis sint necessariæ ad studium, et ad has vires comparandas vel conservandas conveniens judicetur ire in agrum : tunc optime refertur actus ille ad bonum honestum, et ideo ejus bonitatem participat: » Cfr. tract. noster *De virt. rel.*, I, 364.

2. S. Thomas, in II. dist. 38, q. 1, a. 1, ad 4 ; cfr. Salmanticenses, *De bon. et mal. act. hum.*, disp. V, dub. 5 ; Bellarminus, *De just.*, lib. V, c. 15.

3. Cfr. supra, n. 357.

4. De objecto et fine indifferenti agimus in hypothesi (nobis falsa) quod hujusmodi objectum et finis dari possint : cfr. supra, n. 356, 363.

finem bonum, aut malum, aut indifferentem. Jam vero *a/ actus ex objecto bonus in finem bonum relatus, suam bonitatem retinere potest, novam autem eamque aliquando multiplicem acquirit a fine :* ita eleemosyna data pauperi in honorem Dei et simul in satisfactionem pro peccatis, ex objecto habet bonitatem misericordiæ, ex duplici autem adjecto fine, duplicem acquirit bonitatem religionis et pœnitentiæ. Dicimus quod actus ita in finem bonum relatus, bonitatem suam objectivam retinere *possit,* non autem quod eam *semper* retineat. Advertendum enim, aliquando actum non esse fini intento proportionatum nisi præcise prout bonus est : sic abstinentia a cibis eatenus valet ad satisfaciendum pro peccatis per modum mortificationis, quatenus est moraliter bona ; adeoque in abstinentia a cibis intuitu satisfactionis necessario duplex est bonitas, una objectiva, a qua præscindi nequit, altera finalis ; verum aliquando actus est fini intento proportionatus etiam prout est merum medium materiale : sic abstinentia a cibis, mere materialis, valet ad castitatem conservandam : hinc castitatem intendens poterit præscindere a bonitate morali abstinentiæ ; quod si faciat, non habebitur in actu nisi sola bonitas finalis (1). — *b/ Actus ex objecto bonus in finem malum relatus, vel totaliter malus evadit, vel forte aliquando partim bonus, partim malus esse potest.* Et quidem si eligatur per modum puri *medii materialis* ad finem malum, vel, ut alii loquuntur, si finis malus sit *totalis* et *adæquata* causa eum ponendi, actus absque dubio est totaliter malus ; agens enim in hujusmodi casu vult bonum sub ratione mali. Si autem fiat etiam propter objecti honestatem, aut propter alium finem bonum, adeoque finis malus

Moralitas actus boni in finem bonum,

malum.

1. Cfr. Suarez, *De bon. et mal. act. hum.*, disp. VI, s. 3. — Optime Æg. de Coninck, *De act. sup.*, disp. III, dub. 9, n. 112-115 : « Nota... actum unius virtutis dupliciter posse esse utilem ad aliam acquirendam. Primo, ratione sui esse materialis : sic temperantia est utilis ad acquirendam castitatem, etsi non libere, aut etiam avaritiæ causa exerceatur. Secundo, præcise ratione suæ honestatis : sic actus cujusque virtutis est utilis ut Deo placeamus, et aliam virtutem ab eo impetremus, atque ea ratione in hunc finem a nobis potest eligi... Quando actus virtutis priore modo eligitur, ad aliam virtutem quærendam, aut alium quemcumque finem bonum, electio solum habet bonitatem virtutis intentæ, et consequenter unicam habet bonitatem.... Quando actus virtutis eligitur secundo modo ad aliam virtutem acquirendam, aliumve finem extrinsecum secundum se bonum, electio ex utroque capite accipit specialem bonitatem atque ita duplicem. »

non sit nisi causa partialis eum ponendi, actus, juxta alios, est totaliter malus ; juxta alios, est partim bonus, partim malus ; juxta alios est totaliter malus quando finis malus est primarius et graviter culpabilis, partim bonus partim malus quando finis malus est secundarius et leviter culpabilis (1) : quænam ex istis sententiis sit præferenda, vix pronuntiare audemus : in eam tamen libentius propendemus, qua statuitur, objecti boni volitionem et intentionem boni finis non totaliter corrumpi intentione finis mali partialis, præsertim si finis iste malus se habeat tantum per modum motivi allicientis ; fatemur tamen vix contingere posse ut quis objectum quatenus bonum sincere velit, simulque actum referat in finem graviter malum. — *c/ Actus ex objecto bonus in finem indifferentem relatus*, (supposito quod talis finis detur) *est vel totaliter indifferens, vel partim bonus, partim indifferens*. Sane totaliter indifferens est, si eligatur per modum puri *medii ;* si autem intendatur quatenus honestus, erit vel partim bonus, partim indifferens, vel totaliter indifferens, juxta ea quæ modo diximus de fine malo.

indifferentem relati.

Similiter actus ex objecto malus supponi potest referri in finem bonum, malum, indifferentem. Jam vero *a/ actus ex objecto malus in finem bonum relatus, remanet malus* ; *minus tamen malus est quam si alio motivo poneretur ; boni autem finis intentio aliquando totaliter corrumpitur usu mali medii, aliquando non ; unde actus complete spectatus, prout nimirum comprehendit electionem et intentionem, erit vel simpliciter malus, vel partim bonus, partim malus*. Imprimis α/ actus malus, non obstante relatione ad finem bonum, remanet malus ; ut enim pronuntiat Apostolus, non sunt facienda mala ut veniant bona (2) ; in quem sensum præclare scribit S. Augustinus : « Quod sceleratissimum facinus, quod turpissimum flagitium, quod impiissimum sacrilegium non dicatur posse fieri recte et juste, nec impune tantum, verum etiam gloriose,... si semel concesserimus in omnibus malis

Moralitas actus mali in finem bonum

1. Cfr. S. Thomas, in II, dist. 36, q. un., a. 5 ; dist. 38, q. 1, a. 4 ad 4 ; 1-2, q. 18, a. 4, ad 3 ; q. 19, a. 7, ad 2 ; Caietanus, in 1-2, q. 18, a. 8 et 9 ; nec non *Opusc.*, tom. I, tr. 17, resp. 14, a. 4, § 2 ; Suarez, *De bon. et mal. act. hum.*, disp. VIII, s. 1 ; *De gratia*, lib. XII. c. 4, n. 6 ; Salmanticenses, *De bon. et mal. hum. act.*, disp. VI, dub. 1 ; De Coninck, *De act. sup.*, disp. III, dub. 9-12 ; Gonet, *Clyp. theol. thom.*, in 1-2, tr. III, disp. IV, a. 1 ; Billuart, diss. IV, a. 4, § 2 ; inter recentiores vero Walsh, *De act hum.*, n. 531 et seq.

2. Billuart, l. c., diss. 2, prob. 2.

operibus hominum, ideo *non quid fiat, sed quare fiat*, esse quærendum » ? Et paulo ante : « interest quidem plurimum, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat ; sed ea quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt... Quum vero jam opera ipsa peccata sunt, sicut furta, stupra, blasphemiæ, vel cætera talia, quis est qui dicat causis bonis esse facienda, ut vel peccata non sint, vel, quod absurdius, justa peccata sint ? Quis est qui dicat : ut habeamus quod demus pauperibus, faciamus furta divitibus ; aut : testimonia falsa vendamus... Quis ista dicat, nisi qui res humanas, omnesque conetur mores legesque subvertere? » (1) Attamen β/ actus ex objecto malus fit intentione bona minus malus ; et ratio est, quia minor est affectus ad malum, quum voluntas non appetat malum nisi ex amore alius rei honestæ, et quatenus induit rationem boni utilis ad honestum illud consequendum. Unde S. Augustinus : « Pejor est qui concupiscendo, quam qui miserando furatur ; » (2) et S. Thomas : « Quanto bonum intentum est melius, tanto magis minuitur culpa mendacii ». (3) Tandem γ/ bona intentio electione mali medii corrumpitur, si illi subordinetur, id est, si finis bonus intendatur formaliter per tale medium obtinendus ; secus forte, si finis bonus absolute intendatur, medium autem malum non nisi ex quadam necessitate admittatur : ut si quis maxima misericordia motus, nec proprium habens quod largiatur, furetur ad succurrendum proximo. —

malum. *b/ Actus ex objecto malus in finem malum relatus, duplicem habet malitiam.* Ratio est, quia duplici capite a regula difformis est : unde v. g. si quis furatur ad se inebriandum, contrahit mali-

indifferentem relati. tiam furti et intemperantiæ. — *c/ Actus ex objecto malus ad finem indifferentem relatus, malitiam suam retinet.*

1. S. Augustinus, *Contra mendacium*, c. VII, n. 18 ; cfr. S. Thomas, 1-2, q. 19, a. 7 ad 3 ; quæ doctrina est omnium theologorum. — Veteres quidem nonnulli, ut Cassianus, *Coll.* XVII, c. 17-19, arbitrati sunt licitum esse mendacium gravi causa prolatum. Nemo tamen illud, quod a paucis istis dicebatur de mendacio, extendit ad quævis alia mala. Insignis fuit protestantium calumnia in catholicos, quod hi doceant licitum esse medium ex se malum adhibere ad finem bonum assequendum. Quam autem calumniam protestantes in catholicos protulerant, Janseniani in Jesuitas renovarunt, ut videre licet ex 7ª *Epistola* Provinciali. — 2. S. Augustinus, *Contra mend.* c. 8.

3. S. Thomas, 2-2, q. 110, a. 2 ; cfr. Æg. De Coninck, l. c., dub. 12 ; Salmanticenses, disp. V, dub. 3 ; Billuart, diss. IV, a. 3, tert. diff.

Tandem actus ex objecto indifferens (si tamen detur), supponi potest relatus ad finem bonum, malum, indifferentem. Jam vero *a/ actus ex objecto indifferens in finem bonum relatus, accipit bonitatem a fine:* ita si quis iter arripiat ad viam peregrino ostendendam, actum exercet charitatis. — *b/ Actus ex objecto indifferens in finem malum relatus, accipit a fine malitiam:* ita si aliquis clamores ejiciat ut alteri molestiam creet, charitatem lædit. — *c/ Actus ex objecto indifferens in finem indifferentem relatus, manet indifferens.*

Moralitas actus ex objecto indifferentis, in finem bonum, — *malum,* — *indifferentem relati.*

Pro coronide advertatur, ubi actus moralitatem habet tum ab objecto, tum a fine, moralitatem ab objecto derivatam esse specificam et essentialem (1); ubi vero actus censetur accipere suam primam moralitatem a fine, finis dicitur ingredi rationem objecti. Verum nullimode necesse est ut hac in re recurramus ad quamcumque fictionem; supra enim vidimus, objectum, quod dicunt indifferens, non esse nisi objectum incompletum et indeterminatum; finem vero, quem dicunt extrinsecum, revera ingredi objectum complete et determinate consideratum: id facile patet in exemplis modo adductis illius qui iter facit ad viam ostendendam, vel clamat ad molestiam creandam; absque enim hoc vel alio fine deliberatus actus ambulandi vel clamandi non est completus, nec possibilis (2).

Moralitas a fine, qua tali, accepta accidentalis.

ARTICULUS TERTIUS.

De moralitate a circumstantiis derivata.

366. *Circumstantia est conditio accidentalis actus humani in sua substantia constituti.*

Circumstantia est actus humani in sua substantia constituti conditio aliqua accidentalis; eam præclare describit S. Thomas, vocis etiam ratione reddita: « Nomen *circumstantiæ* ab his, quæ in loco sunt, derivatur ad actus humanos. Dicitur autem in localibus aliquid *circumstare,* quod est quidem extrinsecum a re, tamen attingit ipsam vel appropinquat ei secundum locum. Et ideo quæcumque conditiones sunt extra substantiam actus, et tamen attingunt aliquo modo actum humanum, *circumstantiæ* dicuntur. Quod autem est extra substantiam rei, ad rem ipsam pertinens, accidens ejus dicitur. Unde circumstantiæ actuum

1. Cfr. Gonet, l. c. disp. IV, a. 3; Billuart, diss. IV, a. 3, § 4, etc.
2. Cfr. supra, n. 357.

humanorum accidentia eorum dicendæ sunt (1). » Exemplum accipiatur ab actibus furti et eleemosynæ. De substantia furti sunt homo accipiens, res aliena, et ejus appropriatio invito domino ; jam vero actum ipsum, operantem et materiam multæ conditiones afficere possunt, et in furtum diversimode influere: v. g. quis furetur, dives an pauper, sacerdos an laicus; quid furetur, rem sacram an profanam, pretiosam an vilem; ubi furetur, in platea, in ecclesia. Similiter de substantia eleemosynæ sunt homo dans, egenus accipiens, traditio medii apti ad miseriam sublevandam ; hic autem rursus diversæ conditiones supervenire possunt, v. g. quid detur, parum an multum; quis det, dives an pauper, etc. (2)

367. *Septem enumerantur circumstantiæ:*

Septem solent annumerari circumstantiæ, quæ hoc versu continentur: *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Cujus annumerationis rationem sic explicat Angelicus : « Circumstantia dicitur quasi extra substantiam actus existens, ita tamen quod aliquo modo attingat ipsum. Contingit autem hoc fieri tripliciter : uno modo in quantum attingit ipsum actum ; alio modo in quantum attingit causam actus ; tertio modo in quantum attingit effectum. Ipsum autem actum attingit vel per modum mensuræ, sicut *tempus* et *locus ;* vel per modum qualitatis actus, sicut *modus* agendi. Ex parte autem effectus, ut cum consideratur *quid* aliquis fecerit. Ex parte vero causæ actus, quantum ad causam finalem accipitur *propter quid ;* ex parte autem causæ materialis, sive objecti accipitur *circa quid;* ex parte vero causæ agentis principalis, accipitur *quis* egerit ; ex parte vero causæ agentis instrumentalis, accipitur *quibus auxiliis* (3). »

quis,

Itaque circumstantia *quis* significat accidentalem conditionem operantis, nempe an sit sacerdos, laicus, matrimonio

quid,

junctus, voto ligatus, etc. — Circumstantia *quid* significat conditionem accidentalem materiæ aut personæ circa quam actus versatur, et tria denotare potest : quantitatem, qualitatem, effectum; v. g. an res furto ablata sit sacra, an is qui percutitur

1. S. Thomas, 1-2, q. 7, a. 1 ; cfr. *De malo,* q. 2, a. 6 ; in IV, dist. 16, q. 3, a. 1.
2. Cfr. Sporer, *Theol. mor.,* tr. 1, c. 3, n. 21.
3. S. Thomas, 1-2, q. 7, a. 3 ; cfr. *De malo,* q. 2, a. 6.

sit clericus, consanguineus, etc. — Circumstantia *ubi* significat accidentalem conditionem loci in quo actus ponitur, v. g. quod sit sacer, profanus, publicus, privatus. — Circumstantia *quibus auxiliis* significat conditionem accidentalem mediorum et instrumentorum, sive res inanimatæ sint sive animatæ, quorum ope actus efficitur. — Circumstantia *cur* significat accidentalem et extrinsecum finem operantis. — Circumstantia *quomodo* significat modum accidentalem quo actus ponitur, ut quod sit intensus vel remissus, quod fiat cum majori vel minori advertentia, magis vel minus libere, etc. — Circumstantia *quando* significat accidentalem conditionem temporis quo actus ponitur, v. g. quod fuerit sacrum, vel non. — Ex his « principalissima est omnium circumstantia illa quæ attingit actum ex parte finis, scilicet *cujus gratia ;* secundaria vero quæ attingit ipsam substantiam actus, id est, *quid* fecit. Aliæ vero circumstantiæ sunt magis vel minus principales, secundum quod magis vel minus ad has appropinquant (1). » De circumstantia finis supra ample actum est; remanet ergo ut nunc explicemus cæterarum in moralitatem actus influxum.

ubi,

quibus auxiliis,

cur,

quomodo,

quando.

368. *Latiori vel strictiori sensu definitur quid pertineat ab substantiam actus, quid sit circumstantia :*

Prius tamen advertendum est, actus *substantiam* intelligi posse sensu strictiori vel minus stricto, adeoque illud, quod sub uno respectu est circumstantia actus, sub alio respectu pertinere ad actus substantiam. « Patet exemplo ; furatur quis rem alienam depositam in loco sacro quæ sit magni pretii. Rem hanc esse *alienam* aut *depositam in loco sacro* sunt accidentaria ipsi *acceptioni* consideratæ secundum esse naturæ; quia physice esset eadem acceptio, etsi hæc abessent (2). Eam autem esse *alienam,* constituit eam actionem in specie *furti :* ut enim hæc acceptio sit furtum, necessario debet esse acceptio rei alienæ : atque ita quatenus habet rationem furti, hoc non est ei accidentale aut circumstantia, sed essentiale. Est tamen ei sub ea ratione accidentale et consequenter circumstantia, quod ea res sit *deposita in loco sacro ;* nam ea acceptio esset vere furtum et injustitia, etsi res non esset deposita in loco sacro ; hoc tamen est necessarium ut acceptio habeat

1. S. Thomas, 1-2, q. 7, a. 4.
2. Cfr. supra, n. 354.

rationem *sacrilegii,* ideoque ei sub ea ratione est essentiale. Quod autem sit *magni pretii,* est illi accidentarium, tum quatenus habet rationem furti, quam quatenus habet rationem sacrilegii, atque ita hoc simpliciter est circumstantia tam furto quam sacrilegio (1). » — Jam vero nos in præsenti substantiam actus sumimus in sensu proprio, prout nempe completur ea omnia sine quibus actus humanus in concreto existere nequit ; circumstantiam autem dicimus omnem conditionem accidentalem actui *humano* completo supervenientem. Solent quidem theologi ad substantiam referre ea omnia quibus actus in esse morali constituitur, ita ut nomine circumstantiæ non intelligant nisi conditionem accidentalem actus in suo esse *morali* jam constituti ; a quo loquendi modo, licet communis sit, recedendum duximus : primo quia minus rationabilis est; cum enim præcise inquiramus unde actus humanus accipiat suam moralitatem, propria ejus elementa in esse physico considerare debemus ; secundo, quia ansam dat æquivocationibus, quum adducat ut moraliter tanquam circumstantiæ reputari nequeant quæ physice circumstantiæ sunt ; unde non raro sermo est de circumstantiis quæ *rationem objecti ingrediuntur* (2).

hic sumitur circumstantia in sensu proprio.

369. *Circumstantia dicitur bona vel mala in sua relatione ad actum.*

Accipit actus moralitatem a circumstantia considerata, non in se, sed in sua relatione ad hunc determinatum actum, quatenus nimirum ordini et regulæ conforme est, vel non, ut talis actus in tali loco, tali tempore, tali modo exerceatur. Si conforme est, circumstantia est bona, et actui bonitatem affert; si conforme non est, circumstantia est mala, et actui affert malitiam ; quod si ad ordinem sit impertinens, est circumstantia indifferens, quæ in actus moralitatem non influit. Non esse autem omnes circumstantias bonas vel malas, sed quasdam esse impertinentes et indifferentes, nimis manifestum est: hujusmodi v. g. est quod eleemosyna fiat manu dextra vel sinistra ; quod homicidium committatur gladio vel sclopeto, etc.

370. Cum omnis actus sit ab objecto suo complete spectato, vel

1. Æg. De Coninck, op. cit., disp. III, dub. 14, n. 162; cfr. S. Thomas, *De malo,* q. 2, a. 6.

2. Billuart, diss. IV, a. 3.

saltem, juxta modum loquendi aliorum, a fine extrinseco bonus vel malus, impossibile est ut primam suam moralitatem accipiat a circumstantia. Nihilominus *a| fieri potest ut actus qui ex objecto suo bonus esse posset, fiat malus ex circumstantia personæ, loci, temporis*, etc.: sic v. g. ratione personæ in clericatu constitutæ, mala est venatio strepitosa; ratione loci sacri, malum est exercitium mercaturæ; ratione diei festivi, malus est labor servilis; ratione modi, (quod scilicet fiat præpropere, tacite, nimis, ardenter, studiose) mala est cibi sumptio, etc. Hujusmodi sunt circumstantiæ quas supra monuimus communiter vocari *ingredientes rationem objecti*. — *b| Fieri potest ut actus ex objecto bonus vel malus accipiat a circumstantia personæ, loci, temporis, objecti, novam bonitatis vel malitiæ speciem:* ita qui voto abstinentiæ vel continentiæ est obstrictus, si abstinentiam et continentiam servet, non solum temperantiæ et castitatis, verum etiam religionis bonitatem contrahit; vicissim si quis furetur rem sacram de loco sacro, furto duplicem addit malitiam sacrilegii: hujusmodi circumstantiæ vocantur *mutantes speciem* (1). Recte

Ratione circumstantiæ actus bonus fieri potest malus;

actus bonus vel malus novam accipit a circumstantia bonitatem vel malitiam;

1. Quæstionem de speciali malitia sacrilegii addita peccatis in loco sacro vel die festo commissis expendit Lugo, *De pœn.* disp. XVI. Ita v. g. n. 466, de *loco* sacro: « An peccata in Ecclesia commissa, licet non contrahant malitiam gravem sacrilegii necessario explicandam in confessione, contrahant tamen aliquam malitiam majorem ratione loci sacri? Respondetur, per se loquendo et seclusa ignorantia vel inadvertentia, videri quod contrahant ex loco sacro aliquam irreverentiam specialem; immo eam, licet levis sit, pertinere ad speciem sacrilegii: non enim apparet cui virtuti opponatur nisi religioni, propter specialem reverentiam quæ debetur loco sacro... Indecens enim est ut locus orationi et cultui divino deputatus, convertatur in locum peccandi et offendendi eumdem Deum. » Et infra, n. 518 de *die* festo: « Ego imprimis puto non omnia peccata mortalia in die festo contrahere circumstantiam necessario confitendam... Adverto secundo, negari non posse quod circumstantia illa (temporis sacri) per se loquendo et seclusa ignorantia vel inadvertentia, aggravet aliquantulum ac consequenter det malitiam specialem sacrilegii saltem levem, ut supra dicebamus de circumstantia loci sacri: quia sicut persona sacra aggravat quodlibet peccatum mortale quod committit, quia per quodlibet peccatum grave profanatur persona Deo sacra, sic etiam quolibet peccato mortali profanatur Deo sacra dies, et specialiter destinata ad Dei cultum... Hinc infero neque etiam in die jovis aut veneris sancti, nec in die qua accepta est Eucharistia, omnia peccata mortalia contrahere malitiam gravem necessario explicandam... Ratio autem est quam attulimus, quia, licet illa circumstantia refundat malitiam aliquam irreverentiæ specialis, non tamen tantam ut fiat gravis: sicut neque est locus ita sanctus in quo omnia et singula peccata mortalia accipiant specialem malitiam necessario explicandam. Addo tamen posse aliquod peccatum ratione temporis sacri contrahere malitiam gravem necessario explicandam, sicut id diximus supra, posse etiam contingere ratione

autem advertit Æg. De Coninck, quod malitia ratione circumstantiæ superaddita aliquando malitiam priorem essentialiter supponat, aliquando non; nimirum contingit « ut actus secundum se malus acquirat novam specie malitiam, quæ priorem non supponit, et potest sine ea existere, ut si quis fornicetur in templo, hæc actio præter fornicationem continet malitiam sacrilegii, quatenus per eam locus sacer violatur: quæ malitia specie distinguitur a priore, et potest sine ea esse; nam si quis in templo sine justa necessitate cognosceret propriam conjugem, eodem modo violaret sanctitatem loci, et tamen non committeret fornicationem. » Ex adverso contingit « ut malitia ex circumstantia necessario supponat in actu aliam malitiam priorem, a qua tamen secundum intrinsecum suum conceptum distinguitur: talis est malitia adulterii ut sic, quæ consistit in speciali injuria erga maritum et contra honorem sacramenti in christianis, atque ita secundum intrinsecum quidem suum conceptum, est distincta a malitia fornicationis, hanc tamen supponit; quia nemo potest in se admittere malitiam adulterii sive committere illam injuriam in maritum et sacramentum, nisi simul admittat malitiam fornicationis. Quod tamen hæ malitiæ secundum intrinsecos conceptos differant, patet, quia prior est præcise contra castitatem, alia est contra justitiam et honorem sacramento debitum (1). » — *c| Fieri potest ut actus ex objecto bonus vel malus accipiat a circumstantiis novum bonitatis aut malitiæ gradum, vel e contra bonitatis aut malitiæ gradum amittat:* ita si vir doctrina excellens aliis se postponat, si pauper eleemosynam det, humilitatis et misericordiæ actus excellentior est; e contra gravius, cæteris paribus, est peccatum plene deliberatum hominis fidelis quam infidelis, episcopi, religiosi, sacerdotis, quam sæcularis aut laici (2), etc. Hujusmodi cir-

item majorem vel minorem gradum habet bonitatis aut malitiæ.

loci. Exempla autem in præsenti esse possunt: primo, si illo die veneris sancti aliquis vellet ludos publicos, comœdias et ludicra spectacula exhibere, sicut in diebus bacchanalium: illa certo viderentur gravissima irreverentia contra sacratissimum diem Passionis Christi Domini. »

1. De Coninck, l. c., n. 165-166.

2. Ita S. Thomas, 1-2, q. 73, a. 10: « Duplex est peccatum. Quoddam enim ex subreptione proveniens propter infirmitatem humanæ naturæ, et tale peccatum minus imputatur ei qui est major in virtute, eo quod minus negligit hujusmodi peccata reprimere: quæ tamen omnino subterfugere infirmitas humana non sinit. Alia vero peccata sunt ex deliberatione procedentia, et ista peccata tanto magis alicui imputantur, quanto major est.

cumstantiæ vocantur *aggravantes* vel *minuentes*. Possunt autem aggravare vel minuere dupliciter: imprimis notabiliter, quando exceditur modus ordinarius agendi vel non notabiliter; deinde ita ut actus relinquatur in eadem specie theologica, vel ita ut in aliam speciem theologicam transferatur, id est, e veniali reddatur mortalis, vel e mortali venialis.

Tria tandem pro coronide notari possunt. Primum est, non omnem actum accipere a circumstantiis vel specialem bonitatem aut malitiam, vel specialem bonitatis aut malitiæ gradum; non enim repugnare videtur ut in aliquo actu nulla occurrat circumstantia moraliter influens (1). — Alterum, circumstantiæ bonitatem non contrahi nisi intendatur, eo fere modo quo dictum est de objecto. — Tertium, a circumstantiis proprie dictis distinguenda esse mala quædam, quæ actum, aliunde bonum comitari possunt, atque eidem se miscere: ita, v. g., in curandis infirmis non raro exurgunt motus impatientiæ, iræ, etc.: hæc et alia similia non tam sunt circumstantiæ actus quam actus plane diversi, atque ideo non obstant quominus agens honestatem actionis præcipuæ intendat; ejus autem actio, quamvis ex parte imperfecta, utpote cujus bonitas ex consortio circumstantiæ aut actus de se mali minuitur, non omnino depravatur: id Patrum doctrinæ conforme est et suavi Dei providentiæ consentaneum, quæ pretiosum a vili separans, bonorum operum paleas purgat flammis piacularibus, et, quod superest virtutis pro auro mundo habet (2).

Et hoc potest esse propter quatuor. Primo quidem, quia facilius possunt resistere peccato majores, puta qui excedunt in scientia, virtute... Secundo, propter ingratitudinem, quia omne bonum quo aliquis magnificatur, est Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando, et quantum ad hoc quælibet majoritas etiam in temporalibus bonis peccatum aggravat... Tertio, propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personæ, sicut si princeps justitiam violet, qui ponitur justitiæ custos... Quarto, propter exemplum sive scandalum, quia, ut Greg. ait in Pastorali, in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia gradus peccator honoratur.

1. Cfr. Suarez, disp. v, s. 1.
2. Cfr. Wirceburgenses. *De act. hum.*, n. 152.

Appendix.

DE MORALITATE AB EFFECTU DERIVATA.

371. *Effectus potest actui tribuere bonitatem si intendatur*

Ad circumstantias, scilicet ad circumstantiam *quid*, pertinet effectus consecutio ; potest enim actus moralitatem accipere ab effectu prout is bonus fuerit vel malus (1). — Et quidem ut actus bonitatem accipiat ab effectu, seu ut sit bonus ratione effectus, necesse est quod actus ipse fuerit libere positus et in se sit bonus vel indifferens, quod effectus fuerit aliquo modo prævisus, quod effectus bonitas intenta fuerit : igitur actus bonus vel indifferens habere potest bonitatem ab effectu intento ; a tali tamen effectu bonitatem habere nequit actus malus ; non enim sunt facienda mala ut eveniant bona (2). — Ut autem actus accipiat ab effectu malitiam, seu ut sit malus ratione effectus, necesse est quod iste actus sit liber, quod effectus fuerit aliquomodo prævisus (3), et quod idem effectus impediri debuerit (4) : igitur actus bonus vel indifferens potest fieri malus ob effectum prævisum, et malus potest a tali effectu novam habere malitiam.

vel malitiam si impediri debuerit.

372. Cum itaque effectus malus prævisus libero agenti imputetur quoties impediri seu præcaveri debuit, magni momenti est

1. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 20, a. 5 ; supra, n. 367.

2. Cfr. supra, n. 365, p. 663-664.

3. Oppositum docere videtur Angelicus, 1-2, q. 73, a. 8 : « Si nocumentum per se sequatur ex actu peccati, licet non sit intentum, nec prævisum, directe peccatum aggravat : quia quæcumque per se consequuntur ad peccatum, pertinent quodammodo ad ipsam peccati speciem : puta, si aliquis publice fornicetur, sequitur scandalum plurimorum : quod quamvis ipse non intendat, nec forte prævideat, directe per hoc aggravatur peccatum ». Cfr. supra, n. 78, p. 243, cum not. 3.

4. Dici solet, effectum malum imputari, *quando agens tenebatur causam non ponere vel positam auferre ;* verum hæc formula æquivocatione non caret ; ad imputationem enim effectus non sufficit qualiscumque obligatio non ponendi causam, sed requiritur obligatio non ponendi causam ratione effectus ; ita Suarez, *De vol. et invol.*, disp. 1, s. 4, n. 11 : « Non satis est quodcumque præceptum quod sit veluti extrinsecum et per accidens ratione talis operationis, sed necessarium est præceptum quo quis teneatur vitare (causam), ne inde sequatur alius effectus... Ut si quis teneatur abstinere a cibo ratione præcepti ecclesiastici, non vero ne sequatur inde, v. g., pollutio nocturna, quamvis transgrediatur præceptum jejunii, non ideo censebitur voluntaria talis pollutio ; nec tenebitur illam (transgressionem) vitare propter vitandum alterum effectum (sc. pollutionem), sed aliunde (nempe propter præceptum ecclesiasticum) ».

quæstio, *quandonam adsit obligatio effectum aliquem malum impediendi, et ideo, ne effectus ille sequatur, causam omittendi.* Huic autem quæstioni ita respondendum censemus. *Habetur generalis obligatio abstinendi ab iis actibus, qui, licet in se mali non sint, tamen prævidentur effectus spiritualiter vel temporaliter malos productur i:* hujusmodi obligatio est vel *justitiæ,* qua tenemur jura aliorum non lædere; vel *charitatis,* qua tenemur malum a proximo avertere; vel religionis, qua tenemur honori divino consulere; vel etiam cujuslibet alius virtutis, quæ juxta plures, « non solum contrarios prohibet actus, sed etiam prohibet ne detur occasio aliis inductiva ad peccandum (1) ». — *Attamen prædicta obligatio non est ita absoluta et universalis, ut nunquam liceat quidpiam agere ex quo malum prævideatur secuturum :* secus actum esset tum de individuali libertate et jure, tum de omni fere inter homines commercio (2). — *Dari ergo potest ratio sufficiens ut agens permissive se habeat ad effectus malos ex actione proventuros.*

Obligatio impediendi effectum malum

non est absoluta :

Ut autem in specie determinetur quibusnam in casibus licitum sit malos effectus permittere, plura considerari debent. Nimirum debet primo considerari *moralitas actus :* si enim actus sit in se malus, nulla poterit esse ratio sufficiens eum ponendi ; — secundo considerari debet *actus causalitas,* utrum nempe effectus ex actu sequatur per se an per accidens (3), et si per accidens, utrum ex aliorum malitia an ex infirmitate ; item utrum sequatur immediate an mediate, proxime an remote, certo an probabiliter tantum : facilius sane permitti poterit effectus qui sequitur per accidens, mediate et remote, probabiliter, quam ille qui sequitur per se, proxime et immediate, certo ; — tertio considerari debet extrinseca *connexio effectus cum actu,* utrum nempe, omisso actu, alia causa sit nec ne, quæ effectum produceret ; — quarto debet considerari *actus necessitas aut utilitas :* quo enim hæc major est, eo facilius petest permitti ; sedulo tamen hic advertatur, requiri utilitatem quæ directe in actu habeatur, non autem sufficere utilitatem quæ indirecte proveniret ex ipso effectu malo ; — quinto debet considerari *effectus mali gravitas :* quo gravior enim est

quo criterio discernendi casus in quibus ista obligatio urgeat.

1. Cfr. S. Alphonsus, lib. II, n. 45.
2. Cfr. S. Augustinus, *Epist.* XLVII, *Ad Publicolam.*
3. Cfr. supra n. 328.

iste effectus, eo major requiritur ratio ad actum ponendum ; — sexto tandem considerari debet *agentis conditio,* qui potest vel speciale jus habere actum ponendi, vel e contra speciali titulo teneri ad actum præcavendum : hæc autem omnia sunt *simul* attendenda et ad se invicem comparanda ut prudens inde judicium efformari valeat.

373. *Causa duplicem effectum habens, unum bonum alterum malum.*

Ad præsentem quæstionem hæc altera reducitur, *an et quandonam liceat ponere causam quæ duos effectus habet, unum bonum, alterum malum.* Quærere enim utrum liceat ponere causam hujusmodi, perinde profecto est ac quærere, quid sit necessarium ut effectus malus alicujus causæ, quamvis prævisus et liber, non sit ponenti causam imputabilis ad culpam. Jam vero vidimus, generatim effectum non imputari ad culpam, quando ille, qui causam ponit, non tenetur omittere hanc causam ne effectus sequatur, seu quando jus habet ponendi causam non obstante effectu malo quem secuturum prævidet : tale autem jus quis habet quando datur ratio gravis actionem ponendi vel omittendi. — Hic autem vix notandum est, sermonem esse de casu quo ipsa causa non sit in se mala, et quo duplex effectus directe a causa producitur ; non autem de casu quo causa ipsa sit mala, vel quo effectus bonus non obtineatur nisi indirecte mediante effectu malo.

374. *Quæstiones affines.*

Ab eadem tamen quæstione differunt duæ aliæ, quæ primo aspectu cum ipsa coïncidere videntur. Prima, quæ antea fuit expensa, est : *quandonam malus effectus qui timetur ex adimpletione legis secuturus, eximat a legis obligatione ;* dum enim ibi agitur de cessatione obligationis ratione effectus nocivi qui formidatur, in præsenti agitur de ortu obligationis vel non, ratione effectus qui prævidetur (1). Altera quæstio, ab ea quam nunc expendimus, distinguenda, est : *quandonam ratione detrimenti mali ab actione secuti habeatur obligatio reparationis ;* in præsenti enim unice agitur de morali effectus imputatione ; jam vero potest effectus imputari, quin adsit obligatio restitutionis, si nimirum nullum jus læsum fuerit ; et e contra adesse potest obligatio restitutionis, saltem ex contractu vel ex lege positiva, imo

1. Cfr. supra, n. 168 et seq.

forte etiam ex lege naturali, etiamsi effectus non sit agenti moraliter imputabilis ad culpam (1).

Caput II.

De subjecto moralitatis.

Subjectum moralitatis esse humanam operationem per se constat : hæc enim est quæ regulæ commensuratur, eique conformis vel ab ea difformis esse deprehenditur. Cum autem in humana operatione *actus* ipse distingui debeat ab actus *effectu,* de utriusque moralitate nonnulla in specie notabimus (2).

Articulus primus.

De moralitate actus.

375. *Qua ratione morales sint :*

Nemini *dubium est, quin solus actus voluntatis sit moralitatis proprie dictæ subjectum ;* quædam tamen controversia existit utrum moralis censeri queat *omnis* actus voluntarius, etiamsi necessarius sit, qualis est amor beatificus : communiter docent theologi moralem rectitudinem proprie non esse nisi in actu libero ; « rectitudinem vero illam, honestatem vel bonitatem quæ potest inveniri in actu necessario voluntatis, v. g. in amore beatifico, esse quamdam rectitudinem naturalem et physicam, non proprie moralem (3) ».

volitio necessaria,

376. *actus executio absque volitione,*

Ita *autem competit moralitas liberæ operationi, ut actionis executio absque voluntate nonnisi materialem moralitatem habere queat ; voluntas vero absque executione integram moralitatem formalem retinere possit.* Videlicet ab una parte non raro contingit ut actus, qui natura sua a libera voluntate imperatur, indeliberate fiat : hujusmodi actus non imputatur agenti in laudem vel vituperium, adeoque subjective ac formaliter moralis non est ; potest tamen esse moralis objective et materialiter, si nimirum retineat suam ordinationem vel inordinationem fundamentalem, et

1. Cfr. Theologi passim in tract. de *Just. et Jure,* ubi de *damnificatore.*
2. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 20, ubi Commentatores.
3. Suarez, *De bon. et mal. act. hum.,* disp. 1, s. 1, n. 11 ; cfr. disp. III, s. 3, n. 19 ; Salmanticenses, *De bon. et mal.,* disp. 1, dub. 1, etc.

sola indeliberationis ratione non imputetur (1). — Ab altera parte aliquando contingit ut voluntas efficax ab executione actus, quem imperat, impediatur; hujusmodi autem voluntas videtur totam contrahere moralitatem actus imperati; quamvis enim non sit « perfecta voluntas nisi sit talis, quæ opportunitate data operetur », tamen « si possibilitas desit, voluntate existente perfecta, ut operaretur, si posset, defectus perfectio-

volitio absque executione.

1. Cfr. supra, n. 165, 276, 333. — Quæstionem utrum et quandonam actus indeliberate facti retineant suam malitiam objectivam, sequentibus resolvit Reuter : *De act. hum.*, q. 9, tr. 1, p. 1, n. 52. « *Retinent malitiam objectivam actus externi indeliberate facti, si hoc retinent ob quod alias prohibentur, ita ut, si accederet sola advertentia et libertas, hoc ipso in illos prosecutive tendens peccaret formaliter;* si autem ex parte objecti illud desit propter quod alias prohibentur, non retinent malitiam objectivam. In exemplis : homicidium prohibetur, quia est *violatio juris alieni in vitam vel ejus usum ;* pollutio innaturalis, seu procurata turpibus cogitationibus vel tactibus aliave actione, prohibetur, quia est *damnosa proli et generi humano ;* esus carnium prohibetur, quia est *roboratio corporis adversus spiritum rebellis :* hæ autem rationes manent, licet ista fiant sine libertate et advertentia; proinde sine his facta manent objective mala; et hinc voluntas non potest in iis licite complacere, etiam ut factis sine advertentia, multo minus desiderare ut sine advertentia fiant, nec licet quemquam (qui sit subjectus legi) inducere ad ea etiam sine advertentia facienda; sed est obligatio vitandi vel emendandi causas illorum proximas. E contra mendacium prohibetur, quia est *locutio contra mentem, ideoque turbativum commercii in societate humana quam everteret licentia mentiendi;* perjurium prohibetur, quia est *interpositio testimonii divini pro re cognita ut falsa, ideoque abusus divini testimonii ad confirmandum falsum ;* hæresis prohibetur, quia est *dissensus pertinax ab objecto proposito tanquam a Deo revelato :* hæ autem rationes non manent si verba mendacia seu falsa, vel hæretica, aut perjura inadvertenter, v. g., in somno vel ebrietate proferantur; nam sic verba falsa non proferuntur contra mentem seu judicium proprium, nec hæretica cum cognitione revelationis divinæ, nec perjura cum cognitione interpositi divini testimonii : proinde verba talia sic prolata non retinent malitiam objectivam, ideoque non est obligatio ob eam vitandi causam illorum proximam, v. g., ebrietatem, ideo præcise quod talia verba sine advertentia in illa proferantur : ita Lacroix lib. v, n. 48 ; hoc teste, putant multi verba blasphema et imprecatoria non retinere quoque malitiam objectivam, si proferantur sine animo inhonorandi Deum vel male volendi proximo ; sed recte notat Lugo, *De pœn.* disp. 16, n. 210, quod retineant turpitudinem objectivam, si proferantur ab habente usum rationis, quia fiunt cum advertentia ad substantiam actus, qualis est inhonoratio materialis Dei, et imprecatio contra proximum ; imo si quis nesciret quid verbis istis significaretur, etsi tum malitiam proprie dictam objectivam non retineret, tamen non carerent omni turpitudine, quia audientibus ingerunt malum sensum : unde non licet stultum incitare ad verba blasphema, et diras imprecationes, etsi id a mortali excuset Gobat. » Ex citatis patet non semper in quæstionibus particularibus clarum esse utrum aliquis actus indeliberate factus retineat vel non illud propter quod alias prohiberetur, et consequenter objectivam suam malitiam habeat nec ne : ideo remittimus ad tractatus speciales theologiæ moralis, quorum est particulares illas quæstiones elucidare ; in præsenti enim principia solum explicare debemus.

nis quæ est ex actu exteriori, est simpliciter involuntarius. Involuntarium autem, sicut non meretur pœnam vel præmium in operando bonum aut malum, ita non tollit aliquid de præmio vel de pœna, si homo involuntarie simpliciter deficiat ad faciendum bonum vel malum (1). » Hinc in sacris litteris voluntas sincera reputatur pro facto, et non minus laudatur aut damnatur, ac si quis factum exercuisset; sic Deus ad Abraham: « Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi (2); » et Christus Dominus: « Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo (3). » In eumdem sensum S. Augustinus: « Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo fit, id eum cupere, et, si potestas detur, facturum esse, non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur (4); » et S. Bernardus: « Quid planius quam quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas (5)? » Ergo executio externa per se non auget bonitatem aut malitiam actus interni (6). Objectiones autem quas adversus hanc assertionem nonnulli petunt sive a diversitate præceptorum Decalogi quibus actus externi et interni prohibentur, sive a necessitate con-

1. S. Thomas, 1-2, q. 20, a. 4. — Eodem fere modo S. Bonaventura, in-II, dist. 42, a. 1, q. 2: « Unum peccatum dicitur esse majus altero tripliciter: aut ratione majoris *contemptus* Dei, aut ratione majoris *libidinis*, sive delectationis, aut ratione majoris *damnificationis*. Primo modo loquendo, opus non addit ad iniquitatem voluntatis, quia voluntas plena a Deo avertitur per se, sicut cum est operi conjuncta. Quantum vero ad delectationem sive libidinem, addit et aggravat, maxime quantum ad genus peccati carnalis, quo quidem peccat homo in seipso; similiter quantum ad damnificationem addit, et hoc maxime quantum ad genus peccati, quo quis peccat in proximum. Quantumcumque enim aliquis velit fornicari, nunquam delectatur sicut quando voluntas conjungitur actui. Similiter quantumcumque velit aliquis alterum occidere, non tantum facit damnum, quantum si actu occideret. Et quoniam Deus justus judex in puniendo non tantum considerat in peccato magnitudinem *contemptus*, sed etiam magnitudinem *delectationis* et magnitudinem *damnificationis*, hinc est quod aliquo modo opus addit ad nequitiam voluntatis. » Cfr. dist. 40, a. 2, q. 2.

2. Gen. XXII, 16. — 3. Matth. V, 28.

4. S. Augustinus, *De lib. arb.*, lib. I, c. 3, n. 8.

5. S. Bernardus, *Epist.* LXXVII *(De bapt. ad Hugonem de S. Victore)*, c. II, n. 8.

6. Cfr. de hac quæstione Sententiarii in lib. II, dist. 40 et 42; Angelici Commentatores, 1-2, q. 20, a. 4; Suarez, *De bonit. et mal. act. hum.*, disp. X, s. 2; Lugo, *De sacr. pœn.*, disp. XVI, s. 9, n. 447; Gonet, *Clyp. theol.*, l. c., disp. 7; Billuart, diss. IV, a. 8, etc.

fitendi peccata externa, parum valent. Sane, quod pertinet ad diversitatem præceptorum, verum non est omnia desideria mala speciali præcepto prohiberi; non prohibentur v. g. desideria idololatriæ vel homicidii, sed tantum desideria furti et adulterii; ideo autem illa expresse prohibentur, quia agitur de rebus quas maxime solent homines concupiscere; cæterum, etsi omnes actus interni mali speciali præcepto prohiberentur, exinde nihil concludi posset relate ad præsentem quæstionem; prohibitionis enim causa sufficiens assignaretur, dicendo eam fieri ut populo inculcetur, non tantum actum externum, sed etiam desiderium rei illicitæ, etsi ab actu externo separatum, esse malum (1). Quod autem pertinet ad obligationem confitendi peccati executionem, et non tantum efficacem intentionem, ratio ejus multiplex assignari potest: nimirum quia actus internus absque externo perfectus non est, quia accidentaliter per externum magis intensus fit, diutius continuatur, imo et multiplicatur; quia externo aliquando sunt annexæ pœnæ et obligationes; quia demum id postulat recta absolutionis elargitio (2). — Quæ statuimus de moralitate voluntatis efficacis, manifestum est transferri non posse ad voluntatem inefficacem, qualis est voluntas convertendi totum mundum, alendi omnes pauperes, liberandi omnes animas e purgatorio, tantum Deo placendi et obsequendi quantum B. Virgo et Sancti, etc.; sunt quidem hæ aliæque hujusmodi aspirationes optimæ; non tamen habent eam bonitatem quæ in executione esset (3). —

1. Cfr. *Catechismus ad Parochos*, p. III, de præc. IX et X.

2. Cæterum cfr. pro hac sententia, Mastrius, *Sent.* lib. II, disp. 5, q. 5; Sporer, tr. I, c. 3, n. 34; Henno, *De act. hum.*, disp. 3, q. 8.

3. Cfr. quæ supra n. 364 de intentione diximus. — Ad rem Æg. De Coninck, l. c., n. 132: « Bonitas quam habet electio ex objecto proximo non semper respondet bonitati finis intenti. Dupliciter enim potest deficere. Primo, quia eligimus medium fini improportionatum: ut si intendam exstruere templum quod constaret centies mille aureis, et tantum vellem dare mille. Et tunc electio opusque electum, nec in ratione meriti, nec in ratione efficaciæ responderet fini intento: ut per se patet; sed in eo casu ipsa etiam intentio in se inefficax est. et ex parte solum quædam velleitas, atque ita nec ipsa respondet bonitati finis sive objecti sui, præsertim quando hic defectus non provenit ex impedimento extrinseco, v. g. ex impotentia tantum dandi aut simili. Atque ita hoc casu proprie loquendo electio non deficit a perfectione ipsius intentionis, sed solum a perfectione finis intenti. Secundo quando quis ex parte sua eligit medium efficax ad finem, sed executio impeditur: ut si mittam sufficientem pecuniam pro templo extruendo, sed hæc ab aliis rapiatur. Et tunc etsi electio et executio medii

Præterea quæ statuimus de actus *moralitate* transferri non possunt ad operationum *effectus,* qui actui externo ita alligantur ut omnino nequeant ex ejusdem desiderio seu voluntate quantumvis efficaci haberi: hujusmodi sunt gratia sacramentalis, indulgentia, etc.; nec transferri possunt ad specialia præmia quibusdam virtutum actibus attributa, ut est aureola iis concessa qui pro Christi fide martyres occumbunt; aut ad pœnas in quædam peccata opere consummata latas; a fortiori transferri nequeunt ad obligationes, v. g. restitutionis, quæ solum ex operis executione oriuntur.

377. *Omnis actus humanus in concreto moralis est, nullus indifferens.*

Jam oritur quæstio apud theologos celebris, *utrum quivis actus humanus sit moralis, an vero admitti possint actus indifferentes.* Ad cujus quæstionis sensum rite percipiendum, primo advertimus, sermonem esse de solo actu *deliberato,* et quidem de tali actu considerato in concreto, seu, ut aiunt, in *individuo,* cum omnibus suis elementis essentialibus, qualis de facto poni potest; non autem de actu considerato in abstracto, seu in *specie,* ut dicunt; si enim pauci excipiantur Scotistæ posteriores, nemini dubium est, quin multi actus, incomplete in abstracto considerati, sint indifferentes, v. g. amare et odisse, ambulare, etc. (1); insuper advertimus, sermonem esse de indifferentia ad *bonitatem* vel *malitiam,* non vero de indifferentia ad obligationem vel ad meritum supernaturale; certum enim apud omnes est, dari actus qui neque præcipiuntur neque prohibentur (2), alios dari sive ab infideli sive a fideli peccatore positos, quibus nec æternum præmium, nec pœna debetur (3). Hoc prænotato, existimamus assentiendum illis esse qui docent, *per se non dari actus deliberatos moraliter indifferentes in*

---

in ratione efficaciæ non omnino respondeant fini intento, respondent tamen in ratione bonitatis moralis ac meriti: quia talis tantum meretur ac si pecunia non fuisset intercepta. »

1. Cfr. supra, n. 356; Suarez, disp. IX.

2. Hujusmodi indifferentiam videtur respicere S. Thomas, 1-2, q. 92, a. 2: « Sunt autem tres differentiæ actuum humanorum: quidam sunt boni ex genere suo, et respectu horum ponitur legis actus præcipere seu imperare; quidam sunt actus mali ex genere suo, sicut actus vitiosi, et respectu horum lex habet prohibere; quidam vero ex genere suo sunt actus indifferentes, et respectu horum lex habet permittere. »

3. Ita S. Thomas, in II, dist. 40, a. 5: « In non habente gratiam potest esse aliquis actus deliberatus, qui nec meritorius nec demeritorius est. »

individuo (1). Rationes quibus movemur, hæ potissimæ sunt. Imprimis, universa hominis libera activitas lege regulatur, quæ præcipit et prohibet actus, aut eis modum imponit ; nec ulla videtur esse pars activitatis quæ legi non subjaceat : aut ergo actus legi conformis est, aut non est conformis : si conformis sit, bonus est ; si non conformis, malus ; nullus apparet indifferentiæ locus (2). Deinde, illud in quod voluntas libere tendit, aliquomodo subordinatum est fini ultimo, vel ei nullo modo est subordinatum ; si aliquomodo subordinatum sit, (mediate vel immediate, implicite vel explicite) actus bonus est ; si nullo modo subordinatum sit, actus videtur malus (3). Præterea, vel operans ordinem servat, et operatio convenit naturæ hominis vegetativæ, sensitivæ, rationali, sociali, vel ordinem non servat, et operatio naturæ hominis adæquate spectatæ non convenit : si prius, actus est bonus, si posterius, actus est malus (4). Accedit auctoritas Christi Domini pronun-

1. Cfr. S. Thomas, in II, dist. 40, a. 5, *De malo*, q. 2, a. 4 et 5 ; 1-2, q. 18, a. 9, ubi Commentatores passim ; Suarez, *De bon. et mal.*, disp. IX ; Gonet, *Clyp. theol. thom.*, l. c., disp. 5 ; Billuart, diss. IV, a. 5 et 6 ; et inter recentiores Theod. Meyer, *Inst. jur. nat.*, I, 292-19 ; Costa Rossetti, *Inst. eth. et jur. nat.*, th. 26, etc. — In sententiam oppositam propendent Alensis, *Sum.* p. III, q. 35, m. 3 et S. Bonaventura, in II, dist. 41, a. 1, q. 3, qui tamen directe non loquuntur nisi de merito ; eam autem explicite tradit Scotus, in II, dist. 40 et 41, cui, præter Scotistas, adstipulantur Vasquez, in 1-2, disp. 52, Arriaga, *De act. hum.*, disp. 21. — Extat Eusebii Amort dissertatio specialis *De actu morali indifferente in individuo* ; nuperrime autem utriusque sententiæ crisim instituit Ill. Walsh, *De act. hum.*, n. 588 et seq.

2. Cfr. supra, n. 255, 356, 363.

3. Cfr. supra, n. 362. — Ita Meyer, l. c., n. 193 : « Finis quem homo libere operans proxime intendit, aut ad finem ultimum, i. e. naturæ rationali simpliciter convenientem aliquo modo (scil. vel immediate vel mediate vel explicite vel implicite seu virtualiter) refertur, aut nullo modo ad Deum refertur : medium inter utrumque non datur. *Atqui* si refertur, est objectivo finali ordini conformis seu *rectus ;* si non refertur huic ordini positive, difformis est, ac proinde *non rectus*. » Et paulo post, n. 194 : « Dicendo, vitam rationalem positive subordinandam esse ultimo naturæ fini, nihil incongruum aut impossibile postulatur. Positiva quippe hæc subordinatio non in eo consistit ut homo jugiter sine intermissione positive bonum agat, sed id tantum exigit, ut si quis aliquem actum deliberate ponat, is non nisi ad finem naturæ rationali positive convenientem dirigatur ; quod nisi fiat, actum ejusmodi eo ipso rationi difformem seu malum esse asseritur. »

4. Cfr. supra, n. 349. — Ita S. Thomas, in II, dist. 40, a. 5 : « Actus virtutis politicæ non est indifferens, sed de se bonus est, et si sit gratia informatus, erit meritorius. Non est autem accipere aliquid in quod ordinatur humanus actus, quod vel secundum virtutem politicam rectum non sit, vel etiam rectitudini adversum : quia non potest esse aliquis actus procedens ab aliquo deliberante sine intentione finis..... Finis autem ille est

tiantis reddendam fore rationem in die judicii de omni verbo otioso (1). Ex quibus liceat concludere omnes actus deliberatos bonos esse aut malos moraliter, nullum indifferentem ; sedulo tamen advertatur, secundum Angelici doctrinam, bonos reputandos esse quosvis actus, et nominatim communes actus manducandi, bibendi, ludendi, se recreandi, aliosque similes, qui non carent ratione justæ necessitatis aut piæ utilitatis, qui per excessum aut defectum a medio non recedunt, etsi ad ulteriorem finem honestum non referantur ; unde in ista sententia, vix plus exigi videtur ad operum bonitatem quam in alia ad eorum indifferentiam (2). Diximus autem *per se* non dari actus indifferentes in individuo, quia dari possunt *per accidens*, nempe vel defectu reflexionis ad regulam, vel ratione conscientiæ secundum Scoti sententiam formatæ (3).

378. *Unus et idem actus duplicem moralitatis speciem induere potest. bonitatem et malitiam.*

Altera quæstio est, *utrum idem actus duas oppositas moralitatis species induere possit, ita nimirum ut sit bonus et malus*. Et quidem difficultas non est si agatur de moralitate *successiva ;* potest enim idem actus physice non interruptus de bono fieri malus per mutationem materiæ, ut voluntas comedendi carnes inchoata ante mediam noctem feriæ sextæ, et post ipsam continuata. Nec difficultas est si agatur de una moralitate *materiali,* altera *formali ;* nam unusquisque admittit actum materialiter malum posse esse formaliter bonum, et vicissim. Tota ergo difficultas est de *simultanea* moralitate *formali :* hanc autem supra resolvimus ubi egimus de actu bono in finem malum relato, et de actu malo bona intentione posito (4).

---

bonum conveniens homini vel secundum animam, vel secundum corpus, vel secundum etiam res exteriores, quæ ad utrumque ordinantur ; et hoc quidem bonum, nisi sit contrarium illi bono quod est hominis bonum secundum rationem, rectitudinem civilis virtutis habet : quia virtus civilis dirigit in omnibus quæ sunt corporis, et etiam quæ propter corpus quæruntur ; unde si his aliquis mediocriter utatur, erit usus rectus ; si autem secundum abundantiam vel defectum, erit usus vitiosus virtuti oppositus. Et ideo..... dicendum est, quod nullus actus a voluntate deliberata progrediens potest esse, qui non sit bonus vel malus, non tantum secundum theologum, sed etiam secundum moralem philosophum. »

1. Matth. xii, 36 : huic tamen textui nolumus insistere, quia variam patitur interpretationem.

2. Cfr. S. Thomas, in II, dist. 40, q. 1, a. 5 ; 1-2, q. 18, a. 9 ; 2-2, q. 168, a. 2 et 3 ; *In Isaiam*, c. III ; *In Arist. Ethica*, lib. IV, lect. 14, etc.

3. Cfr. Suarez, disp. IX, s. 3, n. 10.

4. Cfr. supra, n. 365.

379. *Actuum moralium distinctio numerica.*

Majoris practice momenti est quæstio *de unitate vel multiplicitate actus moralis in sua comparatione ad actum physicum;* fieri videlicet potest ut actus in esse physico unus, virtute et æquivalenter multiplex sit in esse morali, et contra ut actus in esse physico multiplex, unus reputetur in esse morali. Respicit ista quæstio actus tum bonos tum malos, maxime tamen expendi solet in ordine ad actus malos sub titulo *distinctionis numericæ peccatorum.* Jam vero *a/ Actus moralis multiplicatur quoties voluntas eliciens, proponens, imperans, post veram interruptionem resumitur, etiam in ordine ad idem objectum:* hoc casu singuli actus sunt in se completi, nec unus est continuatio alterius, adeoque in propria singuli moralitate constituuntur. Jam vero triplici modo actus interrumpitur: α/ per *rectractationem* sive *formalem,* casu v. g. quo agentem actus pœniteat, sive *virtualem* et *æquivalentem,* casu quo animus deliberate convertitur ad aliquid cum priore voluntate incompossibile; β/ per *cessationem voluntariam ab actu,* quando nimirum aliquis ab incœpto desistit ex tædio, lassitudine, sine proposito ultro pergendi; γ/ per *moram sat notabilem,* quæ tamen non potest una generali regula definiri, sed determinanda est ex intensione actus, natura occupationis aliisque circumstantiis. Ut autem hæc ad casus particulares rite applicentur, advertendum est, actus mere internos, qui scilicet in corde consummantur, ut sunt hæreses, odia, facilius interrumpi et repeti quam actus internos junctos cum proposito executionis externæ, et hos rursus facilius quam actus externe consummatos (1). — *b/ Unus est actus moralis*

1. Legi sane merentur ea quæ disp. XVI *de pœn.* n. 540 et sq. de præsenti materia scripsit J. De Lugo, imprimis quidem de actibus externis : « Existimo non sufficere ad pluralitatem moralem peccatorum interruptiones illas physicas breves,... hæc est juxta communem omnium sensum, quo loqui solemus de actibus moralibus tam bonis quam malis, immo de quacumque actione humana, quam solemus simpliciter appellare unam, non obstante interruptione physica frequenter interveniente. Sic unam eleemosynam dicimus unum opus bonum, licet interrumpatur actus physice, ut resalutem aliquem, qui me salutavit, vel respondeam interroganti aliquid aliud. Sic recitatio officii est una, licet quandoque somno gravatus inter unum et alterum versiculum, semel aut iterum, dicente socio suum versum, dormitaveris. Sic Missa dicitur una, licet post evangelium interrumpas, dum fit concio. Cur ergo peccatum non poterit esse unum moraliter, licet habeat illa actio interruptiones physicas, quales omnes aliæ actiones humanæ habere solent?... Difficultas esse potest in assignanda regula et mensura hujus unitatis, quando scilicet peccatum externum possit dici unum, non

quando una voluntate exercentur plures actus externi, qui incompleti sunt et ad unum totalem constituendum diriguntur: ita unus moralis actus ponitur et una malitia contrahitur ab eo qui in eodem prandio pluribus ferculis prohibitis vescitur, quia illa constituunt unam comestionem; qui animum habens centum francos auferendi, eos, ne detegatur, pluribus vicibus furatur; qui mala voluntate mane concepta omnes partes officii per diem omittit; qui volens inimicum occidere, insidias struit, hominem expectat eumque percutit, etc. (1). — *c/ Utrum multiplex, an vero unus moralis actus adsit, quando unus actus physicus versatur*

obstante interruptione et divisione aliqua unius actionis ab alia. In hoc non videtur posse dari regula aliqua metaphysica; quia cum tota hæc unitas sit moralis, recurrendum omnino est ad prudentum arbitrium et usum circa pluralitatem vel unitatem actionum. Unde multum pendet ex circumstantiis, et ex qualitate actionis; aliquæ enim actiones sunt quarum partes facilius uniuntur et faciunt unum, quam aliæ... » Deinde de internis : « Ego existimo regulam moralem desumendam esse ex arbitrio prudentis, ex proportione ad peccata externa. Nam sicut in peccato externo contumeliæ et injuriæ, perseverat unitas peccati, quando in eodem congressu successive multiplicantur contumeliæ et injuriæ, etiam occasione accepta ex responsione illius cui injuriam infers : multiplicantur autem numero ea peccata quando, postquam ille discessit, postea denuo tibi occurrit et iterum ei contumelias infers aut injurias, quia illa prior actio jam censebatur moraliter finita et completa; ita cum proportione videtur de peccatis internis dicendum : quando enim objectum perseverat nobis præsens moraliter, quia non habuimus animum discedendi ab eo cogitatione, sed casu et naturali aliqua distractione interrumpitur, censetur adhuc moraliter idem congressus, ut ita dicam cum objecto, quod nunquam discessit, sed habet se, sicut ille, quem contumelia afficis, qui non discedit, licet parum avertas faciem ad loquendum aliquid breve cum alio ibi præsenti. Quando vero discessimus jam voluntarie ab ea cogitatione, licet non per revocationem voluntatis præteritæ, jam censetur congressus ille cum objecto finitus et completus, data nimirum objecto licentia discedendi et abeundi. Quod si postea redeat, censebitur novus congressus, et alia jam occasione peccari, non prima quæ jam cessasse videbatur... Addo non posse eamdem mensuram aut regulam tradi pro omnibus actibus malis : aliqui enim facilius interrumpuntur, et brevius durant, v. g., blasphemia interior et alii actus similes qui non tendunt ad objectum externum. Alii vero longius durare solent, ut desiderium turpe, odium proximi, et similes. Et in iis longius durant qui ex majori et vehementiori passione aut concupiscentia procedunt. Regulariter ultra duas vel tres horas non videtur peseverare moraliter eadem voluntas mere interna : quia difficile est quod homo velit longius perseverare in eadem cogitatione aut amore et non attendere ad alia. Ideo, quando duratio est longior, solet explicari, quia regulariter habebit interruptiones aliquas morales, nec homo voluit toto die non discedere a tali cogitatione, sed voluit aliquoties, licet postea cogitatio iterum repulsa redierit. »

1. Idem forte dici potest de eo qui una vice successive pluribus Eucharistiam administrat; non tamen de eo qui plures successive absolvit. Cfr. Lugo, l. c., n. 547, 558; S. Alphonsus, lib. v, n. 50, quær. 6.

circa plures materias aut personas distinctas, haud satis constat; graves quidem theologi existimant, multiplicem malitiam contrahi, ideoque multiplicem æquivalenter esse actum moralem, quando v. g. uno actu physico plures personæ interficiuntur, plurium fama læditur, plurium res aufertur, plures scandalizantur, plura mala optantur, in pluribus detrahitur, etc.; verum hæc sententia difficultate non caret et minus secum ipsa cohærere videtur, cum ipsimet patroni eam applicare non audeant moralitati bonæ, quando v. g. uno actu plures exemplo ædificantur, pluribus sacramentum administratur, inter plures summa pecuniæ per eleemosynam distribuitur, etc., hinc alii tenent, in prædictis casibus unicum esse actum moralem sive bonum, sive malum (1). — *d) Pariter controvertitur utrum unus an multiplex actus moralis censeatur, quando una voluntas plures actus externos intendit;* et quidem satis communiter docent, multiplicem haberi moralitatem et consequenter adesse actum moralem æquivalenter multiplicem, quando supponitur voluntas *efficax*, ut si quis decernat pluries fornicari, pluries jejunium frangere, missam dominicalem omittere; at si agatur de voluntate ineffi-caci, seu de simplici affectu et complacentia, haud pauci existimant moralitatem non esse nisi unicam (2). — Cæterum liceat pro coronide cum Suarezio advertere, hanc quæstionem forte implicatiorem redditam fuisse ex eo quod plerumque considerata fuerit subordinate ad quæstionem de materia confessionis (3).

ARTICULUS SECUNDUS.

De moralitate effectus.

380. *Effectus* Effectus, quem nunc supponimus agenti imputabilem (4), considerari potest vel prout in causa continetur vel pro tempore quo producitur; licet autem ejus moralitas tum bona tum mala esse possit, præcipue tamen de moralitate mala seu de malitia sermo erit (5).

1. Cfr. præ cæteris Suarez, *De pœn.*, disp. XXII, s. 5, n. 34; Lugo, *De pœn.*, l. c., n. 135 et seq.; S. Alphonsus, l. v, n. 45; Lehmkuhl, I, 242, etc.
2. Cfr. Gury-Ballerini, I. 163. — 3. Suarez, l. c.
4. Cfr. supra, n. 371 et sqq.
5. De hac quæstione, quæ sat difficilis est, et non parum a quibusdam auctoribus implicata, cfr. Vasquez, in 1-2, q. 94, a. 3, c, 3; Suarez, *De*

381. *formaliter moralis in causa,*

Si verificentur conditiones ad imputabilitatem requisitæ, moralitas effectus semper contrahitur quando causa ponitur : voluntas enim causæ importat voluntatem effectus. Ita, quando potitans advertit se ulteriori potu inebriandum, insuper expertus scit se in ebrietate solere rixari, hoc ipso puncto peccat peccato ebrietatis et rixæ; qui vespere decumbens voluntarie vacat turpibus cogitationibus, prævidens vel expertus jam sciens secuturam in somno pollutionem, reus est peccato impudicitiæ; qui die dominico vel festo mane voluntarie se inebriat aut somno tradit, prævidens omnino sacrum negligendum, tunc peccat contra præceptum Ecclesiæ; idem dicatur de eo qui magnetizari se permittit, prævidens facinora in statu somni vel in statu subsequente suggerenda et exequenda, etc. Eadem autem in se et coram Deo moralitas est sive effectus prævisus reipsa sequatur, sive non sequatur.

382. *in se autem materialiter tantum moralis.*

Quoad moralitatem effectus in se considerati pro momento temporis quo producitur, quædam hypotheses fieri debent; vel enim effectus malus ab eo, qui causam posuit, impediri potest, vel amplius impediri nequit; si impediri nequeat, ille, qui causam posuit, sui compos est, tempore quo effectus producitur, vel non est sui compos; et si sit sui compos, vel voluntatem retractavit, vel in prima voluntate habitualiter remanet, vel actualiter effectum approbat. Jam vero *a*/ effectus qui, eo tempore quo producitur, impediri posset et non impeditur, non solum malus est in causæ positione, sed etiam in remotionis omissione, adeoque duplicem habet malitiam, vel saltem habet malitiam antecedenter contractam et actualiter continuatam. — *b*/ Effectus, qui eo tempore quo producitur, amplius impediri nequit, non est formaliter malus nisi in causa; in se materialiter tantum malus esse poterit; et quidem, si effectus nec retractatus fuerit per voluntatem oppositam, nec approbetur, sola aderit malitia materialis; ita v. g. hoc contingit quando agens non est sui compos vel de eo non cogitat; si vero hic et nunc approbetur, prædictæ malitiæ materiali addi-

jur., lib. III, c. 7, n. 7 et 8; Laymann, *De act. hum.*, c. III, n. 5; Lugo, *De pœn.*, disp. XVI, s. 9; Sporer, tr. I (procem.), c. 2, n. 25, et inter recentiores, D'Annibale, I, 142, 143. De eadem re dissertatiunculam scripsimus, in op. per. *Revue des Sciences ecclésiastiques*, vol. XXXIII, p. 276.

tur formalis malitia pravæ volitionis; e contra si retractatus fuerit per pœnitentiam, videtur malus non dicendus, etiam materialiter, nisi per quandam denominationem extrinsecam a malitia causæ.

383. *Quo sensu effectus non est magis culpabilis quam est sua causa.*

Ex præcedentibus apparet, effectum malum in causa voluntarium non esse magis culpabilem quam est sua causa; hoc tamen non debet intelligi nisi de causa formaliter spectata in sua relatione ad effectum, non vero de causa spectata in se et independenter ab effectu; fieri enim potest ut actus in se bonus vel leviter tantum culpabilis, gravem malitiam contineat præcise ratione effectus qui inde oritur; et vicissim fieri potest ut actus in se graviter culpabilis, non nisi levem malitiam habeat ab effectu (1). — Præterea, etsi moralitas effectus tota contrahatur quando ponitur ejus causa, sæpe tamen reatus pœnæ ecclesiasticæ non incurritur nisi effectu secuto (2).

Caput III.

De speciebus moralitatis.

384. Moralitatis species immediate oppositas esse *bonitatem* et *malitiam*, supra explicavimus, ubi ostensum est *indifferentiam* probabilius non esse moralitatis speciem, sed esse moralitatis absentiam et negationem (3). Declaravimus etiam, in concreto omnem actum humanum esse moraliter bonum aut malum, nullum indifferentem (4); jam vero non omnem actum humanum esse moraliter bonum, satis intelligitur; agens enim

1. Hinc nobis explicatione indigere videntur quæ a S. Alphonso cum aliis pluribus scribuntur, lib. IV, n. 484 : « Sententia communis et probabilior docet, pollutionem non esse mortalem, nisi proveniat ex causa per se mortali in genere luxuriæ... Ratio cur causa debeat esse per se mortalis, est, quia, cum pollutio non sit volita in se, sed tantum in causa, eo gradu mala erit quo mala est ipsa causa. Ratio autem, cur debeat insuper esse mortalis in eodem genere luxuriæ, est, quia, cum causa leviter ad pollutionem concurrat, non est gravis obligatio causam illam vitandi, ob pollutionem, quæ præter intentionem accidit. »

2. Ita v. g. const. *Apostolicæ Sedis* excommunicati dicuntur procurantes abortum, effectu secuto. — Jure etiam civili aliter ponitur *crimen consummatum*, aliter *crimen tentatum* : cfr. v. g. Haus, *Droit pénal Belge*, liv. II, tit. 3, *De l'infraction consommée et de la tentative d'infraction*.

3. Cfr. supra, n. 348, p. 645.

4. Cfr. supra, n. 356, 363, et præsertim n. 377.

liberum et imperfectum potest in suis operationibus a regula deficere (1); ex adverso non omnem actum humanum esse in præsenti statu naturæ lapsæ moraliter malum, etiam per se intelligitur, atque ab Ecclesia definitum est contra quosdam hæreticos (2). Hisce ergo probatis vel merito suppositis, remanet ut dicamus de distinctione specifica actuum bonorum inter se, et pariter de distinctione specifica actuum malorum.

ARTICULUS PRIMUS.

De distinctione specifica actuum bonorum.

385. *Bonitatis species oritur ab objecto, fine et circumstantiis.*

Cum actus bonus ille sit qui fini ultimo, ordini, voluntati Dei, verbo regulæ conformis est, pro varia ratione conformitatis, varia exurgit bonitatis species. Varia autem conformitatis ratio habetur per objectum, finem et circumstantias. Inde ergo speciem bonitatis moralis accipit actus, unde accipit ipsam bonitatem moralem. Hoc sensu docet Angelicus, « quod omnis actus speciem habet ab objecto. Unde oportet quod aliqua differentia objecti faciat diversitatem speciei in actibus (3). »

386. *Duplex actuum bonorum ordo, nempe theologicorum et simpliciter moralium.*

Jam vero si diversa bonitas expendatur ad hæc principia, imprimis, juxta sensum philosophicum et maxime juxta sensum christianum, actus boni sunt in duplicem ordinem distinguendi, unum superiorem, alterum inferiorem; ordo superior complectitur illos actus qui immediate in finem ultimum tendunt; inferior autem illos actus qui nonnisi mediate finem respiciunt; priorum bonitas vocatur *theologica,* posteriorum dicitur *simpliciter moralis.*

387. *Triplex species actuum theologicorum, fides spes, charitas.*

Bonitas theologica triplicis speciei est. Alia scilicet propria est actibus *fidei,* quibus homo Deum finem suum ultimum apprehendit; alia propria est actibus *spei,* quibus homo Deum bonum suum supremum concupiscit; alia propria est actibus *charitatis,* quibus homo Deo infinite amabili bona cuncta vult seque ei et omnia sua tradit. Diversam esse bonitatem quæ

1. Cfr. supra, 323, p. 618, cum not. 1; S. Thomas 1-2, q. 18, a. 1, ubi Commentatores passim.

2. Huc pertinent conc. Trid. sess. VI, can. 7 et 25; cfr. Suarez, *De bon. et mal. act. hum.*, disp. III, s. 1; Sylvius, in 1-2, q. 18. a. 1, etc.

3. S. Thomas, 1-2, q. 18, a. 5; cfr. q. 54, a. 2, etc.

prædictis actibus competit, manifestum est; illi enim actus diversis relationibus respondent, et diversa objecta formalia habent. Ab his autem tota vita moralis ac præsertim vita christiana pendet, ut præclare scribit S. Augustinus: « Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur (1). »

388. *Quadruplex species actuum simpliciter bonorum. prudentia, justitia, fortitudo, temperantia.*

Bonitas simpliciter moralis quadruplicis speciei est. Alia videlicet propria est actibus *prudentiæ,* quibus principia morum universalia applicantur ad peculiares conclusiones operabilium; alia propria est actibus *justitiæ,* quibus jus suum aliis redditur; alia propria actibus *fortitudinis,* quibus labores ac pericula intrepide subeuntur, et tolerantur adversa: alia tandem propria est actibus *temperantiæ,* quibus propensiones illecebræque sensuales juxta rectam rationem ad honestatis normam moderantur. Rursus manifestum est, diversam esse bonitatem quæ prædictis actuum classibus competit: actus nimirum illi diversis relationibus hominis respondent, et diversa habent objecta formalia. Totam autem vitam moralem his actibus comprehendi, intellexerunt ipsi Ethnici et pulchre explicavit Tullius: « Omne, quod est honestum, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perspicientia veri solertiaque versatur; aut in hominum societate tuenda, tribuendoque suum cuique et rerum contractarum fide; aut in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore; aut in omnium quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine et modo, in quo inest modestia et temperantia (2). »

Inferiores species,

Quadruplex illa actuum bonorum species sub se comprehendere potest species inferiores omnino distinctas: inter eas autem species ea quæ modo perfecto rationem communem continet, dicitur *principalis* et *cardinalis;* cæteræ vocantur *secundariæ, annexæ, subordinatæ,* vel etiam alterius partes *potentiales.* In ipsa vero specie principali adhuc distinguuntur pro diversis materiis diversæ partes quæ dicuntur *subjectivæ.* Ita S. Thomas: « Tribus modis possunt assignari partes alicui virtuti. Uno modo ad similitudinem partium *integralium,* ut

1. S. Augustinus, serm. XXVII, n. 1.
2. Tullius, *De Off.* I, 5; cfr. supr. n. 21.

scilicet illa dicantur esse partes virtutis alicujus quæ necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis illius... Partes autem *subjectivæ* virtutis dicuntur species ejusdem diversæ... Partes autem *potentiales* alicujus virtutis dicuntur virtutes adjunctæ, quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus vel materias quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis (1). »

389. *prudentiæ.*

Et quidem species prudentiæ sunt *prudentia stricte dicta,* quæ principalis est, in eo consistens quod operationes rite ordinentur ad finem honestum ; deinde *eubulia* quæ pertinet ad consultationem, *synesis* et *gnome* quæ sunt in judicio per regulas communes et per epikeiam. — Stricte dictæ autem prudentiæ partes subjectivæ sunt *personalis*, quæ sita est in directione sui ipsius, et *gubernativa,* quæ est in directione aliorum ; hæc autem rursus distinguitur in *domesticam*, *pastoralem* et *civilem* (2).

390. *justitiæ.*

Species justitiæ sunt *justitia stricte dicta,* cujus partes subjectivæ indicantur *commutativa* et *distributiva* (3) ; præterea, *religio, obedientia, gratitudo, pietas, observantia, veracitas, affabilitas* et *liberalitas ;* de quibus pulchre admodum S. Thomas : « In virtutibus quæ adjunguntur alicui principali virtuti, duo sunt consideranda. Primo quidem, quod virtutes illæ, in aliquo cum principali virtute conveniant ; secundo, quod in aliquo deficiant a perfecta ratione ipsius. Quia vero justitia ad alterum est,.. omnes virtutes quæ ad alterum sunt, possunt ratione convenientiæ justitiæ annecti. Ratio vero justitiæ consistit in hoc, quod alteri reddatur quod ei debetur secundum æqualitatem... Dupliciter ergo aliqua virtus ad alterum existens a ratione justitiæ deficit : uno quidem modo in quantum deficit a ratione æqualis : alio modo in quantum deficit a ratione debiti : sunt enim quædam virtutes quæ debitum quidem alteri reddunt, sed non possunt reddere æquale. Et primo quidem quidquid ab homine Deo redditur, debitum est, non tamen potest esse æquale, ut scilicet tantum homo ei reddat

1. S. Thomas, 2-2, q. 48, a. unic.
2. Cfr. S. Thomas, l. c.
3. Cfr. S. Thomas, 2-2, q. 61, a. 1.

quantum debet, juxta illud psalm. ([1]) : « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? » Et secundum hoc adjungitur justitiæ *religio,* quæ, ut dicit Tullius ([2]), « superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam cæremoniamque vel cultum affert. » Secundo, parentibus non potest secundum æqualitatem recompensari, quod eis debetur, ut patet per Philosophum ([3]) : et sic adjungitur justitiæ *pietas,* per quam, ut Tullius dicit ([4]), « sanguine junctis patriæque benevolis, officium et diligens tribuitur cultus. » Tertio, non potest secundum æquale præmium recompensari ab homine virtus, ut patet per Philosophum ([5]): et sic adjungitur justitiæ *observantia*, per quam, ut Tullius dicit ([6]), « homines aliqua dignitate antecedentes quodam cultu et honore dignantur. » A ratione vero debiti, justitiæ defectus potest attendi secundum quod est duplex debitum, scilicet morale et legale. Unde et Philosophus ([7]), secundum hoc, duplex justum assignat. Debitum quidem legale est, ad quod reddendum aliquis lege adstringitur ; et tale debitum proprie attendit *justitia*, quæ est principalis virtus. Debitum autem morale est quod aliquis habet ex honestate virtutis. Et quia debitum necessitatem importat, ideo tale debitum habet duplicem gradum: quoddam enim est sic necessarium, ut sine eo honestas morum conservari non possit ; et hoc habet plus de ratione debiti : et potest hoc debitum attendi ex parte ipsius debentis ; et sic ad hoc debitum pertinet quod homo talem se exhibeat alteri in verbis et in factis, qualis est ; et ideo adjungitur justitiæ *veritas*, per quam, ut Tullius dicit ([8]), « immutata ea quæ sunt, aut fuerunt, aut futura sunt, dicuntur : » potest etiam attendi ex parte ejus cui debetur, prout scilicet aliquis recompensat alicui secundum ea quæ fecit : quandoque quidem in bonis ; et sic adjungitur justitiæ *gratia,* in qua, ut Tullius dicit ([9]), « amicitiarum et officiorum alterius memoria, et alterius remunerandi voluntas continetur ; » quandoque autem in malis; et sic adjungitur justitiæ *vindicatio,* per quam, ut Tullius dicit ([10]), « vis aut injuria et omnino quidquid obfuturum

1. Ps. CXV, 12. — 2. Lib. 2, *De inventione*. — 3. Ethic. 8, c. ult. — 4. L. c. — 5. Ethic. lib. 4, c. 3. — 6. L. c. — 7. Ethic. lib. 8, c. 13. — 8. L. c. — 9. Ibid. — 10. L. c.

(obscurum) est, defendendo aut ulciscendo propulsatur ». Aliud vero debitum est necessarium, sicut conferens ad majorem honestatem, sine quo tamen honestas conservari potest : quod quidem debitum attendit *liberalitas, affabilitas,* sive *amicitia* aut alia hujusmodi, quæ Tullius prætermittit in prædicta enumeratione, quia parum habent de ratione debiti (1). »

391. *fortitudinis,*

Species fortitudinis sunt *fortitudo stricte sumpta,* in eo consistens quod animus difficilia, imprimis mortis pericula, sustineat vel repellat, ita ut nec anxie timendo, neque temere audendo a divina voluntate discedat ; deinde *magnanimitas*, qua, ob Dei honorem vilia spernimus et ad vere magna contendimus : *patientia,* in eo sita, quod animus tristitia non frangatur in adversis ; *perseverantia* in eo consistens quod persistatur in bonis operibus quamdiu recta ratio persistendum esse dictat, nonobstante eorum diuturnitate (2).

392. *temperantiæ.*

Demum species temperantiæ sunt *temperantia proprie accepta,* quæ comprehendit tamquam partes subjectivas *abstinentiam, sobrietatem et castitatem ;* præterea *mansuetudo, clementia, studiositas, modestia, eutrapelia.* De quibus rursus S. Thomas : « Est *temperantia* circa delectationes tactus, quæ dividuntur in duo genera. Nam quædam ordinantur ad nutrimentum : et in his quantum ad cibum est *abstinentia*, quantum ad potum, proprie *sobrietas.* Quædam vero ordinantur ad vim generativam : et in his quantum ad delectationem principalem ipsius coitus est *castitas,* quantum autem ad delectationes circumstantes, puta quæ sunt in osculis, tactibus et amplexibus, attenditur *pudicitia.* Partes autem potentiales alicujus virtutis principalis dicuntur virtutes secundariæ, quæ modum, quem principalis virtus observat circa aliquam principalem materiam, eumdem observant in quibusdam aliis materiis, in quibus non est ita difficile. Pertinet autem ad temperantiam moderari delectationes tactus, quas difficillimum est moderari : unde quæcumque virtus moderationem quamdam operatur in aliqua materia, et refrænationem appetitus in aliquid tendentis, poni potest pars temperantiæ, sicut virtus ei adjuncta. Quod quidem

1. S. Thomas, 2-2, q. 80, a. un. — 2. Cfr. S. Thomas, 2-2, q. 128, a un.

contingit tripliciter: uno modo in interioribus motibus animi; alio modo in exterioribus motibus et actibus corporis; tertio modo, in exterioribus rebus. Præter motum autem concupiscentiæ, quem moderatur et refrænat temperantia, tres motus inveniuntur in anima in aliquid tendentes: primus quidem est motus voluntatis commotæ ex impetu passionis: et hunc motum refrænat *continentia,* ex qua fit ut licet homo immoderatas concupiscentias patiatur, voluntas tamen non vincatur; alius motus interior in aliquid tendens est motus spei et audaciæ quæ ipsam consequitur: et hunc motum moderatur sive refrænat *humilitas;* tertius autem motus est iræ tendens in vindictam, quam refrænat *mansuetudo* sive *clementia.* Circa motus autem et actus corporales, moderationem et refrænationem facit *modestia,* quam Andronicus in tria dividit: ad quorum primum pertinet discernere quid sit faciendum, et quid dimittendum, et quid quo ordine sit agendum, et in hoc firmiter persistere: et quantum ad hoc ponit *bonam ordinationem:* aliud autem est quod homo in eo quod agit decentiam observet: et quantum ad hoc ponit *ornatum:* tertium autem est in colloquiis amicorum vel quibuscumque aliis: et quantum ad hoc ponitur *austeritas.* Circa exteriora vero duplex moderatio est adhibenda: primo quidem ut superflua non requirantur: et quantum ad hoc ponitur a Macrobio *parcitas,* et ab Andronico *per se sufficientia:* secundo vero ut homo non nimis exquisita requirat; et quantum ad hoc ponit Macrobius *moderationem,* Andronicus vero *simplicitatem* (1). »

ARTICULUS SECUNDUS.

De distinctione specifica actuum malorum.

393. *Actuum malorum*

Actus moraliter malus est actus a fine debito obliquans, rerum naturæ et ordini contrarius, divinæ voluntati immediate vel mediate oppositus, verbo a regula difformis (2). Vocatur autem actus malus nomine proprio *peccatum;* nam ex Sanctis Patribus (3) et Angelico Præceptore (4), peccatum est actus

1. S. Thomas, 2-2, q. 143, a. un. — 2. Cfr. supra, n. 349.
3. Cfr. v. g. S. Augustinus, *De div. quæst.,* lib. I, q. 2, n. 18; *De Civit. Dei,* lib. XII, c. 8; S. Gregorius M. *Moral.,* lib. IX, c. 5, n. 5; S. Joannes Dam. *Dial. cont. Man.,* n. 47, etc. — 4. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 21, a 1 et 2; q. 71, a 6; q. 72, a, 1; 2-2, q. 162, a. 1, etc.

devians ab ordine debiti finis, contra regulam naturæ, rationis vel legis æternæ. — Malitia ergo peccati consistit in *aversione* a fine, in ordinis *perturbatione,* in *transgressione* divinæ voluntatis, in legis *violatione;* seu in oppositione ad Deum causam finalem, exemplarem, efficientem: in quantum nempe Deus est infinita bonitas ad quam tendendum, infinita sanctitas, quæ imitanda, infinita auctoritas, cui obediendum (1). — Jam vero pro diversa ratione qua actus ordini, auctoritati, regulæ opponitur, varia est malitiæ moralis species; variam autem illam oppositionem habet actus ex objecto, fine et circumstantiis; hinc rursus dicendum est, inde actum malum accipere distinctam malitiæ speciem, unde ipsam malitiam accipit. Ita S. Thomas: « Peccata specie distinguuntur ex parte actuum voluntariorum magis quam ex parte inordinationis in peccato existentis. Actus autem voluntarii distinguuntur specie secundum objecta... Unde sequitur quod peccata proprie distinguantur specie secundum objecta. » Quibus mox addit: « Finis principaliter habet rationem boni; et ideo comparatur ad actum voluntatis, qui est primordialis in omni peccato, sicut objectum; unde in idem redit quod peccata differant secundum objecta vel secundum fines. » (2) Alibi autem: « Actus moralis recipit speciem ab objecto: non tamen propter hoc excluditur, quin recipiat species per circumstantias; quia ex circumstantia potest considerari in objecto aliqua nova conditio, per quam dat speciem actui » (3).

distinctio specifica primario sumitur ab eorum objecto, fine, circumstantiis;

Itaque suprema ac fundamentalis ratio distinguendi peccatorum species, petitur ab eorum objectis et finibus. Hanc autem supponunt regulæ illæ a pluribus tradi solitæ, quæ primo aspectu videntur planiores seu facilioris applicationis, quia nempe, ut loquitur Angelicus (4), sunt magis materiales.

1. Hæ sunt peccati deformitates primariæ : aliæ in iis comprehenduntur quas exponere solent tum theologi, tum rerum asceticarum tractatores. — Cæterum de actibus malis seu de peccatis, cfr. Sententiarii in II, dist. 34 et seqq.; S. Thomas, I p., q. 48; 1-2, q. 71 et seqq. ubi Commentatores; *De Malo,* q. 2; *De ver.,* q. 24; Suarez, in 1-2, tr. V, *De peccatis et vitiis;* Salmanticenses, in 1-2, tr. XIII; Bellarminus, *De amissione gratiæ,* lib. I; Petavius, *De Deo,* lib. VI, c. 4; Platel, *Syn.,* II, 162 et seq.; Kleutgen, *Theol. der Vorzeit,* I, 8, 1.

2. S. Thomas, 1-2, q. 72, a. 1. — 3. *De malo,* q. 2, a. 6, ad 2.

4. S. Thomas, *De malo,* q. 2, a. 6.

394. *secundario a bonitate opposita*

Alii videlicet contendunt *diversitatem speciei in actibus malis judicandam esse tum ex diversitate bonitatis (virtutis) cui actus opponuntur, tum ex diversitate modi quo opponuntur eidem bonitati* (1). Diversæ enim bonitatis læsio diversam continet malitiam. Dicitur primum, *ex diversitate bonitatis cui opponuntur :* ita v. g. specie distinguuntur *furtum* et *ebrietas :* hæc enim temperantiæ, illud justitiæ opponitur. Dicitur deinde *ex diversitate modi quo eidem bonitati opponuntur ;* nimirum vel per *excessum* aut per *defectum,* et ita specie differunt *prodigalitas* et *avaritia,* quæ sunt oppositæ eidem bonitati liberalitatis ; vel (aliquando) per *commissionem* aut *omissionem,* et ita specie differunt *odium Dei* et *omissio actus amoris ;* vel etiam per *materiam* circa quam versantur, et ita specie differunt *furtum* et *detractio,* quæ sunt opposita eidem bonitati justitiæ.

et a legibus formaliter diversis.

Alii vero contendunt *diversitatem speciei in actibus malis judicandam esse ex formali diversitate legum quæ violantur* (2). Cum enim actus malus sit legis violatio, ubi lex est formaliter diversa, etiam formaliter diversa erit violatio. Dicitur autem, *ex formali diversitate* legum quæ violantur; est enim legum diversitas vel materialis tantum, vel formalis; habetur diversitas tantum *materialis,* quando una eademque obligatio imponitur diversa auctoritate, aut eadem auctoritate sed diversis vicibus; diversitas autem *formalis* habetur, quando leges versantur circa materias notabiliter diversas, vel circa eamdem materiam sub diverso motivo. Jam vero, si violentur leges materialiter tantum diversæ, una est malitia species, siquidem ejusdem obligationis fiat transgressio : e contra, si violentur leges formaliter diversæ, diversæ sunt malitiæ species, siquidem transgressio fiat plurium distinctarum obligationum. Hinc una malitiæ species est, si quis committat homicidium lege naturali, divina, ecclesiastica et civili prohibitum, quia leges illæ materialiter solum diversæ sunt ; e contra specie differunt violatio jejunii per esum carnis et per duplicem refectionem in cibis licitis, quia unum præceptum *qualitatem,* aliud *quantitatem* præscribit, atque ita illa duo præcepta sunt diversa formaliter

1. Cfr. Mastrius, *Theol. mor.*, disp. XV, q. 4, a. 1. n. 65; Reiffenstuel, *Theol. mor.*, tr. III, dist. 1, q. 4, n. 41, et Scotistæ passim.

2. Cfr. Castropalao, tr. II, disp. 3, p. 1 ; Platel, II, 183 ; Lacroix, V, 130, etc.

ob materiam notabiliter diversam ; item si jejunium ab Ecclesia præscriptum, injungatur a superiore ex obedientia, a confessario imponatur in pœnitentiam, et simul illud quis voverit, sunt quatuor quasi leges formaliter diversæ : prima, Ecclesiæ, ex motivo temperantiæ; secunda, superioris, ex motivo obedientiæ ; tertia, confessarii, ex motivo virtutis pœnitentiæ in satisfactionem pro peccatis; quarta, voti, ex motivo religionis.

Theologorum in hac quæstione consensus realis, dissensus verbalis.

Jam vero in duabus prædictis regulis aliam superiorem, quæ sumitur ab *objecto*, supponi, manifestum est. Sane qui regulam petunt a distincta bonitate opposita, tandem recurrere debent ad objecta et fines ut satis explicent quandonam habeatur distincta bonitas. Id præclare notat S. Thomas: « Peccata magis distinguuntur specie secundum objecta actuum quam secundum opposita: quamvis etiam si distinguantur secundum oppositas virtutes, in idem rediret; virtutes enim distinguuntur specie secundum objecta (1). » Et rursus: « Dicendum quod divisio peccati in species suas essentiales est per oppositum virtutis; quia oportet quod sit secundum objectum, ex quo specificantur peccatum et virtus (2). » Pariter qui regulam petunt a legibus formaliter diversis, recurrere *debent* ad *objecta* et *virtutes* ut explicent quandonam censendæ sint leges formaliter distinctæ. Id etiam notat Angelicus: « Nec est dicendum quod differant (peccata) specie secundum differentiam præceptorum; sed magis e converso præcepta distinguuntur secundum differentiam virtutum et vitiorum; quia præcepta ad hoc sunt ut secundum virtutem operemur. Si vero aliqua essent peccata solum quia prohibita, in his rationabile esset ut secundum differentiam præceptorum specie peccata differrent (3) ». In quem sensum docent Salmanticenses « distinctionem præceptorum ex parte rei prohibitæ vel ex parte motivi prohibendi inferre distinctionem specificam inter peccata; quamvis hæc distinctio non sumatur per se primo ex præceptis, sed ex objectis et motivis (4) ». — Vicissim qui insistunt regulæ fundamentali, minime aliarum usum

1. S. Thomas, 1-2, q. 72, a. 1, ad 2.
2. S. Thomas, in II, dist. 42, q. 2, a. 2, sol. 1, ad 1.
3. S. Thomas, *De malo*, q. 2, a. 6.
4. Salmanticenses, l. c., disp. VIII, dub. 2, n. 28.

respuunt; imo ut determinent quænam sint peccatorum objecta specie distincta, sponte recurrunt ad virtutes oppositas et leges prohibentes. Audiatur inter alios Billuart: quæstioni « unde objectum habeat quod specie distinguatur in esse moris », respondet: « Generaliter loquendo objecta specie in esse moris distinguuntur, quando habent specialem et distinctam repugnantiam cum lege æterna et recta ratione; habent autem specialem et distinctam repugnantiam cum lege æterna et recta ratione ex multiplici capite: 1. quando opponuntur diversis virtutibus; sicut enim quælibet virtus habet specialem et distinctam bonitatem, ita objectum illi oppositum habet specialem et distinctam malitiam: unde furtum quod opponitur justitiæ distinguitur a perjurio quod opponitur religioni. 2. Objecta habent distinctam malitiam seu repugnantiam cum lege, quando opponuntur etiam eidem virtuti, sed diverso modo, puta unum per excessum, aliud per defectum, vel aliis diversis modis... Sic furtum et rapina, contumelia et detractio, licet opponantur eidem virtuti justitiæ, quia tamen illi opponuntur diversis modis, specialem repugnantiam cum ratione habentibus, specie distinguuntur. 3. Objecta habent specialem et distinctam malitiam seu deformitatem, quando opponuntur præceptis diversis, non materialiter et ex parte principii, sed formaliter et ex parte rei præceptæ, seu motivi intrinseci... *Itaque dum objecta opponuntur diversis virtutibus, vel eidem sed diverso modo, vel præceptis diversis ex parte rei prohibitæ seu motivi intrinseci, specie distinguuntur in esse moris, et inde peccata specie distinguunt. Et ideo dixi in initio articuli verum esse aliquo sensu, scilicet radicaliter, mediate aut illative, peccata specie distingui a virtutibus et præceptis quibus opponuntur* (1). » — Itaque inter propositas regulas nulla videtur existere realis oppositio: imo se invicem juvant, et utiliter vel simul, vel seorsim, modo una, modo altera, pro diversis materiis adhibentur.

395. *Qua ratione distinctam speciem denotant divisiones in peccata omissionis et commissionis,*

Specificam actuum malitiam denotant vel saltem ad eam discernendam juvant vulgatæ peccatorum divisiones, quæ petuntur sive a modo quo deficitur, sive a potentiis et membris quibus deficitur, sive a materiis in quibus deficitur. Huc pertinet *a/* divisio in peccata *commissionis,* quibus violatur

1. Billuart, *De pecc.*, diss. II, a. 2.

præceptum negativum, et peccata *omissionis,* quibus affirmativum violatur (1); quæ divisio per se non denotat peccata specie distincta, ut docet Angelicus : « Si loquamur de specie peccati omissionis et commissionis formaliter, sic non differunt specie, quia ad idem ordinantur et ex eodem motivo procedunt (2) » ; ubi tamen advertit Suarez, sensum non esse « nullam omissionem et commissionem differre essentialiter : nam id plane falsum est ; sed sensus est, non id habere ex eo quod sunt omissio et commissio ; atque adeo posse interdum esse ejusdem speciei ; cujus ratio est, quia formalis ratio peccati in ordine et privatione consistit (3). » — *b*/ Alia divisio est in peccata *contra Deum,* quibus deficitur in iis quæ Deo debentur; *contra seipsum,* quibus deficitur in iis quæ homo sibi debet ; *contra proximum,* quibus deficitur in iis quæ aliis debentur. « Sunt autem diversa quibus homo ordinatur ad Deum, ad proximum et ad seipsum. Unde hæc distinctio peccatorum est secundum objecta, secundum quæ diversificatur species peccatorum ; unde hæc distinctio peccatorum proprie est secundum diversas peccatorum species ; nam et virtutes quibus peccata opponantur, secundum hanc differentiam specie distinguuntur. Manifestum est enim... quod virtutibus theologicis homo ordinatur ad Deum ; temperantia vero et fortitudine ad seipsum ; justitia autem ad proximum (4). » — *c*/ Accedit peccatorum divisio in *spiritualia,* quæ perficiuntur in delectatione spirituali seu animali, qualia sunt superbia, invidia ; et in *carnalia,* quæ consummantur in delectatione carnali, ut sunt gula, luxuria. Horum indolem sic describit Angelicus : « Duplex est delectatio : una quidem animalis, quæ consummatur in sola apprehensione alicujus rei ad votum habitæ ; et hæc etiam potest dici delectatio spiritualis, sicut cum aliquis delectatur in laude humana, vel in aliquo hujusmodi. Alia vero delectatio est corporalis, sive naturalis, quæ in ipso tactu corporali perficitur, quæ potest etiam dici delectatio carnalis. Sic igitur illa peccata quæ perficiuntur in delectatione spirituali, vocantur peccata spiritua-

contra Deum, proximum, seipsum,

spiritualia et carnalia,

1. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 72, a. 6 ; Suarez, tr. v, disp. 3 ; plura habent Salmanticenses, disp. VIII, dub. 1.

2. S. Thomas, 1-2, q. 72, a. 6. — 3. Suarez, l. c , s. 1, n. 3.

4. S. Thomas, 1-2, q. 72, a. 4.

lia ; illa vero quæ perficiuntur in delectatione carnali, vocantur peccata carnalia : sicut gula, quæ perficitur in delectatione ciborum, et luxuria quæ perficitur in delectatione venereorum (1). » Notat autem Sylvius, hanc peccatorum distinctionem non esse essentialem, « cum sit ab effectu, vel a materiali conditione ipsius actus peccaminosi (unde circa idem objectum potest quispiam committere peccatum spirituale per delectationem v. g. fornicationis morosam ; et carnale, si actu fornicetur) ; supponit tamen specificam inter illa peccata differentiam, si loquamur de peccatis opere consummatis (2). »

cordis, oris, operis.

d/ Tandem est divisio in peccata *cordis, oris* et *operis*, quæ potest duplici sensu intelligi. Primus sensus est, ut per eam indicentur diversi gradus quibus peccatum perficitur : « primo enim incipit in corde seu cogitatione, deinde foras prodit per vocem, ac denique ipso opere consummatur; recte igitur peccatum in ista tria dividitur, non quidem sicut in species essentiales, sed sicut in diversos gradus ejusdem speciei » (3). Alter sensus est, « ut per eam diversæ peccatorum species significentur, quarum prima sit ejus peccati quod secundum rationem suæ speciei, solo corde perficitur, ut hæresis, odium Dei, similia; secunda, ejus quod in corde incipit et consummatur ore, ut detractio, contumelia, convitium; tertia, illius quod ipso demum externo opere perficitur, ut furtum, adulterium, homicidium.... (4). Quamvis autem peccatorum species eo modo consideratæ sint diversæ, non propterea tamen divisio sic intellecta putanda est esse generis in species; cum diversitatem suam specificam non sortiantur ex eo quod unum peccatum consummatur corde, aliud ore, aliud opere...., sed ex eo quod habeant diversa objecta » (5).

Sectio III.

De actu salutari.

Cum homo liberæ operationis capax nonnisi per opera finem consequatur vel ab eo deficat (6) plene exponi nequeunt

1. S. Thomas, 1-2, q. 72, a. 2. — 2. Sylvius in 1-2, q. 72, a. 2.
3. Sylvius, l. c., a. 7 ; cfr. S. Thomas, 1-2, q. 72, a. 7..
4. Cfr. S. Thomas, 3 p., q. 90, a. 3, ad. 1.
5. Sylvius, l. c. — 6. Cfr. supra, n. 13 ; Bellarminus, *De justif.*, lib. 4.

actus liberi et morales, nisi considerentur sub eo præcise respectu sub quo fini consequendo juvant vel eidem obstant.

Caput I.

De actibus fini consequendo utilibus.

Tractationis nostræ indoles nec postulat nec permittit ut præsentem gravissimi momenti materiam complete evolvamus; satis sit præcipua capita summatim indicasse (1). Duplici igitur articulo dicemus de conditionibus requisitis ut actus valeant ad finem, et de varia ratione qua ad finem valere possint.

Articulus primus.

De conditionibus requisitis ut actus ad finem valeat.

396. *Nullus actus bonus ad finem supernaturalem valet nisi sit supernaturalis,*

Omnis quidem actus moraliter bonus utilis est fini consequendo, si is mere naturalis supponatur (2); verum ad finem supernaturalem, qualis in præsenti statu est finis hominis, non juvat nisi actus supernaturalis; solus enim actus supernaturalis proportionem habet ad finem supernaturalem (3).

tum ex parte principii elicientis,

Et quidem ad finem supernaturalem non juvat actus nisi sit supernaturalis ex parte principii elicientis, id est, nisi procedat ex viribus gratiæ actualis intellectum illustrantis et affectum moventis (4). Hæc assertio, quæ fundamentale fidei catholicæ dogma exhibet, clare demonstratur ex sacris litteris, in quibus omni formularum genere inculcatur, nos in ordine ad salutem sufficientes non esse aliquid cogitare a nobis quasi ex nobis, sed sufficientiam nostram ex Deo esse (5); a Deo quippe nobis donari ut credamus (6), ut speremus (7), ut diligamus (8); Deum incipere in nobis opus bonum (9); opera præparare ut in illis ambulemus (10), operari in nobis velle et perficere (11); nos palmites esse, adeoque ferre fructum non posse, nisi manse-

1. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 21, a. 3 et 4; q. 114; Suarez, *De Gratia*, lib. XII; Ripalda, *De ente supern.*, disp. LXXI et seqq.; De Coninck, *De act. supern.*, disp. VIII.

2. Cfr. supra, n. 19 et sqq. — 3. Cfr. supra, n. 22-23; 31-32. — 4. Cfr. supr. n. 32, cum not. 3, pag. 196. — 5. II Cor. III, 5. — 6. Joan. VI, 44; Act. XVI, 14; Philip. I, 29 etc. — 7. Rom. XV, 13. — 8. Rom. V, 5; Eph. VI, 23. — 9. Philip. I, 6. — 10. Eph. II, 10. — 11. Philip. II, 12.

rimus in Christo qui vitis est (1) ; verbo, nos gratia Dei esse id quod sumus (2). Explicita etiam et constans est in eumdem sensum Ecclesiæ traditio, quam adversus Pelagianos vindicavit S. Augustinus: « Nullo modo, aiebat ipse, nisi adjuvante gratia Salvatoris Christi crucifixi et dono Spiritus ejus vel quoslibet ad plenissimam perfectionem, vel quemquam ad qualemcumque provectum veræ piæque justitiæ pervenire, qui negaverint, nescio utrum recte possint in qualiumcumque christianorum numero computari (3). » — Accedunt repetitæ conciliorum definitiones, quibus anathema pronuntiatur in eum qui dixerit hominem sine divina gratia posse juste vivere ac vitam æternam promereri (4). — Ratio autem hujus dogmatis est, « quia unaquæque res per operationem suam ultimum finem consequitur. Operatio autem virtutem sortitur ex principio operante : unde per actionem seminis generatur aliquid in determinata specie, cujus virtus in semine præexistit. Non potest igitur homo per operationem suam pervenire in ultimum finem suum, qui transcendit facultatem naturalium potentiarum, nisi ejus operatio ex divina virtute efficaciam capiat ad finem prædictum (5). »

tum ex parte motivi dirigentis.

Insuper ad finem supernaturalem non juvat actus nisi sit supernaturalis ex parte motivi dirigentis, id est, nisi ex fide procedat. Sicut enim in ordine naturali, cognitio per rationem est principium omnium operationum humanarum, ita in ordine supernaturali cognitio per fidem est principium directivum totius vitæ christianæ; seu, ut loquitur Angelicus, « fides est necessaria ut principium spiritualis vitæ (6). » Hoc sensu in sacris litteris justus dicitur ex fide vivere (7), item dicimur justificari ex fide et per fidem salvari (8). Ut enim opera dicantur esse ex fide non sufficit quod ponantur ab homine fideli, sed requiritur ut ponantur ex motivo fidei. Cave tamen ne inde inutilia censeas multa opera bona quæ quotidie faciunt homines justi, vix cogitantes de motivo fidei, sed attendentes v. g. ad miseriam proximi et ad honestatem eleemosynæ; nam, ut bene explicat

1. Joann. xv, 1 seq. — 2. I Cor. xv, 10. — 3. S. Augustinus, *De nat. et grat.*, c. 60. — 4. Conc. Arausicanum II, c. 7 ; Trid. sess. VI, c. 2-3.

5. S. Thomas, *Cont. Gent.* III, 147 ; cfr. supra, n. 33 ubi alius Angelici textus refertur. — 6. S. Thomas, 2-2, q. 16, a. 1. ad 1. — 7. Rom. I, 17 ; Gal. III, 11 ; Heb. X, 38. — 8. Rom. V, 1 ; I Cor. XV, 1-2 etc.

Lugo, « raro vel nunquam accidit ut homo, qui semel concepit fidem christianam, et eam habet tanquam certissimam regulam suarum actionum, non attendat ad illam, quoties vult operari honeste vel inhoneste. Hæc est enim natura intellectus, ut, quando agitur de examinanda aliqua veritate, statim recurrat ad securiorem regulam, ut vitetur periculum falsitatis; et hæc est etiam natura voluntatis, ut, quando inclinatur ad aliquod objectum, consulat regulas certiores, ut certificetur de bonitate illius objecti. Hinc est, difficillimum esse, quod, quando christiano occurrit occasio eleemosynæ vel alterius operis pii, non statim consulat regulam fidei, quæ est prima et potissima in lege christiana, ad judicandum de honestate illius objecti; quod si aliquando raro ad eam regulam non attenderit, tunc merebitur solum præmium naturale. (1) »

ARTICULUS SECUNDUS.

De varia ratione qua actus ad finem valeat.

397. *Actus supernaturalis ad finem valet tanquam causa moralis,*

Actus supernaturalis non valet ad finem tanquam causa efficiens, sed solum tanquam causa moralis. « Quælibet res, ait Angelicus, ad ultimum finem per suam operationem pertingit; quæ quidem operatio in finem ducens vel est factiva finis, quando finis non excedit virtutem ejus, quod operatur propter finem, sicut medicatio est factiva sanitatis; vel est meritoria finis, quando finis excedit virtutem operantis propter finem : unde exspectatur finis ex dono alterius. Beatitudo autem ultima excedit et naturam Angelicam et humanam... ; unde relinquitur quod tam homo quam Angelus suam beatitudinem meruerint (2). »

per modum meriti,

Atqui, tanquam causa moralis, ad finem immediate vel mediate valere potest actus supernaturalis non solum per modum *meriti* stricte dicti, sed etiam per modum *impetrationis, propitiationis* et *satisfactionis,* quæ sane sunt diversæ efficaciæ moralis rationes. Etenim *ad meritum* est dignitas operis ad retributionem et præmium. Distinguitur in meritum de *condigno* et meritum de *congruo ;* « dicitur aliquis mereri ex *condigno*, quando invenitur æqualitas inter præmium et meritum, secun-

1. Lugo, *De fide,* disp. XII, s. 3, n. 47. — 2. S. Thomas, 1 p., q. 62, a. 4.

dum rectam æstimationem ; ex *congruo* autem tantum, quando talis æqualitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem dantis munus tribuitur quod dantem decet (1). » —

impetrationis, propitiationis, satisfactionis.

b/ Impetratio est vis quam actus habet ad alterum movendum ut aliquid concedat per modum beneficii (2). — *c/ Propitiatio* est vis quam habet actus ad alterum, propter injuriam iratum, placandum (3). — *d/ Satisfactio* generatim est reparatio offensæ et injuriæ : specialius est solutio pœnæ pro injuria condonata debitæ (4).

398. *Qua ratione actus supernaturales sint meritorii,*

Jam vero *hominis actus supernaturales meritorii esse possunt apud Deum*; per hujusmodi enim actus Deo gloria affertur, adeoque agenti titulus acquiritur ad recompensationem; præterea Deus est totius communitatis universi rector et gubernator, ad quem proinde pertinet retribuere pro eis quæ bene vel male fiunt in communitate (5). — Et quidem meritorii sunt sive de *condigno*, sive saltem de *congruo*. Sunt meritorii de *condigno* actus supernaturales, si ponantur ab homine qui charitate prædítus sit, et (juxta multos) ex charitate operetur (6); sunt autem isti actus prædicti meritorii gratiæ augmenti et gloriæ, seu vitæ æternæ. « Vita æterna, ait Angelicus, in Dei fruitione consistit. Motus autem humanæ mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod aliæ virtutes imperantur a charitate. Et ideo meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur (7). »

1. S. Thomas, in II, dist. 27, q. 1, a. 3. — 2. Cfr. tract. noster *De virtute relig.*, I, 201. — 3. Cfr. Franzelin, *De sacrif. Missæ*, th. XIII. — 4. Cfr. Suarez, *De pœn.*, disp. XXXVII.

5. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 21, a. 4 ; argumentum Angelici præclare evolvit Theod. Meyer, *Inst. jur. nat.*, I, 210. — Addi tamen debent, quæ habet S. Doctor, 1-2, q. 114, a. 1 ; « Modus et mensura humanæ virtutis hominis est a Deo. Et ideo meritum hominis apud Deum esse non potest, nisi secundum præsuppositionem divinæ ordinationis ; ita scilicet ut id homo consequatur a Deo per suam operationem, quasi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit. »

6. Ita S. Bonaventura, in II, dist. 41, a. 1, q. 3; Bellarminus, *De justif.*, lib. V, c. 15 ; oppositum tamen tenent Suarez, *De grat.*, lib. XII, c. 10 ; Ripalda, disp. XC, s. 5, etc. — Totam controversiam exponunt Perrone, *De char.*, n. 305 et seqq. ; Mazzella, *De virt. inf.*, n. 1324 et seqq.

7. S. Thomas, 1-2, q. 114, a. 4 ; cfr. *De verit.*, q. XXVI, a. 6, ad 8 ; *De pot.* q. VI, a. 9. Cfr. conc. Trid. sess. VI, can. 32.

— Sunt autem meritorii de *congruo* actus supernaturales etsi ponantur ab homine non justificato; isti actus sunt de congruo fallibili meritorii gratiarum ulteriorum, imo et efficacium; quin etiam actus omnium nobilissimus, sc. charitatis, si essentialem suam perfectionem habeat, meritorius est de congruo infallibili, gratiæ sanctificantis (1).

impetratorii.

Deinde *hominis actus supernaturales impetratorii sunt quatenus explicite vel implicite orationem important;* sunt autem, si debitæ conditiones adsint, infallibiliter impetratorii eorum omnium quæ ad salutem pertinent ac necessaria sunt; advertendum tamen, talibus actibus non directe impetrari gratiam sanctificantem, remissionem peccatorum, sed auxilia et media quibus adjuti bene vivamus et perseveremus (2).

propitiatorii.

Præterea *hominis actus supernaturales sunt propitiatorii, quatenus offensæ divinæ reparationem important:* hujusmodi actibus placatur Deus iratus, atque ita obtinetur, ut flagella imminentia non inferantur, gratiæ non subtrahantur, etc.

satisfactorii.

Tandem *hominis actus supernaturales sunt satisfactorii pro pœnis peccato remisso debitis,* si tamen illi actus in statu gratiæ exerceantur et ex se sint pœnales seu affectivi (3).

Ex dictis intelligitur, alios actus supernaturales valere ad finem directe, eum promerendo, alios valere indirecte, media obtinendo vel obstacula removendo.

Caput II.

De actibus fini consequendo obstantibus.

399. *Actus malus*

Omnis *actus moraliter malus aliquo modo obstat fini consequendo.* Patet ex ipsa natura actus mali, qui est aversio a vero bono, ordinis perturbatio, regulæ transgressio. « Ubicumque est aliquis debitus ordo ad finem, oportet quod ordo ille ad finem ducat, recessus autem ab ordine finem excludat; ea enim quæ sunt ex fine necessitatem sortiuntur ex fine, ut scilicet ea necesse sit esse, si finis debeat sequi, et eis, absque impedi-

1. Cfr. tract. noster *De virt. theol.*, n. 497-501.
2. Cfr. tract. noster *De virt. relig.*, I, 136-137; 169-172; 201-208.
3. Qua ratione omnes actus satisfactorii reducantur ad orationem, jejunium et eleemosynam, explicant scholastici, v. g. Suarez et clare exponitur in *Cat. ad Par.* p. II, *De pœn.*

mento existentibus, finis consequatur. Deus autem imposuit actibus hominum ordinem aliquem in respectu ad finem boni, ut ex prædictis patet. Oportet igitur quod, si ordo ille recte positus est, incedentes per illum ordinem finem boni consequantur, quod est præmiari; recedentes autem ab illo ordine per peccatum, a fine boni excludi, quod est puniri (1). »

400. *a fine vel excludit et dicitur peccatum mortale, vel tantum retardat, et dicitur peccatum veniale.*

Jam *vero duplici modo actus malus fini consequendo obstare potest; vel ita nempe ut a fine penitus excludat, vel ita solum ut a fine retardet. Actus malus a fine excludens vocatur peccatum mortale; a fine vero solum retardans, dicitur peccatum veniale.* Ita in sacris litteris sermo est ex una parte de peccatis propter quæ regnum Dei obtineri nequit (2); ex altera vero parte de peccatis quibus « offendimus omnes (3); » similiter distinguunt SS. Patres « infanda crimina, qualia qui agunt, regni Dei non possidebunt, » et « quotidiana brevia leviaque peccata sine quibus hæc vita non ducitur (4). »

401. *Peccati mortalis et venialis differentia.*

Actus *malus a fine excludens et mortaliter peccaminosus ille est, quo tenditur in bonum commutabile cum incommutabili bono absolute incompossible, quo ordo in substantialibus perturbatur, quo regula essentialis violatur; e contra actus malus a fine retardans et venialiter peccaminosus ille est, quo manente habituali conversione ad Deum, ordo perturbatur in accidentalibus et regula violatur secundaria.* Ita Angelicus : « Averti a fine incommutabili est dupliciter : vel in habitu vel in actu tantum. Secundum habitum avertitur, qui sibi alium finem contrarium ponit, et hoc est in peccato mortali ; unde qui peccat mortaliter est sicut recedens a via. In actu vero tantum aliquis avertitur, quando aliquis actum aliquem facit, quo in Deum non tendit, ex eo quod inordinate ei quod est ad finem inhæret, non tamen ita ut illud quod est ad finem quasi finem constituat; et hoc est in peccato veniali; unde peccans venialiter similatur ei qui nimis moratur in via : et hoc est non averti nisi secundum quid, sicut etiam quod retardat motum corporis gravis, non aufert gravitatem suam

1. S. Thomas, *Cont. Gent.* III, 140.
2. Cfr. v. g. I Cor. VI, 9-10. — 3. Jac. III, 2.
4. S. Augustinus, *Ench.*, cc. 70-71 ; cfr. Bellarminus, *De amissione gratiæ*, lib. I, c. 5.

et inclinationem in finem ; auferret autem, si contrarium sibi motum daret, ut quando ex gravi leve generatur (1). » Iterum : « Dupliciter contingit peccare. Uno modo sic quod totaliter intentio mentis avertatur ab ordine ad Deum, qui est ultimus finis bonorum, et hoc est peccatum mortale ; alio modo sic, quod manente ordine humanæ mentis ad ultimum finem, impedimentum aliquod afferatur quo retardatur ne libere tendat in finem, et hoc dicitur peccatum veniale (2). » Et rursus : « Differentia peccati venialis et mortalis consequitur diversitatem inordinationis, quæ complet rationem peccati. Duplex enim est inordinatio : una per subtractionem principii ordinis : alia, qua etiam, salvato principio ordinis, fit inordinatio circa ea quæ sunt post principium ; sicut in corpore animalis quandoque quidem inordinatio complexionis procedit usque ad destructionem principii vitalis ; et hæc est mors ; quandoque vero, salvo principio vitæ, fit deordinatio quædam in humoribus, et tunc est ægritudo. Principium autem totius ordinis in moralibus est finis ultimus, qui ita se habet in operativis, sicut principium indemonstrabile in speculativis... Unde quando anima deordinatur per peccatum usque ad aversionem ab ultimo fine, scilicet Deo, cui unitur per charitatem, tunc est peccatum mortale. Quando vero fit deordinatio citra aversionem a Deo, tunc est peccatum veniale ; sicut enim in corporibus deordinatio mortis, quæ est per remotionem principii vitæ, est irreparabilis secundum naturam, inordinatio autem ægritudinis reparari potest propter id, quod salvatur principium vitæ, similiter est in his quæ pertinent ad animam ; nam in speculativis, qui errat circa principia impersuasibilis est ; qui autem errat salvatis principiis, per ipsa principia revocari potest. Et similiter in operativis, qui peccando avertitur ab ultimo fine, quantum est ex natura peccati, habet lapsum irreparabilem, et ideo dicitur peccare mortaliter, æternaliter puniendus : qui vero peccat citra aversionem a Deo, ex ipsa ratione peccati reparabiliter deordinatur, quia salvatur principium ; et ideo dicitur peccare venialiter, quia videlicet non ita peccat, ut mereatur interminabilem pœnam (3). »

1. S. Thomas, in II, dist. 42, q. 1. a. 3, ad. 5.
2. S. Thomas, *Cont. Gent.*, III, 143. — 3. S. Thomas, I-2, q. 72, a. 5.

402. *in rerum natura fundata.*

ITAQUE *divisio peccati in mortale et veniale in rerum natura fundatur, nec petitur a rationibus extrinsecis.* Falso igitur docuit Jovinianus *omnia* peccata sine ullo discrimine esse paria (1). Falso pariter alii docuerunt cuncta peccata esse natura sua mortalia et tantum ex conditione personæ ea committentis venialia fieri : v. g. Wicleffus dixit omnia peccata *reproborum* esse mortalia, *prædestinatorum* autem omnia venialia (2) ; — Lutherus tradidit, omnia peccata *infidelium* esse mortalia, *renatorum* autem omnia esse venialia præter infidelitatem (3) ; — Calvinus utrumque commentum prædictum, nempe Wicleffi et Lutheri, commiscens, asseruit, peccata omnia *reproborum* esse mortalia, cum sint infideles (4); — Baius nullum peccatum reperiri natura sua veniale, atque omnes actus *sceleratorum* esse peccata mortalia (5).

403. *Peccati mortalis et venialis divisio an sit generis in species.*

DOCET Angelicus *peccati divisionem in mortale et veniale « non esse divisionem generis in species quæ æqualiter participant rationem generis, sed analogi in ea de quibus prædicatur secundum prius et posterius, et ideo perfectam rationem peccati convenire peccato mortali* (6). » Videlicet « est duplex modus dividendi commune in ea quæ sub ipso sunt, sicut est duplex communitatis modus. Est enim quædam divisio univoci in species per differentias quibus æqualiter natura generis in speciebus participatur, sicut animal dividitur in hominem et equum, et hujusmodi. Alia vero divisio est ejus quod est commune per *analogiam,* quod quidem secundum perfectam rationem prædicatur de uno dividentium, et de altero imperfecte et secundum quid ; sicut ens dividitur in substantiam et accidens et in ens actu et in ens potentia, et hæc divisio est quasi media inter æquivocum et univocum. Et talis divisio est peccati in mortale et veniale : quia ratio peccati perfecte in mortali invenitur ; in veniali vero non nisi imperfecte et secundum quid : unde minimum quod potest esse de ratione peccati in aliquo actu, est in veniali, sicut minimum quod potest esse de natura entis, est in ente in potentia et in

1. Cfr. S. Hieronymus, *Adv. Jov.* lib. II, n. 18 et seqq.
2. Cfr. Waldenses, tom. II, *De Sacram.*, c. 154.
3. Cfr. Bellarminus, *De Just.*, lib. II, c. 1.
4. Cfr. *Inst.*, lib. II, c. 8, § 59; lib. III, c. 2, § 11; c. 4, § 28.
5. Cfr. pp. 20 et 35. — 6. S. Thomas, 1-2, q. 88, a. 1, ad 1.

ente per accidens : et hoc ipsa nomina ostendunt : quia venia non debetur peccato, nisi secundum quod aliquam imperfectionem peccati habet; mors autem debetur peccato, in quantum peccatum est : et ideo mortale peccatum perfectum quid ex genere peccati dicit, veniale autem imperfectum (1). » Alii tamen divisionem mortalis et venialis dicunt esse generis in species, et utrumque peccatum mortale et veniale esse proprie et simpliciter peccatum (2). Verum hæc controversia videtur Suarezio esse de modo loquendi magis quam de re ipsa : « Ideo, ait, si rem tantum metaphysice consideremus, revera hic non apparet analogia : quia veniale peccatum in se habet quasi inhærentem sibi quemdam defectum debiti ordinis circa ultimum finem, et ab illo potest denominari absque ullo ordine ad peccatum mortale: ubi vero non est respectus unius ad alium, non est proprie analogia; tamen loquendo moraliter et theologice, dicitur hæc denominatio analoga et secundum quid; quia in moralibus, quod adeo leve est, quasi nihil reputatur; item quia hæc denominatio venialis peccati maxime ponderatur in moralibus, quatenus dispositio est ad mortale; tum demum quia peccatum veniale non denominatur tale solum, quia caret illo debito ordine ad ultimum finem, sed etiam quia caret illa propria deformitate peccati mortalis, et hoc modo in tali denominatione habet semper respectum ad mortale peccatum (3). » — Qua autem ratione Scholastici aliquando scribant, peccatum mortale esse *contra* præceptum, veniale *præter* præceptum (4), contra *consilium* (5), peccatum veniale non esse Dei lege prohibitum, sed *cohibitum* (6), haud difficile explicatur; videlicet nomine *præcepti* non intelligunt nisi magnum charitatis mandatum eaque mandata quæ ad vitam servanda sunt; nomine vero consilii intelligunt omnia quæ ad salutem non sunt simpliciter necessaria (7).

404. Unde autem mortale peccatum sit a veniali discernendum,

1. S. Thomas, in II, dist. 42, q. 1, a. 3.
2. Cfr. v. g. Azor, lib. IV, p. I, c. 8, q. 2.
3. Suarez, l. c., disp. II, s. 5, n. 8.
4. Ita S. Thomas, 1-2, q. 88, a. 5 ; *De malo*, q. VI, a. 1, ad 1.
5. Ita Scotus, in II, dist. 21 ; cfr. supra, p. 264, not. 1.
6. Cfr. S. Bonaventura, in II, disp. 42, a. 2, q. 2.
7. Cfr. Suarez, l. c., n. 9 et seq.; Lugo, *De pœn.*, disp. XVI, n. 102.

Unde peccatum mortale a venia-li discernendum.

præclare exponit Angelicus : « *In illa materia peccatum perfecte invenitur, in qua si peccetur, virtus caritatis ad Deum et ad proximum dissolvitur, per quam vita est animæ ; et ideo quando aliquis peccat in his sine quibus recte servatis non remanet subjectio hominis ad Deum, et fœdus humanæ societatis, tunc est peccatum mortale ex genere...* sicut patet quod non potest homo debite Deo esse subjectus, si Deo non credat, si ei non obediat, et hujusmodi. Similiter etiam societas humanæ vitæ servari non posset, nisi unicuique servaretur quod suum est : et ideo furtum et aliæ species injustitiæ sunt peccata mortalia ex genere : et similiter est in omnibus aliis. Ea vero sine quibus societas humana servari potest, non faciunt peccatum esse mortale ex genere, quamvis etiam deformis actus sit, sicut superfluus ludus, et aliquid hujusmodi, et talia dicuntur venialia ex genere (1). » Cæterum, ut monet S. Augustinus, « quæ sint levia, quæ gravia peccata, non humano sed divino pensanda sunt judicio (2). » Ergo « ne afferamus stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus et quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes : hoc grave est, hoc leve ; sed afferamus divinam stateram de scripturis sanctis, tanquam de thesauris dominicis, et in illa quid sit gravius appendamus, imo non appendamus, sed a Domino appensa recognoscamus (3). »

405. *Actus malus fini obstat demerendo.*

Actus malus a fine excludit aut retardat tanquam causa moralis, per modum demeriti. Cum enim hujusmodi actus sit aversio a Deo, ordinis perturbatio, legis violatio, Deum, hominis finem, ordinis auctorem, legislatorem *offendit,* seu ei dat rationabilem causam indignandi contra peccatorem, se ab eo avertendi, pœnam infligendi (4). Sane « ex rebus naturalibus ad res humanas derivatur ut id quod contra aliquid insurgit, ab eo detrimentum patiatur. Videmus enim in rebus naturalibus quod unum contrarium vehementius agit altero contrario

1. S. Thomas, in II, dist. 42, q. 1, a. 4.
2. S. Augustinus, *Euch.*, c. 77.
3. S. Augustinus, *De bapt.*, 2 ; cfr. Suarez l. c., disp. II, s. 6, n. 19. — Cfr. supra, n. 134-136 ubi de gravitate obligationis.
4. De notione offensæ, cfr. Lugo, *De pœn.*, disp. II, s. 1, n. 9-15 ; s. 4, n. 49-52. — Offensam proprie dictam continet peccatum mortale ; veniale autem, quia non parit indignationem amicitiæ vinculum dissolventem, aliquando dicitur offensam non continere nisi secundum quid et analogice.

superveniente... Unde in hominibus hoc ex naturali inclinatione invenitur, ut unusquisque deprimat eum qui contra ipsum insurgit. Manifestum est autem, quod quæcumque continentur sub aliquo ordine, sunt quodammodo unum in ordine ad principium ordinis ; unde quidquid contra ordinem aliquem insurgit, consequens est, ut ab eo ordine et principe ordinis deprimatur. Cum autem peccatum sit actus inordinatus, manifestum est quod quicumque peccat contra aliquem ordinem agit, et ideo ab ipso ordine consequens est quod deprimatur, quæ quidem depressio pœna est (1). »

406. *Qua ratione demeritorius sit actus graviter malus,*

Itaque *sicut actus bonus supernaturalis est meritorius, ita actus malus est demeritorius.* Et quidem actus graviter malus privative demeritorius est gratiæ sanctificantis et charitatis, nec non auxiliorum cœlestium ; æquum enim est ut qui a Deo, fine suo, se avertit, ea amittat aut non recipiat quibus ad finem aptus est et Deo conjungitur (2) ; præterea positive demeritorius est nocumentorum quæ in peccati vindictam infliguntur (3). — Actus autem leviter malus privative aut positive demeritorius est tum auxiliorum et impulsuum abundantiorum ad operationes salutares exercendas (4), tum pœnarum proportionatarum (5).

item actus leviter malus.

407. *Conditiones requisitæ ut actus objective malus a fine retardet vel etiam excludat.*

Cum actus malus a fine impediat per modum *demeriti*, propter injuriam et offensam, sequitur imprimis, fini obstare solum actum *formaliter malum,* id est, cum advertentia et libertate positum : actus enim materialiter malus agenti non imputatur (6), — imo sequitur fini non obstare actum malum nisi formaliter, quatenus est Dei *offensivus ;* unde juxta gravissimos doctores, nec amicitiam cum Deo dissolveret nec a fine aver-

1. S. Thomas, 1-2, q. 87, a. 1.

2. Cfr. supra, n. 22-23, et Lessius, *De perf. div.*, lib. XIII, c. 28. — Docet Angelicus, 2-2, q. 24, a. 10, peccato mortali totaliter corrumpi charitatem « et *effective,* quia omne peccatum mortale contrariatur charitati, et etiam *meritorie,* quia, cum peccando mortaliter aliquis contra charitatem agit, dignum est ut Deus ei subtrahat charitatem. »

3. Cfr. Lessius, *De perf. div.*, lib. XIII, passim.

4. Ita S. Thomas, 1-2, q. 89, a. 1 : « Peccatum veniale impedit quidem nitorem actualem, non tamen habitualem : quia non excludit neque diminuit habitum charitatis et aliarum virtutum, sed solum impedit earum actum. »

5. Cfr. S. Thomas, *Cont. gent.*, III, 141-143. — 6. Cfr. supra, n. 375-376.

teret peccatum mere philosophicum, si per impossibile tale peccatum daretur (1); — præterea sequitur, a fine penitus non excludere nisi actum in se graviter malum vel saltem ut tale reputatum (2), qui cum plena mentis advertentia et perfecto voluntatis consensu ponitur (3); ut enim explicat Angelicus, « ex parte peccantis est imperfectio peccati prop-

1. Peccatum *philosophicum* dicitur actus moraliter malus, quatenus est oppositus ordini et rectæ rationi; *theologicum* vero peccatum dicitur actus malus, quatenus est oppositus voluntati Dei: quem loquendi modum Auctores ab Angelico mutuati sunt; inquit enim, 1-2, q. 71, a. 6, ad 5: « A theologis consideratur peccatum præcipue secundum quod est offensa contra Deum; a philosopho autem morali secundum quod contrariatur rationi. » Cæterum peccatum mere philosophicum non datur, quia vel metaphysice vel saltem moraliter repugnat ut detur invincibilis ignorantia aut inadvertentia Dei legislatoris malum morale prohibentis. Unde merito damnata est ab Alexandro VIII sequens propositio: « Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi: theologicum vero et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. » Cf. Viva in h. p.

2. Cf. supr. n. 257 et 276-278. — Quod si quæratur, quantum peccet ille qui agit contra conscientiam dictantem quidem aliquid esse malum, non tamen indicantem, an illud malum grave sit necne, hæc respondere possumus. Primum in praxi vix contingere potest ut operans qui cognoscit aliquid esse malum, ita abstrahat, ut innuit S. Thomas, 1-2, q. 19, a. 5, ad 3; ratio est, quia quamvis reflexe non agnoscat esse mortale vel veniale, neque signate discernat differentiam illam specificam, tamen conscientia semper se ita habet ut vel multum refugiat facere, et tunc excercite satis apprehenditur malitia gravis, vel non ita refugiat facere, et tunc apprehenditur malitia tantum levis. In supposito autem quod conscientia reipsa abstrahat a gravitate vel levitate malitiæ, auctores varie loquuntur prout tradit Lacroix, lib. 1, n. 3: « Azor, Sayrus, Bonacina, Reginaldus, Tannerus aliique cum Castropalao, disp. 1, pu. 3, n. 6, adhuc dicunt semper fore mortale, quia amplectitur malitiam venialem et mortalem, cum feratur modo indifferente ad utramque. Quod si cognosceret malitiam in certa specie, sed non cognosceret an venialis esset an mortalis, Vasquez, Merati, *De pecc.*, disp. 7, s. 7, Sanchez, *In Decal.* lib. 1, c. 11, n. 6, dicunt fore mortale aut veniale, prout fuerit objectum: unde si cum tali cognitione, v. g., furetur rem levem, erit veniale, si furetur rem gravem, erit mortale, quia cum se determinet ad speciem furti, vult malitiam quæ hic et nunc illi inest: hæ duæ sententiæ sunt probabiles; videtur tamen probabilius quod docent Navarrus, Valentia, Salas, Granadius, aliique multi cum Oviedo, in 1-2, tr. 4, cont. 1, pu. 3, Gobat, *In Quin.*, tr. 5, c. 9, n. 84, Burghaber, *Cent.*, 1, c. 20, et probabile putant Sanchez, l. c., Decastillo, *De juram.*, disp. 2, n. 262, Diana, P. 3, tr. 4, resp. 162 et p. 5, tr. 5, resp. 31, nempe in utroque casu venialiter tantum peccari. » Cfr. S. Alphonsus, *de consc.*, n. 23; Gury, tom. 1, n. 43. Idem dicendum videtur de casu quo quis de malitia *dubitat*, præscindendo ab ejus gravitate vel levitate.

3. Cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 476.

ter imperfectionem potentiæ elicientis actum, sicut primi motus sensualitatis, qui deliberationem præcedunt, peccata venialia sunt, quamvis in materia sint mortalis peccati (1). » Huc pertinet divisio peccatorum in peccata ignorantiæ, infirmitatis et malitiæ (2).

408. *Peccatum habituale.*

Transacto *actu quo a Deo se avertit, homo inordinatus manet, quousque non fuerit iterum ad Deum conversus; inordinatio illa perseverans vocatur peccatum habituale:* quod sequentibus propositionibus explicat Suarez: « *a*/ In homine existente in puris naturalibus vere maneret aliquo modo peccatum mortale per modum habitus, transacto actu, quamdiu ad Deum non converteretur, vel non remitteretur illi peccatum. » — *b*/ « Peccatum manens habitualiter in illo homine, non est ens aliquod positivum physicum, neque privatio realis et physica alicujus formæ positivæ. » — *c*/ « Peccatum quod habitu manere in tali homine dicitur, non est physice intelligendum, sed moraliter secundum rectam et prudentem existimationem, et hoc modo est quædam aversio a Deo, ultimo fine, quæ moraliter censetur manere in homine, quia voluntate sua se avertit a Deo, et nunquam ad illum conversus est. » — *d*/ « In hoc peccatore macula non est aliquid distinctum ab habituali peccato; quare explicanda est per moralem quamdam indignitatem. » — *e*/ « Nunc homine destinato ad finem supernaturalem habituale peccatum et macula peccati mortalis includit dicta omnia et præterea realem et physicam privationem gratiæ et charitatis (3). »

1. S. Thomas, in II, dist. 42, q. 1, a. 4.
2. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 76, 77, 78; Suarez, disp. IV, sect. un.; cfr. supr. 279.
3. Suarez, l. c., disp. VIII, s. un.

TRACTACTUS QUINTUS.

DE FINIS ASSECUTIONE ET AMISSIONE.

409. *Finis consecutio vel amissio annexa ordinis observationi.*

SICUT res naturales ordini divinæ providentiæ subduntur, ita et actus humani. Utrobique autem convenit debitum ordinem servari vel etiam prætermitti; hoc tamen interest quod observatio et transgressio debiti ordinis est in potestate humanæ voluntatis constituta, non autem in potestate naturalium rerum est quod a debito ordine deficiant, vel ipsum sequantur. Oportet autem effectus causis per convenientiam respondere. Sicut igitur res naturales, cum in eis debitus ordo naturalium principiorum et actionum servatur, sequitur ex necessitate naturæ conservatio et bonum in ipsis, corruptio autem et malum cum a debito et naturali ordine receditur; ita etiam in rebus humanis oportet, quod, cum homo voluntarie servat ordinem legis divinitus impositæ, consequatur bonum, non velut ex necessitate, sed ex dispensatione gubernantis, quod est præmiari, et e converso malum, cum ordo legis fuerit prætermissus, et hoc est puniri [1] ».

410. *In finis assecutione, vita æterna, hominis perfectio ac beatitudo.*

ASSECUTIONE *finis ultimi, quæ vita æterna est, evadit homo supernaturaliter perfectus: accipit enim lumen gloriæ, quo Deiformis effectus, summum suum bonum adæquate possidet suæque destinationi plene respondet* [2]. Illa autem boni possessio, et hæc destinationis adimpletio habentur sublimissimis animæ operationibus, nempe Dei, qui ipsum verum et bonum est, visione intuitiva et amore; hujusmodi enim operationibus et Dei glorificatio et hominis beatitudo continentur.

Rem more suo lucidissime exponit Lessius: « Inter omnes potentias vitales præstantissima est intellectiva, qua nulla eminentior potest vel animo concipi: per hanc enim natura rationalis, verbi gratia anima nostra, non solum omnium rerum vivas formas et imagines in se concipit, sed etiam est capax Divinitatis: nam lumine gloriæ illustrata et adjuta, format in se vivam imaginem Divinitatis, fitque Deo similis eminen-

1. S. Thomas, *Cont. gent.* III, 140.
2. Cfr. supra, n. 4 et seqq.

tissimo modo possibili: insuper per eamdem formaliter transit et penetrat in Deum, et Deus in ipsa novo modo existit, et se ipsi cum omnibus suis bonis communicat, ut omnium dulcedine et pulchritudine perfruatur. Hoc totum fit vi visionis beatificæ. Potentiæ intellectivæ velut socia et suppar accedit voluntas, qua anima toto impetu fertur in bonum intellectu conceptum, ut illi novo modo se uniat, nempe per amorem, et in illud veluti transformetur.

« Per has duas potentias anima nostra duplici modo, eoque eminentissimo, intrat in Divinitatem, et Divinitas in illam, fitque mutua veluti penetratio et intima unio vitalis inter animam et Deum. Unde ex hac unione mutuoque contactu nascitur in anima ineffabilis quidam dulcedinis sensus seu delectatio, qua infinitam Dei dulcedinem vitaliter conjunctam veluti degustat. Sicut enim cum objectum conveniens naturæ, sensu percipitur, nascitur statim vitalis quædam suavitas in anima ex conjunctione vitali objecti, quæ suavitas delectatio vocatur; ita cum summum illud objectum delectabile perfectissimo modo percipitur intellectu, et simul amatur, ex illa præsentia et conjunctione vitali perfectissima nascitur vitalis quædam suavitas summa et eminentissima, quæ gaudium dicitur et delectatio.

« Ex his patet, naturam rationalem multo sublimiori modo ad gloriam Dei ordinari quam res ceteras. Primo, quia per suos actus ita tendit in Deum, ut ipsum immediate attingat, eique vitaliter uniatur, et particeps Divinitatis evadat. Secundo, quia repræsentatio divinarum perfectionum, quæ fit per illos actus, longe est excellentior quam repræsentatio objectiva de qua supra dictum est. Illa enim est vitalis et formalis quæ per se sentitur; hæc non vitalis, nec per se sensibilis, sed objectiva quasi imaginis mortuæ. Illa naturam rationalem efficit beatam; hæc nihil novi naturæ confert, cum in ipsa naturæ entitate consistat. In illa relucet ipsa Divinitas perfecte prout est in seipsa, quia per illam clare, et ut est in seipsa, repræsentatur menti, et ab ea percipitur et sentitur, quod in nulla imagine objectiva fieri potest: quia impossibile est, ut aliquid objective repræsentet essentiam divinam, ut communiter theologi docent. Unde merito in tribus illis actibus suprema Dei gloria extrinseca constituitur.

« Petes : Quo modo gloria Dei in amore et gaudio constituitur, cum hæc non habeant vim repræsentandi ; ac proinde in illis non reluceant divinæ perfectiones ? Respondetur, amorem et gaudium beatificum beatorum maxime ad gloriam Dei pertinere, quia continent vitalem eminentissimam commendationem et laudem Divinitatis. Deus enim non potest magis laudari et commendari a beatis quam per summum amorem et per summum gaudium : nam per amorem æstimatur ab ipsis ut summum bonum, et omnibus præfertur, et omnia ad ipsum ordinantur : idem fit per summum de ipso gaudium. Unde hi actus natura sua repræsentant divinam excellentiam et bonitatem, ut est in seipsa ; non ut effectus ipsius, sicut aliæ res creatæ, sed ut actus vitales repræsentant conditionem objectorum in quæ tendunt, a quibus speciem suam accipiunt.

« Porro, sicut in his tribus actibus summa Dei gloria, quam ipse potissimum in omnibus suis operibus intendit, sita est ; ita in iisdem situm etiam est summum hominis et angeli bonum, et formalis beatitudo, nam per hos actus omnes beati spiritus supra se infinite elevati Deoque uniti, fiunt deiformes summa et eminentissima cum Deo similitudine, qua nulla major animo concipi potest. Unde instar cujusdam divinitatis in omnem æternitatem fulgebunt, tanquam filii gloriæ et claritatis divinæ : per eosdem actus omnes se in immensum expandent, ut tanto bono, quantum fas est, se exæquent et coextendant, ut totum capere ac comprehendere possint. Non hærebunt exterius quasi in superficie, sed omnes ejus profundum ingredientur, et intrabunt *in gaudium Domini sui* (Matth. 25), alii plus, alii minus, pro magnitudine luminis gloriæ, quod cuique communicabitur : cui profundo immersi, seipsos et omnia creata amittent : quia omnia alia bona et gaudia ad hoc pelagus bonorum et gaudiorum instar nihili videbuntur. Nulla ipsis in hoc profundo caligo, nulla obscuritas, (sicut nobis in hac vita Divinitas in caligine moratur) ; sed lux et serenitas immensa, quamvis eam plene comprehendere nequeant.

« Ibi illis erit æterna mansio et tranquilla securitas absque timore excidendi. Ibi cœlum cœlorum, cujus comparatione omne creatum terra est. Ibi omnium desideriorum impletio, et omnium desiderabilium possessio ac fruitio. Nihil ibi restabit amplius quærendum vel desiderandum : quia omnes

in Deo omne bonum firmiter possidebunt, et suavissime perfruentur. Ibi totum munus Sanctorum erit contemplari infinitam Dei pulchritudinem, amare infinitam bonitatem, gustare infinitam dulcedinem, et torrente voluptatis ejus impleri, ineffabili gaudio de infinita ejus gloria et de omnibus bonis ejus et suis exultare. Hinc perpetua laus, et benedictio, et gratiarum actio. Hoc modo omnes beati in Deo tamquam ultimo fine, omnium votorum suorum compotes, nihil ulterius desiderantes requiescent.

« Hac ratione ipse erit terminus omnium motuum et ministeriorum, quibus natura rationalis ab initio mundi usque in finem ad salutem dirigitur, qui omnes illo obtento cessabunt; ut sunt motus cœlorum, vicissitudines temporum, series generationum, ortus et interitus rerum, omnes elementorum mutationes, omnis sacra et politica gubernatio, omnia imperia et regna, omnia hominum studia et labores, omnis angelica cura et administratio, omnis diabolica tentatio et infestatio, denique etiam ipsius Christi Domini providentia et gubernatio, qua nunc Ecclesiam regit, ut ad salutem perducat : suscepit enim ipse regendam Ecclesiam a Patre donec omnes inimici ejus subjiciantur sub pedibus ejus, ut insinuat Apostolus 1 Cor. 15, nempe usque ad extremum judicii diem, quando omnis potestas diabolica abolebitur, et ultimus Christi inimicus, mors, per resurrectionem gloriosam destruetur.

« Tunc Dominus *tradet regnum,* nempe Ecclesiam Sanctorum, quam ipse ad salutem adduxit *Deo et Patri,* inquit Apostolus, nempe ut Divinitas in omnibus regnet, et omnes ipsi Divinitati sublissimo modo serviant, cum nihil aliud in omnem æternitatem agendum supersit. Consistet autem ista servitus in contemplatione, amore, et gaudio, et aliis actibus, qui ex his sequentur : per hos enim maxime Deus honorabitur et glorificabitur a Sanctis : et per eosdem, (si considerentur ut a Deo per lumen gloriæ et charitatis donum proveniunt), Deus in ipsis regnabit.

« *Tunc et ipse filius,* (ut idem Apostolus ait) *subjectus erit ei qui subjecit ipsi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Subjectus erit,* nimirum secundum humanitatem. Modo non ita apparet subjectus Patri, quia occupatur in regenda Ecclesia : tunc vero perspicue apparebit, quia, cum Patri regnum tradiderit, com-

pletum erit opus salutis nostræ, quod ipsi commissum erat ; unde nihil aliud supererit, quam ut ipse quoque se totum cum omnibus electis, nempe caput cum corpore, Divinitatis obsequio et gloriæ per contemplationem, amorem, gaudium, et æternam benedictionem, laudem, et gratiarum actionem impendat. *Sic Deus erit omnia in omnibus ;* quia sola Divinitas (Pater, Filius, et Spiritus) hoc eminentissimo modo in omnibus regnabit et dominabitur, omnium corda et vires animæ plenissime possidens; sola in omnibus omnium votorum et desideriorum completio: sola omnium lux, omnium amor, omnium gaudium, omnium gloria, omnium opulentia, omnium vita, omnium beatitas: sola ita fulgebit et vigebit, et eminebit in omnibus, ut præter ipsam nihil esse videatur; sicut ignis in ferro candente ita eminet, ut præter ignem nihil appareat. Hoc erit regnum futuri sæculi: hoc modo omnes justi erunt participes Divinitatis, et in ejus beatissima fruitione conquiescent. Hoc modo Deus erit ultimus finis, et terminus, et requies Sanctorum » (1).

411. *In finis amissione mors æterna, hominis corruptio et infelicitas.*

E CONTRA *finis ultimi amissione, quæ est mors æterna, homo undequaque corrumpitur: privatur enim omni dono cœlesti, a summo bono suo absolute separatur, a destinatione sua decidit, insuper et pœnis a justo judice subjicitur.* Sane, ut docet Angelicus, qui contra Deum peccant, « non solum puniendi sunt per hoc quod a beatitudine perpetuo excludantur, sed etiam per experimentum alicujus nocivi. Pœna enim debet proportionaliter culpæ respondere... In culpa autem non solum avertitur mens ab ultimo fine, sed etiam indebite convertitur in alia, quasi in fines. Non solum ergo puniendus est qui peccat, per hoc quod excludatur a fine, sed etiam per hoc quod ex aliis rebus sentiat nocumentum. Amplius, pœnæ inferuntur pro culpis, ut timore pœnarum homines a peccatis retrahantur... Nullus autem timet amittere id quod non desiderat adipisci; qui ergo habent voluntatem aversam ab ultimo fine non timent excludi ab illo. Non ergo per solam exclusionem ab ultimo fine a peccando revocarentur. Oportet igitur peccantibus aliam pœnam adhiberi, quam timeant peccantes. Item, si quis eo quod est ad finem

1. Lessius, *De perf. div.*, lib. XIV, c. 5.

inordinate utitur, non solum fine privatur, sed etiam aliud nocumentum incurrit, ut patet in cibo inordinate assumpto, qui non solum sanitatem non affert, sed etiam ægritudinem inducit. Qui autem in rebus creatis finem constituit, eis non utitur secundum quod debet, referendo scilicet ad ultimum finem. Non ergo solum debet puniri per hoc quod beatitudine careat, sed etiam per hoc quod aliquod nocumentum ab ipsis experiatur. Præterea, sicut recte agentibus debentur bona, ita perverse agentibus debentur mala. Sed illi qui recte agunt in fine ab eis intento percipiunt perfectionem et gaudium. E contrario ergo debetur hæc pœna peccantibus ut ex his in quibus sibi finem constituunt, afflictionem accipiant et nocumentum. — Hinc est quod divina scriptura peccatoribus comminatur non solum exclusionem a gloria, sed etiam afflictionem ex aliis rebus; dicitur enim: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (Matth. xxv, 41); et: *Pluet super peccatores laqueos; ignis et sulphur et spiritus procellarum, pars calicis eorum* (Psalm. x, 7) (1). »

412. *Finis assecutio et amissio est sanctio legis moralis et ordinis consummatio.*

In *vita æterna itemque in æterna morte habetur sanctio sufficiens omnis legis moralis, simulque totius moralis ordinis consummatio.* Sane vitæ æternæ promissione et mortis comminatione Deus auctor et summus ordinator mundi, pro sua sapientia, ordini morali servando providet, cum subjectivum et efficax motivum proponat liberæ voluntati quo ad illius observationem inducatur. — Vitæ autem æternæ donatione et mortis inflictione, Deus, supremus judex, ordinem moralem ex ratione justitiæ complet et restituit, dum beatitudinem morali bonitati conjungit, malitiæ vero miseriam et infelicitatem. Ita S. Thomas: « Ad perfectam Dei bonitatem pertinet, quod nihil inordinatum in rebus relinquat; unde in rebus naturalibus videmus contingere quod omne malum sub ordine alicujus boni concluditur... Cum igitur actus humani divinæ providentiæ subdantur, sicut et res naturales, oportet malum quod accidit in humanis actibus sub ordine alicujus boni concludi. Hoc autem convenientissime fit per hoc quod peccata puniuntur; sic

1. S. Thomas, *Cont. gent.* III, 145. Mala quæ secum affert æterna mors describit Lessius, *De perf. div.*, lib. XIII, c. 29.

enim sub ordine justitiæ, quæ ad æqualitatem reducit, comprehenduntur ea quæ debitam quantitatem excedunt. Excedit autem homo debitum suæ quantitatis gradum, dum voluntatem suam divinæ voluntati præfert, satisfaciendo ei contra ordinem Dei ; quæ quidem inæqualitas tollitur, dum contra voluntatem suam homo aliquid pati cogitur secundum ordinationem. *Oportet igitur quod peccata humana puniantur divinitus, et eadem ratione bona facta remunerationem accipiant* (1). »

1. S. Thomas, *Cont. gent.* III, 140.

FINIS.

Index Tractatuum Partium, Librorum et Sectionum.

INTRODUCTIO IN THEOLOGIAM MORALEM.

PROŒMIUM. 1

PARS PRIMA.

DE THEOLOGIÆ MORALIS NATURA. 4

CAPUT I. — De theologiæ moralis notione 4
Articulus I. — De vocabulorum significatione 4
Articulus II. — De scientia morali naturali 6
Articulus III. — De scientia morali supernaturali . . . 8
APPENDIX. 12
CAPUT II. — De theologiæ moralis partitione 14

PARS SECUNDA.

DE STUDIO THEOLOGIÆ MORALIS. 17

Sectio I. — De theologiæ moralis conditionibus. 17

Sectio II. — De fontibus theologiæ moralis. 22

CAPUT I. — De usu rationis in theologia morali 23
CAPUT II. — De usu revelationis in theologia morali 29
Articulus I. — De Scripturarum usu in theologia morali . . 29
§ I. — De usu Scripturarum Veteris Testamenti . . 30
§ II. — De usu Scripturarum Novi Testamenti . . 33
Articulus II. — De usu Traditionis in theologia morali . . 35
§ I. — De scriptis Doctorum 36
I. — De scriptis Patrum 38
II. — De scriptis Theologorum 43
APPENDIX. — De auctoritate S. Alphonsi in theologia morali . 46
§ II. — De scriptis Jurisperitorum. 51
§ III. — De scriptis Liturgistarum. 53
Articulus III. — De usu magisterii authentici in theologia morali . 53
§ I. — De actis magisterii authentici ordinarii adæquati 53
I. — De actis Summorum Pontificum. . . . 54
II. — De actis Conciliorum generalium . . . 59
§ II. — De actis magisterii authentici ordinarii inadæquati 60
I. — De actis Episcoporum 60
II. — De actis Conciliorum particularium . . . 61
§ III. — De actis magisterii authentici delegati . . 63
De actis Pontificiarum Congregationum . . 63

PARS TERTIA.

DE HISTORIA THEOLOGIÆ MORALIS. 71

CAPUT I. — De scientia morali Patrum ætate 72
Articulus I. — De scientia morali in prima Patrum epocha. . 72
Articulus II. — De scientia morali in secunda Patrum epocha . 75
Articulus III. — De scientia morali in tertia Patrum epocha. . 81

Caput II. — De scientia morali Theologorum ætate 92
Articulus I. — De scientia morali in prima Theologorum epocha 92
Articulus II. — De scientia morali in secunda Theologorum epocha 111
§ I. — De prima periodo (1517-1660) 111
§ II. — De secunda periodo (1660-1830) 129
Articulus III. — De scientia morali in novissima Theologorum epocha 154

THEOLOGIA MORALIS FUNDAMENTALIS.

PROŒMIUM. 169

TRACTATUS PRIMUS.

DE ULTIMO HOMINIS FINE. 172

Caput I. — De ultimo hominis fine externo. 173
Caput II. — De ultimo hominis fine interno. 178
Caput III. — De conjunctione finis ultimi externi et interni . . . 179
Caput IV. — De fine ultimo externo et interno in ordine ad finem præsentem et futurum 181
Caput V. — De fine ultimo naturali et supernaturali 183

TRACTATUS SECUNDUS.

DE MEDIIS AD FINEM. 185

Caput I. — De natura et gratia. 185
Caput II. — De ratione et fide 192
Caput III. — De voluntate et auxiliis 194
Caput IV. — De Christo et Sacramentis 197
Caput V. — De societate religiosa et civili 201
A. Idea societatis ecclesiasticæ. 203
B. Idea societatis civilis 205
C. Comparatio utriusque societatis 213

TRACTATUS TERTIUS.

DE REGULIS IN FINEM. 216

PARS PRIMA.

DE LEGE. 217

LIBER PRIMUS.

De notione et speciebus legis moralis. 217

LIBER SECUNDUS.

De lege æterna. 220

Caput I. — De conceptu legis æternæ 220
Caput II. — De realitate legis æternæ. 222
Caput III. — De subjecto legis æternæ. 222
Caput IV. — De relatione cæterarum legum ad legem æternam . . 223

LIBER TERTIUS.

De lege Dei naturali. 224

CAPUT I. — De conceptu legis naturalis 224
CAPUT II. — De reali existentia legis naturalis 229
CAPUT III. — De dictaminibus legis naturalis 233
CAPUT IV. — De proprietatibus legis naturalis 236
CAPUT V. — De promulgatione, interpretatione, cognitione legis naturalis 241
CAPUT VI. — De legis naturalis charactere sociali et politico . . . 248
CAPUT VII. — De sanctione legis naturalis 250

LIBER QUARTUS.

De lege Dei supernaturali. 251

CAPUT I. — De existentia legis supernaturalis 252
CAPUT II. — De indole legis supernaturalis 254
CAPUT III. — De præceptis legis supernaturalis 258
CAPUT IV. — De consiliis evangelicis 263
CAPUT V. — De proprietatibus legis supernaturalis 269
CAPUT VI. — De promulgatione et cognitione legis supernaturalis . . 272

LIBER QUINTUS.

De lege domestica. 276

CAPUT I. — De elementis societatis domesticæ 276
CAPUT II. — De auctoritate in societate domestica. 280
CAPUT III. — De ordinationibus societatis domesticæ 282

LIBER SEXTUS.

De lege ecclesiastica. 283

Sectio I. — De causa legis ecclesiasticæ. 284

CAPUT I. — De causa efficiente legis ecclesiasticæ 284
CAPUT II. — De causa materiali legis ecclesiasticæ 290
CAPUT III. De causa formali legis ecclesiasticæ 301
Articulus I. — De efformatione legis ecclesiasticæ . . . 301
Articulus II. — De promulgatione legis ecclesiasticæ . . . 307
Articulus III. — De acceptatione legis ecclesiasticæ . . . 315
Articulus IV. — De interpretatione legis ecclesiasticæ. . . 319
§ I. — De interpretatione authentica 319
§ II. — De interpretatione judiciali 324
§ III. — De interpretatione usuali 324
§ IV. — De interpretatione doctrinali 325

Sectio II. — De vi obligatoria legis ecclesiasticæ. 330

CAPUT I. — De indole obligationis legis ecclesiasticæ 330
CAPUT II. — De objecto obligationis legis ecclesiasticæ. 338
Articulus I. — De obligatione legis ecclesiasticæ præcipientis et prohibentis 338
Articulus II. — De obligatione legis ecclesiasticæ permittentis . 341
Articulus III. — De obligatione legis ecclesiasticæ punientis. . 349
Articulus IV. — De obligatione legis ecclesiasticæ irritantis. . 360
CAPUT III. — De subjecto obligationis legis ecclesiasticæ . . . 367

Articulus I. — De subjecto obligationis in genere . . . 367
Articulus II. — De subjecto obligationis in specie . . . 373
CAPUT IV. — De limitibus obligationis legis ecclesiasticæ . . . 381
Articulus I. — De legis deobligatione ob ignorantiam . . 381
Articulus II. — De legis deobligatione ob impotentiam . . 386
Articulus III. — De legis deobligatione ob facti præsumpti defectum 395
Articulus IV. — De legis deobligatione ob dispensationem . . 397
§ I. — De auctore dispensationis 400
§ II. — De subjecto dispensationis. 407
§ III. — De conditionibus dispensationis. . . . 409
§ IV. — De vitiis dispensationis 416
§ V. — De effectu dispensationis 421

Sectio III. — De cessatione legis ecclesiasticæ. 424

CAPUT I. — De mutabilitate legis ecclesiasticæ 425
CAPUT II. — De modo quo lex ecclesiastica mutatur 429
CAPUT III. — De via qua mutatio legis ecclesiasticæ efficitur . . . 430
Articulus I. — De mutatione legis ecclesiasticæ per materiæ et finis desitionem 431
Articulus II. — De mutatione legis ecclesiasticæ per revocationem 432
Articulus III. — De mutatione legis ecclesiasticæ per desuetudinem 435

LIBER SEPTIMUS.

De lege civili. 440

Sectio I. — De causa legis civilis. 441

CAPUT I. — De causa efficiente legis civilis. 441
CAPUT II. — De causa materiali legis civilis. 445
CAPUT III. — De causa formali legis civilis 450

Sectio II. — De vi obligatoria legis civilis. 453

CAPUT I. — De indole obligationis legis civilis 454
CAPUT II. — De objecto obligationis legis civilis 456
Articulus I. — De obligatione legis civilis præcipientis et prohibentis. 456
Articulus II. — De obligatione legis civilis permittentis . . 463
Articulus III. — De obligatione legis civilis punientes. . . 467
Articulus IV. — De obligatione legis civilis irritantis . . . 470
CAPUT III. — De subjecto obligationis legis civilis 476
APPENDIX. — De liberalismi oppositione ad moralem obligationem 483

PARS SECUNDA.

DE CONSCIENTIA. 493

Sectio I. — De conscientiæ definitione et speciebus et vi obligatoria conscientiæ. 493

Sectio II. — De notionibus generalibus. 499

CAPUT I. — De objecti cognitione 499
CAPUT II. — De objecti ignorantia 503
CAPUT III. — De objecti apprehensione conjecturali 504

Sectio III. — De qualitatibus rectæ conscientiæ. 513

CAPUT I. — De conscientiæ certitudine 514
CAPUT II. — De conscientiæ veritate 517

Sectio IV. — De efformatione conscientiæ rectæ 523

CAPUT I. — De conscientiæ certitudine obtenta per solutionem dubii speculativi 530
Articulus I. — De solutione speculativi dubii juris . . . 530
Articulus II. — De solutione speculativi dubii facti . . . 535
CAPUT II. — De conscientiæ certitudine obtenta per solutionem dubii practici 543
Articulus I. — De varia ratione solvendi dubium practicum . 544
Articulus II. — De legitima ratione solvendi dubium practicum . 549
APPENDIX. — De morali systemate S. Alphonsi . . . 597

TRACTATUS QUARTUS.

DE ACTIBUS IN FINEM. 613

Sectio I. — De actu libero 613

CAPUT I. — De notione actus liberi 613
CAPUT II. — De actus liberi speciebus 619
CAPUT III. — De actus liberi impedimentis 628
Articulus I. — De ignorantia 629
Articulus II. — De passionibus seu de concupiscentia. . . 632
Articulus III. — De animi affectionibus, præsertim de metu. . 636
Articulus IV. — De violentia 639

Sectio II. — De actu morali. 643

CAPUT I. — De principiis moralitatis 649
Articulus I. — De moralitate ab objecto derivata . . . 649
Articulus II. — De moralitate a fine derivata 654
Articulus III. — De moralitate a circumstantiis derivata . . 665
APPENDIX. — De moralitate ab effectu derivata . . . 672
CAPUT II. — De subjecto moralitatis 675
Articulus I. — De moralitate actus 675
Articulus II. — De moralitate effectus 684
CAPUT III. — De speciebus moralitatis. 686
Articulus I. — De distinctione specifica actuum bonorum. . 687
Articulus II. — De distinctione specifica actuum malorum . . 692

Sectio III. — De actu salutari. 698

CAPUT I. — De actibus fini consequendo utilibus. 699
Articulus I. — De conditionibus requisitis ut actus ad finem valeat 699
Articulus II. — De varia ratione qua actus ad finem valeat. . 701
CAPUT II. — De actibus fini consequendo obstantibus 703

TRACTATUS QUINTUS.

DE FINIS ASSECUTIONE ET AMISSIONE. 712

Index analyticus.

INTRODUCTIO IN THEOLOGIAM MORALEM.

PROŒMIUM. 1

Introductiones generales in scientias sacras. 1 — Introductiones speciales in theologiam dogmaticam, 2 — in theologiam moralem. 3.

PARS PRIMA.

DE THEOLOGIÆ MORALIS NATURA. 4

CAPUT I. — DE THEOLOGIÆ MORALIS NOTIONE. 4

Articulus I. — De vocabulorum significatione. 4

Mos ; 4 — morale ; 5 — moralitas ; 6 — ordo moralis. 7.

Articulus II. — De scientia morali naturali. 6

Scientia moralis, 8 — præceptiva. 9 — Etsi genere una, tamen specie multiplex. 10 — Mutua partium relatio. 11 — Dependentia scientiæ moralis a scientiis realibus. 12

Articulus III. — De scientia morali supernaturali. 8

Theologiæ moralis notio ; 13 — definitio. 14 — Scientia normativa ; objectum ejus speciale ; principium ; differentia a dogmatica. 15 — Est scientia specie multiplex. 16 — Dependentia a scientiis theoreticis. 17 — Moralis independens. 18 — Relatio inter philosophiam moralem et theologiam moralem. 19. — Locus theologiæ moralis inter scientias practicas. 20.

Appendix. — Multiplex notio. Idem fundamentum. Multiplex ordo. 12

Multiplex relatio. 21

CAPUT II. — DE THEOLOGIÆ MORALIS PARTITIONE. 14

Theologia moralis unum corpus est, tribus membris constans : 22 — theologia præliminari ; 23 — theologia virtutum et præceptorum ; 24 — theologia sacramentorum. 25.

PARS SECUNDA.

DE STUDIO THEOLOGIÆ MORALIS. 17

Sectio I. — De theologiæ moralis conditionibus. 17

Animi dispositiones. 27 — Præparatio intellectus. 28 — Multiplex methodus. 29 — Uniuscujusque methodi merita et incommoda. 30 — Theologia practica cum theoretica intime unita. 31 — Speciales hodiernæ conditiones moralis tractationis. 32 — 33 Analysis necessaria. 34 — Stylus. 35.

Sectio II. — De fontibus theologiæ moralis. 22

Fontes generales Theologiæ duo : recta ratio et revelatio. 36.

CAPUT. I. — DE USU RATIONIS IN THEOLOGIA MORALI. 23

Ratio consideratur ut distincta a revelatione, non tamen separata. 37 — Præcipuæ veritates morales ordinis naturalis in revelatione continentur. 38 — Disputatur an omnes sint revelatæ. 39 — An omnes pertineant ad dominium theologiæ moralis. 40 — An humana ratio sit fons theolo-

giæ secundarius et dependens, 41 — præsertim theologiæ moralis. 42 — Usus rationis individualis et socialis. 43 — Ratio individualis communis 44 — et exculta. 45 — Ratio socialis expressa in moribus populorum, 46 — in legibus gentium, 47 — in nationum religionibus. 48. — Scientiæ moralis progressus et regressus. 49 — Causa progressus. 50.

CAPUT II. — DE USU REVELATIONIS IN THEOLOGIA MORALI. 29

Scriptura, Traditio, Ecclesiæ propositio. 51.

Articulus I. — De Scripturarum usu in theologia morali. 29

Præcepta, exempla. 52

§ I. — De usu Scripturarum Veteris Testamenti.

Revelationis incrementum successivum. 53 — Veteris Testamenti indoles. 54 — Distinctio librorum 55 — Usus librorum legalium, sapientialium et propheticorum, historicorum. 56.

§ II. — De usu Scripturarum Novi Testamenti.

Novi Testamenti indoles. 57 — Revelatio successive absoluta. 58 — Non integre contenta in libris inspiratis sed integre commissa Ecclesiæ. 59 — Difficultas determinandi naturam præcepti vel consilii 60 — Usus librorum Novi Testamenti. 61. — Principia ad difficultates solvendas. 62.

Articulus II. — De usu Traditionis in theologia morali. 35

Notio Traditionis. Diversa ejus nomina. Triplex via transmissionis. 63.

§ I. — De scriptis Doctorum.

Doctorum notio, 64 — labor, 65 — diversa auctoritas, 66 — approbatio eorum sub varia forma et vario gradu. 67 — Ecclesiæ Doctores, Patres, Scriptores, Theologi. 68-69.

I. — De Scriptus Patrum.

Doctrina Patrum in ipsis fontibus quærenda, 70 — prudenter determinanda, integre sumenda, 71 — in omnium consensu spectanda. 72 — Patrum auctoritas : quando unanimes sunt ; quando plures contra paucos stant ; 73 — quando dissentiunt ; quando solitarii sunt. 74 — Nullius auctoritas irrefragabilis. 75 — Patrum notitia theologo necessaria. 76.

II. — De scriptis Theologorum.

Theologorum auctoritas varia : quinam dicantur probabiles, omni exceptione majores, classici. Spectantur singulariter, collegialiter, collective. Quomodo referendi. 77 — Auctoritas Theologorum quando sunt unanimes ; quando communiter aliquid docent ; quando dissentiunt. Nullius auctoritas irrefragabilis. 78 — S. Thomas. 79.

Appendix. — De auctoritate S. Alphonsi. 46

S. Alphonsi auctoritas : ex decreto S. R. C. : nihil censura dignum ; 80 — ex decreto S. Pœnitentiariæ : Professor theologiæ et Confessarius sententias S. Alphonsi sequi possunt ; 81. — ex Congregationum responsis : Consulat S. Alphonsum ; 82 — ex actis beatificationis et doctoratus. 83-84 — Conclusio. 85.

§ II. — De scriptis Jurisperitorum.

Jurisperitorum usus 86 — in rebus dogmaticis, 87 — in præceptis, 88 — in rebus disciplinaribus. 89 — Specialis auctoritas. 90

§ III. — De scriptis Liturgistarum.

Liturgiæ usus in Theologia. 91.

Articulus III. — De usu magisterii authentici in theologia morali. 53

Magisterium authenticum distinctum a magisterio doctrinali. 92.

§ I — De actis magisterii authentici ordinarii adæquati. 93.

I. — De actis Summorum Pontificum.

Definitiones ex cathedra. Definitionum signa distinctiva ; et interpretatio. 94 — Auctoritativa propositio citra definitionem. 95 — Mitior ratio procedendi in documentis directis ad universos prælatos. 96 — Vel ad particularem Ecclesiam vel principem. 97 — Jussio vel prohibitio aliquid docendi. Librorum proscriptio, commendatio, communicatio. 98. — Leges disciplinares. 99 — Liturgia. 100 — Collectiones documentorum. 101.

II. — De actis Conciliorum generalium.

Capitula et canones in materia doctrinali ; 102 — decreta disciplinaria. 103. — Conciliorum collectiones generales. 104.

§ II. — De actis magisterii authentici ordinarii inadæquati.

A quonam exercetur. 105.

I. — De actis Episcoporum.

Triplex potestas Episcoporum. Cathechismi, Statuta, Ritualia. 106.

II. — De actis Conciliorum particularium

Distinctio conciliorum particularium. 107 — Conciliorum particularium auctoritas varia in materia doctrinali. 108 — Statuta disciplinaria. 109 — Collectiones præcipuæ. 110 — Collectiones quædam imperfectæ. 111.

§ III. — De actis magisterii authentici delegati.

Decretorum sacrarum congregationum vis et auctoritas ; 112. — in materia doctrinali. 113 — Responsa habenda ut oracula Pontificis. 114 — Usus responsorum in Theologia morali. 115 — Auctoritas in materia disciplinari ; 116 — in materia morali-liturgica. 117 — In generaliori gubernatione Ecclesiæ, 118 — Decretorum collectiones. 119 — Magisterium authenticum doctrinam proponit vel rejicit, simplici declaratione, vel adjecta qualificatione. 120 — Qualificatio categorica vel cumulativa. 121 — Illæ autem notæ propositionibus affinguntur prout jacent, vel in sensu auctoris, vel in sensu explicato. 122 — Tenenda propositio damnatæ contradictoria ; quomodo hæc formanda. 123.

PARS TERTIA.

DE HISTORIA THEOLOGIÆ MORALIS. 71

Theologia moralis historia differt ab historia morum et ab historia principiorum moralium. — Duplex theologiæ moralis ætas. 124.

CAPUT I. — DE SCIENTIA MORALI PATRUM ÆTATE. 72

Character generalis. Triplex epocha.

Articulus I. — De scientia morali in prima Patrum epocha. 72

Docetur theologia moralis, 125 — epistolis, 126 — homiliis, sermonibus, et commentariis ; 127 — tractatibus, 128 — libris polemicis adversus Judæos, Hæreticos, Ethnicos ; statutis et decretis, symbolis. 129.

Articulus II. — De scientia morali in secunda Patrum epocha. 75

Hæc epocha duos comprehendit periodos. 130. — Indoles hujus epochæ. 131 — Morales epistolæ, 132 — commentarii et homiliæ, 133 — sermones, catecheses, 134 — tractatus, 135 — apologiæ, 136 — canonum collectiones. 137 — Litteratura ascetica. 138 — Liturgiæ et Sacramentaria. 139 — Collectiones canonum et legum civilium. 140.

Articulus III. — De scientia morali in tertia Patrum epocha. 81

Theologiæ characteres per hanc epocham. 141 — Epistolæ morales, 142 — commentarii, 143 — sermones, 144 — sententiarum libri partem moralem habentes, 145 — tractatus generales de virtutibus et vitiis, 146 — opuscula de specialibus argumentis moralibus, 147 — tractatus de officiis clericorum et obligationibus principum, de utriusque potestatis relationibus ; 148 — libri polemici ; 149 — tractatus de Eucharistia, de cæteris sacramentis, de officiis ecclesiasticis ; 150 — collectiones decretorum, libri pœnitentiales. 151 — Conspectus generalis Patrum ætatis. 152.

CAPUT II. — DE SCIENTIA MORALI THEOLOGORUM ÆTATE. 92

Character generalis. 153.

Articulus I. — De scientia morali in prima Theologorum epocha. 92

Præparatio 154 — Duplex periodus : perfectionis et lapsus. 155 — Perfectionis causæ et scientiæ characteres in prima periodo. 156 — Lapsus causæ et scientiæ characteres in secunda periodo. 157 — Duplex schola : thomistica et scotistica, etiam in moralibus sibi invicem adversa. 158 — Commentarii in Magistrum. Quæstiones disputatæ et quodlibetales. Summæ theologicæ et theologiæ compendia. 159 — Tractatus de virtutibus et vitiis, de præceptis decalogi. 160 — Tractatus particulares, nominatim de justitia, de superstitione, de variis materiis, 161 — Expositio Eucharistiæ et sacrarum functionum. 162 — Summæ morales, 163 — confessionalia. 164 — Libri polemici de rebus politicis, de rebus ecclesiasticis, 165 — de rebus fidei et morum contra infideles et hæreticos, 166 — de rebus liturgicis et asceticis. 167 — Status juris canonici. 168 — Ecclesiæ decreta. 169.

Articulus II. — De scientia morali in secunda Theologorum epocha. 111

Duplex periodus seorsim describenda. 170.

§ I. — De prima periodo (1517-1660).

Summa scientiæ sacræ perfectio in prima periodo : perfectionis causæ et theologiæ characteres. 171 — S. Thomas communis ordinum religiosorum et academiarum magister. Scissio scholæ thomisticæ in duplicem partem. 172 — Commentarii in Magistrum ; commentarii stricte dicti in totam summam S. Thomæ ; opera generalia a summa S. Thomæ dependentia ; scripta in varias summæ partes morales. Scoti explicationes ; cursus theologici. 173 — Opera moralia polemica et positiva. 174. — Tractatus morales generales speculativi et practici. 175 — Tractatus speciales de theologia fundamentali ; de virtutibus theologicis, de virtutibus moralibus, religione, justitia, fortitudine, temperantia ; de obligationibus particularibus clericorum et principum. De sacramentis in genere, de eucharistia, pœnitentia, extrema unctione, ordine, matrimonio. 176 — Directoria confessariorum. Casus conscientiæ. 177 — Status asceticæ, liturgiæ et juris canonici. 178.

§ II. — De secunda periodo (1660-1830).

Causæ mutationis et perversionis in hac periodo. 179 — Generales theologiæ characteres. 180 — Specialis indoles theologiæ moralis. 181 — Commentarii in S. Thomam. Scripta in libros sententiarum Scoti et aliorum. Cursus, institutiones ad mentem S. Thomæ, Scoti, S. Bonaventuræ, S. Augustini. 182 — Opera polemica moralia adversus Protestantes, Jansenianos, Quietistas, Rationalistas. Scripta eruditorum ad moralem pertinentia. 183 — Tractatus morales Jesuitarum, Carmelitarum, Franciscanorum, Prædicatorum. S. Alphonsus. 184 — Generales

disputationes. Commentaria in propositiones damnatas. Controversiæ de probabilismo, de contritione et attritione, de absolutione danda vel neganda. 185 — Tractatus speciales de theologia fundamentali, de virtutibus theologicis, de virtutibus moralibus, religione, justitia, temperantia ; de variis hominum statibus, de clericis, principibus, magistratibus, militibus, politicis ; de relationibus utriusque potestatis; de sacramentis, baptismo, confirmatione, eucharistia, pœnitentia et indulgentiis, extrema unctione, matrimonio. 186 — Theologia practica pastoralis, ascetica. 187 — Status juris liturgici, naturalis et canonici. 188 — Conspectus generalis ætatis theologorum. 189.

Articulus III. — De scientia morali in novissima Theologorum epocha. 154

Novæ epochæ indicia; temporis necessitates. 190 — Quomodo his necessitatibus theologia respondeat. 191 — Tractatus generales. 192 — Tractatus speciales, de theologia fundamentali, de virtutibus theologicis, de virtutibus cardinalibus, de sacramentis. Theologia pastoralis, apologetica. 193 — Scientiæ affines; jus naturale, sociale, politico-ecclesiasticum, canonicum, liturgicum. 194 — Historiæ theologiæ litteratura. 195.

THEOLOGIA MORALIS FUNDAMENTALIS.

PROŒMIUM. 169

Theologiæ fundamentalis materia non sunt scientiæ supposita et præambula, sed ejus principia generalia. 1. — Comprehendit tractatus de fine assequendo, de mediis, regulis, actibus, de finis assecutione. Schema s. Thomæ. 2. — Ordinis moralis idea. 3.

TRACTATUS PRIMUS.

DE ULTIMO HOMINIS FINE. 172

Duplex problema originis et finis. Finis : finis operis, ordo ; finis operantis, bonum, beatitudo. 4.

CAPUT I. — DE ULTIMO HOMINIS FINE EXTERNO. 173

Homo factus est ad Deum glorificandum, 5 — objective, et formaliter; 6 — minime autem ad inserviendum aliis. 7 — Hinc hominis dignitas et jura, et monasticæ vocationis sublimitas. 8.

CAPUT II. — DE ULTIMO HOMINIS FINE INTERNO. 178

Bonum supremum ex tendentiis ordinatis dignoscitur : est solus Deus, cognitione et amore possidendus. 9.

CAPUT III. — DE CONJUNCTIONE FINIS ULTIMI EXTERNI ET INTERNI. 179

Gloria Dei et beatitudo hominis in una eademque re consistunt; tamen gloria Dei est finis primarius, beatitudo finis secundarius; 10 — gloria Dei norma princeps operationum, beatitudo norma subordinata et principium impulsivum. 11.

CAPUT IV. — DE FINE ULTIMO EXTERNO ET INTERNO IN ORDINE AD FINEM PRÆSENTEM ET FUTURUM. 181

Perfecta Dei glorificatio et completa beatitudo non sunt hujus vitæ : 12 — in altera locum habebunt per modum præmii. 13 — Præsentis vitæ beatitudo inchoata. 14 — Doctrina catholica juvat bonorum usum ordinatum. 15.

CAPUT V. — DE FINE ULTIMO NATURALI ET SUPERNATURALI. 183

Supernaturalis Dei Patris glorificatio et beatitudo filiorum: 16 — in præsenti vita per fidem, spem et charitatem, in altera per visionem, unionem et fruitionem. Doctrina de destinatione hominis vere christia et benefica est. 17.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE MEDIIS AD FINEM. 185

Aptitudo, facultatates, media quibus ad finem pervenire potest homo. 18.

CAPUT I. — DE NATURA ET GRATIA. 185

Ad finem naturalem aptus est homo: natura, 19 — facultatibus, 20 — habitibus intellectualibus et moralibus. 21 — Ad finem vero supernaturalem aptus fit: gratia sanctificante, 22 — virtutibus infusis, 23 — donis. 24.

CAPUT II. — DE RATIONE ET FIDE. 192

Ratione cognosci potest finis naturalis, 25 — non tamen nisi imperfecte. 26 — Finis vero supernaturalis non ratione, 27 — sed revelatione cognoscendus est. 28.

CAPUT III. — DE VOLUNTATE ET AUXILIIS. 194

Voluntas suis viribus tendere potest ad finem naturalem, 29 — non tamen sine gravi difficultate. 30 — Ad finem vero supernaturalem viribus propriis tendere non potest 31 — sed tantum cum auxilio divino. 32.

CAPUT IV. — DE CHRISTO ET SACRAMENTIS. 197

Supernaturalem vitam, virtutes et auxilia nobis communicat Christus, 33 — per sua sacramenta, 34 — quorum elementa 35 — et numerus aptissime determinata sunt. 36 — Præterea sacramentis recte ordinamur ad Deum colendum. 37.

CAPUT V. — DE SOCIETATE RELIGIOSA ET CIVILI. 201

Societatis notio, elementa, variæ species, vita. 38 — Homini natura sua sociali duæ paratæ societates principales, jure divino distinctæ. 39.

A. — Idea societatis ecclesiasticæ.

Ecclesia est societas proprie dicta, 40 — ab ipso Christo constituta, supernaturalis, universalis, perfecta, inæqualis. 41 — Est salutis medium generale. Societates religiosæ inferiores: diœceses et ordines regulares. 42 — Ecclesia in ordine etiam temporali maximas parit utilitates. 43.

B. — Idea societatis civilis.

A natura et a Deo auctore naturæ sunt : ipsa societas civilis in abstracto sumpta, socialis auctoritas, auctoritatis attributa essentialia. 44 — In concreto spectata societas civilis humana actione efformatur, eademque actione definitur societatis regimen, designatur auctoritatis subjectum, media gubernationis proponuntur. 45 — Quo sensu auctoritas dicatur a Deo, quo sensu a communitate. 46 — Mutationes in corpore sociali, forma regiminis, subjecto auctoritatis, modo gubernationis, quando legitimæ, quando illegitimæ. 47 — Societas civilis medium generale ad temporalem perfectionem. Societates inferiores. Superior societas internationalis. 48 — Finis ultimus societatis civilis. 49.

C. — Comparatio utriusque societatis.

Utriusque societatis respectiva dignitas et harmonica coordinatio. 50 —

Omnis societatis principium est conjugium, quod supernaturali auctoritati concreditum est. 51.

TRACTATUS TERTIUS.

DE REGULIS IN FINEM. 216

Creatura rationalis in finem movetur motione morali. Duplex regula : lex et conscientia. 52.

PARS PRIMA.

DE LEGE. 217

LIBER PRIMUS.

De notione et speciebus legis moralis. 217

Notio legis moralis, 53 — et obligationis, 54 — vix nota antiquis. 55 — Definitio legis a S. Thoma proposita : Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata. Definitio explicatione eget. 56 — Præcipui legis actus. 57 — Diversæ leges. 58.

LIBER SECUNDUS.

De lege æterna. 220

CAPUT I. — DE CONCEPTU LEGIS ÆTERNÆ. 220

Legis æternæ conceptus. 59 — Cur ratio divinæ sapientiæ lex æterna dicatur. 60 — Quomodo differt a divina idea et providentia. 61.

CAPUT II. — DE REALITATE LEGIS ÆTERNÆ. 222

Conceptus legis æternæ apud antiquos vagus, principaliter vel exclusive est christianus. 62.

CAPUT III. — DE SUBJECTO LEGIS ÆTERNÆ. 222

Legi æternæ non subjiciuntur divinæ operationes liberæ, creaturæ vita et ratione expertes ; subjiciuntur actiones rationalium creaturarum. 63.

CAPUT IV. — DE RELATIONE CÆTERARUM LEGUM AD LEGEM ÆTERNAM. 223

Cæteræ leges referuntur ad legem æternam. 64.

LIBER TERTIUS.

De lege Dei naturali. 224

CAPUT I. — DE CONCEPTU LEGIS NATURALIS. 224

Legis naturalis elementa : norma actiones discriminans tum proxima, nempe natura rationalis, tum remota, sc. essentia divina ; norma obligans, sc. voluntas divina ; norma denuntians, seu recta ratio. 65 — Lex naturalis non est sola voluntas Dei libera, neque lumen rationis aut dictamen rationis practicæ, neque imperativum categoricum voluntatis autonomæ. 66 — Differentiæ legis naturalis a lege æterna, synderesi et conscientia. 67.

CAPUT II. — DE REALI EXISTENTIA LEGIS NATURALIS. 229

Existentia legis naturalis probatur : intima experientia, consensu generis humani, sacra Scriptura, auctoritate SS. Patrum et Ecclesiæ, ratione. 68. — Lex moralis naturalis vix nota pluribus, imo non admissa a quibusdam. 69.

Caput III. — De dictaminibus legis naturalis. 233

Supremum legis naturalis principium. 70 — Dictamina particularia : immediata et mediata ; primaria et secundaria ; affirmativa, negativa, concessiva, irritantia ; pura et formalia ; perfectiva inclinationum secundum naturam substantiæ, secundum naturam animalis, secundum naturam hominis ; directiva actuum hominis quoad se, quoad proximum, quoad Deum. 71.

Caput IV. — De proprietatibus legis naturalis. 236

Lex naturalis est universalis 72 — et immutabilis, tum ab intrinseco, 73 — tum ab extrinseco. 74.

Caput V. — De promulgatione, interpretatione, cognitione legis naturalis. 241

Legis naturalis promulgatio per hoc quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam ; 75 — interpretatio doctrinalis, authentica, infallibilis ; 76 — divulgatio et cognitio. 77 — Cognitionis media. Ignorantia vario modo vincibilis et invincibilis. 78 — Legis naturalis prima principia nullo modo ignorari possunt ; dictamina immediata, non nisi vincibiliter ; conclusiones non solum vincibiliter sed etiam invincibiliter. Quorumdam doctrina ignorantiam juris naturalis invincibilem, non admittens : eorum argumenta, argumentorum inefficacia, gravissimæ rationes oppositæ. Sensus Ecclesiæ. Ignorantiæ invincibilis exempla. 79.

Caput VI. — De legis naturalis charactere sociali et politico. 248

Lege naturali regulatur activitas non solum individualis sed etiam socialis. 80 — Juris gentium notio : apud Romanos, Scholasticos, recentiores. 81.

Caput VII. — De sanctione legis naturalis. 250

Notio sanctionis. Varii modi observandi legem sub respectu sanctionis. 82 — Ex essentia rerum oritur legis naturalis sanctio, quæ varia distinguitur. Perfecta sanctione Deus communivit legem naturalem. 83.

LIBER QUARTUS.

De lege Dei supernaturali. 251

Lex Dei supernaturalis triplici nomine designatur.

Caput I. — De existentia legis supernaturalis. 252

Lex Dei supernaturalis primitiva revelatione accepta, per ministerium Moysis iterum promulgata, a Christo perfecta. 85 — Error Antinomistarum. 86.

Caput II. — De indole legis supernaturalis. 254

Lex divina est vere supernaturalis, 87 — interna, 88 — spiritualis, 89 — paterna et observatu facilis. 90.

Caput III. — De præceptis legis supernaturalis. 258

In lege supernaturali comprehenduntur ipsa præcepta naturalia, præcepta connaturalia, præcepta positiva. Lex supernaturalis quoad substantiam semper eadem : 91 — in Decalogo exprimitur ; 92 — reducitur ad præceptum amoris Dei et proximi. 93.

Caput IV. — De consiliis evangelicis. 263

Notio consilii et ejus differentia a lege. 94 — Consiliorum existentia

demonstratur: tum auctoritate Scripturæ, Patrum et Pontificum, tum ratione. Error Reformatorum et Rationalistarum. 95 — Consiliorum distinctio in universalia et particularia: universalia tria, particularia multa. Variæ hæreses. 96 — Comparatio consiliorum cum præceptis. 97.

Caput V. — De proprietatibus legis supernaturalis. 269

Lex supernaturalis universalis, 98 — immutabilis, tum ab intrinseco, 99 — tum ab extrinseco, 100 — indispensabilis. 101

Caput VI. — De promulgatione et cognitione legis supernaturalis. 272

Status quæstionis de promulgatione legis divinæ; variæ sententiæ; controversiæ momentum. 102 — Interpretatio. Cognitio necessaria; possibilis ignorantia invincibilis. 103.

LIBER QUINTUS.

De lege domestica. 276

Notio legis domesticæ. Vocatur præceptum.

Caput I. — De elementis societatis domesticæ. 276

Societas domestica: ejus fundamentum societas conjugalis, incrementum societas parentalis, complementum societas herilis, vel sub forma perfectiore famulatus, vel sub inferiori forma servitutis. 104.

Caput II. — De auctoritate in societate domestica.

Potestatis domesticæ indoles, origo, subjectum, objectum, extensio. 105.

Caput III. — De ordinationibus societatis domesticæ.

Domesticarum ordinationum vis obligatoria, 106 — directiva, permissiva, pœnalis, irritativa. 107.

LIBER SEXTUS.

De lege ecclesiastica. 283

Notio legis ecclesiasticæ.

Sectio I. — De causa legis ecclesiasticæ. 284

Triplex causa: efficiens, materialis, formalis.

Caput I. — De causa efficiente legis ecclesiasticæ. 284

Potestas legislativa in ordine ad finem supernaturalem Ecclesiæ concessa exclusive, et independenter: 108 — non residet in corpore fidelium, sed est penes Pastores, et quidem tota immediate a Christo communicatur vicario suo, a quo in episcopos derivatur. 109 — Possunt ergo leges ecclesiasticas ferre: summus Pontifex, Concillia generalia, Concillia nationalia et provincialia, Episcopi, Prælati regulares, Legati; non possunt rectores communitatum inferiorum, nec monialium superiorissæ. Ordinatio facta sine jurisdictione vim non habet nisi defectus suppleatur. 110.

Caput II. — De causa materiali legis ecclesiasticæ. 290

Legis ecclesiasticæ materia sunt res sacræ, fides, sacramenta, cultus, virtutes et peccata, personæ, bona. 111 — Leges fert Ecclesia præcipientes aut prohibentes quæ jam præcepta aut prohibita erant, determinantes quæ erant indeterminata, statuentes quæ hucusque libera erant, irritantes quæ valida. Non omnia mala prohiberi possunt, sed solum graviora, cætera permittuntur; non omnia bona possunt præcipi sed tantum utilia et non nimis difficilia, saltem absolute et ordinarie. 112. — In

specie potest Ecclesia statuere circa res externas, 113. — circa autus internos cum externis conjunctos, imo etiam circa actus mere internos, 114 — et aliquousque circa præterita. Legum civilium usus in causarum temporalium decisionibus. 115.

CAPUT III. — DE CAUSA FORMALI LEGIS ECCLESIASTICÆ. 301

Efformatio, promulgatio, acceptatio, interpretatio.

Articulus I. — De efformatione legis ecclesiasticæ. 301

Jus scriptum et consuetudinarium. 116 — Juris scripti conditiones. 117 — Usus. ex ipsius natuæ præscripto, jus operatur : requisitæ conditiones ex parte materiæ, communitatis, actuum, superioris. Advertenda. 118.

Articulus II. — De promulgatione legis ecclesiasticæ. 307

Modus promulgationis rerum natura indicatus in genere ; positive determinatus in specie pro legibus pontificiis, pro legibus episcopalibus. Falsa de legum pontificiarum promulgatione sententia. 119 — Promulgationis effectus ex rerum natura, ex positiva determinatione. 120 — Nota de promulgatione definitionum fidei et morum. 121.

Articulus III. — De acceptatione legis ecclesiasticæ. 315

Acceptatio approbationis et observationis. Nullimode necessaria acceptatio approbationis ex parte membrorum Ecclesiæ nec ex parte auctoritatis civilis. 122 — Necessaria acceptatio executionis ad vim legi conservandam. 123.

Articulus IV. — De interpretatione legis ecclesiasticæ. 319

Interpretationis notio et species. 124.

§ I. — De interpretatione authentica.

Legis interpres authenticus est ipse legislator. Munus interpretandi authentice delegabile est, et de facto a summis Pontificibus delegatur Cong. Cardinalium. 125 — Romanæ Congregationes vario gradu suo munere utuntur, adeoque non eadem est omnibus responsis auctoritas. 126 — Conditiones ad valorem decretorum requisitæ. 127.

§ II. — De interpretatione judiciali.

Judices authentice legem applicant ad facta et doctrinaliter ejus sensum indicant. 128.

§ III. — De interpretatione usuali.

Usus adjuvat ad legem doctrinaliter interpretandam, eamque ipse authentice interpretatur. 129.

§ IV. — De interpretatione doctrinali.

Interpretationis doctrinalis necessitas et pericula ; 130 — ejus elementa, 131 — et regulæ 132.

Sectio II. — De vi obligatoria legis ecclesiasticæ. 330

Agendum de indole, objecto, subjecto, limitibus obligationis.

CAPUT I. — DE INDOLE OBLIGATIONIS LEGIS ECCLESIASTIGÆ. 330

Obligat in conscientia lex ecclesiastica qua talis, 133 — etiam sub gravi. 134 — Gravitas obligationis legalis pendet essentialiter a gravitate materiæ, et aliquousque etiam ab intentione superioris. 135 — Signa quibus dignoscitur. Doctrinæ expositæ momentum. 136.

CAPUT II. — DE OBJECTO OBLIGATIONIS LEGIS ECCLESIASTICÆ 338

Articulus I. — De obligatione legis ecclesiasticæ præcipientis et prohibentis. 338

Lex præcipiens obligat ad actionem humanam, determinatæ speciei

moralis, honestam, debito tempore peragendam : non obligat ad obedientiam formalem, nec ad meritum. 137 — Lex prohibens mere obligat ad actus omissionem. 138 — Lex præstationes exigens non obligat nisi ad solutionem realem. 139.

Articulus II. — De obligatione legis ecclesiasticæ permittentis. 341

Lex permissiva quosvis obligat ad non violandam libertatem illius cui permissio datur. 140 — Similiter lex jurium concessiva obligat ad non turbandum jurium possessionem et exercitium. Privilegium 141 — late sumptum 142 — et stricte dictum. Privilegii stricte dicti ratio, concessio, acquisitio, possessio, vis, obligatio, interpretatio, duratio. 143.

Articulus III. — De obligatione legis ecclesiasticæ punientis. 349

Pœnæ notio, ratio, natura, causa, finis, necessitas, conditiones. Definitio legis pœnalis : legis mere pœnalis indoles et possibilitas. 144 — Potest Ecclesia tueri observationem legum propriarum aliarumque divinarum et humanarum pœnis spiritualibus et temporalibus, sive realibus sive corporalibus etiam gravissimis ; item pœnis ipso facto incurrendis. 145 — Quo modo reus adstringatur lege statuente pœnam negativam, privativam, positivam ; quandonam adstringatur ipso facto, post sententiam declaratoriam, post sententiam condemnatoriam. Promissio et conventio pœnalis. 146.

Articulus IV. — De obligatione legis ecclesiasticæ irritantis. 360

Irritationis notio. Potestas irritandi. Ecclesiæ competens. 147 — Duplex modus irritandi, personas inhabilitando, actuum formas præscribendo. Quadruplex irritationis gradus : absque ulla sententia, post sententiam declaratoriam, post sententiam annulatoriam, pro foro externo. — Causa irritationis : bonum commune, bonum tertii, bonum ipsius agentis, crimen. Comparatio irritationis cum prohibitione et punitione. 148 — Lex irritans obligat ad ea omnia quæ ex irritatione intrinsece sequuntur, nisi effectus ejus impediatur. Lex actui non assistens. 149 — Obligatio legis dotes requirentis ad officia et beneficia. 150.

CAPUT III. — DE SUBJECTO OBLIGATIONIS LEGIS ECCLESIASTICÆ. 367

Articulus I. — De subjecto obligationis in genere. 367

Legibus Ecclesiæ non tenentur infideles, sed soli baptizati, 151 — usu rationis habitualiter præditi, 152 — licet per accidens eo destituti ; etiam pueri, 153 — hæretici, 154 — spirituales et perfecti. 155 — ipsi pastores. 156

Articulus II. — De subjecto obligationis in specie. 373

Leges universales et territoriales, generales et speciales, reales et personales. 157 — Leges pontificiæ omnes christianos ubique existentes obligant pro sua cujusque conditione et suo ritu. 158 — In ordine ad territorium distinguuntur incolæ, advenæ, peregrini, itinerantes, vagi, exempti. 159 — Incolæ et advenæ tenentur omnibus legibus territorii, dum sunt præsentes, et nonnullis specialibus etiamsi sint absentes 160. — Peregrini et hospites tenentur omnibus territorii legibus, quæ non sunt pro solis societatis membris latæ ; 161 — similiter itinerantes et vagi ; 162 — non tamen exempti. 163.

CAPUT IV. — DE LIMITIBUS OBLIGATIONIS LEGIS ECCLESIASTICÆ. 381

Articulus I. — De legis deobligatione ob ignorantiam. 381

Ignorantia stricte et late sumpta; involuntaria, voluntaria, levis et gravis, affectata; culpabilis; antecedens et concomitans. 164 — A formali legis, transgressione totaliter excusat ignorantia invincibilis etiam late

sumpta, antecedens et concomitans. Ignorantia voluntaria seu vincibilis a transgressione non excusat, eam tamen minuit etiamsi affectata fuerit. 165 — A pœna in foro interno excusat ignorantia obligationis quæ excusat ab omni culpa vel saltem ab ea culpa quam superior punire voluit; non autem generatim excusat ignorantia solius punitionis: prædictorum applicatio ad legem mere pœnalem. In foro externo ignorantia non admittitur nisi probetur. 166 — Ignorantia irritationis eam per se non impedit. 167.

Articulus II. — De legis deobligatione ob impotentiam. 386

Impotentia absoluta, moralis; physica, spiritualis; voluntaria, involuntaria. 168 — Ab obligatione eximit impotentia, tum absoluta, tum generatim etiam moralis. Eximere etiam potest ab obligatione impotentia voluntarie contracta: quandonam vero id contingat, pendet ab intentione agentis, impedimenti moralitate, speciali causalitate, connexione cum effectu, temporis intervallo, impedimenti natura, legis momento et fine. Impotentia aliquando a parte obligationis eximit, aliquando solum minuit transgressionis reatum. 169 — Impotentia quæ eximit ab obligatione eximit etiam a pœna. 170 — Legum irritantium effectum non impedit impotentia, nisi sit generalis. 171 — Epichia. 172.

Articulus III. — De legis deobligatione ob facti præsumpti defectum. 395

Præsumptio periculi moralis et facti; 173 — quomodo obliget lex fundata in præsumptione periculi moralis, in præsumptione facti. 174 — Juris fictio. 175.

Articulus IV. — De legis deobligatione ob dispensationem. 397

Dispensationis notio generalis, christiana, canonica seu legalis. Legalis dispensationis discrimen a privilegio, epichia, licentia, permissione, dispensatione in votis et juramentis, absolutione, indulgentia. 176 — Legum ecclesiasticarum dispensabilitas. 177.

§ I. — De auctore dispensationis.

Potestas dispensandi ordinaria et delegata. 178 — Potestate propria et ordinaria Romanus Pontifex dispensat in omnibus legibus ecclesiasticis; Episcopi vero potestate propria dispensare nequeunt in legibus generalibus Ecclesiæ, nec in legibus provincialibus, sed tantum in legibus diœcesanis. 179 — Potestate quasi ordinaria aliquando in legibus communibus dispensare possunt Episcopi et prælati Regulares ex juris dispositione explicita, vel implicita, ex consuetudine, ex præsumpta Pontificis voluntate. Quid possint Parochi. 180 — Potestas dispensandi delegatur dignitati vel personæ; delegatur ad varium tempus, varia amplitudine, vario fine; delegatur ab habente facultatem ordinariam vel quasi ordinariam, et aliquando etiam subdelegatur; cessat potestas delegata rei executione, revocatione, cessatione potestatis in delegante. 181.

§ II. — De subjecto dispensationis.

A quo dispensari valeant, 182 — superiores, 183 — incolæ, peregrini, vagi, 184 — exempti. 185.

§ III. — De conditionibus dispensationis.

Triplex conditio dispensationis a concilio Tridentino requisita: causa justa, causæ cognitio, gratuitas. 186 — Causæ necessitas ad dispensationis liceitatem, et aliquando ad ejus validitatem. Causæ requisitæ gravitas et natura. 187 — Causæ cognitio necessaria ad dispensationis liceitatem, et aliquando ad ejus validitatem. 188 — Requisita dispensationis gratuitas. 189 — Varii concessionis modi: motu proprio, ad

instantiam, expresse, tacite, simpliciter, cum onere, absolute, sub conditione. 190.

§ IV. — De vitiis dispensationis.

Valori dispensationis nocent error et metus. 191 — Quomodo in dispensationis valorem influat error qui versatur circa ejus objectum, causam, subjectum, modum jure aut consuetudine præscriptum. 192 — Quomodo influat metus in dispensationis valorem. 193.

§ V. — De effectu dispensationis.

Dispensationis efficacia, 194 — usus, 195 — duratio. 196.

Sectio III. — De cessatione legis ecclesiasticæ. 424

Nomine cessationis intelligimus legis mutationem completam vel incompletam.

Caput I. — De mutabilitate legis ecclesiasticæ. 425

Omnis lex humana ex natura sua mutabilis : 197 — triplex mutationis causa, 198 — quæ verificatur in ordine etiam ad disciplinam ecclesiasticam. 199 — Nonnullæ ordinationes moraliter immutabiles. 200.

Caput II. — De modo quo lex ecclesiastica mutatur. 429

Mutatio legis ex toto et ex parte, 201 — per ablationem vel per substitutionem. 202.

Caput III. — De via qua mutatio legis ecclesiasticæ efficitur. 430

Articulus I. — De mutatione legis ecclesiasticæ per materiæ et finis desitionem. 431

Cessatio legis, 203 — per materiæ mutationem, 204 — per desitionem finis. 205.

Articulus II. — De legis mutatione per revocationem. 432

Revocandi potestas, 206 — Romano Pontifici competens, relate ad canones conciliorum, et sanctæ Sedis statuta. Potestas competens Episcopis relate ad constitutiones synodales. 207 — Revocandi causa 208.

Articulus III. — De mutatione legis per desuetudinem. 435

Mutantur leges usu contrario, 209 — rationabili, 210 — libero, 211 — approbato, 212 — diuturno. 213.

LIBER SEPTIMUS.

De lege civili. 440

Notio legis civilis.

Sectio I. — De causa legis civilis. 441

Triplex causa : efficiens, materialis, formalis.

Caput I. — De causa efficiente legis civilis. 441

Facultas ferendi leges auctoritati civili propria, 214 — varia amplitudine existit, 215 — et in variis subjectis residet. 216. — Usurpator. 217

Caput II. — De causa materiali legis civilis. 445

Objectum legis civilis est bonum temporale, intellectus, voluntatis, corporis, fortunæ. 218 — In ordine ad hoc bonum temporale lege civili naturalis lex sancitur, determinatur, suppletur. Bonum temporale lege civili ad bonum spirituale refertur. Quid de internis et de præteritis. 219.

Caput III. — De causa formali legis civilis. 450

Legis civilis efformatio, promulgatio, interpretatio. 220. — Quousque necessaria sit legis civilis acceptatio a communitate, ab auctoritate religiosa. 221.

Sectio II. — De vi obligatoria legis civilis. 453

Agendum de iis quæ de indole, objecto et subjecto legi civili magis propria videntur.

CAPUT I. — DE INDOLE OBLIGATIONIS LEGIS CIVILIS. 454

Obligat in conscientia lex civilis, 222 — qua talis, ipsa vi imperii, et propria efficacia : 223 — hæc obligatio potest esse gravis. 224.

CAPUT II. — DE OBJECTO OBLIGATIONIS LEGIS CIVILIS. 456

Articulus I. — De obligatione legis civilis præcipientis et prohibentis. 456

De legibus præstationes exigentibus specialiter agendum 225. — Lex exigens præstationem personalem, in specie militiam, si justa fuerit, in conscientia obligat, ex justitia legali, etiam cum gravi incommodo. 226 — Potestas exigendi contributiones directas vel indirectas, sub certis conditionibus. 227 — Lex exigens contributiones, si justa sit, per se moralis est, non mere pœnalis, et obligat ex justitia commutativa, 228 — post legalem definitionem. 229.

Articulus II. — De obligatione legis civilis permittentis. 463

Debita libertas ad quædam : ad alia libertas non debita, nec concedenda nisi ex gravibus motivis : legum libertatem asserentium indoles et obligatio. Lex asserens exercitium jurium essentialium. 230 — Concessio jurium variæ speciei : legis concessivæ vis et obligatio. 231 — Privilegia. 232.

Articulus III. — De obligatione legis civilis punientis. 467

Lege civili statui potest pœna 233 — sive proprie dicta propter veram culpam, sive improprie dicta propter defectum. 234 — Decerni potest pœna temporalis, delictis proportionata, etiam capitalis. 235 — Quomodo lex pœnalis obliget judices, justitiæ ministros, reos. 236.

Articulus IV. — De obligatione legis civilis irritantis. 470

Potestas irritandi statui competens. 237 — Duplex modus irritationis : personas inhabilitando, formas actuum præscribendo ; multiplex gradus irritationis : nullitate radicali, annullatione, rescissione et revocatione ; causa irritationis : bonum commune, tertii, agentis, crimen. Irritatio civilis et naturalis. 238 — Comparatio irritationis cum prohibitione. 239 — Legis irritantis obligatio. 240.

CAPUT III. — DE SUBJECTO OBLIGATIONIS LEGIS CIVILIS. 476

Societas territorialis. Cives et exteri, absentes et præsentes, clerici et laici. 241 — Quousque patriæ legibus teneantur cives absentes ; 242 — exteri in territorio degentes, vel alibi existentes ; 243 — viri ecclesiastici, summus Pontifex, Episcopi, Clerici et monachi. 244 — Obligationis civilis limites. Legis civilis cessatio. 245.

Appendix. — De liberalismi oppositione ad moralem obligationem. 483

De legibus agitur in theologia, ut Deus legislator noscatur, ut conscientiis prospiciatur, ut fides explicetur ; aliter tamen theologi de legibus agunt, aliter philosophi, jurisperiti, canonistæ. 246 — Nostro tempore specialiter de legibus agendum, ut revincatur *Liberalismi* error. Liberalismus, qui consistit in legum repudiatione, duplex est, scientificus et practicus. 247 — Liberalismi scientifici gradus varii. 248 — Liberalismi practici gradus. 249 — Theologice liberalismus reatum continet, 250 — logice multiplicem confusionem involvit. 251 — Legis divinæ imperium est veræ libertatis præsidium. 252.

PARS SECUNDA.

DE CONSCIENTIA. 493

Sectio I. — De conscientiæ definitione et speciebus et vi obligatoria.

Nominis significatio primitiva et derivata. 253 — Conscientiæ descriptio analytica ; ejusdem distinctio a synderesi, scientia, prudentia : definitio. 255 — Conscientia est regula proxima operationum, 255 — a regula remota vim suam mutuans, 256 — inviolabilis. 257 — Exponendum quales dotes habere debeat recta conscientia et qua via efformari possit. 258

Sectio II. — De notionibus generalibus. 499

Varii status mentis respectu veritatis assequendæ. 259

CAPUT I. — DE OBJECTI COGNITIONE. 499

Objecti manifestatio ad mentem immediata vel mediata : 260 — ei respondet certitudo, metaphysica, physica, moralis, varii gradus. 261 — Certitudo late sumpta. 262 — Certitudinis connexio cum veritate. 263.

CAPUT II. — DE OBJECTI IGNORANTIA. 503

Objecti occultatio ex defectu ipsius objecti vel ex defectu intellectus : 264 — ei respondet nescientia et ignorantia, vincibilis vel invincibilis, antecedens vel concomitans, facti vel juris. 265 — Ab ignorantia provenit error. 266.

CAPUT III. — DE OBJECTI APPREHENSIONE CONJECTURALI. 504

Objecti apparentia, et probabilitas. 267 — Probabilitatis gradus, et distinctio in intrinsecam et extrinsecam, absolutam et relativam, publicam et privatam, solitariam et simultaneam, juris et facti, 268 — Objecti apparentiæ respondent dubitatio, suspicio, opinio. Quandonam in specie rationabiliter locus est suspicioni, aut dubitationi, aut opinationi. 269 — Cum dubitatione et opinione conjuncta ignorantia invincibilis vel vincibilis, 270.

Sectio III. — De qualitatibus conscientiæ rectæ. 513

Conscientia importat judicium. 271.

CAPUT I. — DE CONSCIENTIÆ CERTITUDINE. 514

Debet conscientia esse certa, 272 — saltem moraliter lato sensu, 273 — indirecte 274.

CAPUT II. — DE CONSCIENTIÆ VERITATE. 517

Conscientia vera est operationum regula undequaque recta. 275 — Conscientia, tum in se, tum in causa invincibiliter erronea est regula legitima secundum quid ; 276 — item conscientia hic et nunc invincibiliter erronea in se, olim tamen erronea vincibiliter. 277 — Legitima operationum regula non est conscientia hic et nunc vincibiliter erronea. 278 — Peccata ignorantiæ. 279.

Sectio IV. — De efformatione conscientiæ rectæ. 523

Ad conscientiam rite efformandam requiruntur : consideratio, consultatio, oratio, virtutum exercitium. 280 — Hæc media si prætermittantur, conscientia habebitur male formata, nempe vincibiliter erronea, laxa, scrupulosa, pharisaica ; 281 — si adhibeantur, conscientia erit bene formata et certa sive directe, sive saltem indirecte. 282.

CAPUT I. — DE CONSCIENTIÆ CERTITUDINE OBTENTA PER SOLUTIONEM DUBII SPECULATIVI. 530

Ratio solvendi dubium speculativum.

Articulus I. — De solutione speculativi dubii juris. 530

Videndum utrum dubium vere permaneat, 283 — et quodnam præcise sit ejus objectum. 284 — Indirecta solutio dubii de legislatoris potestate, et voluntate ; de legis promulgatione, honestate, justitia, utilitate, extensione ; de hominis subjectione ; de ordinationis duratione. 285 — Indirecta item solutio dubii de lege media præscribente, proprietatem attribuente, potestatem concedente, actuum conditiones determinante, pœnam infligente. 286.

Articulus II. — De solutione speculativi dubii facti. 535

Expendenda dubii existentia et natura. 287 — Indirecta solutio dubii quoad baptismi receptionem, ordinationem, matrimonii celebrationem, voti emissionem, promissionem et contractum, damnificationem, peccati commissionem ; 288 — quoad sacramentorum materiam, medii necessarii efficaciam, operationis periculum, proximi innocentiam, objecti proprietatem, actus positionem, rerum et personarum qualitates ; 289 — quoad legis adimpletionem, voti redditionem, debiti solutionem, peccati confessionem, causæ excusantis existentiam. 290 — Solutio authentica. 291.

CAPUT II. — DE CONSCIENTIÆ CERTITUDINE OBTENTA PER SOLUTIONEM DUBII PRACTICI. 543

Ratio solvendi dubium practicum. 292.

Articulus I. — De varia ratione solvendi dubium practicum. 544

Systemata tutioristarum, probabilioristarum, æquiprobabilistarum, probabilistarum : uniuscujusque formula propria ; reciproca convenientia et discrepantia. 293 — Systemata mixta eorum qui distinguunt inter jura, vel a possessione normam petunt, vel compensationem exigunt. 294 — Systemata extrema rigoristarum et laxistarum. 295.

Articulus II. — De legitima ratione solvendi dubium practicum. 549

Tutioristarum principium de necessitate vitandi peccatum exponitur et infirmum ostenditur. 296 — Tutioristarum et probabilioristarum principium de sequenda in dubio parte tutiore, exponitur et inefficax ostenditur, distinctione facta inter securitatem a detrimento, securitatem a peccato formali et securitatem a peccato materiali. 297 — Probabilioristarum et æquiprobabilistarum principium de verisimiliori parte amplectenda exponitur et disjicitur, distinctione facta inter ordinem speculativum et ordinem practicum. 298. — Probabilistarum et æquiprobabilistarum principium de necessaria ad obligationem scientia præcepti, exponitur et vindicatur. 299 — Minus efficaciter in hujus principii confirmationem arguitur ab ignorantia invincibili legis, vel a defectu debitæ promulgationis, vel a prudentia opinionis probabilis. 300. — Probabilismi principium restringi nequit ad legem positivam vel humanam ; qui autem restringendum putant, immerito arguunt a legis naturalis necessaria cognoscibilitate, vel a legis naturalis objecto, vel a Dei legislatoris dominio et majestate. 301 — Neque idem principium potest ad obligationis introductionem restringi principio possessionis : etenim possessio proprie dicta locum habet solum in materia justitiæ : in hac autem materia valet ad dubium speculativum solvendum : in communi autem materia obligationum admitti tantum potest libertatis aut legis possessio improprie dicta, quæ valet ad dubium practicum solvendum in favorem libertatis, non vero in favorem legis. Doctrinæ de possessione recapitulatio et probabilismi confirmatio. 302. — Non magis restringi potest probabilismi principium principio com-

pensationis, quin potius eo adjuvatur. 303 — Traditio : principium probabilismi a S. Patribus in praxim deductum, 304 — a scholasticis, casuistis et jurisperitis medii ævi obscurius propositum, 305 — a theologis sæculi decimi sexti systematice explicatum, 306 — occasione erroris janseniani impugnatum, 307 — tandem communiter admissum. 308 — Conclusio totius articuli : 309 — conscientiæ certæ efformatio. 310 — Notanda quoad probabilismi prudentem applicationem, 311 — a personis diversæ conditionis, 312 — in diversis materiis. 313 — Libertas in conscientia efformanda et sequenda. 314.

Appendix. — De morali systemate S. Alphonsi. 597

Inde ab anno 1749 saltem usque ad annum 1762 S. Alphonsus probabilistam se prodit, scriptis publicis, epistolis privatis, generali indole operis. 315 — Ab anno 1762 usque ad annum 1767 opus suum perfecit, quoad methodum et formam, quoad substantiam, quoad systematis moralis expositionem, illud accuratius circumscribendo, solidius fundando, prudentius applicando. 316 — Post annum 1767, S. Alphonsus adversariis aliquid concessit verbis, quoad obligationem sequendi opinionem unico gradu probabiliorem, et accedendi ad veritatem quantum possibile est ; quoad probabilitatis elisionem per probabilitatem oppositam ; quoad judicium de scriptoribus antiquioribus, de probabilismo, de sententia Jesuitarum ; minime tamen recessit a primitiva sententia. Conclusio. 317.

TRACTATUS QUARTUS.

DE ACTIBUS IN FINEM. 613

Tenditur ad finem per actus liberos, morales, salutares.

Sectio I. — De actu libero 613

Libertas conditio essentialis actus moralis et salutaris. 318

CAPUT I. — DE NOTIONE ACTUS LIBERI. 613

Libertas a necessitate, a coactione, ab obligatione. 319 — Ad actum moralem et salutarem non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a necessitate. 320 — Libertate a necessitate homo reipsa præditus. 321 — Causa libertatis in homine est ratio, subjectum proprium est voluntas. 322 — Hinc nullus actus liber qui non sit voluntarius. 323 — Actus libere voluntarius merito dicitur per excellentiam humanus. 324.

CAPUT II. — DE ACTUS LIBERI SPECIEBUS. 619

Actus elicitus : volitio, intentio, consensus, electio, usus, fruitio. Actus imperatus intellectus, sensuum, appetitus sensitivi, facultatis locomotricis, functionum vitæ vegetativæ. 325 — Actus perfecte vel imperfecte voluntarius, pure voluntarius vel mixtus, actualiter vel virtualiter voluntarius. 326 — Omissio libere voluntaria. 327 — Effectus libere voluntarius et mere permissus. 328 — Voluntarium et volitum : volitum explicite vel implicite, absolute vel conditionate, efficaciter vel inefficaciter, actualiter vel habitualiter, realiter vel interpretative, expresse, tacite, præsumptive. 329 — Involuntarii notio, ejusque distinctio in involuntarium simpliciter et involuntarium secundum quid. 330.

CAPUT III. — DE ACTUS LIBERI IMPEDIMENTIS. 628

Voluntarii impedimenta generalia : Defectus rationis et mentis alienatio, ebrietas, somnus, status somnambulismi naturalis et artificialis, obsessio. 331 — Impedimenta specialia : ignorantia, concupiscentia, metus et violentia. 332.

Articulus I. — De ignorantia. 629

Ignorantia omnino invincibilis voluntarium et liberum tollit : ignorantia actualiter invincibilis, antecedenter vincibilis tollit voluntarium in se, sed relinquit voluntarium in causa : ignorantia actualiter vincibilis voluntarium non tollit, sed minuit. 333 — Oblivio et inadvertentia. 334.

Articulus II. — De passionibus seu de concupiscentia. 632

Passionis notio generica, et præcipuarum passionum enumeratio. 335 — Distinctio passionis in voluntariam et non voluntariam, antecedentem et concomitantem, gravem et levem. 336 — Passio antecedens auget voluntarium, minuit liberum ; passio vero concomitans aliquo modo auget voluntarium, at non influit in liberum 337. — Influxus habituum, 338.

Articulus III. — De animi affectionibus, præsertim de metu. 636

Animi affectiones. 339 — Definitio metus, 340 — ejusque distinctio in gravem et levem, antecedentem et concomitantem. 341 — Metus voluntarium simpliciter relinquit, liberum minuit. 342 — Timor reverentialis et dominatio. 343.

Articulus IV. — De violentia. 639

Violentia proprie dicta, moralis, secundum quid. 344 — Violentia cadere non potest nisi in actus imperatos. 345 — Violentia opponitur voluntario. 346.

Sectio II. — De actu morali. 643

Mores, morale, moralitas, 347 — Moralitas dicitur vel improprie subjicibilitas actus ad regulam, vel proprie relatio conformitatis vel difformitatis actus cum regula. Moralitas proprie dicta duplici specie constat, bonitate et malitia. 348 — Actuum regula generalis est finis ultimus, ordo, divina voluntas ; 349 — specialis autem lex et conscientia : hinc distinctio moralitatis in materialem et formalem, liberam et obligatoriam, intrinsecam et extrinsecam. 350.

CAPUT I. — DE PRINCIPIIS MORALITATIS. 649

Principia moralitatis sunt objectum, finis et circumstantiæ. 351.

Articulus I. — De moralitate ab objecto derivata. 649

Objectum dicitur id in quod actus per se tendit : 352 — dat actui speciem physicam : 353 — bonum vel malum judicatur, non in se, sed in sua relatione ad actum : 354 — ab objecto accipit actus suam moralitatem fundamentalem, principalem et primariam : 355 — et quidem vero sensu dici potest omnem actum ab objecto moralitatem accipere bonam vel malam : 356 — Bonitas objecti intendenda, ut contrahatur, non autem malitia. 357.

Articulus II. — De moralitate a fine derivata. 654

Notio finis ejusque distinctio 358 — in finem proximum et remotum, ultimum et intermedium, totalem et partialem. 359 — Finis moralitas : 360 — qua ratione intendi debeat actionis honestas, utilitas, delectabilitas, adeoque liceat agere intuitu præmii vel timore pœnæ : 361 — qua ratione in operando intendere oporteat finem ultimum, et opus in Deum referre. 362 — Omnis intentio bona vel mala. 363 — Conditiones requisitæ ut bonitas finis contrahatur. 364 — Moralitas actus boni in finem bonum, malum, indifferentem relati. Moralitas actus mali in finem bonum, malum, indifferentem relati. Moralitas actus ex objecto indifferentis, in finem bonum, malum, indifferentem relati. Moralitas a fine, qua tali, accepta accidentalis. 365.

Articulus III. — De moralitate a circumstantiis derivata. 665

Circumstantia est conditio accidentalis actus humani in sua substantia constituti. 366 — Septem enumerantur circumstantiæ, quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. 367 — Latiori vel strictiori sensu definitur quid pertineat ad substantiam actus, quid sit circumstantia : hic sumitur circumstantia in sensu proprio. 368 — Circumstantia dicitur bona vel mala in sua relatione ad actum. 369 — Ratione circumstantiæ actus bonus fieri potest malus ; actus bonus vel malus novam accipit a circumstantia bonitatem vel malitiam ; item majorem vel minorem gradum habet bonitatis aut malitiæ. 370.

Appendix. — De moralitate ab effectu derivata. 672

Effectus potest actui tribuere bonitatem si intendatur, vel malitiam si impediri debuerit. 371 — Obligatio impediendi effectum malum non est absoluta : quo criterio discernendi casus in quibus ista obligatio urgeat. 372 — Causa duplicem effectum habens, unum bonum, alterum malum. 373 — Quæstiones affines. 374.

Caput II. — De subjecto moralitatis. 675

Articulus I. — De moralitate actus. 675

Qua ratione morales sint : volitio necessaria, 375 — actus executio absque volitione, volitio absque executione. 376 — Omnis actus humanus in concreto moralis est, nullus indifferens. 377 — Unus et idem actus duplicem moralitatis speciem induere potest, bonitatem et malitiam. 378 — Actuum moralium distinctio numerica. 379.

Articulus II. — De moralitate effectus.

Effectus 380 — formaliter moralis in causa, 381 — in se autem materialiter tantum moralis. 382 — Quo sensu effectus non est magis culpabilis quam est sua causa. 383.

Caput III. — De speciebus moralitatis. 686

Moralitatis species immediate oppositæ sunt bonitas et malitia; indifferentia est moralitatis absentia et negatio. 384.

Articulus I. — De distinctione specifica actuum bonorum. 687

Bonitatis species oritur ab objecto, fine et circumstantiis. 385 — Duplex actuum bonorum ordo, nempe theologicorum et simpliciter moralium. 386 — Triplex species actuum theologicorum : fides, spes, charitas. 387 — Quadruplex species actuum simpliciter bonorum ; prudentia, justitia, fortitudo, temperantia. Inferiores species, 388 — prudentiæ, 389 — justitiæ, 390 — fortitudinis, 391 — temperantiæ, 392.

Articulus II. — De distinctione specifica actuum malorum. 692

Actuum malorum distinctio specifica primario sumitur ab eorum objecto, fine, circumstantiis; 393 — secundario a bonitate opposita et a legibus formaliter diversis. Theologorum in hac quæstione consensus realis, dissensus verbalis, 394 — Qua ratione distinctam speciem denotant divisiones in peccata omissionis et commissionis ; contra Deum, proximum, seipsum; spiritualia et carnalia; oris, cordis, operis. 395.

Sectio III. — De actu salutari. 698

Caput I. — De actibus fini consequendo utilibus. 699

Articulus I. — De conditionibus requisitis ut actus ad finem valeat. 699

Nullus actus bonus ad finem supernaturalem valet nisi sit supernaturalis, tum ex parte principii elicientis, tum ex parte motivi dirigentis. 396.

Articulus II. — De varia ratione qua actus ad finem valeat. 701

Actus supernaturalis ad finem valet tanquam causa moralis, per modum meriti, impetrationis, propitiationis. satisfactionis. 397 — Qua ratione actus supernaturales sint meritorii, impetratorii, propitiatorii, satisfactorii. 398.

CAPUT II. — DE ACTIBUS FINI CONSEQUENDO OBSTANTIBUS. 703

Actus malus 399 — a fine vel excludit et dicitur peccatum mortale, vel tantum retardat, et dicitur peccatum veniale. 400 — Peccati mortalis et venialis differentia, 401 — in rerum natura fundata. 402 — Peccati mortalis et venialis divisio an sit generis in species. 403 — Unde peccatum mortale a veniali discernendum. 404 — Actus malus fini obstat demerendo. 405 — Qua ratione demeritorius sit actus graviter malus, item actus leviter malus. 406 — Conditiones requisitæ ut actus objective malus a fine retardet vel etiam excludat. 407 — Peccatum habituale. 408.

TRACTATUS QUINTUS.

DE FINIS ASSECUTIONE ET AMISSIONE. 712

Finis consecutio vel amissio annexa ordinis observationi. 409 — In finis assecutione, vita æterna, hominis perfectio ac beatitudo. 410 — In finis amissione mors æterna, hominis corruptio et infelicitas. 411 — Finis assecutio et amissio est sanctio legis moralis et ordinis consummatio. 412.

ERRATA.

	Errata	Corrige
Pag. 63 lin. 18	I De actis Pontificiarum Congregationum	*deleatur*
» 154 » 17	quinquaginta fere	sexaginta
» 224 » 5	cognitione; quibus subjicietur appendix de jure gentium;	cognitione, charactere sociali ac politico et sanctione;
» 292 not. 3	S. Thom. 1-2, q. 5.	S. Thom. 1-2, q. 95.
» 295 lin. 15	interno	externo.
» 340 not. 6	Cap. 10, n. 16.	Cap. 10, n. 1
» 345 » 3	l. c., n. 381	l. c., n. 38
» 360 » 5	Can. 2 et 3	Can. 3 et 4
» 432 » 2	n. 165	n. 174
» 560 » 3	IX, a. 13	IX, a. 15

239.02
B.666

1546

BOUQUILLON, Thoma Jos.
AUTHOR

Theologia Moralis Fundementalis
TITLE

Ed. 3a

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	FR. DONNELLY	

239.02
B 666

1546